FRATRIS

PETRI MARIÆ GAZZANIGA

ORD. PRÆD.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

HABITÆ

IN VINDOBONENSI UNIVERSITATE

NUNC VERO METHODO DISPOSITÆ

EMENDATÆ ET AUCTÆ

ACCEDIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS EJUSDEM AUCTORIS

TOMUS VIII. PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO ET DE CONFIRMATIONE

BASSANI 1831.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT

PRÆFATIO

Fidem, quam olim anceps, timidusque dederam, nunc lætus, Deo opt. max. favente, liberare aggredior. Optaveram enim quam vehementer, ac pene spoponderam, Prælectionibus meis theologicis, quæcumque eæ sint, si tantum vitæ, et virium divina ope consecutus essem, ultimum quasi complementum addere, scilicet Tractatum de re Sacramentaria. Quod opus, quanquam incommoda semper valetudine usus, eo libentius suscepi, quo nobilissimam semper reputavi hanc totius Theologiæ partem, multisque nominibus ita utilem, et necessariam, ut nihil scitu dignius, ac præstantius in sanctissima nostra Religione inveniri queat. Agitur enim hic de iis divinis mysteriis, quæ nos sanctificant, nos roborant, nutriunt, perficiunt, atque ad vitam æternam perducunt; quibus nostra fides gignitur, spes excitatur, charitas inflammatur, ac copiosissima septiformis Spiritus dona nobis conferuntur uberrime. Quanta igitur esse debet hac in re nostra cura, et sedulitas?

Sed postea majorem adhuc hujus materiæ copiose, accurateque pertractandæ necessitatem nobis imposuit pertinax Novatorum perfidia, qui Patrum nostrorum ævo Romanam, et Catholicam Ecclesiam, omnium fidelium matrem, atque magistram, suis hæresibus oppugnare, atque impie dilacerare ausi sunt, neque adhuc insanire cessant; nihil enim acrius evertere, aut fœdius corrumpere conantur, quam orthodoxam de numero, institutione, essentia, efficacitate, sanctitate, ac de ministris Sacramentorum ejusdem Ecclesiæ doctrinam. Vix sine animi horrore legi, vel audiri possunt blasphemiæ, quas Lutherus, Calvinus, et infelices eorum discipuli, contra hæc sacrosancta, et divina mysteria sacrilege evomuerunt. Vix sine fastidio recenseri queunt subtiles eorum argutiæ, artificiosæ fallaciæ, et aperta putidissima mendacia, quibus prodigiosa confidentia sperarunt, se posse hæc tam pretiosa nostri divini Redemptoris beneficia de medio tollere, aut inutilia reddere. Baptismum agnoscere se dicunt; sed dum omnimodam ipsius necessitatem confiteri nolunt, intrinsecam vero ejusdem efficaciam ad delenda peccata non agnoscunt, quam soli fidei tribuendam esse obstinate contendunt, quid nisi vacuum Baptismi nomen nobis relinquunt? Eucharistiæ Sacramentum magnificis verbis extollunt; reipsa autem omnem ab eo dignitatem removent, dum realem sanctissimi Corporis Christi præsentiam inficiantur, transubstantiationem negant, adorationem eliminant; omne insuper ejusdem emolumentum evacuant, dum incruentum Missæ sacrificium, quo nihil est in christiana religione pretiosius, aut divinius, impie abrogarunt. Reliqua vero, nempe Confirmationem, qua ad pugnam cum animæ nostræ hostibus roboramur; Pœnitentiam, quæ baptismus est laboriosus, et secunda post naufragium tabula; sacrum Ordinem, quo Religionis ministri instituuntur, et a laicis distinguuntur; Extremam unctionem, qua infirmi mirifice adjuvantur; ac Matrimonium, quo Christianorum nuptiæ sanctificantur, uno veluti flatu expunxerunt. Quodnam unquam excitatum fuit contra Ecclesiam bellum atrocius, ut pretiosissimis Dominicæ redemptionis beneficiis exspoliaretur? Quænam prodire poterat ab orco pestis Christifidelibus perniciosior, quam ista, qua ipsa salutaria infirmitatum nostrarum pharmaca vel corrumpuntur, vel prorsus rejiciuntur? Et quænam proinde major nobis esse potest pro nobis ipsis, et pro nostra Religione tam execrandis hostium conatibus resistendi necessitas?

Quid? quod ex ipso Ecclesiæ sinu quosdam nuperrime erupisse dolemus, qui vanam sacræ

antiquitatis venerationem affectantes, aut potius prætexentes; novos errores contra Pœnitentiæ, Matrimonii, atque Ordinis sacramenta spargere, et legitimam, atque ipsa vetustate firmatam Ecclesiæ Pastorum, imprimis autem supremi eorum capitis Romani Pontificis potestatem labefactare, minuere, ac prorsus evertere omni molimine conati sunt; et cum æquum esset difficillimis istis Christianæ reipublicæ temporibus, omnes conjunctis viribus cum Religionis hostibus, qui ubique grassantur, strenue pugnare, eosdem videmus (proh dolor!) arma contra ipsam Religionem impie convertere; itaque incredulis spectaculum exhibere jucundissimum, nobisque novam belli molem imponere. Cui tamen intrepide sustinendo novam a Deo nobis opem adfuturam, certo speramus: neque enim ulla unquam justior fuit pugnandi causa.

Sed quorsum hæc omnia? Ut nos ipsos excitemus ad indefessam curam, omnemque diligentiam in re tam necessaria sedulo impendendam. Hoc autem nos præcipue facere oportet, nos inquam, qui ecclesiastico cœtui adscripti eorumdem Sacramentorum non solum participes, sed dispensatores, et ministri esse debemus, atque hæc invisibilis gratiæ visibilia symbola nedum ipsi sumere, sed aliis etiam propinare, ut proinde eo sublimior in nobis requiratur harum rerum scientia, et peritia, quo excellentiorem gradum, et dignitatem obtinemus.

His, aliisque de causis nos in hac extrema Theologiæ parte perspicue exponenda, firmiter stabilienda, ac strenue contra multiplices hostes vindicanda, omnem nostram operam, atque industriam locavimus; brevitati tamen, quod fieri potuit, semper studentes, ne tyrones, quorum gratia hunc laborem suscepimus, nimia rerum copia obruantur, atque animum despondeant. Qui autem hæc profundius perscrutari, et latius in hac tam excellenti Theologiæ parte vagari cupiunt, facile, sin minus firmiora, saltem copiosiora invenient apud celebratissimos Scriptores, qui a duobus et amplius seculis hanc materiam uberius, et accuratius, quam veteres Scholastici, pertractarunt. Inter hos maxime excelluerunt Vener. S. R. E. Cardinalis Robertus Bellarminus, qui inter primos hanc spartam feliciter exornavit, atque aliis plura addendi quasi viam constravit; Car. Witassius, Honoratus Tournely, Gaspar Juenin, Nicolaus l' Herminier; tres ex Dominicana Familia præstantes Theologi, Card. Lud. Gotti, Car. Renatus Billuart, et qui alios duos hac in parte longo post se intervallo reliquit, Renatus Hyac. Drouven, ac demum doctissimus, et sacra, ac profana eruditione cumulatissimus P. Jo. Laur. Berti, Augustiniani Instituti magnum decus, et ornamentum. Ex istorum laboribus me profecisse, gratus confiteor. Sed in iis, quæ ad perdifficilem hanc materiam dilucide exponendam pertinent, sanctissimi Præceptoris nostri Thomæ Aquinatis doctrinam propriis ipsius verbis attuli, exemplum secutus celebratissimi, et sæpius ab Apostolica Sede probati Catechismi Romani, qui in explicandis œcumenicæ Tridentinæ Synodi decretis, nedum sententiis, sed persæpe etiam verbis ejusdem S. Doctoris usus est.

Quantum vero ad rerum ordinem, a vestigiis laudatæ mox Tridentinæ Synodi recedere piaculum duxi. Quemadmodum ergo illi sapientissimi Patres in VII. Sessione doctrinam catholicam de Sacramentis in genere, de Baptismo, et Confirmatione compluribus editis canonibus, et anathematismis a Novatorum erroribus purgarunt; postea autem in aliis Sessionibus de reliquis Sacramentis egerunt; ita et ego in prima hujus Tractatus parte pro Sacramentis in genere, eorumque ministro, tum pro Baptismo, ac Confirmatione, potissimum contra profanos hæreticorum conatus dimicavi; de scholarum dissidiis parum sollicitus. In altera autem parte sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Ordinis, Extremæ unctionis, et Matrimonii pro virili explicanda, confirmanda, et tutanda suscepi, omnia infallibili totius Ecclesiæ, ac visibilis ipsius capitis Romani Pontificis judicio, qua fidelem, devotumque filium decet, obedientia, ac docilitate humiliter subjiciens.

INDEX
CAPITUM ET PROPOSITIONUM
QUÆ
IN HOC VOLUMINE VIII. CONTINENTUR

****

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTORUM NATURA, NECESSITATE, EXISTENTIA, EFFICACIA, ET EFFECTIBUS.

Antequam de singulis Sacramentis novæ legis agamus, qui præcipuus est hujus Tractatus scopus, quædam de Sacramentis in genere præmittere apud omnes Theologos consuetum est; quam methodum, utpote opportunissimam, etiam nos sequemur. Ut autem servetur, quoad fieri potest, rectus doctrinæ ordo, quo unum ex altero fluat, post datam, & breviter explicatam Sacramenti definitionem, statim agemus de Sacramentis, quæ ante Christum instituta fuerunt, ut umbra essent, & figuræ nostrorum. Deinde operosius disputabimus de numero, auctore, partibus essentialibus, efficacia, atque effectibus Sacramentorum novæ legis. Sit itaque

CAPUT I.

De nomine, ac definitione Sacramenti.

1. *Quoniam universe*, inquit apposite Catechismus Romanus P. II. cap. I. *de toto genere Sacramentorum agendum est, ab ipsius nominis vi, atque notione oportet incipere, ejusque ambiguam significationem explanare; ut quæ hujus verbi sententia hoc loco propria sit, facilius intelligatur.* Primum igitur qui hujus vocabuli usus, deinde quæ apud ecclesiasticos scriptores ejusdem significatio fuerit, dicendum est.

2. Multiplex, & varia invenitur apud veteres Latinos *Sacramenti* acceptio; sed duæ præcipuæ: una apud Militares, altera apud Jurisconsultos. Prima erat illud juramentum, quo milites ad sua servitia fideliter, constanterque præstanda obligabantur, de qua Vegetius Lib. II. *De re militari* cap. 5. *Milites*, inquit, *jurare solent, & ideo militiæ Sacramenta dicuntur* (a).

3. Alteram *Sacramenti* significationem explicat Varro Lib. V. *De lingua latina* cap. 30.: nempe qui litigare volebant, adigebantur ad certam pecuniæ summam apud Pontifices in loco sacro, tanquam pignus deponendam, ea lege, ut qui victus causa caderet, in pœnam injustæ litigationis eamdem pecuniam amitteret, rebus sacris impendendam; quæ propterea *Sacramentum* appellabatur. Hinc illa Tulliana phrasis *Sacramento contendere*. Immo solemnes erant illæ siglæ, seu notæ S. N. S. Q., idest, *Si Negas, Sacramentum Quærito*. Sed missis profanis *Sacramenti* significationibus, ad ecclesiasticas transeamus (b).

4. *Sacramenti* nomen latinum est, ac propterea in originali, tam veteris, quam novi Testamenti textu non invenitur: invenitur tamen res ipsa per nomen *Mysterii* significata, quo vocabulo etiam Patres Græci usi sunt. Latini autem scriptores frequentissime nomen *Sacramenti* usurparunt, sed vario, ac diverso sensu. *Primo enim Sacramentum* dixerunt quamcumque rem sacram ad Deum pertinentem. Sic S. Augustinus epist. CXXXVIII. olim V. cap. 7. T. II. *Signa*, inquit,

cum

(a) Quanquam T. Livius Lib. XXII. 38. *juramentum* militum a *sacramento* aperte distinguit, inquiens: „Mi„ lites tunc, quod nunquam antea factum erat, jure„ jurando ab Tribunis militum adacti, jussu Consulum „ conventuros, neque injussu abituros: nam ad eam „ diem nil præter *sacramentum* fuerat ". Qui de hac re plenius instrui cupit, adeat Dempsterum Lib. X. *Antiquit. Rom.* cap. 5. Justum Lipsium de militia *Rom.* Lib. I. Dial. 6. & Lib. V. Dial. 15., tum Dissert. Ratholdi Hermanni Schelii: quæ inserta Tomo X. *Thesauri Græviani*, & Gronovium in notis ad *Noctes Atticas* Auli Gellii Lib. XVI. cap. 4. Formulas autem Sacramenti Militaris collegit Barn. Brissonius Lib. VI. *De formulis*.

(b) In Jure etiam Ecclesiastico *Sacramentum* pro *Juramento* aliquando usurpatum fuisse discimus ex cap. *Quia Sacramento* P. II. causa 22. cap. 11., aliisque ex locis. Sed bene S. Thomas adnotavit 3. P. q. 60. art. 1. ad 3. *Juramentum qualem rationem, seu analogiam dici Sacramentum, quia habet quamdam habitudinem ad res sacras, juramentum scilicet est quædam contestatio facta per aliquid sacrum.*

cum ad res divinas pertinent, *Sacramenta appellantur*.

5. *Secundo* adhibitum est hoc vocabulum magis stricte ad designandam rem sacram, non quamcunque, sed *arcanam*, & *reconditam*, cujusmodi sunt altissima Religionis nostræ mysteria; unde illud Apostoli Eph. I. 9. *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ;* & cap. III. 9. *Quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis;* nempe Incarnationis Dominicæ. Eodemque sensu apud veteres Patres, Tertullianum, Cyprianum, aliosque nomen *Sacramenti* sæpe occurrit. *Nobis autem*, inquiebat Lactantius Lib. I. *Divinarum Institutionum* cap. 1., *qui Sacramentum veræ religionis accepimus* &c. Et S. Ambrosius Librum inscripsit *de Incarnationis Dominicæ Sacramento*. Et sic promiscue nomen *Sacramenti*, & *Mysterii* apud latinos Patres invenimus (*a*).

6. *Demum* propria hujus vocabuli notio apud Christianos est illa, ut indicetur res sacra visibilis, ac sensibilis, qua invisibilis Dei gratia confertur: unde aliqui *Sacramentum* dictum esse volunt a re, qua *sacramur;* sicut indumentum, quo induimur, & ornamur. Sed S. Thomas repugnat 3. P. qu. 60. art. 1. ad 1. & Sacramentum denominatum esse vult a *sanctitate*, quam in nobis producit *per modum causæ formalis*, *vel finalis*. Et sic illa vox restricta fuit ad illos septem sacros ritus, quos proprie *Sacramenta* nominamus. Quod nomen etiam Protestantes admittere coacti sunt, quamvis in sacris litteris, ut supra innuimus, non reperiatur (*b*). Et hæc quantum ad nomen (*c*).

7. Quantum vero ad rem ipsam spectat hoc nomine designatam, variæ suppetunt Sacramenti definitiones. Aliquæ generaliores sunt, & tam veteris, quam novi fœderis sacramenta comprehendunt; ut illa communis: *Sacramentum est signum sensibile rei sacræ;* tum illa in Jure Can. Dist. II. *De consecrat.* cap. *Sacrificium: Invisibilis gratiæ forma visibilis;* hæ enim definitiones conveniunt etiam Sacramentis, quæ fuerunt ante Christum, in quibus sub visibilibus quibusdam signis gratia invisibilis conferebatur, quanquam non ex intrinseca Sacramentorum virtute, sed ex fide in venturum Messiam, ut suo loco explicabitur.

8. Aliæ sunt magis restrictæ, & nonnisi Sacramentis novæ legis conveniunt; ut illa, quam tradit S. Thomas in Opusculo V. inquiens: *Sacramentum novæ legis est invisibilis gratiæ visibilis forma*, *ut ejus similitudinem gerat*, *& causa existat* (Quæ definitio est Magistri Sententiarum Lib. IV. Dist. I.), tum etiam illa ejusdem S. Doctoris 3. P. qu. 60. art. 2. ubi Sacramentum dicit esse *signum rei sacræ*, *inquantum est sanctificans homines*. Hanc autem definitionem ita Angelicus exponit art. 3., ut Sacramentum sit & *signum rememorativum* ejus, quod præcessit, scilicet passionis Christi: & *demonstrativum* ejus, quod in nobis efficit per Christi passionem, scilicet gratiæ, & *prognosticon*, idest prænunciativum futuræ gloriæ.

9. Hoc triplex Sacramentorum signum Catechismus Romanus P. II. cap. 1. luculenter exponit, atque ex sacris litteris confirmat in Sacramento Baptismi, quo rememoratur Christi mors; unde Apostolus Rom. VI. 3. *Quicumque*, ait, *baptizati sumus in Christo Jesu*, *in morte ipsius baptizati sumus*. Est etiam signum *demonstrativum* cœlestis gratiæ in nobis diffusæ, qua in novam vitam regeneramur, dicente eodem Apostolo in eodem loco vers. 4. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem*, *ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris*, *ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Postremo est signum *prognosticon* vitæ æternæ, quod idem Apostolus inquit, cum ibidem vers. 5. dicit: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus*, *simul & resurrectionis erimus*. Sic etiam in Eucharistia hæc tria signa breviter, & eleganter complexus est S. Thomas in illa pulcherrima antiphona: O

(*a*) Nomine *mysterii* solebant Græci indicare quidquid sub externa sensibili specie aliquid admirabile, & divinum continebat, quodque in vulgus propalare haud decebat; unde etiam Sacerdotes *μύσται* vocabantur *ἀπὸ τοῦ μύειν*, quod est *claudere*, & *στόμα*, latine *os*, quod oporteret *τοὺς μύστας μύειν τὸ στόμα*, *καὶ μὴ ἐκφαίνειν ἃ μεμύηνται*, nempe *Claudere os*, *nec ea patefacere*, *quæ docti erant*, ut ait Eustatius. Hinc celebris etiam apud Christianos priorum seculorum *Disciplina Arcani*, de qua multa egregie disseruit Emmanuel a Schelestrate, patria Antuerpiensis, sed Romæ mortuus anno 1692. ubi Custodis Bibliothecæ Vaticanæ munere fungebatur. Eamdem *Arcanam disciplinam* nuper illustravit, ac vindicavit P. Hermannus Scholliner Ord. S. Bened. in *Dissert. theolog. histor.* contra Dallæum, Albertinum, Tenzelium, Binghamum, Bohemerum, aliosque Tiguri 1756. in 4.

(*b*) Excipiendus est Andr. Carlostadius, qui *Sacramenti* vocem, utpote non biblicam, explodendam esse pertinaciter contendebat. Ipsum acriter castigavit implacabilis ejus hostis Mart. Lutherus in Libro *Contra cælestes Prophetas*, *seu fanaticos;* quamquam ipse Lutherus antequam factus esset Carlostadii inimicus, a *Sacramenti* nomine abhorrebat; & postea eo non *signum rei sacræ*, sed *ipsam rem sacram*, *secretum*, *& absconditam* designari volebat, quod nemo unus ante ipsum somniavit. Ulricus etiam Zwinglius in suo impio Libro *De vera*, *& falsa religione* ægre ferebat, hanc vocem fuisse receptam. Sed haud ita censuerunt veteres Ecclesiæ latinæ scriptores, & Patres, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius &c., qui quæ a Græcis appellata fuerunt *Mysteria*, latine dicere *Sacramenta* non dubitarunt. Ac demum ipsi Novatores fasces submittere debuerunt, ut nulla amplius sit nos inter & illos de hoc nomine controversia.

(*c*) De quo plura habent Isidorus Lib. VI. *Etymologiarum* cap. postr. Ger. Jo. Vossius in *Etymologiis*, & Matth. Martinius in *Lexico philosophico* voce *Mysterium*.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: recolitur memoria passionis ejus: mens impletur gratia; & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

10. Sed ut redeamus ad definitiones Sacramentorum novæ legis, hæ multæ quidem sunt, in eumdem tamen sensum conspirant. Catechismus Rom. P. II. cap. 1. n. 4. *Sacramentum*, inquit, *est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum*. Post autem n. 11. hanc aliam uberiorem tradit definitionem, quæ ab omnibus fere recepta est, dicens, Sacramentum *rem esse sensibus subjectam, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet*. Quæ definitio sic breviter exponitur.

11. Dicitur *primo*, esse *rem sensibus subjectam*, quia Sacramenta debent esse aliquid sensibile, cum sint Religionis nostræ externi ritus quibus fideles visibiliter simul coadunantur. *Secundo* subditur, esse *ex institutione Dei*, tum quia solus Deus est auctor gratiæ, quæ in Sacramentis continetur, & confertur: tum etiam quia Sacramenta non sunt signa naturalia, ut fumus est signum ignis, & vestigium pedis, sed signa, quæ ex sola Dei voluntate gratiam invisibilem significant. Sic in Baptismo externa corporis ablutio, internam, & spiritualem animæ emundationem significat: Debent tamen hæc signa aliquam analogiam habere cum effectu, quem significant (*a*). *Tertio* additur, illam rem, seu sacram cæremoniam *habere vim sanctitatis, & justitiæ tum significandæ; tum efficiendæ*; quibus verbis docetur, Sacramenta esse signa non *speculativa*, sed *practica*, quæ ex divina institutione in se virtutem habent gratiam producendi in eo, qui obicem non ponit. Unde illæ sacræ cæremoniæ, quæ hac virtute, & efficacia præditæ non sunt, *sed tantum significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur Sacramenta*; ut inquit Angelicus 3. P. quæst. 60. art. 2. ad 3.

12. Denique omittere nolumus pleniorem illam Sacramenti definitionem, quam tradit Guill. Estius in IV. *Sentent*. Dist. I. §. 1. his verbis. *Sacramentum est externum quoddam, & sensibile signum interioris, atque invisibilis gratiæ, & quidem ex divina institutione efficax: id est per quod Deus certo atque infallibiter gratiæ salutarem effectum operatur in suscipiente, dummodo ad id rite præparatus accedat, aut certe obicem non ponat* (*b*).

Referuntur definitiones Sacramenti traditæ ab Hæreticis.

13. Jo. Gherardus, celebris olim apud Lutheranos Thelogus Tomo VIII. *Locorum Theolog*. Loco XIX. cap. 3. non multum primo aspectu a nostris definitionibus abludere videtur, solum negans, *signum* esse proximum, & adæquatum Sacramenti genus; & pro *signo* vult ponendam esse in definitione *actionem*, quam proprium, & propinquum genus esse contendit. Illi fere consentiens Jo. Franc. Buddeus, qui ex recentioribus Lutheranis *Institutiones Theologicæ Dogmaticæ* edidit, Lib. IV. cap. 1. §. 16. per Sacramentum vult intelligi *actionem quamdam divinitus mandatam, & circa elementum aliquod externum, & visibile occupatam, per quam, accedente verbo institutionis, gratia Evangelii de remissione peccatorum ad vitam æternam confertur, & obsignatur*. Tria igitur ad veram Sacramenti notionem requiri, docet, *primo* actionem externam, & visibilem: *secundo* elementum visibile a Deo præscriptum: *denique*, ut ea, quæ in Evangelio hominibus promittuntur, per hanc actionem iis conferantur.

14. Porro si Lutherani isti aliud contenderent, quam in conficiendis, & administrandis Sacramentis *actionem* requiri, nemo eis repugnaret, dummodo tamen concederent, ipsam actionem corporalem non aliter ad Sacramenti rationem pertinere, nisi quia & ipsa actio est signum alterius actionis invisibilis, quæ in nobis gratiam producit. Sic in Baptismo actio abluendi corpus est signum ablutionis invisibilis, qua Deus per Baptismum animam a peccati sordibus interius emundat (*c*).

15. Sed & illud est serio animadvertendum, quod suo loco contra Lutheranos operose demonstrabitur, Sacramentum Eucharistiæ, etiam cessante actione, permanere, & tamdiu permanere, quamdiu permanent visibilia ejus signa, scilicet species Sacramentales panis, & vini.

16. Verum in alio capite vehementius errant Lutherani, quod velint, Sacramenta esse signa vacua, a Deo instituta dumtaxata ad excitandam in nobis fidem, a qua *sola* nostram justificationem pendere autumant; non autem signa *efficacia*, quæ gratiam non solum significent, & obsignent, sed & contineant, & virtute sua conferant, dummodo ex parte suscipientis obex non ponatur. Unde in Con-

(*a*) S. Augustinus epist. LXXXVIII. ad Bonifacium olim 23. num. 9. T. II. *Si enim*, inquit, *Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent*. Advertit autem Angelicus 3. P. quæst. 64. art. 2. ad 2., *Deum praelegisse quasdam res aliis ad significationes Sacramentales, non quia ad eas contrahatur ejus affectus, sed ut sit convenientior significatio*.

(*b*) Quidam Scholastici inficiati sunt, Sacramenta proprię ad Logicæ regulas definiri posse. Sed fortasse tota hæc ipsorum dissensio non in re ipsa, sed in verbis est posita. Et aliqui eos conciliari posse putant, dicendo, Sacramenta non *physice*, sed *moraliter* definiri.

(*c*) S. Thomas 3. P. quæst. 60. art. 6. ad 2. *Sub rebus*, inquit, *comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inunctio, & alia hujusmodi: quia in his est eadem ratio significandi, ac in rebus*.

Confessione Augustana art. 13. dicitur: *Sacramenta sunt instituta, ut sint signa, & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam, & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita*. Hinc Mart. Kemnitius in *Apologia Confessionis Augustanæ* non aliam efficaciam tribuit Sacramentis, quam quæ est in prædicatione Evangelii. Et Lutherus ipse. *De captivitate Babylonis* cap. *de Baptismo* inquit: *Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus: hæc enim justificat*. Unde etiam nostra Sacramenta comparat quibusdam signis veteris Testamenti, quibus usus est Deus ad excitandam populi sui fidem; cujusmodi erant arcus cœlestis, Gedeonis vellus, aliaque hujus generis multa. Hic est Lutheranorum, immo omnium Novatorum, capitalis error in definitione Sacramentorum. Sed in hoc solum conspirant.

17. Nam aliam Sacramenti notionem tradit Calvinus in Lib. IV. *Institutionum* c. 14. inquiens: *Sacramentum externum est symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram Deo, & Angelis, quam apud homines testamur*. Tum majore compendio utens aliam subdit, Sacramentum vocans *divinæ in nos gratiæ testimonium, externo signo confirmatum, cum mutua nostræ erga ipsum pietatis significatione*.

18. Fatetur autem, hanc suam Sacramenti notionem contrariam omnino esse illi, quam Doctores Scholastici a multis seculis communiter tradiderunt. ,, *Magno consensu*, inquit n. 14., *so-*
,, *physticæ scholæ tradiderunt*. Sacramenta novæ
,, legis, hoc est quæ nunc sunt in usu Christia-
,, næ Ecclesiæ, justificare, & conferre gratiam,
,, modo non ponamus obicem peccati mortalis.
,, Quæ sententia dici non potest, quam sit exitia-
,, lis, ac pestilens; eoque magis, *quod multis an-*
,, *te seculis*, magna Ecclesiæ jactura in bona or-
,, bis parte obtinuit. Plane certe diabolica est;
,, nam *dum justitiam citra fidem pollicetur* (qua-
,, si nos in Sacramentorum susceptione fidem ex-
,, cludamus, quæ putidissima hujus obtrectatoris
,, (*a*) calumnia est) animas in exitium præcipi-
,, tes agit " Inde postea infert n. 23., *Scholasticum illud dogma, quo tam longum discrimen inter veteris, ac novæ legis Sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud, quam Dei gratiam adumbrarint, hæc vero præsentem conferant, penitus explodendum esse*. Hæc Calvinus partim Lutheranis consentiens, & partim ab illis dissentiens (*b*).

19. Multo pejus hac in parte aberrarunt Carlostadius, et Zvvingliani contendentes, Sacramenta nihil aliud nobis præstare, quam externam quamdam ab Judæis, & Paganis distinctionem, quomodo olim pallio distinguebantur Philosophi, toga Senatores Romani, annulo equites &c. *Quod si*, inquit Bucerus in Præfat. *Commentar.* in Matthæum sec. edit., *ii, qui baptizantur, prædestinati sunt, tunc Sacramentum non solum est signum, quod illi dent nomen Christo, & recipiantur in externa Ecclesia, sed etiam affert quandam consolationem. Si vero non sunt prædestinati, tunc Sacramentum est nudum signum, quod illi recipiantur in Externa Ecclesia, non autem a Deo*. Et Zvvinglius ipse Lib. *De baptismo*. P. II. Operum: *Quosdam*, inquit Calvinianos indicans, *in ea opinione fuisse cernimus, ut signa* (Sacramentalia) *in hunc finem data esse docuerint, ut fidem internam confirment, & id, quod edocti sumus, aut quod nobis promissum est, ceu sigillo quodam infallibili obsignent. Qui hæc tradidere, a vero quamlongissime aberrant*. Frustra autem eum Rud. Hospinianus in P. altera *Hist. Sacramentariæ* pag. 55. excusare conatur, quasi hunc tantummodo Sacramentorum effectum commemorans, alios minime excluserit. Eclusit profecto, dum Calvinistas *a vero quamlongissime aberrare, asserit*.

20. Eademque est perversa Socinianorum sententia, quorum nomine Smalcius contra Smiglecium *De satisfactione* cap. 9. pronunciabat: *Sacramentum, quod vocant Baptismi, professio tantum publica nominis Christi est; Cœna vero Domini mortis Christi commemoratio, & annuntiatio*. Hinc Baptismo eos dumtaxat indigere asserit, qui ex Pagana, vel Judaica superstitione ad Christi religionem veniunt, non autem qui ex Christianis parentibus nascuntur. Quem portentosum, & ante inauditum errorem tradit ipse Socinus in epist. 127. ad Radecium: ac post ipsum omnes impiæ ipsius hæresis sectatores.

21. Socinianis, ut in pluribus aliis, ita in absurdissima hac Sacramenti definitione utroque pollice subscribunt Arminiani, ut videri potest in eorum Confessione cap. 23. sect. 3., & apud Sim. Episcopium Disput. XXIX. thesi 8. Multoque magis subscribunt Anabaptistæ, qui *indocti Sociniani* olim appellati sunt: unde illud apud Protestantes effatum: *Anabaptistam esse indoctum Socinianum*,

(*a*) Catechismus Concilii Trid. P. II. cap. 1. n. 14. declarat, *magnam vim habere Sacramenta, non solum ad fidem in animis nostri excitandam, & exercendam, sed etiam ad charitatem inflammandam*; imo ad ceteras quasque virtutes fovendas, atque augendas.

(*b*) Neque vero fidendum est illi, quando alicubi videtur aliquam Sacramentis efficaciam concedere; ut cum in *Antidoto Concilii Trid.* ad Sess. VII. can. 5. Sacramenta vocat *instrumentales causas conferendæ nobis gratiæ*, & Can. 6. illos *improbare* se dicit, *qui negant, in Sacramentis contineri gratiam, quam figurant*. Consuetæ sunt apud hunc vaferrimum Hæresiarcham hujusmodi æquivocationes, ut incautos decipiat.

num, *& Socinianum esse doctum Anabaptistam* (*a*).

CAPUT II.

De Sacramentorum necessitate ad humanam salutem.

22. Non hic agitur de vera, & proprie dicta necessitate respectu Dei: quis enim ita amens sit, ut neget, Deo fuisse alia media, quibus homines ad suum cultum simul adunaret, eosque sanctificaret, atque ad æternam felicitatem perduceret? *Virtus divina*, inquit S. Thomas 3. P. quæst. 72. art. 6. ad 1., *non est alligata Sacramentis*. Sed quando Theologi necessaria esse docent Sacramenta, nihil aliud volunt, quam adversus quorundam non minus stultum, quam perniciosum errorem evincere, attenta qua Deus nos regit, suavissima providentia; *necessarium* fuisse, seu *conveniens*, ut Deus aliqua sensibilia Sacramenta institueret, per quæ & a peccatis liberaremur, & ad æternam salutem promoveremur (*b*).

PROPOSITIO

Sacramenta sunt hominibus ad salutem necessaria.

23. Hæc propositio ab Angelico Præceptore nostro 3. P. quæst. 61. art. 1. probatur *primo* auctoritate magistri sui Augustini, qui Lib. XIX. *contra Faustum* cap. 11. inquit: *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortio colligentur.* „ Sed „ necessarium est, subdit Angelicus, ad humanam „ salutem homines adunari in unum veræ religio„ nis nomen: ergo Sacramenta sunt necessaria ad „ humanam salutem. "

24. Postea autem hanc veritatem tribus rationibus confirmat: „ quarum prima sumitur ex con„ ditione humanæ naturæ, cujus proprium est ut „ per corporalia, & sensibilia in spiritualia, & „ intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad divi„ nam providentiam, ut unicuique rei provideat „ secundum modum suæ conditionis, & ideo con„ venienter divina Sapientia homini auxilia salu„ tis confert sub quibusdam corporalibus, & sen„ sibilibus signis, quæ Sacramenta dicuntur. "

25. Hanc rationem etiam adhibet in Lib. III. *contra Gent.* cap. 119.; eamdemque attulit multo prius S. Jo. Chrysostomus Hom. LXXXIII. in Matth., ita hominem alloquens: *Nam si tu incorporeus esses, nuda ipse* (Deus) *dona, & incorporea tradidisset tibi; quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.*

26. „ Secunda ratio, pergit Angelicus, sumenda „ est ex statu hominis, qui peccando se subdidit „ per affectum corporalibus rebus. Ibi autem de„ bet medicinale remedium homini adhiberi, ubi „ patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut „ Deus per quædam corporalia signa homini spi„ ritualem medicinam adhiberet. Nam si spiritua„ lia nuda ei proponerentur, ejus animus appli„ cari non posset, corporalibus deditus. „ Aliquid simile habet etiam S. Gregorius Papa Lib. XXVI. *Moralium* cap. 12. inquiens de homine: *Ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa, atque iisdem, quibus corruit, passibus surgat.*

27. „ Tertia ratio sumenda est ex studio actio„ nis humanæ, quæ præcipue circa corporalia „ versatur. Ne ergo esset homini durum, si tota„ liter a corporalibus actibus abstraheretur, pro„ posita sunt ei corporalia exercitia in Sacramen„ tis, quibus salubriter exerceatur, ad evitanda „ superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu „ dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ con„ sistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per Sa„ cramentorum institutionem homo convenienter „ suæ naturæ eruditur per sensibilia; humiliatur, „ se corporalibus subjectum cognoscens, dum sibi „ per corporalia subvenitur; præservatur etiam a „ noxiis actionibus per salubria exercitia Sacra„ mentorum. " Vid. Libr. IV. *cont. Gent.* cap. 56.

28. Objicies *primo* verba Apostoli dicentis 1. ad Timoth. IV. 8.: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est:* Sacramenta ergo, quæ in quibusdam

(*a*) Nos minime inficiamur, Catholicos per Sacramenta, veluti per tesseras, ac notas quasdam, non solum ab Ethnicis, & Judæis, sed etiam ab Hæreticis distingui, negamus tamen, hunc solum esse Sacramentorum effectum. Catechismus Rom. P. II. c. 1. n. 14. inter alias causas necessitatis instituendi Sacramenta hanc etiam affert, *ut scilicet notæ quædam, ac Symbola essent, quibus fideles internoscerentur.*

(*b*) Referente S. Epiphanio *Hæresi* XL. fuere olim quidam Hæretici, qui Divina Sacramenta rejiciebant, dicentes, *non oportere divina mysteria per res, quæ videntur, peragi, nec incorporea per sensibilia, & corporea.* Hos hæreticos laud. S. Epiphanius appellat *Archonticos*; Theodoretus autem Lib. I *Hæret. fabularum* eos vocat *Ascondritas*, vel *Ascodrupetas*. In hanc amentiam inciderunt etiam Hæretici Manichæi, ut observat S. Thomas IV. *Contra Gent.* cap. 56., qui opinabantur, *omnia visibilia ex sui natura mala esse, & ex malo auctore producta*. Hunc insanum errorem, jam obsoletum, & quasi oblitum revocare nisus est Gaspar Schwenkfeldius, nobili in Silesia sanguine natus, & primum Lutheranæ factionis homo, sed postea ab ipso Luthero, & ab aliis ejusdem sectæ acriter confutatus; ut videre est apud Christoph. Matth. Pfaffium *Introduct. in Hist. Theol. litter.* P. II. Lib. III. ad §. 11. litt. *dd* & seq. Mitto dicere de infelicis nostri ævi Pseudophilosophicis, qui omnem externum Dei cultum rejicientes, consequenter omnem Sacramentorum usum procul a religione ablegant.

dam corporalibus actionibus consistunt, ad modicum utilia sunt.

29. Respondet S. Thomas laud. quæst. 61. art. 1. ad 1., exercitationem per usum Sacramentorum non esse *pure corporalem*, *sed quodammodo spiritualem*, *scilicet per significationem*, *& causalitatem*. Idem autem S. Doctor in expositione hujus loci Lect. II. vult, Apostoli intentum fuisse Timotheum exhortari, ut magis se exerceret in operibus pietatis, quam in abstinentia, & castigatione sui corporis, cui virtuti videtur fuisse plus æquo addictus; unde totus contextus sic habet: *Exerce autem te ipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est.*

30. Dices. Idem Apostolus 2. Corinth. XII. 9. refert, sibi roganti, ut a seipso auferretur stimulus carnis, fuisse a Domino responsum: *Sufficit tibi gratia mea;* non autem hæc gratia sufficeret, si essent necessaria Sacramenta.

31. Respondet idem S. Doctor ad 2., gratiam Dei esse sufficientem causam humanæ salutis; sed Deum dare hominibus gratiam secundum modum eis convenientem: ac propterea necessaria esse hominibus Sacramenta ad gratiam consequendam.

32. Dices secundo. Passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis, dicente Apostolo Roman. V. 10. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.*

33. Respondet ibib. S. Thomas ad 3. „ quod passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis; „ nec propter hoc sequitur, quod Sacramenta non „ sint necessaria ad humanam salutem, quia operantur in virtute passionis Christi; & passio Christi quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta, secundum illud Roman. VI. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* "

34. Et hæc quidem satis sint de necessitate, vel congruentia Sacramentorum in genere; nam de necessitate Sacramentorum in nova lege dicemus postea. Aliquæ autem Pseudo-philosophorum objectiones contra cultum Dei externum, quæ possunt etiam contra Sacramenta excitari, solutæ jam fuere in primo Tomo nostr. Prælect. Dissert. 2. c. 2.

CAPUT III.

De Sacramentis ante Christi passionem.

35. Ut ordine procedamus, antequam agamus de Sacramentis a Jesu Christo Domino nostro institutis, aliqua dicenda sunt de antiquis Sacramentis, quæ ante Christum fuerunt. Cum autem tres distinguantur status, nempe primo innocentiæ, deinde sub lege naturæ, postea vero sub lege Mosaica, de singulis inquirunt Theologi, an, & quæ Sacramenta in iis fuerint? Sit igitur

PROPOSITIO I.

In primævo innocentiæ statu nulla fuerunt proprie dicta Sacramenta (a).

36. Hanc propositionem a multis ex eo probari video, quod istorum Sacramentorum nullum prorsus inveniatur in sacris litteris vestigium. Sed cum admodum pauca de primævo nostrorum protoparentum statu a Moyse commemorata sint, ex solo sacrarum scripturarum silentio nonnisi infirmum trahi potest argumentum, quod nulla fuerint tunc Sacramenta. Suspicari enim non immerito quis poterit, id simul cum aliis multis, quæ ad illam historiam pertinebant, fuisse a Scriptoribus θεοπνεύστοις prætermissum.

37. Omissa itaque hac ratione, S. Thomas 3. P. quæst. 61., art. 2. ita probat, nulla fuisse in felici innocentiæ statu proprie dicta Sacramenta. Sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ, ad sananda peccati vulnera; at vero tunc nulla erant alicujus peccati vulnera; ergo tunc nulla erat Sacramentorum necessitas; ut enim inquit Christus Dominus Matth. IX. 12. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

38. Id ulterius S. Doctor confirmat „ ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant „ ab eis. Sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, „ si anima perficeretur vel quantum ad scientiam, „ vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, „ quod fit in Sacramentis. Et ideo in statu innocentiæ homo Sacramentis non indigebat, non „ so-

(a) Communis fere est hæc Doctorum sententia, cui ex Catholicis unus, quod sciam, refragatur recentior Augustinianæ Scholæ Theologus Fulg. Bellelli Lib. I. *Mentis Augustini* cap. 29., innixus potissimum auctoritate, ut ipse putat, magni Parentis sui. Ex Acatholicis autem refragantur non pauci ut Hermannus Witsius in Lib. I. *De æconomia Dei cum hominibus;* quatuor enim in beatissimo illo statu Sacramenta sibi adinvenisse visus est, scilicet *paradisum*, *arborem vitæ*, *sabbatum*, *& arborem scientiæ boni & mali.* In hac arbore *ingens*, *& singulare Sacramentum* agnoscit etiam Sam. Puffendorsius, in *Jure speciali divino* §. 25. Jo. Braunius in *Doctrina fœderis* Vol. I. P. III. cap. 2. *paradisum*, *& arborem vitæ* duo vult esse Sacramenta status innocentiæ. Ac demum Jo. Volf. Jægerus Lutheranus in *Jure Dei fœderato delineato* Quæst. V. arborem vitæ pro Sacramento habet. Hi pauci neque inter se, neque cum aliis Novatoribus consentiunt, qui hac in parte Catholicis minime repugnare solent.

„ solum inquantum Sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam inquantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem."

39. Hæc S. Thomæ ratio, ut bene Salmanticenses observant, probat quoque, nulla futura fuisse Sacramenta in statu naturæ innocentis, etiamsi diutius ille status perdurasset. Hac tamen de re non una est opinio Scholasticorum, quorum fortasse aliqui nimium suis divinationibus indulgent, quid in eo statu, si diutius perdurasset, futurum fuisset, curiosius indagantes (a).

40. Obj. *primo*. S. Paulus Eph. V. 32. matrimonium Adami cum Eva appellat *Sacramentum magnum*.

41. Respondet S. Thomas cit. art. 2. ad 3., matrimonium utique fuisse institutum in statu innocentiæ, non tamen ut Sacramentum, sed secundum quod est *in officium naturæ:* fuisse autem ab Apostolo vocatum *magnum Sacramentum in Christo, & Ecclesia*, quia præfigurabat arctissimam conjunctionem Christi cum Ecclesia. Sane non solum in felici illo innocentiæ statu, sed etiam in lege Mosaica matrimonium non erat veri nominis Sacramentum; solummodo enim in lege nova fuit a Christo Domino ad hanc Sacramenti dignitatem elevatum.

42. Ob. *secundo* nonnulla S. Augustini testimonia. Nam in Libro I. *De nuptiis, & concupiscentia* cap. 25. connubium Adami cum Eva vocat *Sacramentum*. Præterea Lib. VIII. *De Genesi ad litteram* cap. 4. *Nec sine mysteriis*, inquit, *rerum spiritualium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in Paradiso vivere; erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem* (ligno vitæ) *Sacramenum*. Ulterius cap. 5. eidem ligno vitæ tribuit *inspirationem salubritatis occultam*, ut proinde appellari posset *visibile signum invisibilis gratiæ*, quæ propria est Sacramenti definitio. Item Lib. XI. cap. 40. idem lignum vitæ *rem visibilem* fuisse dicit, *virtutis invisibilis, & Sacramentum visibile invisibilis Sapientiæ*.

43. Resp., nomen *Sacramenti* in Lib. *De Nuptiis & concupiscentia* fuisse a S. Augustino tributum matrimonio, prout nunc est a Christo Domino institutum, non vero prout erat in statu innocentiæ, immo nec in statu legis Mosaicæ quasi diceret: matrimonium, quod nunc est Sacramentum novæ legis, fuit etiam ante peccatum; unde inferebat contra Pelagianos, non esse condemnandas nuptias, quamvis ex ipsis nascentur pueri peccato originali infecti; quia propagatio peccati non a bonis nuptialibus provenit.

44. In aliis autem locis objectis S. Pater nomen *Sacramenti* sensu latiore sumit, prout in ligno vitæ significabatur Sapientia, de qua dictum est Prov. III. 18. *Lignum vitæ est amplectentibus eam*. Quod si eidem ligno *occultam* tribuit *salubritatis virtutem*, vel *invisibilem Sapientiam*, non propterea etiam tribuit invisibilem illam gratiam, quæ verus, & proprius est effectus Sacramenti. Sane eodem loco S. Pater lignum vitæ comparat illi Petræ, de qua fluxerunt aquæ in deserto, & de qua ab Apostolo dictum est: *Petra autem erat Christus;* unde tamen nemo inferet, illam petram, ex qua fluxerunt aquæ in deserto, fuisse creditam ab Augustino verum Sacramentum.

45. Ob. *tertio*. Eadem est natura hominis ante peccatum, & post peccatum; atqui, ut dictum est num. 24. naturæ humanæ proprium est, ut *per corporalia, & sensibilia ad spiritualia, & insensibilia ducatur:* ergo &c.

46. Resp. Angelicus ad 2., eamdem quidem esse naturam hominis ante, & post peccatum; non tamen eumdem esse ejusdem naturæ statum; *nam post peccatum anima, etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem: quod in illo statu homini necesse non erat*.

47. Ob. ultimo. In statu innocentiæ Deo offerri debebant Sacrificia, quia, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 1., oblatio Sacrificii pertinet ad jus naturæ: ergo etiam fuissent Sacramenta, quamvis rebus sensibilibus constent. Hinc S. Augustinus Lib. X. *de Civit. Dei* cap. 5. *Sacrificium visibile*, inquit, *est invisibilis Sacrificii Sacramentum*.

48. Resp. Omissa opinione Dominici a Soto, aliorumque paucorum, qui, ut Sacramenta; ita etiam Sacrificia, a felici illo statu ablegant, Neg. Cons.; alia est enim Sacrificiorum, alia Sacramentorum ratio. Illa quippe instituta sunt ad debitum Deo cultum exterius reddendum; qui cultus exterior sine rebus, & signis sensibilibus exhiberi non potest. Sacramenta vero instituta sunt, ut homo per sensibilia a Deo aversus per eadem sensibilia ad Deum iterum revertatur, & vel gratiam amissam recuperet, vel eamdem recuperatam conservet, & augeat. Illa sunt signa nostri cultus erga Deum; ista sunt signa gratiæ nobis a Deo collatæ; seu, ut innuit S. Thomas 1. 2. quæst. 101. art. 4., *Sacrificia ad cultum Dei, Sacramenta ad sanctificandum Dei cultores referuntur*.

49. S. Agustinus autem in ipso objecto loco se ex-

(a) Adversantur Salmanticensibus quidam non ignobiles Theologi, ut Jo. Franc. Suarez in 3. P. S. Thomæ quæst. 61. art. 2. disput. 3. Sect. 3. Isambertus de *Sacramen. in genere* ad quæst. 61. disp. 1. art. 2., Honor. Tournely Tom. VII. quæst. 2. art., ubi confitetur, S. Thomam sibi esse contrarium, ab eo tamen fidenter recedit, quia, inquit, hæc quæstio ex earum numero est, quæ *pondere rationem, non vero auctoritate* definiendæ sunt; quasi vero tantus Ecclesiæ Doctor & summus Theologus rationes non accurate ponderaverit. Doctissimus P. Laur. Berti lib. XXX. *De Theol. Discipl.* c. 2. quæstionem hanc Academicorum more resolvit, utriusque patris fundamenta referens, & refellens. Magna tamen Scholasticorum pars nobis, ac S. Thomæ consentit. Vide-sis Vinc. Contensonium in *Theol. mentis, & cordis* Lib. XI. P. I. Diss. I. c. I.

explicat, quod scilicet *Sacramentum* sumat latiore significatione, statim subdens: *idest sacrum signum*. Quanquam enim omne Sacramentum sit sacrum signum, non tamen vicissim omne sacrum signum est Sacramentum.

PROPOSITO II.

In statu legis naturæ fuerunt vera, & proprie dicta Sacramenta.

50. Antequam ad hanc propositionem probandam accedamus, notandum est, statum legis naturalis totum illud tempus comprehendere, quod a peccato Adami usque ad legem scriptam digito Dei, & Moysi datam effluxit; & in quo homines ad nulla alia præcepta adstricti erant, quam ad illa, quæ ex jure naturæ fluunt, quæque *naturalia* dicuntur, & a præceptis *positivis* distinguuntur. Hæc autem præcepta juris naturæ ante legem scriptam fuerunt a Deo insculpta in cordibus hominum. Dici etiam solet status ille *Patriarchalis*, quia in eo celebres illi Patrtarchæ floruerunt, quibus Deus identidem apparuisse legitur. Et id quidem respectu populi Israelitici, cui soli postea data fuit Lex Mosaica. Nam Gentes, quæ præceptis Legis Mosaicæ non adstringebantur, fuerunt in lege naturæ usque ad Christum, cujus lex Evangelica omnes homines comprehendit, juxta illud præceptum Marci XVI. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*.

51. Notandum ulterius, consentire ferme omnes Theologos, in illo statu fuisse aliquod remedium ad delendum peccatum originale, non solum pro adultis, sed etiam pro parvulis. Sed an remedium istud fuerit Sacramentum aliquod, nempe aliquod signum exterius parvulis applicatum, an vero sola fides parentum sine ullo externo signo ejusdem fidei protestativo, libere controvertitur inter Scholasticos (*a*); quandoquidem, ut ait S. Augustinus *De peccato orig.* cap. 30., *ante Abraham utrum aliquo corporali, & visibili Sacramento justi, vel eorum parvuli signarentur, Scriptura non exprimit*. Nostra, & multorum sententia est, aliqua etiam ante legem extitisse vera Sacramenta. Hoc aliquibus argumentis, sin minus omnino certis, saltem admodum probabilibus, ita evincitur.

52. *Primo* auctoritate S. Augustini; qui Lib. V. *contra Julianum* c. 11. de parvulis loquens, ita scribit: *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa, Scriptura latere voluerit*. Et Lib. II. *De nuptiis, & concupiscentia* cap. 11. postquam dixisset, circumcisionem in parvulis valuisse ad *significationem purgationis originalis, veterisque peccati*, subdit, etiam ante circumcisionem per fidem in Jesum Christum venturum salvos fuisse, *pusillos cum magnis*. Magni justificabantur per fidem actualem in Jesum venturum: pusilli autem, hujus actualis fidei incapaces, debebant utique per aliquod Sacramentum justificari (*b*).

53. *Secundo*. Id ipsum evincitur ex fideli S. Augustini disciplo, nostroque Magistro S. Thoma, qui 3. P. quæst. 70. art. 4. cum eodem S. Patre, docet, in circumcisione fuisse collatam gratiam justificantem; *non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio*. (Quam Augustini, & Thomæ sententiam cap. seq. data opera propugnabimus). In resp. autem ad 2. loquens de tempore ante Circumcisionem, *probabile est*, inquit, *quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro se ipsis preces, & Sacrificia offerebant*.

54. Dices. Idem Angelicus in laud. loco inquit: Ante circumcisionem *non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei*; at vero sine signo nullum esse potest Sacramentum.

55. Resp., S. Thomam ibidem suam mentem explicare, cum hanc sui asserti rationem subdit, *quia nondum homines fideles seorsim ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei*. Non itaque requirebatur aliquod signum *protestativum fidei*, quo homines fideles ab infidelibus secernerentur, quemadmodum postea factum est instituta Circumcisione; *probabile tamen est*, inquit,

(*a*) Huic secundæ opinioni favent Durandus in IV. *Sent.* Dub. 1. quæst. 2., Domin. Soto in IV. Dist. I. quæst. v. art. 4. col. 3., Vasquez, aliique. Sed Thomistæ ut plurimum aliqua vera Sacramenta in lege Naturæ admittunt, saltem pro parvulis. Ita Melchior Canus Relect. *De Sacram.* P. III., Jo. Bapt. Gonet. Disput. II. art. 2., Card. Gotti Quæst. I. Dub. IV., Vinc. Contensonius Lib. XI. Theolog. *Mentis, & cordis* P. I. Dissert. I. c. I., Vinc. Patuzzi *Ethicæ Christ.* Tom. VI. Tract. X. cap. 4., Drouen *De re Sacram.* Lib. I. c. 2.

(*b*) Affertur ab aliquibus in hanc rem illustre, & decretorium testimonium, tamquam S. Cypriani, quod legitur apud Auctorem *de Cardinalibus Christi operibus* cap. *De Circumcisione Christi*, ubi hæc leguntur: *Sane Originale peccatum, quod ex primis Parentibus in totam generis hujus successionem defluxit, aliquibus remediis oportuit expiari, licet vim plenam justificandi non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est*. Verum acutiores Critici illud opus S. Martyri jundiu abjudicarunt, ut Card. Bona Lib. II. *de rebus Liturgicis* cap. 14., Rem. Ceillier *de Auctor. Eccl.* Tom. III. pag. 160., Dupinius in *Biblioth. Nova* Tom. I., ex Acatholicis Guill. Cave in *Hist. Litt. Scriptor. Eccles.* Tom. I., aliique. Modo dubium non est, hunc Tractatum pertinere ad Arnoldum Carnotensem, Abbatem Bonæ Vallis, qui Sæc. XII. floruit.

quit, aliquod signum *protestativum fidei* fuisse a fidelibus parentibus adhibitum, ad obtinendam pueris justificationis gratiam.

56. Id ulterius expresse docet Angelicus aliis in locis, ut in IV. *Sentent.* Dist. 1. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. inquiens: *Ante legem scriptam erant quædam Sacramenta necessitatis, sicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati.* Et Quæst. IV. *De Malo* art. 8. ad 21. *Fides*, inquit, *antiquorum cum aliqua protestatione fidei valebat parvulis ad salutem.*

57. Demum ad hunc naturæ statum ante legem certe pertinent omnes illæ rationes, quibus Angelicus qu. 61. art. 1. probavit Sacramentorum necessitatem ad salutem obtinendam. Vide supra n. 23. Et quidem cum in lege scripta, ac postea in lege gratiæ omnimoda sit Sacramentorum necessitas, admodum consequens esse videtur, ea etiam fuisse in lege naturæ necessaria. *Cum parvuli*, inquit disertissimus Canus, *in lege gratiæ & scripta sine Sacramentorum ope salutem minime consequantur, non est, cur eos in lege naturæ sine Sacramentorum auxilio salvemus.*

58. Neque solum pro parvulis, sed etiam pro adultis fuisse in statu naturæ aliqua Sacramenta, sine quibus sola fides in venturum Messiam minime sufficiebat, iisdem fere momentis evincitur. S. Thomas in IV. Dist. I. art. 2. quæst. 5. ad 2. id expresse docet, inquiens: *Ante legem scriptam erant quædam Sacramenta necessitatis, sicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis; & similiter pœnitentiæ, quæ ordinabatur ad deletionem actualis.* Et de pœnitentia 3. P. qu. 84. art. 7. ad 1. hæc habet: *De jure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis, quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua signa doloris ostendat; sicut & Ninivitæ fecerunt, ut Jona III. legitur.* Item quæst. 61. art. 3. ad 3. Sacrificium panis a Melchisedecho oblatum non dubitat appellare *Sacramentum:* illudque dicit fuisse in materia *magis assimilatum Sacramento novæ legis* scilicet Eucharistiæ: erant ergo, judice S. Thoma, in lege naturæ Sacramenta etiam pro adultis. His addenda, quæ S. Doctor habet eodem art. 3. ubi probat, oportuisse ante Christi adventum esse quædam *signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu; & hujusmodi signa dicuntur Sacramenta.*

59. Contra hanc doctrinam non paucæ, nec parvæ objiciuntur difficultates. *Primo* objicitur Tertullianus, qui in Libro *de Baptismo* cap. 13. *Fuerit*, inquit, *salus retro per fidem nudam ante Domini passionem, & resurrectionem ejus: at ubi addita est ampliatio Sacramenti, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda.* *Secundo* S. Gregorius Papa Lib. IV. *Moralium* cap. 2. *Quod*, inquit, *apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro adultis virtus Sacrificii.* *Tertio* S. Bernardus in Tract. *de Baptismo* (olim epist. 77.) cap. 1. *Quis nesciat*, inquit, *& alia præter baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem, & semini ejus Circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est. In nationibus vero quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide, & sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, immo & sufficisse parentum fidem.* Hæc testimonia non leve facessunt nostræ sententiæ defensoribus negotium; præcipue cum S. Thomas auctoritate Gregorii permotus in IV. Sentent. Dist. I. quæst. 2. art. 6. *probabilius* esse dicat, quod *parvulis sufficiebat sola fides in solo motu interiore sine exteriori signo.*

60. Resp. Tertullianum non ex propria sententia, sed per liberalem, & indebitam concessionem ita fuisse locutum. Ejus enim scopus erat contra Quintillam hæresi Cainitarum infectam (*a*) Baptismi necessitatem demonstrare; cumque illa justos priscæ ætatis fideles objiceret, qui sine baptismo salutem sunt consecuti, Africanus Doctor, ne a proposita quæstione diverteret, *fuerit*, inquit, *salus retro* &c. quasi diceret, hoc etiam dato, non propterea sequitur, baptismum in nova lege necessarium non esse.

61. Testimonia vero S. Gregorii, S. Bernardi, & si quæ sunt alia ejusdem generis, ita explicari debent, ut pro parvulis in lege naturæ necessario non fuerint signa protestativa fidei, quæ essent a Deo determinata, ut factum postea est in lege scripta, tam Mosaica, quam Christiana. *Sicut*, inquit S. Thomas 3. P. qu. 60. art. 5. ad 3., *in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscurationem legis naturæ ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur: & ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis.* Quia ergo non erant a Deo determinata signa externa protestativa fidei, sed ab hominum arbitrio pendebant, ideo aliqui Sancti Patres dixerunt, solam, & nudam fidem tunc sufficisse. De S. Thoma

(*a*) Tertullianus de hac Quintilla *monstruosissima* ibidem hæc habet c. 1. *Quædam de Caina hæresi vipera venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, in primis baptismum destruens &c.*

ma vide dicta superius n. 53. seq. quamquam non desunt, qui credant, fuisse a S. Doctore in *Summa Theol.* hanc opinionem in melius mutatam.

62. Dices. Una ex conditionibus Sacramentorum hæc est, ut sint signa a Deo constituta, quia Deus solus est Sacramentorum auctor: si ergo illa signa protestativa fidei ex solo hominum arbitrio pendebant, non erant illa vera Sacramenta.

63. Resp. etiam illa signa protestativa fidei dici posse instituta a Deo, quatenus fideles nonnisi ex Dei instinctu ea adhibebant, & parvulis applicabant, ut mox cum Angelico dicebamus. Qui etiam 1. 2. qu. 103. art. 1. ita ratiocinatur. *Quia ante legem fuerunt quidam viri præcipui, prophetico spiritu pollentes, credendum est, quod ex instinctu divino, quasi ex quadam privata lege inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui & conveniens esset exteriori cultui, & etiam congrueret ad significandum Christi mysteria.* Vid. S. Thom. in IV. *Sent.* Dist. I. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ubi rationem affert, cur oportuerit Sacramenta in lege scripta *in speciali* determinari, non autem in lege naturæ.

64. Obj. *secundo*. Difficillime creditur, fuisse in lege naturæ aliquod signum externum ad delendum peccatum originale, cujus nulla prorsus mentio habeatur, neque in Scripturis, neque in traditione Hebræorum, qui utique illo signo usi fuissent ad sanctificandos pueros periclitantes, qui ante diem octavum circumcidi non poterant, tum etiam puellas, pro quibus circumcisio instituta non erat (*a*).

65. Resp. id mirum videri non debere, quia, ut dictum est, hoc signum protestativum internæ fidei, non erat aliqua certa lege determinatum, sed pendebat ab interno Dei instinctu, adeoque varium, & diversum esse poterat. Judæi autem recentiores, sicuti primævam suorum Patrum traditionem de peccato originali abjecerunt, ita etiam ejusdem peccati remedium ignorant. Et si hoc argumentum valeret, valeret etiam contra Circumcisionem, quam fuisse verum Sacramentum ad delendam culpam originalem, ipse Dominicus Soto post Sanctos Augustinum, & Thomam, aliosque Theologos, ut certissimum habet.

66. Quænam autem, & quot fuerint ante Circumcisionem legis naturæ Sacramenta, haud facile est certo definire. S. Thomas 3. P. q. 61. art. 3. ad 3. Sacrificium Melchisedech nominat *Sacramentum*; & q. 65. art. 1. ad 7. oblationes, & decimas, quæ erant tam in lege naturæ, quam in lege Moysi, dicit fuisse *Sacramenta, quia erant ordinatæ non solum in subsidium Ministrorum, & pauperum, sed etiam in figuram* (*b*).

PROPOSITIO III.

In lege Mosaica vera fuerunt Sacramenta.

67. Hæc de re dubitari minime potest, postquam eam ut certissimam supposuerunt duo œcumenica Concilia, Florentinum, & Tridentinum, quando suis decretis statuerunt, quid inter illa, & nostra intersit; & illud quidem in decreto pro Armenorum instructione, istud autem Sess. VII. can. 2.

68. Perfacile autem esset plura ex sanctis Patribus testimonia afferre, potissimum vero S. Augustini Lib. XIX. *contra Faustum* cap. 13. & *De vera religione* cap. 17. & *de Doctrina Christiana* cap. 16. & epist. CXVIII. Sed in re manifesta, cui etiam consentiunt Novatores (*c*), nolumus esse longi.

69. Hæc Sacramenta erant ritus, & cæremoniæ, quas Deus stabili lege usque ad Christum duraturas instituerat, & quæ gratiam quidem non conferebant *ex opere operato*, ut conferunt nostra, sed eamdem præfigurabant. S. Thomas 1. 2. qu. 102. art. 5. postquam dixisset, Sacramenta veteris legis illa *proprie* dici, *quæ abhibebantur a Dei cultoribus ad quamdam consecrationem*, duplex eorum genus distinguit, scilicet quædam, quæ pertinebant communiter ad totum populum, & alia, quæ

(*a*) P. Dom. Soto, qui nobis adversatur, maximam vim ponit in hoc argumento in Comment. ad Lib. IV. *Sentent.* Dist. II. qu. 1. art. 4., additque se interrogasse plures Hebræos, & Neophitos in Hispania, Germania, Venetiis, & Romæ, utrum aliquod signum ad modum Sacramenti legis naturæ applicent suis femellis, eosque ridentes respondisse, nunquam talem ritum apud eos fuisse auditum, sed tantum eas offerre nullo signo certo servato.

(*b*) Quænam fuerint Sacramenta legis naturæ ante Circumcisionem, Catholici Doctores definire non audent, quemadmodum constat ex hactenus dictis. Sed aliqui ex Protestantium secta ejectionem hominis ex Paradiso, atque interseptum ei aditum ad arborem vitæ pro Sacramento habuerunt, ut refert Herm. Wistius in Lib. IV. *de œconomia fœderum Dei* cap. 7. §. 3., qui hanc sententiam explodit; & loco fictitii hujus Sacramenti substituit tunicas, quas Deus Adamo, ejusque uxori fecit post peccatum Gen. III. 21.; tum postea Sacrificia omnia in Sacramentorum numerum refert. Balt. Bebelius in *Hist. Eccl. Ante-diluviana* mysticas quasdam nominum impositiones pro Sacramentis habet. Henr. Heideggerus in *Hist. Patriarch.* P. I. exercit. 3. Sabbato nomen, & vim Sacramenti tribuit. Et nullus esset dicendi finis, si omnia, quæ Novatores sibi in sacris litteris invenisse visi sunt Sacsamenta, recensere, & confutare vellemus. Sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ Catholicæ ut sapientiores, ita etiam temperatiores fuerunt in iis determinandis, quæ sacræ litteræ expresse non tradiderunt.

(*c*) Qui tamen in iis assignandis mire dissentiunt. Lutherus *de Captiv. Babyl.* agens de baptismo omnia Vet. Test. signa, Iridem, Vellus Gedeonis, retrogressionem solis, aut ejus umbræ &c. pro veris Sacramentis habet. Communiter tamen ejus asseclæ nonnisi duo agnoscunt; scilicet Circumcisionem, & esum agni Paschalis.

quæ specialiter ad Sacerdotes, & Levitas, qui erant ministri cultus Dei.

70. „ Et circa utrosque, pergit S. Doctor, tria „ erant necessaria; quorum *primum* est institutio „ in statu colendi Deum: & hæc quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per „ circumcisionem, sine qua nullus admittebatur „ ad aliquid legalium: quantum vero ad Sacerdotes per Sacerdotum consecrationem. *Secundo* „ requirebatur usus eorum, quæ pertinent ad divinum cultum: & sic quantum ad populum erat esus paschalis convivii, ad quem nullus incircumcisus admittebatur, ut patet Exodi XII., „ & quantum ad Sacerdotes oblatio victimarum, „ & esus panum propositionis, & aliorum, quæ „ erant Sacerdotum usibus deputata. *Tertio* requirebatur remotio eorum, per quæ aliqui impediebantur a cultu divino, scilicet immunditiarum; & sic quantum ad populum erant institutæ quædam purificationes a quibusdam exterioribus immunditiis, & etiam expiationes a „ peccatis: quantum vero ad Sacerdotes, & Levitas erant instituta ablutio manuum, & pedum, „ & rasio pilorum ".

71. Quatuor vero Angelicus enumerat veteris legis Sacramenta, quæ præfigurabant, scilicet Circumcisionem, cui correspondet Baptismus; unde Apostolus ad Coloss. II. 11. de Christo ajebat: *In quo & circumcisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi consepulti ei in baptismo*. Alterum Sacramentum erat convivium agni paschalis, cui correspondet in nova lege Sacramentum Eucharistiæ. Tertium Sacramentum erant purificationes, quibus correspondet Sacramentum Pœnitentiæ. Postremum erat consecratio Pontificis, & Sacerdotum, cui respondet Sacramentum Ordinis.

72. Observat deinde, nullum fuisse in veteri lege aliorum trium Sacramentorum typum, scilicet Confirmationis, Extremæ unctionis, & Matrimonii; cujus rei hanc reddit rationem ad 3: „ Sacramento Confirmationis quod est Sacramentum „ plenitudinis gratiæ, non potest respondere in veteri lege aliquod Sacramentum, quia nondum „ advenerat tempus plenitudinis, eo quod *nihil ad* „ *perfectum adduxit lex*, Hebr. VII. 19. Similiter autem & Sacramento Extremæ unctionis, „ quod est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in „ veteri lege, pretio nondum soluto. Matrimonium „ autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in „ officium naturæ, non autem prout est Sacramentum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ „ nondum erat facta: unde & in veteri lege dabatur libellus repudii, quod est contra Sacramenti rationem ".

CAPUT IV.

De efficacia Sacramentorum veteris legis.

73. Calvinus Lib. IV. *Instit.* cap. 14. n. 22. totus est, ut contra nos evincat, Sacramenta vetera eodem modo suscipientibus contulisse gratiam, ac nostra; unde ita concludit n. 23. *Quidquid ergo nobis hodie in Sacramentis exhibetur, id in suis olim recipiebant Judæi, Christum scilicet cum spiritualibus suis divitiis. Quam habent nostra virtutem, eam quoque in suis sentiebant: ut scilicet essent illis divinæ erga se benevolentiæ sigilla in spem æternæ salutis*. Malignus autem Hæresiarchæ scopus non est, eamdem veteris legis Sacramentis tribuere virtutem, atque efficaciam, quam Catholici tribuunt Sacramentis novæ legis; sed potius utraque simul conjungendo, negare nostris vim continendi gratiam, eamque *ex opere operato* producendi, quemadmodum illis hanc ipsam vim negamus (*a*).

74. Idem autem ante Calvinum docuerat Lutherus, quem non puduit Catholicam nostram doctrinam *errorem* appellare. *Error est*, inquit *De Captiv. Babyl.* cap. *de baptismo*, *Sacramenta novæ legis differre a sacramentis veteris legis penes efficaciam significationis; idest quod nostra efficaciter significent, faciendo, quod figurant, non illa*.

75. Theologi orthodoxi impiam Novatorum doctrinam uno ore condemnant, quantum ad eam partem, quæ respicit novi fœderis Sacramenta, quibus efficax gratiam conferendi vis sine hæresi denegari non potest, ut infra suo loco videbimus. Sed quantum spectat ad veterum Sacramentorum efficaciam, inter se non omnino consentiunt. Magister enim *Sententiarum* Lib. IV. Dist. I. Sacramentis Mosaicis omnem justificandi virtutem denegavit, etiamsi in *fide, & charitate* susciperentur, quia instituta erant, non ut justificarent, sed solum ut umbra essent futurorum.

76. Hanc Magistri doctrinam temperavit Hugo de S. Victore, docens, fuisse quidem Sacramenta Mosaica *primo*, & *per se* instituta ad significandum, *per accidens* autem, & *secundario* habuisse vim justificandi, quatenus in eorum susceptione publica fiebat protestatio fidei in futurum Reparatorem, quæ fidei protestatio vim justificandi ha-

(a) Hunc, & non alium fuisse Calvini scopum, patet etiam ex iis ipsius verbis: *Scholasticum autem illud dogma, quo tam longum discrimen inter veteris, ac novæ legis sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud, quam Dei gratiam adumbrarint, hæc vero præsentem conferant, penitus explodendum est ... Nec vero baptismo nostro plus tribuere fas est, quam Paulus alibi circumcisioni tribuit, quam vocat sigillum justitiæ fidei*. Calvino subscribit Franc. Turrettinus loco XIX. qu. 9. multoque argumentorum apparatu falsam magistri sui doctrinam confirmare satagit.

habebat. Hugoni adstipulatus est Seraphicus Doctor S. Bonaventura in IV. Dist. I.: unde in hac sententia totum discrimen inter nostra sacramenta, & Mosaica hoc est, quod nostra sacramenta *per se & primario* justitiam, & gratiam conferant; Mosaica vero *per accidens*, *& secundario*. Hæc sententia, sin minus aperte vera, saltem commodior visa est Guill. Estio ad concilianda quædam S. Scripturæ, ac S. Patrum loca, quibus videtur tribui veteribus Sacramentis justificandi virtus.

77. Sed Angelicus noster Præceptor, cui adhæret bona, & melior Theologorum pars, omnino denegat Sacramentis Mosaicis, immo & ipsi Circumcisioni virtutem justificandi *ex opere operato*; concedit tamen hanc virtutem *ex opere operantis*. Ad ipsius igitur mentem sit

PROPOSITIO.

Sacramenta Mosaica gratiam non conferebant ex propria virtute, sed solum ex fide in Jesum Christum venturum.

78. Prob. *primo* ex sacris litteris. Brevitatis autem gratia plurima prætermittimus veteris testamenti loca, in quibus Deus testatus est se victimis, & holocaustis minime placari; ut cum David pœnitens Ps. L. Deum sic orat... *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus*; ubi totam suæ justificationis causam ab interna cordis contritione, non autem ab externa sacrificiorum oblatione repetiit. Prætermissis inquam his locis, ita nostra propositio ex novo testamento luculenter evincitur. S. Paulus ad Gal. IV. 9. vet. legis Sacramenta vocat *infirma & egena elementa*, non alia de causa, nisi quia gratiam, & sanctitatem ex se minime conferebant, sed solum ex operantis fide, & pietate. Similiter ad Hebr. VII. 18. de veteri lege loquens, *Reprobatio quidem*, inquit, *fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Cap. autem IX. 9. *Munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem*; & cap. X. 1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere*. Et postea: *Impossibile enim est, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*. Quæ omnia S. Augustinus perpendens Tract. XLI. in Jo. T. III. inquiebat: *In quibus sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum*.

79. Difficultatem in his Pauli locis cum suis dogmatibus conciliandis sensit Calvinus, & confessus est. Ne tamen victas daret manus, post multas ambages eo tandem devenit n. 25., ut fingeret, „ Paulum in his omnibus locis non simpliciter, „ sed per contentionem loqui. Quoniam illi certamen erat cum pseudoapostolis, *qui in cæremoniis solis, nullo Christi respectu*, pietatem sitam „ ex volebant, ad eos confutandos satis erat duntaxat tractare, quid per se valeant cæremoniæ. „ Hunc quoque scopum secutus est auctor epistolæ ad Hebræos &c." Unde suam solutionem in hac summa concludit: „ *Primo* totum illum cæremoniarum apparatum, qui in lege Mosaica „ fuit, nisi ad Christum dirigatur, rem esse evanidam, ac nihili. *Deinde* sic in Christum respexisse, ut eo demum in carne manifestato, „ complementum suum habuerint. *Postremo* ejus „ adventu oportuisse abrogari, non secus atque umbra in perspicua solis luce evanescit".

80. Frustra tamen elabi conatur acutus, & subtilis Calvinus. Si enim S. Paulus, ut ipse fingit, nihil aliud voluisset docere, quam vetera Sacramenta sine fide nihil suscipientibus profuisse, nullum attulisset inter ipsa, & nostra discrimen. Quis ignoret, aut quis inficietur, etiam Sacramenta Jesu Christi sine fide, debitisque dispositionibus suscepta, nihil ad animæ sanctificationem prodesse? Ut ergo fixum, ratumque maneat allatum, & toties inculcatum ab Apostolo discrimen, duo necessario constituenda sunt: *Primo* vetera Sacramenta nonnisi umbras, figuras, & typos fuisse novorum; quemadmodum ergo umbræ distant a corporibus, ac figuræ, & imagines a prototypo, ita & illa Sacramenta in efficacia distabant a nostris. *Secundo*, cum S. Paulus loquens de nostris Sacramentis dicat, ipsa nos *lavare, mundare, sanctificare, renovare, regenerare, salvare*, ut suo loco ostendemus: de aliis vero quod sunt, *elementa egena, infirma, inutilia, umbræ, & non posse expiare peccata*, totum discrimen in hoc situm esse debet, quod nostra Sacramenta vere contineant gratiam, eamque conferant *ex opere operato*; quod ab illis non præstabatur.

81. Non minus absurda est Calvini, ejusque pedissequi Turrettini interpretatio Paulini testimonii, quod scilicet intelligi debeat de Sacramentis veteris legis post ejusdem legis abrogationem; tunc enim vacua, & egena facta sunt. Absurda, inquam, interpretatio. Nam Sacramenta veteris legis post ejusdem abrogationem Paulus non potuisset appellare *umbram futurorum*; hoc ipso enim quod abrogata fuerunt, umbra, & figura nostrorum Sacramentorum esse amplius non poterant. Præterea Apostolus non loquitur de suo tempore, sed de præterito, ut luculenter apparet.

82. Pueriliter postea Turrettinus nugatur, subtiliter contendens, vetera Sacramenta non fuisse umbras, figuras, & typos novorum, sed Christi, quia Apostolus ad Coloss. II. 17. de iis inquit: *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*.

83. Puerilis, inquam, est hæc observatio; nam simul & semel vetera Sacramenta erant typi, & figuræ novorum, & Christi ipsius, qui hæc Sacramenta instituit, iisque sua passione, suoque sanguine vim nos emundandi, & sanctificandi tribuit.

84.

84. Prob. *secundo* nostra propositio ex sanctis Patribus, quorum nonnisi quædam testimonia seligemus, quæ ad rem nostram plane sufficiunt. S. Basilius in Lib. *de Spiritu Sancto* cap. 14. lavacra Hebræorum cum nostri Baptismatis lavacro *solam nominis appellationem habere communem* dicit; *rerum vero tantam esse differentiam, quanta est inter somnia & veritatem, inter umbras, imaginesque, & inter ea, quæ revera subsistunt*.

85. S. Jo. Chrysostomus in Orat. *de Baptismo Christi* num. 2. conferens Baptisma Judaicum cum nostro, illud dicit *sordes corporum, non peccata, quæ in conscientia resident, abluisse; neque enim si quis adulterium perpetrasset .... neque si quis aliud quidpiam sceleris admisisset, eum criminibus expiabat: sed si quis mortuorum ossa tetigisset ..... lavabatur &c.* Et post pauca subdit: *Judaica illa quidem expiatio nequaquam a peccatis liberabat, sed a corporeis sordibus tantum. Nostra vero talis non est, sed multo major, ac multa gratia referta; nam & liberat a peccatis, & animam emundat, & Spiritus gratiam largitur*.

86. Sed præstat audire S. Augustinum, qui & sæpe, & perspicue hoc discrimen inter utriusque fœderis Sacramenta agnovit. Insignis est locus in Ps. LXXIII. num. c. Tom. IV., ubi duo Testamenta discernit, tum in promissis, tum in Sacramentis, inquiens: *Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem: Sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem ..... Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora*. Item Tract. XLI. in Jon. num. 5. Tom. III. loquens de Sacrificiis, quæ Deus jusserat offerri pro peccato, ita obiter notat: *In quibus Sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum*. Et Lib. IV. *Quæst. in Numeros* quæst. 25. T. III. de Sacrificiis iisdem loquens, *quæ*, inquit, *si per se ipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi*: si *autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri non poterit purgatio peccatorum*.

87. Quid ad hæc Calvinus, qui se magni Augustini hac etiam in parte discipulum inaniter jactat? Respondet, has & similes dicendi figuras *hyperbolicas* esse; non enim aliud voluit Augustinus, si ipsum audiamus, quam *Sacramenta Mosaicæ legis Christum prænunciasse, nostra vero annunciare*; concludit postea, S. Doctorem non de *efficacia* Sacramentorum, sed *de modo significandi* locutum esse. In Lib. IV. *Instit.* c. 14. n. 26., ubi nonnulla affert Hipponensis Doctoris testimonia, quæ mox explicabimus.

88. Miranda porro est incredibilis Heresiarchæ cæcitas, qua veram tanti Patris doctrinam videre non potuit, aut potius noluit. Equidem Ecclesiæ Doctor Augustinus asserit Sacramenta veteris legis *prænunciasse, & significasse* Christum venturum. Sed simul etiam addit discrimen, quod nostra *dent salutem*, secus ac illa; quod in illis esset *umbra futurorum, non expiatio peccatorum*; quod *per seipsa nulli peccato poterant mederi*. Quod autem hæc *hyperbolice* ab accuratissimo, & diligentissimo Ecclesiæ Doctore prolata sint, non solum temere, sed audacissime Calvinus commentus est.

89. Prob. *tertio* ex solemnibus Ecclesiæ definitionibus. Nam Eugenius IV. in celebri illa Instructione Armenorum postquam septem enumerasset novi testamenti Sacramenta, *hæc*, inquit, *multum a Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*. Concilium vero Tridentinum, licet non ita perspicue hanc veritatem definierit, eamdem tamen haud obscure insinuavit Sess. VII. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit*. Et cum postea addidit, Sacramenta novæ legis & gratiam continere, & eam *ex opere operato* digne suscipientibus conferre, aperte significavit discrimen potissimum, quo utriusque testamenti Sacramenta discernuntur (*a*).

90. Prob. *Demum* ratione S. Thomæ 3. P. quæst. 62. art. 6.: „ Non potest dici, quod Sacramenta
„ veteris legis conferrent gratiam justificantem per
„ seipsa, idest propria virtute, quia sic non fuis-
„ set necessaria passio Christi, secundum illud Gal.
„ II. 21. *Si enim per legem justitia, ergo gra-*
„ *tis Christus mortuus est*."

91. Præoccupat deinde S. Doctor aliquorum responsionem, quod illa Sacramenta ex passione Christi futura haberent virtutem conferendi gratiam. Hanc, inquam, responsionem ita præoccupat:
„ Quia virtus Passionis Christi copulatur nobis per
„ fidem, & Sacramenta, differenter tamen: nam
„ continuatio, quæ est per fidem, fit per actum
„ animæ; continuatio autem, quæ est per Sacra-
„ menta, fit per usum exteriorum rerum. Nihil
„ au-

(a) His tamen non obstantibus aliqui Theologi contendunt, nostram sententiam, utut verissimam, ad fidem proprie non pertinere, quia Concilium Tridentinum damnat quidem eos, qui solis cæremoniis, & ritibus nostra Sacramenta a veteribus differre dicunt, expresse tamen non statuit, quodnam sit istud discrimen. Eugenius autem Papa in sua *Instruct. ad Armenos* non sola fidei dogmata proposuit, sed aliqua etiam addidit, quæ ad communes Theologorum opiniones pertinebant. Ita Honoratus Thournely T. VII. Quæst. III. art. 3. Confer. Nicol. L' Herminier *De Sacram.* in genere Cap. 5. Lud. Habert. cap. 5., & Guill. Estius in IV. Dist. I. §. 28.

„ autem prohibet, id quod est posterius tempore, „ antequam sit, movere secundum quod præcedit „ in actu animæ; sicut finis, qui est posterior tem- „ pore, movet agentem, secundum quod est ap- „ prehensus, & desideratus ab ipso: sed illud, „ quod nondum est in rerum natura, non movet „ secundum usum exteriorum rerum: unde cau- „ sa efficiens non potest esse posterior in esse, or- „ dine durationis, sicut causa finalis. Sic ergo „ manifestum est, quod a passione Christi, quæ „ est causa humanæ justificationis, convenienter „ derivatur virtus justificativa ad Sacramenta no- „ væ legis, non autem ad Sacramenta veteris le- „ gis." Ex quibus concludit, Sacramenta veteris legis non habuisse in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem, sed solum significasse fidem, per quam antiqui Patres justificabantur. Eadem ratione ad idem comprobandum usus erat Angelicus 1. 2. quæst. 103. art. 2.

92. Ob. *primo* nonnulla S. Scripturæ loca, in quibus tribuitur Sacrificiis Leviticis, quæ pro peccato offerebantur, effectus justificationis. Levit. IV., ubi præcipitur sacrificium offerendum pro peccatis ignorantiæ, vers. 26. dicitur: *Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei*. Similis promissio remissionis peccati habetur Numer. XV., aliisque in locis bene multis. Porro hujusmodi phrasis, quando invenitur in novo testamento de nostris Sacramentis, aperte significat, ipsa nobis conferre gratiam virtute propria, seu *ex opere operato*: ergo pariter &c.

93. Respondet S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 4., per sacrificia veteris legis fuisse homines mundatos a peccatis, *non quod sacrificia illa carnalia haberent ex seipsis virtutem expiandi peccatum; sed quia significabant expiationem peccatorum futuram per Christum, cujus participes erant etiam antiqui, protestantes fidem Redemptoris in figuris sacrificiorum*. Idem repetit Angelicus quæst. 103. art. 2., observans ea verba: *Orabitque pro eo Sacerdos, & dimittetur ei*, quæ indicant, peccatum dimitti non vi sacrificiorum, sed ex fide, & devotione offerentium. Sacrificia igitur per se, & virtute sua duntaxat valebant ad pœnam ex lege præscriptam evitandam, non autem ad peccata vere & proprie coram Deo expianda. Hæc responsio S. Thomæ apertissime fuit a S. Paulo insinuata in epist. ad Hebr., ubi cap. X. 4., & 11. expresse dicit, sanguine taurorum, & hircorum non potuisse *auferri peccata*: cap. autem IX. 13. dixerat, *sanguinem hircorum, & taurorum, & cinerem vitulæ aspersum inquinatos sanctificare ad emundationem carnis*. Ubi duplex distinguitur emundatio, & sanctificatio: altera legalis, & hanc præstabant sacrificia; altera animæ interna, & coram Deo; & hanc Sacramenta vetera præstare non poterant, sed a sola fide in Redemptorem venturum repetenda erat.

94. Observatione etiam dignum est, quod hujusmodi sacrificia erant a Deo instituta diversa pro diversis peccatis, ut patet ex primis capitibus Levitici; at vero si singulis istis sacrificiis tributa fuisset intrinseca vis mundandi a culpa, sequeretur, iis potuisse unam culpam tolli sine aliis; quod absurdum est, quia culpa non tollitur sine infusione gratiæ sanctificantis; hæc autem infundi non potest, nisi omnibus expiatis peccatis. Sacrificia ergo necessaria erant, ad legalem emundationem; sed ad peccatorum expiationem non sufficiebant, quæ uni fidei tribuebatur.

95. Dices. De Sacramento extremæ unctionis eadem omnino phrasis in sacra Scriptura adhibetur, qua vetera sacrificia dicuntur expiasse peccata: in epist. enim Jacobi Cap. V. 14. ita dicitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ...... & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei*; at vero Catholici, qui extremam unctionem in numero Sacramentorum habent, peccata infirmi remitti docent *ex opere operato*, seu virtute ejusdem Sacramenti: ergo &c.

96. Resp. *primo*, Calvinistas, Lutheranos, aliosque heterodoxos, contra quos potissimum disputamus, non posse hoc argumento uti, cum ipsi extremam unctionem e numero Sacramentorum expungant.

97. *Secundo* notandum est insigne inter verba Levitici, & Jacobi discrimen. In illis enim non agitur, nisi de uno, vel altero peccato, scilicet de peccato *ignorantiæ* Sacerdotis, Principis, & multitudinis, ut patet Cap. IV., vel de peccatis contra cæremonias, aliaque ex lege prescripta, ut in Cap. V. habetur: vel etiam de peccatis contra proximum, ut Cap. VI.; & hæc dimitti dicuntur per orationem Sacerdotis, non utique quantum ad culpam, quia hac ratione non potest unum peccatum sine aliis dimitti, sed quantum ad pœnam legalem, & temporalem. Contra vero in Sacramento extremæ unctionis generaliter dicitur: *& si in peccatis sit, remittentur ei*.

98. Neque vero obstat, quod in eodem Levitico Cap. VI. 7. generaliter dicitur: *Dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit*; quamvis enim id videatur generaliter dictum, restringendum est tamen ad illa *singula*, quæ in versiculis præcedentibus posita fuerant scilicet de negato deposito, de re inventa, & non reddita, ac de obtentis per fraudem. Accedit, quod pro peccatis gravioribus homicidii, blasphemiæ, aut idololatriæ nulla leguntur instituta sacrificia, quia pro his nulla erat a pœna comminata legalis remissio.

99. Dices *secundo*. Multa in sacris litteris memorantur sacrificia, quibus non solum remissa fuit legalis pœna, sed ipsa etiam ira Dei placata. Nam David Lib. II. Regum cap. ult. pestis cessationem sacrificiis obtinuit: Helidoro profuit oblatum pro ipso sacrificium Lib. II. Machab. III.; & ibid. Cap. XII. Judas sacrificia obtulit pro militibus defunctis, *ut a peccatis solverentur*.

100. Resp., dubium non esse, an sacrificia, & sacramenta in veteri testamento prodessent; sed an prodessent *ex opere operato*, vel *ex opere operantis?* Allata autem exempla, & multa alia, quæ afferri possent, evincunt quidem, utiliter fuisse sacrificia Deo oblata, non autem ipsa gratiam virtute sua contulisse.

101. *Secundo* objicit Calvinus achilleum, ut putat, ad Scholasticos feriendos telum, ex illis Apostoli verbis in prima ad Cor. X. 3., ubi de Israelitis dicitur: *Omnes eamdem escam spiritualem* (nobiscum) *manducaverunt: & omnes eumdem potum spiritalem biberunt*. Quibus verbis, inquit Calvinus, Paulus Israelitas in Sacramentis nobis pares facit: quam habent nostra virtutem, eam quoque Hebræi in suis sentiebant, ut scilicet essent illis divinæ erga se benevolentiæ sigilla, in spem æternæ salutis.

102. Resp. *primo*, frustra nos ad hunc locum provocari, in quo sermo non est de Sacramentis Mosaicis. Sacramenta enim ipsis fatentibus adversariis debent esse signa permanentia, & perennia, cujusmodi certe non fuerunt manna, & aqua, quæ fluxit de petra: erant igitur figuræ nostrorum Sacramentorum, non ipsa Sacramenta Mosaica; cujusmodi fuisse infra dicemus circumcisionem, sacrificia, expiationes, & agnum paschalem. *Deinde* Calvinus addidit de suo illam vocem *nobiscum*, quæ non solum deest textui Paulino, sed ipsi repugnat. Loquitur enim Paulus de solis Israelitis, qui omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, scilicet manna, eumdemque potum spiritualem biberunt, nempe aquas de petra scaturientes, & tamen *non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo*, quia non omnes cum fide in Dominum Jesum Christum manducaverunt, & biberunt, & propterea *in deserto prostrati sunt*.

103. Neque refert, ibi escam, & potum vocari *spiritualem;* ita enim utrumque vocavit Apostolus ratione originis, quia manna stupendo miraculo pluit de cœlo; unde etiam in Psalm. LXXXVII. vocatur *panis Angelorum*, quia Angelorum ministerio data est: aqua vero ad percussionem Moysis de petra durissima erupit. Vel, ut Liranus exponit, Apostolus vocavit escam & potum *spiritualem*, quia mystice nostrum Sacramentum Eucharistiæ præsignabant, in quo caro Jesu Christi comeditur, ejusque pretiosissimus sanguis bibitur; quod Apostolus infra vers. 16. & seq. declarat: ubi etiam notandum est, non ipsam aquam, sed potius petram, unde aqua fluxit, fuisse Christi figuram, & typum: *Petra autem erat Christus;* hoc est petra Christum præfigurabat, ex quo saluberrima fluxit aqua Baptismi.

104. Denique qua fronte asserere audet Calvinus, *Paulum fecisse Israelitas in Sacramentis nobis pares*, cum Christus Dominus maximam disparitatem assignaverit inter illum cibum, & potum, quem Deus dedit Israelitis in deserto, & illum, quem ipse nobis daturus erat in augustissimo Sacramento Eucharistiæ? *Ego*, inquit Jo. VI. 43. seq., *sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur .... Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

105. Inst. S. Augustinus Tract. XXVI. in Joan. n. 12. Tom. III. explicans verba Jesu Christi mox relata, *Hunc panem*, inquit, *significavit manna, hunc panem significavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in signis diversa sunt, in re, quæ significatur, paria sunt*. Post autem adducens verba Apostoli 1. Corinth. X. superius objecta, subdit: *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt: spiritalem utique eamdem; nam corporalem alteram; quia illi manna, nos aliud: spiritalem vero, quam nos .... & omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen, hoc idem significaret virtute spiritali*. Idem repetit S. Pater in Ps. LXXVII. num. 2. T. IV., ubi explicans qui eumdem cibum spiritalem manducaverunt &c., expressius dicit: *Cum essent omnia communia Sacramenta, non communis erat omnibus* gratia, quæ *Sacramentorum virtus est*. Hinc plura concluduntur contra nos: *primo*, manna, & aquam de petra fuisse Sacramenta Mosaica, quia hoc nomine illa S. Pater appellat: *secundo*, Israelitas eumdem cibum, & potum habuisse *nobiscum:* quod colligit S. Doctor ex eo, quod Apostolus dixerit: *Patres nostri, non patres illorum: tertio* Sacramenta illa, quamvis in signis diversa sint, *in re* tamen significata *& virtute paria esse: postremo*, gratiam fuisse veterum Sacramentorum *virtutem*, seu effectum, ut in nostris contingit.

106. Resp., perperam Calvinum, ejusque sectarios ex hoc solo S. Augustini loco triumphum canere, cum in aliis locis bene multis (Vid. sup. num. 86.) perspicue docuerit, nostra Sacramenta non eadem esse cum Sacramentis Mosaicis, quia nostra *dant salutem*, *illa promittebant Salvatorem*, in illis nulla erat *expiatio peccatorum*, nec poterant illa *peccatis mederi*. Quomodo igitur eadem, aut paria sunt?

107. Ne itaque S. Doctorem secum ipso pugnare fingamus, dicendum est *primo*, ibi minus proprie *Sacramenti* nomen tribuisse mannæ, & aquis de petra erumpentibus; nam ibidem conjungit *nubem*, sub qua Israelitæ fuerunt, & *mare*, quod transierunt; quæ duo certe veris Sacramentis accenseri nequeunt; quorum signa permanentia esse debent, non transitoria, ut illa fuerunt.

108. *Secundo* vult quidem, *Patres* ibi ab Apostolo commemoratos dici *nostros;* verum nomine Patrum nostrorum non intelligit eos omnes, qui manna comederunt, aut aquas biberunt, sed illos solos, qui comederunt, & biberunt *spiritualiter*, idest cum fide in Redemptorem nostrum, quæ fides

des etiam nos vivificat; unde observat discrimen inter verba Christi Jo. VI., & Apostoli 1. Corinth. V.; Christus enim dicit: *Patres vestri manducaverunt &c.*, Apostolus autem: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt .... & omnes eamdem escam &c.:* loquitur ergo Apostolus de iis, qui materialiter manducaverunt, & biberunt, & hos appellat *omnes* Israelitas; sed non omnes isti etiam spiritualiter cum fide manducaverunt, & biberunt, ut dici possit, eos *nobiscum* manducasse, ut vult Calvinus, verba S. Augustini male connectens: *Patres nostri, non patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt.*

109. *Tertio paritatem* constituit magnus Augustinus in *re significata*, idest Christo, quem præfigurabant ea omnia, quæ in vet. testamento contingebant, non autem in Sacramentorum virtute, & efficacia; hanc enim non minus quam *signa* diversam esse, multis aliis in locis docuerat. Propterea etiam non dixit, potum Israelitarum idem *præstitisse*, ac nostrum, sed *idem significasse virtute spiritali.*

110. *Quarto*, hanc ipsam explicationem adaptandam esse verbis S. Patris in Ps. LXXVII., ubi etiam clarius dicit, eumdem fuisse *Mysterium cibum, & potum illorum, qui noster, sed significatione eumdem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Quod autem subdit *gratiam esse Sacramentorum virtutem*, verissimum est de utriusque fœderis Sacramentis, sed cum hoc discrimine, quod vetera gratiam causabant *ex opere operantis*, nostra *ex opere operato*.

111. Instit. *secundo*. Idem S. Pater Augustinus Lib. III. in Levit. quæst. 84. C. III. expendens illud Levit. XXI. 15. *Ego Dominus, qui sanctifico eum*, & conferens cum iis verbis Exodi XXIX. 24., quibus Deus jussit Moysi, ut Aaron, & filios ejus *sanctificaret*, *Quomodo ergo*, inquit, *& Moyses sanctificat, & Dominus? Non enim Moyses pro Domino, sed Moyses visibilibus Sacramentis per ministerium suum; Dominus autem invisibili gratia per Spiritum Sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium Sacramentorum.*

112. Resp., nullam in his verbis, aliisque, quæ ibidem subnectit Augustinus, inveniri difficultatem, si mens, & scopus S. Patris attendantur: volebat nimirum ostendere, visibilem Sacramentorum susceptionem nihil omnino ad animæ sanctificationem sine invisibili gratia prodesse. Hinc statim subdit: *Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ visibilia Sacramenta quid prosunt?* Addit postea, invisibilem gratiam etiam sine Sacramentis visibilibus ad sanctificationem aliquando conferri, hujusque veritatis adducit exempla, tum Moysis, qui sine sacrificiis, & oleo invisibiliter sanctificatus fuit; tum Joannis Baptistæ, qui prius baptizator, quam baptizatus apparuit; & qui certe invisibiliter sanctificatus fuit, antequam ad ministerium baptizandi veniret. Hæc verissima sunt; non tamen nostram quæstionem definiunt, an Sacramenta illa Mosaica invisibilem Dei gratiam continerent, eamque *ex opere operato* conferrent; de qua re ibi S. Pater nullam movet quæstionem.

113. Ob. *tertio* nonnulla Sanct. Patrum testimonia. S. Ambrosius Lib. VII. in Lucam num. 166. *Venit Dominus*, inquit, *ad Abraham, venit ad Moysem, venit ad Mariam; hoc est venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore. Adventum ejus ex beneficiis recognoscimus. Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio est. Circumcisio purificavit, sanctificavit lex, justificat gratia. Unus in omnibus; & in uno omnia.* S. Leo Serm. XXII., qui est tertius in *Nativ.* Domini cap. 4. *Hoc*, inquit, *magnæ pietatis Sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum.* Et Serm. LXXVI., seu secundo in Die Pentec. cap. v. *Non ambigimus*, inquit, *quod cum in die Pentecostes Discipulos Domini Spiritus Sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis: quoniam & Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, omnesque Sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus sanctificatione vegetati; & sine hac gratia nulla unquam instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.*

114. Resp., mirum esse, nobis S. Ambrosium opponi, qui in eodem Opere non aliam agnoscit in veteribus Sacramentis sanctificationem, quam legalem. Lib. enim V. num. 21. *Etsi*, inquit, *est in lege justitia, non est tamen per legem justitia: si enim per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Et Lib. VI. num. 23. *Lex enim*, inquit, *nescit peccatorum remissionem; lex mysterium non habet, quo occulta mundentur.* Quid clarius pro nostra sententia? Alia igitur erat *purificatio, & sanctificatio* per circumcisionem Abraham, & per legem Mosaicam; alia justificatio per Sacramenta gratiæ: illa *ex opere operantis;* ista *ex opere operato*.

115. Ad *secundum*, manifestum est, S. Leonem loqui, non de Sacramentis Mosaicis, sed de Sacramento incarnationis Dominicæ, cujus beneficii etiam antiquos justos participes fuisse docet. Eorum enim querelas compescit, qui de Dominicæ nativitatis tarditate obloquebantur, *tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate sit gestum;* & contra eos asserit, *a constitutione mundi unam, eamdemque omnibus causam salutis esse institutam*, nempe fidem in venturum Redemptorem, *ut non minus adepti sint, qui illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum*. Ceterum cum S. Pontifex fateatur, gratiam Dei, Christo nascente, *fuisse auctam*, manifeste innuit, majorem Sacramentis ab

ipso

ipso Christo institutis virtutem fuisse datam, quam in veteri lege.

116. Alio autem in loco, cum scribit, sine Spiritus Sancti gratia *nulla unquam fuisse instituta Sacramenta, nulla fuisse celebrata mysteria*, nihil aliud vult, nisi in institutione Sacramentorum, & mysteriorum celebratione, nunquam defuisse Spiritus Sancti gratiam, quod verissimum est; an autem hæc Spiritus Sancti gratia in veteri testamento virtute Sacramentorum conferretur, an potius per fidem in Redemptorem venturum, ibi non discutit S. Leo magnus; dum tamen dicit, *non eamdem fuisse mensuram donorum*, aliquod innuit inter vetera, ac nova Sacramenta discrimen, quamvis totum, & integrum non expendat, quod ad ejus scopum minime pertinebat.

117. Ob. *quarto*. Sacramenta novæ legis suam efficaciam trahunt ex fide passionis Christi; sed hæc fides fuit in veteri lege, sicut & in nova; *habemus enim eumdem spiritum fidei*, ut dicitur 2. ad Corinth. IV. 13.: sicut ergo nostra Sacramenta conferunt ex se gratiam, ita & vetera.

118. Respondet S. Thomas hic 3. P. qu. 62. ad 1., *quod antiqui Patres habebant fidem de passione Christi futura, quæ secundum quod erat in apprehensione animæ, poterat justificare: sed nos habemus fidem de passione Christi præcedenti, quæ potest justificare etiam secundum realem usum sacramentalium rerum*. Vide rationem ex S. Thoma supra allatam n. 90. & seq.

119. Dices contra rationem Sancti Thomæ una cum Estio. Quamvis ex passione Christi nondum existente non potuerit virtus aliqua in Sacramenta vet. legis effluere, eo quod effectus non possit esse prior sua causa efficiente, ut recte probat Sanctus Thomas, potuit tamen Deus respiciens in passionem Christi futuram, Sacramentis virtutem tribuere justificandi, & sanctificandi, sicut modo respiciens in passionem Christi jam præteritam, Sacramentis novæ legis eamdem virtutem tribuit.

120. Resp., controversiam præsentem non in eo esse, an Deus potuerit, sed an Deus voluerit intuitu futuræ passionis Jesu Christi veteribus Sacramentis intrinsecam justificandi virtutem tribuere; ut nihil a nostris differrent. Deum id noluisse, tam ex sacris litteris, quam ex sanct. Patrum doctrina compertum est. Hoc autem supposito, Sanctus Thomas validam, & communi fere Theologorum suffragio probatam rationem addidit; quæque validissima, & invicta evadit, si alia ejus doctrina fere communiter pariter recepta stet, quod Sacramenta sint physica quædam instrumenta, per quæ virtus passionis Christi in nos derivatur, de qua S. Thomæ sententia agemus inferius.

121. Dices. Si antiqua Sacramenta gratiam non conferebant, nisi fidei intuitu, fides in veteri testam. majorem habuisset efficaciam, quam in novo; tunc enim fides ad justificationem suffecisset, cum modo sine Sacramentis non sufficiat; hoc autem videtur absurdum; quia tunc facilior fuisset justificationis via, quam modo sit.

122. Resp., in iis, quæ a libera Dei voluntate pendent, non esse audienda nostra ratiocinia. Placuit Deo, ut ad justificationem in novo testamento fidei adjungerentur Sacramenta: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Nullatenus vero inde sequitur, faciliorem fuisse Judæis, quam nobis viam salutis. Hæc enim major facilitas non tam ex operibus, quam ex abundantia gratiæ est repetenda, hanc autem in nova lege, quæ lex gratiæ nuncupatur, multo copiosiorem, & fortiorem esse, nemo negaverit.

123. Dices 2. Non apparet, quid in nostra sententia veteribus profuerint Sacramenta: totum enim emolumentum proveniebat a fide, quæ etiam sine Sacramentis excitari poterat, & aliis piis operibus foveri, confirmari, atque etiam extrinsecus declarari. At vero dici nequit, supervacanea, atque inutilia Sacramenta fuisse a Deo optimo maximo Israelitis data: dicendum est igitur, suam fuisse illis inditam virtutem ad purificandas animas, & gratiam inducendam.

124. Resp., minime inutilia fuisse vetera Sacramenta; quia *primo* sin minus spiritualem, saltem legalem munditiem, & sanctificationem producebant, ut patet in sacrificiis adhibitis ad legales immunditias removendas, & ad consecrationem Sacerdotium, ac Levitarum: *secundo*, quia illis sacrificiis, & Sacramentis magis excitabatur fides in venturum Reparatorem, ad quem præfigurandum erant instituta, *non quod sacrificia illa carnalia* (idem dicendum de Sacramentis) *haberent ex seipsis virtutem expiandi peccatum, sed quia significabant expiationem peccatorum futuram per Christum; cujus participes erant etiam antiqui protestantes fidem Redemptoris in figuris sacrificiorum*, ut inquit Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 102. artic. 5. ad 4. Hinc multiplex dabatur Israelitis per Sacramenta, & sacrificia occasio fidem excitandi, ac sæpius renovandi in venturum Messiam, cujus vita, passio, mors, resurrectio, & cetera mysteria erat præfigurata. *Demum* erat etiam non exiguum obedientiæ meritum, dum præcepta a Deo Sacramenta, qua par erat fide, & pietate, a Sacerdotibus ministrabantur, & a fideli populo suscipiebantur: unde Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 103. art. 2. ad 2. *Sacerdotes*, inquit, *placebant Deo in cæremoniis propter obedientiam, & devotionem, & fidem rei præfiguratæ, non autem propter ipsas res secundum se consideratas* (a).

Quæres, *an vetera Sacramenta dici debeant vera Sacramenta?*

125. Resp. Affirmative: quia, ut inquit Dom. Soto

(a) Perdoctus ac diligens S. Thomæ discipulus Car. Renatus Billuart Dissert. III. art. 6. una cum paucis Thomistis, quos allegat, contendit, vetera Sacramenta gratiam causasse non omnino *ex opere operantis*,

Soto in IV. Dist. I. quæst. 1. art. 2., *conferre gratiam non est de essentia Sacramenti in genere*. Et quamquam in eis non erat certa forma determinata, *utebantur tamen in veteri lege aliquibus verbis in his, quæ ad cultum Dei pertinent, tam Sacerdotes, qui erant Sacramentorum illorum ministri .... quam etiam illi, qui illis Sacramentis utebantur*, inquit Sanctus Thomas 3. P. quæst. 50. art. 6. ad 3. Antequam vero hanc de veteris legis Sacramentis materiam dimittamus, aliqua addenda sunt de Circumcisione, quæ potissimum locum in iis obtinebat.

C A P U T V.

De Circumcisione. Primo ejus origo inquiritur. Deinde ejus effectus.

§. I.

Origo circumcisionis apud Hebræos.

126. Sacræ litteræ adeo aperte primam Circumcisionis originem in populo Hebræo nobis tradunt, ut mirari subeat, potuisse aliquos Christianos hac de re dubium movere (*b*). Ita enim Gen. XVII. Deus Abrahæ locutus est: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum: & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra: eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Hæc prima apud Hebræos circumcisionis origo.

127. Sed postea Deus per Moysem circumcisionis legem renovavit Levit. XII. 3. Quamobrem circumcisio inter Sacramenta Mosaica recensetur, quamquam longe ante Moysem fuerit instituta: unde Christus Dominus Jo. VII. 22. dicebat Judæis: *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus*, scilicet Abraham, Isaac, & Jacob. Atque hoc erat primum inter Mosaica Sacramenta, adeo ut qui circumcisi non erant, aliorum Sacramentorum participes esse non poterant; quemadmodum apud nos Baptismus aliorum Sacramentorum janua dicitur, ut qui baptizatus non sit, non possit ad alia Sacramenta accedere. His breviter præmissis sit.

PROPOSITIO

Circumcisionis, quæ apud Hebræos usque ad Christum religiose servata fuit, divina est origo, nempe ex fœdere, quod Deus cum Abraham pepigit, Gen. XVII.

128. Et primum quidem hujus propositionis argumentum, illudque firmissimum, nobis suppeditat Moyses, qui utpote scriptor θεόπνευςος apud Christianos, & apud Judæos divina pollet auctoritate, apud profanos autem cuicumque alteri præferri meretur cum ob antiquitatem, qua ceteris omni-

sed partim etiam *ex opere operato*; quia si causassent tantum gratiam *ex opere operantis, sic ut tota gratiæ causalitas competeret merito operantis, & nulla Sacramento, nullatenus differrent a non Sacramentis: quodvis enim opus bonum, quod non est Sacramentum, eodem prorsus modo confert gratiam*. Hæc porro eximii Theologi ratio penitus elisa fuit ex nostra responsione. Ulterius ipsius opinio non videtur posse cum doctrina S. Thomæ conciliari, præcipue autem cum illa ratione, qua probat, non potuisse Sacramenta vet. legis esse causas instrumentales passionis Christi, quæ nondum peracta fuerat. Vid. sup. num. 91.

(*b*) Primus id ausus fuit Jo. Marshamus (qui sæculo elapso non solum generis nobilitate, sed multæ, & reconditæ eruditionis gloria apud Anglos claruit) in *Canone chronico, ægyptiaco, hebraico, græco* Sec. V., Lond. 1672. in fol. Hic Herodoti, Diodori, & paucorum aliorum veterum auctoritate deceptus, putavit, Hebræos circumcisionem, aliasque cæremonias sacras fuisse ab Ægyptiis mutuatos. Hunc ducem secutus est ejusdem gentis illustris scriptor Jo. Spencerus in opere, *De legibus Hebræorum ritualibus* Lib. I. cap. 5. Sect. 4. (edit. Tubing.), ubi quamquam in utramque partem disputando incertus videri velit, in Marshami tamen sententiam manifeste inclinat. Utriusque vestigia presserunt postea alii Angli, ut Matth. Tyndalius, & Conyer. Midletonius. Ex Remonstrantibus autem Jo. Clericus in suis Comment. ad Genesim pro certo habens, circumcisionem apud Ægyptios ante Abrahamum fuisse usitatam, sive ad munditiem, sive ad alium finem, vult, *hanc consuetudinem divino præcepto occasionem dedisse*. Hermannus Von der Hardt in *Prodromo juris Canonici Jud.* cap. 1., distinguendum esse dicit inter usum *privatum*, ac *medicum* circumcisionis, & *publicum* ac *communem*: primum ante Abrahamum obtinuisse apud Ægyptios, aliosque vicinos populos, non autem secundum. Mitto alios heterodoxos minoris nominis tum nostri ævi incredulos, ac præcipue Voltairium, quem pro meritis castigavit auctor *Epist. quorundam Judæorum Lusitanorum, & Germanorum*. Tom. II.

Nova tamen non est horum recentiorum sententia, sed multis antea sæculis a Celso Philosopho pagano invecta, quam refutavit Origenes in Lib. I. & V. contra eumdem Celsum. Julianus etiam Augustus, non minus Judaicæ, quam Christianæ religionis osor, idem objiciebat apud S. Cyrillum Alex. Lib. X. *Contra Julianum*. Marshamum, & Spencerum multi inter Acatholicos refutarunt, ut Herm. Witsius Lib. III. *Ægyptiacorum* cap. 6., Th. Ittigius in *Sel. Capit. Hist. Eccl.* Sec. I., Frid. Spanhemius in *Hist. Eccl. V. T.*, aliique. Sed absit verbo invidia, multo copiosius, & solidius hanc spartam adornarunt inter Catholicos Nat. Alexander in *Hist. V. T.* in III. *Mundi ætate* Dissert. VI., August. Calmet Dissert. I. in Genesim, Honoratus a S. Maria T. II. *De usu critices* Lib. III. Dissert. III., & nonnulli alii.

mnibus longe præcellit, tum quia de rebus scripsit ad suam gentem pertinentibus, quas proinde omnino perspectas habere debebat; tum etiam quia in ipsa Ægypti Regia educatus, *& eruditus omni sapientia Ægyptiorum*, ut dicitur Act. VII. 22., eorum mores ignorare non poterat. Jam vero sacer & vetustissimus, omnique fide dignus hic scriptor primam Circumcisionis originem accurate exponit, eamque a Deo datam Abrahamo dicit, ut *pactum*, ut *fœdus*, ut signaculum, quo omne genus Abrahamiticum sibi peculiariter addictum a ceteris gentibus distingueretur. Si autem circumcisio jam tunc apud Ægyptios, vel apud alias nationes obtinuisset, quomodo nota, & tessera populi a Deo electi esse potuisset?

129. Neque hæc fortissima ratio eluditur, dicendo, circumcisionem jam antea usitatam, potuisse dari populo electo in pactum, vel signum; quomodo Gen. IX. 12. legimus, arcum cælestem fuisse a Deo datum hominibus *ut signum fœderis*; quin tamen inferri possit, tunc *primo* fuisse cælestem Iridem creatam.

130. Non inquam: longe enim dispar est ratio; quia arcus cælestis non erat signum fœderis cum aliquo peculiari populo, sed cum toto genere humano; nec per hoc signum, aut fœdus aliqua distinctio in hominibus ponebatur. Circumcisione vero voluit Deus stirpem Abrahamiticam ab omnibus aliis populis secernere, sibique ut propriam dicare, quod fieri nequaquam potuisset, si alii populi jam antea circumcisione fuissent usi.

131. Præterea fuisse Circumcisionem præcipuum populi Dei characterem, quo a ceteris distingueretur, probatur ex multis aliis veteribus scriptoribus, tam profanis, quam sacris. Inter profanos citatur a Josepho Lib. I. *contra Apionem* quidam Theodorus auctor ethnicus, & vetustissimus, qui primam Circumcisionis originem a Deo repetit. Tacitus quoque Lib. X. *Historiarum*, quanquam ad minuendam Judaicæ gentis gloriam multa de ejusdem origine impudentissime mentiatur, hoc tamen ingenue fateri debuit, Judæos instituisse, *circumcidere genitalia, ut diversitate noscantur*.

132. His duobus scriptoribus profanis addo Josephum Flavium ex gente Judaica, qui utpote suarum rerum peritissimus omnem fidem meretur. Lib. I. *Antiquitatum Judaic.* c. 10. *Deus*, inquit, *jussit genus ipsius* (Abrahami), *quod nollet cum aliis permixtum*, *circumcidi*, *idque octava die nativitatis*.

133. Addo etiam nonnullos veteres Patres, quorum testimonium gravissimum esse debet. S. Justinus in *Dial. cum Tryphone* Judæo nu. 16. de Circumcisione loquens, *Hæc*, inquit, *ab Abrahamo accepta secundum carnem circumcisio in signum data est, ut ab aliis gentibus, & a nobis discreti sitis ... Nulla enim re alia a ceteris hominibus dignoscimini, nisi vestra in carne Circumcisione* (*a*).

134. S. Jo. Chrysostomus Hom. XXXIX. in Genesim multa habet in hanc rem, & præcipue notat, Circumcisionem datam fuisse Hebræis, quia in Ægypto servituri erant. *Ne igitur*, inquit, *gentibus se commiscerent in Ægypto*, *Circumcisionem signi gratia juste præcipit &c.*: non itaque putavit hic magnus Ecclesiæ Doctor, Circumcisionem fuisse in Ægypto eo tempore usitatam, quo Hebræi ibi servierunt.

135. Accedit & S. Hieronymus hebraicarum litterarum scientissimus. Libro autem II. in ep. ad Gal. de Abraham loquens, *Quia*, inquit, *ex semine ejus erat Christus oriundus ..... & ab Abraham usque ad Christum multa erant sæcula transitura*, *providens Deus*, *ne soboles dilecti Abrahæ ceteris nationibus miscerentur; & paulatim familia ejus fieret incerta*, *gregem Israeliticum quodam Circumcisionis cauterio denotavit, ut viventes inter Assyrios*, *Babylonios*, *atque Chaldæos hoc signaculo distinguerentur*. Ubi etiam notat, iis 40. annis, quibus soli in deserto morati sunt, nullum fuisse circumcisum, quia nulla erat distinctionis causa; quando autem Jordanem transgressi in Palæstinam commigrarunt, Circumcisionem fuisse necessariam, propter commixtionem cum gentibus. Quod etiam postea alii notarunt, ut Theodoretus Quæst. II. in Jesu Nave, & S. Jo. Damascenus Lib. IV. *De fide orthod.* c. 16. Quamquam S. Augustinus Quæst. VI. in Josue non omnes filios natos in deserto incircumcisos fuisse putat, sed quosdam tantummodo, quorum parentes id *contempserunt*, *quod inobedientes erant legi Dei*.

136. Porro hos omnes scriptores, & Patres, aliosque plures, quos brevitatis causa illaudatos dimisimus, maximo in errore versatos fuisse oportet, si Ægyptii, aliique populi jam tempore Abrahami, aut Moysis, non minus quam Hebræi *generaliter* mutilatum habuissent præputium; tunc enim falsissima foret causa Circumcisionis ab iisdem magno consensu assignata, ut nempe Abrahamitica posteritas ab aliis nationibus distingueretur. Dixi autem *generaliter*; nam etiamsi aliqui in Ægypto tempore Patriarchæ Joseph Circumcisionem accepissent, quod non est inverisimile, distinctio tamen adhuc fuisset servata.

137. Dices cum Spencero. Si aliquo visibili signo

(*a*) Equidem ibidem addit datam fuisse *in signum ut ab aliis gentibus, & a nobis discreti soli pateremini*, *quæ merito patiebantur*. Quam sententiam imitatus videtur Tertullianus in Libro adv. Judæos Cap. 3. inquiens: *Hæc igitur providentia fuit, dandi Circumcisionem Israeli in signum, unde dignosci posset, cum adveniret tempus, quo meritis suis supradictis in Hierusalem admitti prohiberetur*. Hæc tamen utriusque Patris sententia non inficiatur, quod nos asserimus, Circumcisionem fuisse notam, ac tesseram, qua Israelitæ ab aliis hominibus secernerentur.

gno voluisset Deus, Abraham, ejusque posteros a ceteris nationibus distingui, præstabat, hoc signum poni in fronte, vel in alia corporis parte oculis omnium patente, potius quam in eo membro, quod propter pudorem solet caute celari.

138. Resp., Circumcisionem, quamvis in tecta corporis parte factam, fuisse tamen sensibile, & perenne signum, quo Israelitæ sciebant, & recordabantur, se esse peculium Dei, & a ceteris omnibus populis separatos. Et quamvis perversa dæmonis arte fuerit postea Circumcisio ad alias etiam gentiles nationes propagata, diversi tamen apud Judæos semper servati sunt hujus sacræ cæremoniæ ritus, quibus Circumcisio Judaica a ceteris distinguebatur (*a*). Præterea Deus non hanc solam secretionis notam populo suo dedit; sed cibis legalibus, sacrificiis, præcipue autem severa omnis superstitiosi cultus prohibitione voluit Israelitas a gentibus omnino separatos (*b*).

139. Quare autem signum Circumcisionis datum fuerit in membro generationis, explicat Angelicus 3. P. quæst. 70. art. 3. ad 1., hanc ipsam Spenceri objectionem quasi præoccupans. *Primo*, inquit, *quia signum erat fidei, qua Abraham credidit, Christum ex suo semine nasciturum. Secundo, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Tertio, quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue in membris illis viget.* Idipsum antea docuerat 1. 2. Quæst. 102. art. 5. ad 1.

140. Objectio potissima sumitur ex Herodoto (quem historiæ parentem Græci appellabant, quod primum omnium res multarum gentium novem libris complexus sit, cum alii fuerint suarum tantummodo rerum descriptione contenti). Hic autem vetustissimus Historicus Lib. II. *Thaliæ* cap. 15. Ægyptios in omnibus suis ritibus ab aliis populis se discernere, & *solos* ab initio circumcisionem adoptasse scribit. Et cap. 104. *Soli omnium hominum*, inquit, *Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes ab initio pudenda circumcidunt: Phœnices autem, & Syri, qui sunt in Palæstina, ipsi fatentur, ab Ægyptiis hæc se accepisse.* Herodoto consentiens Diodorus Siculus Lib. I. de Colchis, & Judæis loquens, affirmat, *iis in usu esse perantiquam traditionem, ut circumcidant pueros apud se natos, ritu ab Ægyptiis ad se derivato.* Et Lib. III. *Genitalia*, inquit, *ritu Ægyptiorum universi Troglodltæ circumcidunt.* Non absimilia scribit Strabo *Geogr.* Lib. XVII. Atque his omnibus antiquior Sanchuniathon (si tamen auctor iste unquam extitit, de quo post Henr. Dodwellum dubitant aliqui eruditi) in sua Phænicum historia apud Eusebium Lib. I. *Præparationis Evangelicæ* refert, Saturnum omnium *primum* sibi, sociisque pudenda circumcidisse (*c*). His testibus fidens Marshamus communem Christianorum, ac Judæorum opinionem de divina Circumcisionis origine convellere nisus est.

141. Resp. *primo*, non eam esse horum scriptorum auctoritatem, ut Moysis testimonium valeat infirmare. Nam, ut supra diximus, seposita etiam divina ejus inspiratione, solisque sanioris criticæ regulis adhibitis, Moyses omnes objectos scriptores antiquitate multo præcellit; fuit enim Herodoto decem & amplius seculis prior. *Secundo* eosdem multo magis auctoritate præcellit; fuit enim Moyses natus, & educatus in Ægypto, cujus proinde regionis omnes consuetudines, ritus, & cæremonias melius perspectas habere debuit, quam scriptores græci. Qua fronte autem Moyses ausus fuisset primam Circumcisionis originem Deo tribuere, si eam apud Ægyptios jam obtinere propriis oculis inspexisset? *Tertio* Moyses scribebat Hebræis, qui recens Ægyptum deseruerant post longam 250. annorum ibi factam moram: quomodo vero eorum indignationem effugisset, si tam splendido mendacio eos decipere tentasset? His de causis Origenes Lib. I. n. 22. Celsum jure reprehendebat, quod maluerit Ægyptiis fidem adhibere, quam Moysi.

142. Ulterius non multam esse Herodoti in hac re auctoritatem, pluribus argumentis ostendi potest. *Primo* enim a Manethone Ægyptio sæpius ignorantiæ in rebus Ægyptiacis accusatum scimus apud Josephum Lib. I. *contra Apionem* (*d*); quod Herodoto exprobravit etiam Diodorus Lib. I. *Secun-*

(*a*) Aliqui non ignobiles Interpretes putarunt, Filiam Pharaonis novisse Moysem esse ex hebraica gente ex signo Circumcisionis. Conjectura est hæc non improbabilis, quamvis sacra historia Exodi II. eamdem non indicet.

(*b*) Tacitus Lib. V. *Histor.* de Hebræis loquens, *Apud ipsos*, inquit, *fides obstinata, misericordia in promptu; sed adversus omnes alios hostile odium, separati epulis, discreti cubilibus.* Quod tamen ut calumniose dictum ab hoc Judæorum inimico accipiendum est, scilicet sumpta separatione ab aliis pro odio adversus omnes. Multoque magis falsum est quod scripsit Juvenalis Sat. XIV. scilicet solere Judæos,

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti:
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

(*c*) Sanchuniathonis verba apud Eusebium Lib. 1. c. 10. hæc sunt: *Sibi ipsi* (Saturnus) *verenda præscindit, sociosque omnes ad simile factum per vim adigit;* quæ potius evirationem, quam Circumcisionem indicare videntur. Sed hoc totum ut fabulosum ab emunctæ naris Criticis exploditur. Huetius in *Demonstrat. Evangel.* Propos. IV. cap. 13. vult, hanc Saturni amputationem esse ipsam Abrahami Circumcisionem ex sacris Moysis libris haustam.

(*d*) Hæc sunt Josephi verba: *Manethon genere vir Ægyptius græca disciplina eruditus, sicut palam est* (*scripsit enim sermone græco*) *paternæ religionis historiam ex sacris* (*sicuti ipse ait*) *interpretatus libris, frequenter arguit Herodotum in Ægyptiacis ignoratione mentitum.*

eum lo redarguitur ab eodem Josepho Lib. VIII. *Antiquit.* Cap. 2. erroris in recensendis Pharaonibus Ægypti; & Cap. 4., quod falso scripserit, Phœnices, & Syros, qui sunt in Palæstina, Circumcisione fuisse usos, quia soli Judæi in Palæstina circumcidebantur. Idemque Flavius Lib. XII. *Antiq.* Cap. 17. narrat. Idumæos a Jo. Hircano fuisse ad Circumcisionem adactos, atque ex eo *primum* tempore inter Judæos recenseri cœpisse. Quis autem sanæ mentis suspicetur, Palæstinorum mores melius cognitos fuisse Herodoto homini græco, quam Josepho in ipsa Palæstina nobili genere nato, & educato? *Tertio* multo magis falsus est Herodotus, dum scribit, ipsos Syros (nempe Judæos) fateri, se Circumcisionem accepisse ab Ægyptiis; quasi vero potuissent Judæi ea ignorare, vel respuere, quæ Moyses sanctissimus eorum Legislator, & Propheta de Circumcisionis origine scripserat. Herodotus ergo a vanis Ægyptiorum sapientibus, qui res suas amplificare studebant, decipi se passus est, atque aliis posterioribus, Diodoro, Straboni, Celso, Juliano, erroris occasio fuit; quorum fides, labefactata Herodoti auctoritate, ex seipsa corruit.

143. Sed ut luculentius appareat, Hebræos non fuisse ab Ægyptiis sacrum Circumcisionis ritum mutuatos, breviter notanda sunt discrimina, quæ inter utriusque populi Circumcisionem erant. *Primo* enim Circumcisio non erat in Ægypto communis, si Origeni credimus Lib. II. *Comment.* in epist. ad Romanos, sed soli illi eam suscipiebant, qui geometriæ, aut astronomiæ dabant operam; Sacerdotes item, Aruspices, Prophetæ, Hierophantes, Vates &c. (*a*). Hebræi vero omnes sine ulla exceptione ex lege Moysis circumcidebantur; & quidem sub severa illa excidii a populo suo comminatione. *Secundo* Hebræis hæc dura cæremonia præcepta erat octava post nativitatem die; Ægyptii vero, ut Sanctus Ambrosius refert Lib. II. de Abraham cap. 11., nonnisi anno 13. præputium deponebant. *Tertio* apud Hebræos soli masculi hac lege adstringebantur: in Ægypto autem, & apud alios populos Orientales etiam puellæ (*b*). *Quarto* Circumcisio Judæorum ab aliis maxime distabat ex fine. Abraham enim eam a Deo accepit, & posteris suis observandam reliquit, ut cultum religiosum, seu ut signaculum fidei, ut pactum, & fœdus sempiternum. Alii vero populi potius externæ munditiei causa, si Herodoto credimus, qui etiam addit, eadem de causa *Sacerdotes tertio quoque die totum corpus erasisse, ne quis pediculus Deos colentibus, aut alia sordes crearetur* (*c*).

144. Dices. Cum certum sit, Circumcisionem non solum apud Hebræos, sed etiam apud alios populos non paucos, maxime vero apud Ægyptios obtinuisse, aut dicendum erit, hos omnes ab Hebræis hunc morem didicisse, aut Hebræos ab aliis. Primum nullatenus est verisimile, cum Hebræi essent aliis populis admodum invisi; potissimum vero Ægyptiis, ut testatur Josephus Lib. I. contra Apionem; unde etiam ab ipsis ut vilissima mancipia despiciebantur: secundum ergo dicendum est, quod eo fit verosimilius, quo non insuetum erat populo Hebraico, relicta patria religione, superstitiones idololatrum sequi. Vel demum Spencero assentiendum erit, qui ut alias cæremonias, ita etiam Circumcisionem, a Gentilibus derivatas esse, atque a Deo ut sacras approbatas suspicatus est (*d*).

145. Resp. Theodoretus Interrogat. LXVIII. in Genesim sine hæsitatione affirmat, Ægyptios didicisse ab Hebræis circumcidi. Sed quamvis ostendi

(*a*) Refert Clemens Alexandrinus Lib. I. *Stromatum*, Pythagoram, cum Ægyptiaca mysteria edoceri cuperet, debuisse se duræ Circumcisionis legi subjicere. Hanc autem legem ideo positam fuisse, aliqui arbitrantur, ut homines peregrini, quibus exsectio ista probrosa videbatur, a suis mysteriis arcerentur. S. Ambrosius autem epist. LXXII. ad Constantium n. 5. aliam, eamque superstitiosam hujus rei causam allegat, quia nempe stolide putabant, *neque magici carminis sapientiam, nec geometriam, nec astronomiam vim suam obtinere sine Circumcisionis signaculo.*

(*b*) Jo. Chardinus suis per Asiam itineribus celebris, Tom. III. narrat, in aliquibus Orientis partibus morem circumcidendi puellas adhuc servari, sed non ante pubertatem, quia tunc solum Circumcisioni aptæ sunt: masculis vero post quintum, aut sextum annum, aut etiam serius circumcidi.

(*c*) Philo Judæus in brevi suo libro *De Circumcisione*, ut eos refellat, qui hanc Judaicam cæremoniam irridebant, probat, eam in honore fuisse apud gentes alias, nec verisimile esse *temere circumcidi tam multa hominum millia, perferre ac cruciatus mutilationis in suis, & carissimorum pignorum corporibus.* Deinde varias affert hujus moris apud Gentiles causas; *unam, ut caveatur morbus curatu difficilis, quem vocant carbunculum ... alteram, ut totum corpus sit purius, nec impediat officia Sacerdotalis ordinis ... tertiam, quod cordis similitudinem quamdam habet circumcisa hæc pars* (quod ipse allegorice interpretatur) .... *Quarta porro causa,* ait, *summe necessaria est cura fecunditatis, & numerosæ sobolis.* Illius cuticulæ abscissionem sanitatis ergo fuisse ab aliquibus populis factam tradunt Medici insignes, Paulus Ægineta Lib. VI. cap. 70. & Vestingus *Syntagm. Anat.* cap. 6.

(*d*) Audacius progressus est Jo. Clericus ita scribens: *Parum credibile multis videtur, ritum ejusmodi incommodum, & quando a grandioribus suscipiebatur, parum honestum, qui denique neque ad bonos mores quidquam conferre potest, a Deo opt. max. primum institutum. Suspicatur, Abrahamum, qui hoc viderat in Ægypto fieri, & forte a servis Ægyptiis, quos plures in Chananæam ex Ægypto duxerat, rationes, quas Ægyptii tam absono alioqui per se ritui prætendebant, edoctum in illorum sententiam ivisse, quod cum animadverteret Deus, qui summa συγκαταβάσει sese nostræ imbecillitati attemperat, idem Abrahamum jussit facere, quod in aliis probabat.* Quamquam vero Clericus hanc impiam sententiam aliis tribuere videatur, ab eadem tamen se minime alienum ostendit.

di non posset, Ægyptios, aliosque populos ab Hebræis Circumcisionem esse mutuatos, certum tamen esse debet, Hebræos non ab alio, quam ab ipso Deo, Circumcisionem, ut pactum, ut fœdus, ut tesseram distinctionis, accepisse, ut supra num. 128. seq. luculenter ostensum est. Sane quis unquam sibi persuadeat, aut Abrahamum, aut Moysem, quorum prior patriam, & totam cognationem suam deseruit, ut ab idololatris longe recederet, alter autem in suis legibus nihil magis curavit, quam ut populum ab omni Gentilis superstitionis umbra præcaveret, quis inquam sibi persuadeat, sanctissimos hos viros voluisse hanc characteristicam legem a Gentilibus mutuare? Multo autem absurdius est, voluisse Deum id permittere, vel approbare, cum nihil magis aut frequentius suo populo inculcaverit, quam ut a viis gentium quamlongissime recederet? Sed audiatur hac in re etiam Tacitus, qui in laud. supra Lib. V. *Historiarum* ita Judæos describit: *Profana illis omnia, quæ apud nos sacra: rursus concessa apud ipsos, quæ nobis incesta.* Et pergit ulterius exponere, quomodo Judæi a ceteris omnibus distingui satagerent, ut proinde inverisimile omnino sit, totam Judaicam nationem una cum Moyse, & sanctissimis Patriarchis Abraham, Isaac, & Jacob, voluisse hanc sacram cæremoniam ab Ethnicis mutuari.

146. Qua vero ratione Circumcisio ab Hebræis ad alias gentes fuerit derivata, haud facile dictu est. Habemus tamen documentum illustre Sichimitarum Gen. XXXIV., qui a suo Principe coacti sunt circumcisionem recipere, quia filii Jacob non alia conditione voluerunt sororem suam Dinam ipsi in uxorem promittere, quam ut se, suosque circumcideret. *Non possumus*, inquiebant ... *dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum, & nefarium est apud nos.* Scimus, Josepho referente Lib. XIII. *Antiquit. Judaic.* cap. 17. Idumæos ab Hircano adactos fuisse ad Circumcisionem accipiendam (*a*). Multi populi Circumcisione utentes ab Abraham originem trahebant, ex filiis scilicet, quos S. Patriarcha ex Agar, & Cetura suscepit, ex quibus multæ, & populosæ ortæ sunt nationes. Demum, quamvis Ægyptii Hebræos contemnerent, eosque ut vilia mancipia haberent, non est tamen impossibile, ipsorum Sacerdotes Circumcisionis ritum, ut aliquod mysterium, quo se a ceteris distinguerent, ab iisdem Hebræis mutuatos esse. Sane Artapanus apud Eusebium Lib. IX. *De Præparat. Evangel.* cap. 27. narrat, Æthiopes, quanquam Judæorum hostes, *tam propenso tamen in Moysem fuisse animo, ut ipsius quoque Circumcisionis ab eo ritum acciperent.* Cur non potuissent similiter eum recipere etiam Ægyptii? Et sin minus eo tempore, quo Hebræi in Ægypto, tanquam vilia mancipia serviebant, saltem quando Joseph fuit a Pharaone *constitutus Dominus domus suæ, ... ut erudiret principes ejus*, ut dicitur in Ps. CIV. Nihil facilius, quam a viro tam celebri, atque in tanta dignitate constituto Ægyptios nonnullas Hebræorum cæremonias didicisse; tunc enim Hebræi carissimi erant Ægyptiis. Tum etiam postea id contingere potuit, quando regnum Israel florebat, & quando mutua viguerunt inter utrumque populum commercia; nam & Salomon accepit in uxorem filiam Pharaonis regis Ægypti 3. Regum III. 1., & fœdus iniit cum Hiram rege Tyri, Ibid. c. V., & regina Saba ad eum invisendum venit, Ibid. c. X.

147. Addunt aliqui ex Origene Lib. V. *contra Celsum* num. 43., fortasse usurpatam fuisse Circumcisionem propter Angelum quemdam, qui incircumcisos occidebat, circumcisos autem lædere non poterat; cujus exemplum suppeditat sacra historia Exodi IV. 24., ubi Angelus dicitur voluisse occidere Moysem, propter filium ejus Eliezer, qui incircumcisus erat (*b*). Hujus ergo rei fama, & postea cruenta occisio omnium primogenitorum Ægypti, exceptis filiis Hebræorum, qui circumcisi erant, potuit esse aliqua Circumcisionis invehendæ causa. Et hæc quidem de Ægyptiis, de quibus potissima est difficultas. Nam Ismaelitæ, seu Arabes, Idumæi, & Moabitæ, utpote ab Abraham, ex Agar, & Cetura, aut ab Esau descendentes, hunc ritum a patribus suis didicerunt.

148. Sed quidquid sit de prima origine Circumcisionis apud Ægyptios, aliosque populos, nullatenus verisimile videtur, eam fuisse tempore Abrahami in usu: quia tunc non potuisset esse certa distinctionis Hebræorum tessera. Non desunt etiam, qui multo serius apud Ægyptios, aliosque populos fuisse Circumcisionem invectam colligunt ex iis verbis Jeremiæ IX. 25. seq.: *Visitabo super omnes, qui circumcisum habent præputium, super Ægyptum, & super Juda, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab ... quia omnes gentes habent præputium: omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde:* quorum verborum hunc esse volunt sensum: Visitabo in ira mea, tam filios Israel, qui circumcisi sunt carne, non autem corde, quam omnes gentes, Ægyptum scilicet, Edom, Ammon, Moab, quæ habent præputium; unde sequeretur, tempore Jeremiæ hos populos incircumcisos fuisse. Similia leguntur apud Ezechielem XXXI. 18., & XXXII. 19.

149.

(*a*) Seu potius ad hunc usum restituendum; cum enim Idumæi ab Esau circumciso originem traherent, sine dubio aliquando circumcisione usi sunt; nisi forte illud verum sit, quod aliqui suspicantur, Esau avitam hanc legem violasse.

(*b*) S. Augustinus Lib. II. in Exodum quæst. 11. T. III. putavit, Angelum voluisse occidere Eliezer incircumcisum; permittit tamen, ut idem etiam de ipso Moyse intelligatur; *Quamquam*, inquit, *& si de Moyse accipere quisquam voluerit, non est magnopere resistendum.* Et quæst. 12. *Post illam, quæ ab Angelo futura erat, intersectionem Moysi, vel infantis.*

149. Spencerus tamen ex hoc eodem Jeremiæ loco conjectatur, non solum Ægyptios fuisse circumcisos, verum etiam hunc Circumcisionis ritum adhibuisse ante Hebræos, quia ante ipsos nominantur: ita enim vertit textum hebraicum: *Ecce prope adsunt dies, cum animadvertam in omnes, qui circumcisi sunt cum præputio, in Ægyptum, & Juda &c.*

150. Sed *primo* perperam Spencerus inficiatur, hunc textum hebraicum על בלרמול כערלת verti posse *super omnem circumcisum, & præputiatum*; idest in obvio sensu *super omnes circumcisos*, nempe Judæos, & *præputiatos*, scilicet Gentes non circumcisas. Ulterius si tam Spenceri interpretatio admitteretur, quæ est quoque Car. Houbigant, & aliorum quorumdam, ut scilicet intelligantur illi, qui carne circumcisi sunt, non autem corde, frivola tamen est ejusdem Scriptoris observatio, ideo Ægyptios primo loco nominari, quia ipsi primi fuerunt, qui sibi præputium exscinderent. Potius enim conjectandum est, Prophetam primo loco nominasse Ægyptios, quia potentiores erant ceteris, atque in eis Judæi suam fiduciam reposuerant.

151. Objicit ulterius Spencerus verba, quæ leguntur Josue V. 9.; postquam enim præcepisset Deus Josue, ut omnes Israelitæ circumciderentur, ita concludit: *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis*; idest, ut Spencerus, & post eum Jo. Clericus commentantur, quia Ægyptii exprobrabant Judæis, quod qui nati erant in deserto, nondum essent circumcisi.

152. Resp., ineptum esse horum duumvirum commentarium. Quomodo enim Ægyptii tam longe dissiti, & quibuscum Israelitæ eo tempore nullum habebant commercium, potuissent ipsis omissionem circumcisionis exprobrare? Sensus itaque illorum verborum est, ablatum tunc fuisse opprobrium Ægypti, quia omissa Circumcisione, Ægyptiis præputiatis similes facti erant; ea vero peracta hoc similitudinis cum Ægyptiis opprobrium sublatum fuit.

153. Dices. Eccur soli Ægyptii nominantur, & non potius dictum fuit *opprobrium gentium*, cum præputium esset omnibus gentibus commune?

154. Resp., causam fortasse fuisse, quia populus non ita pridem de Ægypto exierat, ejusque regionis mores magis quam aliorum populorum noti erant.

Quæri hic solet, *an Circumcisio iterari posset?*

155. Resp. una cum Rabbinis in *Gemara* Babyloniensi ad tit. *Jabimoth* cap. 4., non potuisse, quando Circumcisio inter Hebræos facta erat; bene vero si ab Ægyptiis, vel Arabibus, aut aliis populis circumcisis fuisset recepta; tunc enim pars cuticulæ superstitis abscindebatur, aut aliquæ guttæ sanginis educebantur.

156. Id etiam docet S. Augustinus Lib. I. *contra Cresconium* cap. 31. T. IX. tum etiam Quæst. VI. in Josue T. III., ubi eos refellit, qui Sacramentum Baptismi iterari posse contendebant, quia Josue V. 2. jussit Deus, ut filii Israel *secundo* circumciderentur. Hunc autem Scripturæ locum ita explicat S. Pater: „ Non unus homo bis circumcidendus erat; sed quia populus erat in quibusdam circumcisus, in quibusdam non circumcisus, ideo dictum est *iterum:* ut circumcisus iterum circumcideretur, non homo, sed populus." Vult ergo S. Pater, ut ii solum debuerint a Josue circumcidi, qui antea circumcisi non fuerant; & hic videtur planus, & obvius illius divini mandati sensus.

157. Sed eruditissimo August. Calmet *subtilior*, quam verior visa est hæc sanctissimi Doctoris expositio; ipse vero contendit, hoc Circumcisionis *secundæ* mandatum nihil aliud indicare, quam morem Circumcisionis interruptum, esse iterum resumendum. Ita etiam sentiunt nonnulli alii Interpretes, ut Bonfrerius, Tirinus, & Menochius. Mihi tamen magis arridet explicatio Dominici Soto in IV. Dist. I. quæst. 2. art. 4., qui censet illam circumcisionem vocari *secundam*, quia solemnis fuit, & totius populi, qualis nunquam facta fuerat post illam *primam*, quia Abraham seipsum, & universam familiam suam circumcidit.

158. Alii vero putant, verba illa: *Circumcide iterum*, ita spectare ad Josue, ut ipse semel & iterum filios Israel circumciderit. Primo enim volunt, circumcisas fuisse illas duas Tribus Ruben, & Gad cum dimidia Manasse; quæ in regnis Og, & Sehon terram promissam obtinuerunt citra Jordanem; neque enim poterant Israelitæ terram Chanaan ex fœdere promissam possidere, nisi ipsi conditionem fœderis servassent, nempe Circumcisionem. Hæc itaque *prima* fuit Circumcisio facta a Josue; altera vero facta fuit in *colle præputiorum* trans Jordanem. Ita opinatur Car. Houbigant; & quamquam fateatur, hanc suam opinionem non esse certam, vult tamen esse illa verisimiliorem, quæ verbis illis: *Iterum circumcide*, hunc tribuit sensum: *Circumcisionis usum revocato*.

159. Etsi autem in expositione hujus loci non consentiant Interpretes, nemo tamen eorum putat, Circumcisionem fuisse iteratam, aut iterari potuisse; quia, ut inquit Estius in IV. Dist. I. §. 32. *sicut nunc per Baptismum, ita quondam per Circumcisionem inserebantur homines populo Dei, & adscribebantur in societatem Sanctorum, & jus acquirebant ad participationem aliorum Sacramentorum ... Et velut consecratione quadam quam nefas sit iterari, deputabantur homines religioni unius veri Dei, sicut nunc baptismo*.

160. Addunt alii rationem physicam, quia cuticula semel ablata iterum auferri non poterat. Sed hæc ratio non videtur efficax: nam putant aliqui Medici non ignobiles, tam veteres, quam recentiores, ut Celsus Lib. VII. c. 25., Galenus *Meth. Med.* Lib. XIV. cap. 16., aliique laudati a Buxtorfio filio in epist. ad Bartholinum, potuisse aliquo instrumento, quod *Spatisterem* vocant, pel-

pelliculam iterum trahi, ut nullum præteritæ circumcisionis signum appareret. Sane Josephus Lib. XII. *Antiquit. Judaic.* c. 6. narrat apostasiam nonnullorum sub Antiocho Rege, qui ita circumcisionis signum deleverant, *ut nulli quoque Græcis non essent dissimiles*. Et S. Epiphanius hebraicarum rerum peritissimus in Lib. *de ponderibus & mensuris* refert, Symmachum, cum samaritana secta relicta ad Judæos transisset, fuisse secundo circumcisum. Subdit postea, id mirum videri non debere; fuisse enim *detestabile* aliquod artificium, quo id fieret. Talmudistæ propterea docent, eos apostatas, qui sibi *faciebant præputia*; si ad avitam religionem reverterentur, fuisse ad circumcisionem *iterato* adactos.

161. Atque in hac sententia litteraliter explicatur, quod de quibusdam iniquis filiis Israel dicitur in primo Machab. Lib. I. 16. *Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt a testamento sancto, & juncti sunt nationibus &c.* Tum etiam illud Apostoli Pauli in prima ad Corinth. VII. 18.: *Circumcisus aliquis vocatus est? Non adducat præputium*. Quamvis non negaverim, hæc loca posse etiam commode in alio sensu explicari.

Quæres *secundo, quo in loco, & a quibus circumcisio perageretur?*

162. Resp., nihil hac de re inveniri in sacris libris præscriptum. Nec multum tribuendum videtur hodiernæ Judæorum praxi, in qua nonnulla superstitiosa adhiberi perhibetur. Neque etiam peculiarem invenimus cæremoniam pro circumcisione proselytorum, qui populo Dei aggregabantur, & poterant postea ingredi in atrium templi, & simul cum Israelitis comedere agnum paschalem. Solummodo certum est, circumcisionem in pueris fuisse octavæ diei affixam, ut antea fieri non posset. Putant tamen aliqui, potuisse eam differri, quando sine periculo mortis infantis exsectio fieri nequibat; non tamen propter sabbatum, ut colligitur Joan. VII. 25. (*a*).

§. II.

De Circumcisionis effectibus.

163. Præter illum præcipuum circumcisionis finem supra a nobis expositum, distinguendi scilicet populum, quem sibi Dominus de stirpe Abraham elegerat, a ceteris terræ nationibus, multi alii esse potuerunt hujus Sacramenti fines, & effectus. *Primo* enim, ut S. Thomas 1. 2. quæst. 102. artic. 5. ad 1. recte observat, ratio principalis circumcisionis fuit *ad protestationem fidei unius Dei. Et quia Abraham fuit primus, qui se ab infidelibus separavit, exiens de domo sua, & de cognatione sua, ideo ipse primus Circumcisionem accepit .... Et ut hæc protestatio, & imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Judæorum, acceperunt signum in carne sua, cujus oblivisci non possent*. Alter hujus sacræ cæremoniæ finis erat, ut per carnis Circumcisionem excitarentur homines ad spiritualem circumcisionem cordis, & ad Deum amandum; unde Moyses Deut. XXX. 6. populo dicebat: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum. Tertio*, ut Philo bene animadvertit, circumcisio erat *symbolum* debitæ abstinentiæ a noxiis voluptatibus, præcipue autem carnis. *Quarto* circumcisio erat figura, & typus Baptismi, ut quemadmodum per hoc novæ legis Sacramentum nos Christo consecramur, & jus ad alia Religionis Sacramenta acquirimus, ita per Circumcisionem homines Deo consecrabantur, atque convivii paschalis, omniumque veteris legis mysteriorum participes fiebant.

164. Hæc & alia multiplicis generis beneficia populo Abrahamitico contulerat Deus per Circumcisionem. Sed præcipuus tamen hujus Sacramenti effectus communiter reputatur remissio peccati originalis; qua de re agit noster Doctor Angelicus in 3. P. quæst. 62. art. 6. ad 3., & copiosius quæst. 70. artic. 4., quo postremo loco hæc habet verba: „ *Ab omnibus communiter ponitur, quod in „ Circumcisione peccatum originale remittebatur*. Quidam tamen dixerunt, quod non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum, quod Magister ponit. Sed hoc non potest „ esse, quia culpa non remittitur, nisi per gratiam secundum illud Roman. III. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius* (*b*)."

165. „ Et ideo alii dixerunt, quod per Circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remisionis culpæ, sed non quantum ad effectus positivos; ne cogerentur dicere, quod gratia in Circumcisione collata sufficiebat ad implendum mandata legis, & ita superfluus fuerit „ adventus Christi. Sed hæc etiam positio stare „ non potest. Primo quidem quia per Circumcisionem dabatur pueris facultas suo tempore perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus effectus „ positivus gratiæ. Secundo quia priores sunt naturaliter secundum ordinem causæ formalis effectus positivi, quam privativi, licet secundum „ ordinem causæ materialis sit e converso; forma „ enim non excludit privationem, nisi informando subjectum."

166. „ Et ideo alii dixerunt, quod in Circumcisione conferebatur gratia, etiam quantum ad a-

(*a*) De Circumcisione apud Judæos usitata copiose commentatus est Moses Maimonides in Jad Chasaka seu in *Manu-forti* P. I. Lib. II. tract. 6., qui liber Argentorati prodiit in 4. an. 1661. cum versione latina Seb. Schmidii.

(*b*) Hinc apparet, quomodo S. Thomas paucis prædamnaverit errorem, quem Novatores nostrorum temporum postea suscitarunt, scilicet posse peccata nostra deleri sine gratiæ infusione. Vid. Tom. VI. nostrarum Prælect. P. II. Diss. II. cap. 3.

,, aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna, sed non quantum ad omnes effectus: quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis: quod etiam aliquando mihi visum est (in IV. Distinct. I. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3.). Sed diligenter consideranti apparet, hoc non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti (*a*)," His refutatis falsis opinionibus, ita demum suam doctrinam proponit Angelicus.

167. ,, Dicendum est, quod in Circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quam in Baptismo. Nam in Baptismo confertur gratia *ex virtute ipsius Baptismi*, quam habet, inquantum est instrumentum passionis Christi jam perfectæ (scilicet *ex opere operato*); in Circumcisione autem conferebatur gratia, *non ex virtute Circumcisionis*, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio: ita scilicet quod homo, qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur, se suscipere talem fidem: vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde Apostolus dicit Roman. IV., 11. quod *Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei*: quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex Circumcisione significante." Alii legunt: *non ex Circumcisione justificante*. Eademque habet Angelicus Lect. II. in c. IV. epist. ad Rom.

168. Hanc doctrinam ætate S. Thomæ *communiter omnes* probabant. Sed postea aliqui docere cœperunt, gratiam in Circumcisione ad delendum peccatum originale conferri virtute ejusdem circumcisionis, seu *ex opere operato*, non secus ac in Baptismo. Ita Scotus in IV. Dist. I. quæst. 6., quem Durandus Dist. I. quæst. 5., aliique secuti sunt, putantes soli Circumcisioni, utpote Sacramento Abrahamatico, non autem aliis Sacramentis Mosaicis, hanc virtutem producendi gratiam ex seipsis fuisse a Deo collatam. Hanc sententiam acriter impugnat Card. Bellarminus Lib. II. *De Sacram.* c. 13., ac seq., & quamvis S. Thomæ, & Thomistarum opinionem (quod gratia justificans in Circumcisione conferretur, quatenus fidei protestatio erat, & fidem in Chistum venturum applicabat) *probabiliorem* dicat, ita tam disputat, ut videatur contendere, nulla prorsus ratione fuisse Circumcisionem remedium contra peccatum originale. Bellarminum sectatur Honoratus Tournely T. VII. quæst. 3. art. 3., ubi fatetur, se ab Augustino, *salva, quæ ipsi debetur reverentia, recedere*. Nostra ergo nostrum S. Præceptorem, ejusque magistrum S. Augustinum reverentia dictat ab eorum doctrina nec vel latum unguem discedere. Propterea sit

PROPOSITIO.

Circumcisio fuit instituta ad delendum peccatum originale: non tamen illud delebat sua virtute, seu ex opere operato, sed prout signum erat externum protestativum fidei.

169. Prob. Prima pars ex ipsis verbis institutionis Gen. XVII., ubi quamvis expresse non dicatur, per eam expiari peccatum, & justificationis gratiam conferri, haud obscure tamen id insinuatur vers. 11., ubi dicitur: *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me, & vos .... eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*. Porro Deus pactum, & fœdus cum peccatoribus inire non potest; *quæ enim participatio*, inquit Apostolus 2. Corinth. VI. 14., *justitiæ cum iniquitate? ...... Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Abraham quidem, quando Dei mandato obtemperans seipsum præputio mutilavit, justus jam erat, sed idem dici non potest de infantibus ex ejus semine nasciturís, aut de gentilibus proselytis, qui per hanc Circumcisionis legem populo Dei consociabantur. Tacite ergo insinuatur, per Circumcisionem originale peccatum in pueris fuisse deletum, in adultis vero etiam peccata actualia; nisi dicere velimus, Circumcisionem non fuisse nisi signum civile, & politicum, quo Israeliticus populus distingueretur ab aliis, cum potius certum sit, eam simul etiam continuisse sacrum, & religiosum fœdus, quo Deus voluit populum a se prædilectum sibi sonsecrare, eumdem a peccatis mundando. Ulterius Circumcisionem non fuisse tantummodo signum civile, & politicum, sed etiam ritum religiosum, manifestum fit ex ea lege Exodi XII. 43., & seq.: *Hæc est religio Phase: omnis alienigena non comedat ex eo ... Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit &c.* Erat igitur ritus sacer, quo aditus aperiebatur ad reliqua Legis Mosaicæ Sacramenta, quorum unum, & præcipuum erat esus agni paschalis.

170. Prob. *secundo* eadem prima pars a S. Thoma laud. quæst. 70. art. 4. auctoritate S. Augustini, qui Lib. II. *De nuptiis, & concupiscentia* c. 11. *Ex quo*, inquit, *instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat signaculum justitiæ fidei*, i-

(*a*) Quæ verba postrema desumpta ex Ps. CXVIII. ita explicat S. Augustinus in fine Serm. XVII. in eumdem Ps. *Ut amplius diligat charitas legem Dei, quam diligit cupiditas millia auri, & argenti*. Unde quilibet conscientiam suam diligenter excutiens aliquatenus cognoscere poterit, an habeat in se charitatem Dei saltem in infimo gradu.

ita ad justificationem purgationis (sic legebat S. Thomas, sed Maurini legunt *ad significationem purgationis*) *valebat & in parvulis originalis*, *veterisque peccati*, *sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis*, *ex quo est institutus*. Quam doctrinam S. Pater multis aliis in locis ita constanter repetit, ut de ejus veritate certissimum se fuisse ostendat. Vid. in epist. CLXXXVII. ad Dardanum c. 11., ubi inquit: *Circumcisio antiquis Sanctis pro Baptismo fuisse creditur*. Et Lib. II. contra litteras Petiliani c. 72. *Certe*, inquit, *antiquus populus Dei circumcisionem pro Baptismo habebat;* nempe quantum ad remedium contra peccatum originale, quamvis quantum ad efficaciam operandi aliquod, magnum discrimen inter utrumque Sacramentum sit, ut postea duce Angelico ostendemus (*a*).

171. Neque vero peculiaris hæc fuit solius Augustini sententia, ut quidam nimis confidenter asserunt. Nam saltem post exortam hæresim Pelagianam, quæ dogmati transfusionis peccati originalis illustrando, & confirmando occasionem dedit, multi Sancti Patres, præcipue latini, omnesque fere Theologi Scholastici in Augustini sententiam manibus, pedibusque iverunt, statuentes, Circumcisione, tam in adultis, quam in parvulis fuisse peccatum originale expiatum; ut mox patebit. Inter veteres tamen pro eadem sententia non immerito laudatur S. Ambrosius, cujus Augustinus frequens fuit auditor. Hic enim in Lib. II. *De Abraham* c. 11. „ Egregie autem, *inquit*, infantiæ in primis vagitibus circumcidi mares lex „ jubet, etiam vernaculos; quia sicut ab infan„ tia peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nul„ lum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia „ nullum est culpæ vacuum ..... Non senex ergo „ proselytus, nec infans vernaculus excipitur, „ quia omnis ætas peccato obnoxia est, & ideo o„ mnis ætas Sacramento idonea (*b*) ".

172. Sed postea magnum Augustinum secuti sunt duo fidissimi ejus discipuli Prosper, & Fulgentius, auctor item incertus Lib. *De promissionibus*, & *prædictionibus Dei* in Append. Operum S. Prosperi; & auctor Lib. *De vocatione omnium gentium*, aliique passim.

173. Sed præ ceteris audiri meretur S. Gregorius Papa, qui Lib. IV. *Moralium* c. 3. inquit: *Quod apud nos valet aqua baptismatis*, *hoc egit apud veteres*, *vel pro parvulis sola fides*, *vel pro majoribus virtus Sacrificii*, *vel pro his*, *qui ex Abrahæ stirpe prodierunt*, *mysterium circumcisionis*. Quæ verba inveniuntur etiam in Decreto Gratiani P. III. *De Consecr.* Dist. IV. can. 5.

174. Accedit vener. Beda, qui in c. II. Lucæ Circumcisionem dicit *præcipue* significasse *donum remissionis*, *quod solveret a peccato prævaricationis Adæ*. Quod probat una cum S. Augustino ex illa comminatione: *Masculus*, *cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, *peribit anima illa de populo tuo*, *quia pactum meum irritum fecit*. Quam comminationem comparat cum illa Salvatoris nostri Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *& Spiritu sancto*, *non potest introire in regnum Dei*.

175.

(*a*) S. P. Augustinus ad hanc sententiam comprobandam utebatur etiam iis verbis Gen. XVII. 15., quæ ex greca LXX. Interpr. versione ita legebat: *Masculus*, *qui non circumcidetur carne præputii sui octavo die*, *interibit anima illa de genere suo*, *quia testamentum meum dissipavit*. Ex hoc textu plura S. Doctor colligebat: *primo* illatam legem non respicere adultos, sed infantes, propter illa verba: *Octavo die*: *secundo* illam interminationem: *interibit anima illa de genere suo*, significare mortem æternam: *tertio*, cum infantes non possent esse rei violatæ legis Circumcisionis, recte inferebat, eos non alia de causa morte æterna damnari, quam propter originale peccatum, quod sine circumcisione deleri non poterat; ea ferme ratione, qua in Lege nova pueri non baptizati damnantur, non propter violationem legis Baptismi, sed propter peccatum originis, quod sine Baptismo non tollitur. Hinc illa postrema verba: *Quia testamentum meum dissipavit*, non de pacto, vel testamento Abrahamitico intelligebat, sed de testamento primo, seu de pacto Adamitico, quod omnes homines in Adamo dissiparunt. Hæc est celebris illa expositio, qua S. Doctor contra Pelagianos ex Circumcisione probabat transfusionem peccati originalis, & ex qua eruitur, Circumcisionem fuisse datam Abrahamo, ejusque posteris in remedium peccati originalis. Ea pluribus in locis usus est S. Pater, sed præcipue Lib. XVI. *De Civ. Dei* cap. 27.: quamvis ibidem permittit, illa verba: *quia testamentum meum dissipavit*, posse etiam referri ad testamentum Abrahamiticum, dummodo animadvertatur, animam parvuli incircumcisi juste interire non posse, *nisi originalis obligatione peccati*.

Nos hac magni Augustini ratione usi non sumus, *primo* quia S. Thomas studiosissimus S. Doctoris discipulus, eamdem nunquam adhibuit; nec etiam iis verbis: *Masculus*, *cujus præputii caro* &c. usus est, ut ostenderet, Circumcisionem fuisse datam ad delendum peccatum originis. *Secundo*, quia expositio S. Augustini deducta ex græco fonte multis, & non levibus obnoxia est difficultatibus, quæ longiorem sermonem exigerent. Veruntamen si quis eas multa eruditione solutas, & S. Augustini doctrinam apprime vindicatam videre cupit, adeat doctissimum P. Jo. Laur. Berti Lib. XXX. *De Theol. Discipl.* c. 4.

(*b*) Video laudari inter eos veteres, qui ante S. Augustinum docuerunt, circumcisione deletum fuisse peccatum originale, Isychium, seu Hesychium Jerosolymitanum, qui in fine Libri III. in Leviticum (Tom. XII. Biblioth. maximæ SS. PP. Lugd. pag. 98.) scribit, infantem incircumcisum perire debuisse de populo, *quia ante circumcisionem abominabilem habet carnem*, *& immundam .... Mundatur autem per circumcisionem*, *quæ imaginem gerit resurrectionis mortuorum*. Sed fatendum est, incertam esse hujus Scriptoris ætatem. Hos libros latine scriptos fuisse apparet, quia in ipsis communiter adhibetur latina versio Scripturæ sacræ a S. Hieronymo adornata, quæ nonnisi post S. Gregorium M. in usu esse cœpit. Vid. Rem. Ceillier *De auctor. eccels.* Tom. XVII. cap. 20.; item Phil. Labbeus Tom. I. in Bellarm. *De Scriptoribus ecclesiasticis*.

175. Accedit item S. Bernardus sanct. Patrum postremus, qui non uno in loco eandem doctrinam amplexus est, præcipue Serm. I. *De cœna Domini*, ubi loquens de gratia Baptismi, *quæ est purgatio peccatorum*, *hujus quidem gratiæ Sacramentum*, inquit, *prius erat Circumcisio*, *ut originalis rubiginem culpæ*, *quæ manaverat a parentibus primis*, *cultellus eraderet*.

176. Demum, ne longiores simus, sufficiat oraculum Innocentii III., qui in c. *Majores* extra. de Baptismo L. III. tit. 4. *Baptisma*, ait, *successit Circumcisioni .... Sicut sine distinctione quælibet Mosaica lex clamabat: Anima*, *cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, *peribit de populo suo; ita nunc indistincta intonat vox evangelica: Nisi quis renatus fuerit*, *&c.* Addit postea aliquod discrimen inter circumcisionem, & Baptismum, nimirum, quod *etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium*, *& damnationis periculum vitabatur*, *non tamen perveniebatur ad regnum cœlorum*, *quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: sed per Sacramentum Baptismi Christi Sanguine rubricati culpa remittitur*, *vitatur periculum*, *& ad regnum cœlorum etiam pervenitur*.

177. Ex his autem, aliisque momentis, quæ ne justo prolixiores simus, prætermittimus, manifestum fit, Circumcisionem stirpi Abrahamiticæ, non tantum in tesseram, & distinctionem datam fuisse, sed etiam in remedium contra peccatum originale, quo solo infantes octo dierum polluti erant.

178. Nunc autem probanda est *secunda* nostræ propositionis pars, scilicet circumcisione fuisse deletum peccatum, non ex *opere operato*, seu virtute ipsius Circumcisionis, sed *ex opere operantis*, prout Circumcisio erat quoddam externum signum protestativum fidei in venturum Messiam.

179. Hac doctrinam expresse tradit S. Thomas loco superius num. 167. allato, ubi tacite revocat, quod junior docuerat in Lib. IV. *Sent.* Dist. 1. qu. 2. artic. 4. quæstiunc. 2. dicens: ,, Peccatum, quod ,, ex alio contrahitur, conveniens est, ut per a- ,, lium tollatur: & ideo in quolibet statu post peccatum fuit aliquod remedium, per quod origi- ,, nale peccatum ex virtute passionis Christi tol- ,, leretur. Et iterum, quia non poterat puer na- ,, tus, antequam haberet usum liberi arbitrii, se ,, ad gratiam præparare, ne omnino sine religione ,, relinqueretur, oportuit aliquod remedium dari, ,, quod *ex ipso opere operato* peccatum aboleret, ,, & tale remedium fuit Circumcisio. Et ideo ab ,, omnibus conceditur, quod peccatum auferebat, ,, sicut signabat ablutionem, *& in hoc cum Sa-* ,, *cramentis novæ legis quodammodo convenie-* ,, *bat*, *quia efficiebat hoc*, *quod figurabat* ".

180. Prob. autem hæc secundæ nostræ propositionis pars omnibus iis argumentis, quibus supra cap. præc. ostendimus, vetera Sacramenta non contulisse gratiam ex indita ipsis efficacia, seu *ex opere operato*, sed tantummodo ex fide operantis. Si enim de omnibus veteris legis Sacramentis id verum est, idipsum affirmari etiam debet de Circumcisione, quæ erat unum ex eorumdem numero. Et sicut remedium ad liberandos infantes a peccato originali ante datam Circumcisionem erat aliquod signum externum *protestativum fidei* in venturum Messiam, ut supra n. 52. & seq. probatum est, ita etiam per Circumcisionem culpa originalis in iisdem infantibus delebatur, ut inquit Angelicus, *non ex virtute Circumcisionis*, *sed ex virtute fidei passionis Christi*, *cujus signum erat Circumcisio: ita scilicet quod homo*, *qui accipiebat Circumcisionem*, *profitebatur*, *se suscipere talem fidem*, *vel adultus pro se*, *vel alius pro parvulis*.

181. Et de Circumcisione peculiariter dicit Apostolus Rom. IV. 11. Abraham accepisse *signum Circumcisionis*, *signaculum justitiæ fidei*; quia, inquit Angelicus, hæc verba commentans, *Circumcisio non erat causa justitiæ*, *sed signum:* effectum autem fidei dicit esse *remotionem culpæ*, *quæ signatur per remotionem superfluæ pelliculæ*. Et postquam varias opiniones Theologorum sui ævi de effectu Circumcisionis refutavit, ita demum concludit: ,, Circumcisio ex ipso opere operato non ,, habebat virtutem effectivam, neque quantum ad ,, remotionem culpæ, neque quantum ad operatio- ,, nem justitiæ, sed erat solum justitiæ signum, ,, ut hic Apostolus dicit: sed per fidem Christi, cu- ,, jus circumcisio signum erat, auferebatur pecca- ,, tum originale, & conferebatur auxilium gratiæ ,, ad recte agendum ".

182. Atque cum hac Angelici nostri Præceptoris doctrina facile conciliantur, quæ sibi opposita videntur Sanctorum Patrum dicta; quorum aliqui, ut jam vidimus, præcipue post S. Augustinum, aperte docent, Circumcisionem fuisse institutam ad delendum peccatum originale; alii vero, ut mox videbimus, id omnino negant. Conciliantur, inquam, dicendo cum S. Thoma, in Circumcisione fuisse vere ablatum peccatum originale, non tamen virtute ipsius Circumcisionis, seu *ex opere operato*, sed ex fide, cujus signum protestativum erat ipsa Circumcisio. Ut autem id magis pateat, proponenda, & solvenda est prima, & potissima objectio contra primam partem.

183. Ob. *primo*. Tam in sacris litteris, quam ex Sanctis Patribus unica Circumcisionis causa hæc affertur; ut populus Judaicus a ceteris quibuscumque nationibus distingueretur. Vid. sup. num. 131. & seq. Et ne dicatur, Patres non esse intelligendos in sensu exclusivo, quasi scilicet voluerint, Circumcisionem datam quidem fuisse in tesseram distinctionis, attamen una simul etiam in remissionem peccati originalis; ne, inquam hoc dicatur, nonnulla afferuntur Patrum testimonia, quæ intelligi non possunt, nisi in sensu exclusivo. S. Justinus in Dial. cum Tryphone *Abraham*, inquit, *Circumcisionem accepit in signum*, *non ad justitiam*; quod postea ostendit ex eo, quod *genus* mu-

muliebre Circumcisionis carnalis capax non est. *Secundo* S. Iræneus Lib. IV. c. 16. *Circumcisionem*, inquit, *non quasi justitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ*. *Tertio* S. Jo. Chrysostomus Hom. XXVII. in Gen. legem Circumcisionis statutam dicit, *non quod ad animæ salutem perficere hæc possit aliquid; sed ut hoc grati animi indicium, quasi signum, & sigillum circumferrent Judæi, & ne liceret eis commisceri gentium congressibus*. *Quarto* Tertullianus Lib. cont. Judæos c. 5. *Si Circumcisio*, inquit, *purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcidit; vel postquam deliquit, si purgat Circumcisio?* Denique S. Ambrosius epist. LXXIV. ad Irenæum *Signum*, inquit, *Circumcisio corporalis, veritas autem Circumcisio spiritualis*.

184. His addi possunt etiam duo doctissimi Hebræi, Philo, & Josephus Flavius; quorum prior omnes Circumcisionis effectus numerans in brevi Tract. *De Circumcisione*, nihil prorsus indicat de peccati deletione. Alter vero Lib. I. *Antiquit.* cap. 10., ut vidimus sup. num. 132. unicam Circumcisionis causam assignat, populi Abrahamitici distinctionem. Moderni etiam Rabbini, qui originale peccatum non agnoscunt, non possunt doctrinæ nostræ adscribere. Immo R. Menasse ben-Israel Lib. II. *De resurrect. Mort.* cap. 12. infantes sine Circumcisione mortuos quadam beatitudine perfrui docet, quod etiam traditur in Talmud Tract. *Sanedrin.* c. 11.; quod nunquam Rabbini asseruissent, si Circumcisio fuisset necessaria ad peccatum originale delendum.

185. Resp., quantum ad sacras litteras, sin minus *explicite*, saltem *implicite* indicari, gratiam, quæ eis conferebatur, qui cum debita fide circumcidebantur, quia fœdus, quod Deus cum Abraham, ejusque posteris per amputationem præputii sanciebat, non erat mere carnale, & politicum, sed religiosum, & sanctum: erat fœdus, quod promittebat Circumcisis benedictiones, non solum terrenas, sed etiam cælestes. *Statuam*, inquit Deus Abraham vers. 7., *pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*. En quale est pactum, quod Deus cum Abraham, ejusque posteris per Circumcisionem inibat; ut nempe essent veri ipsius cultores, & ab omni idololatrica superstitione prorsus alieni. Hoc uberius declarat S. Paulus Rom. IX. 7. seq.; postquam enim dixisset, non omnes, qui semen sunt Abrahæ, esse filios, subdit: *Idest, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*. Semen ergo Abrahæ, cum quo Deus fœdus sancivit, est populus sanctus. Præterea in ipsa Circumcisione haud obscure significabatur futura carnalis generatio Messiæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes, ea utique benedictione, qua ab omni culpa liberarentur. Unde fides futuri liberatoris in eadem Circumcisione continebatur: quamobrem ab Apostolo Roman. IV. 11. Circumcisio vocatur *signaculum justitiæ fidei*.

186. Dices. S. Paulus Rom. III. & IV., item ad Gal. VI., & alibi Circumcisionem nihil ad justitiam profuisse pluribus ostendit, totamque ejusdem utilitatem in hoc constituit, quod populo circumciso *credita sunt eloquia Dei* Roman. III. 1. & seq., designans nempe divinas Scripturas solis Hebræis concreditas. Nihil autem S. Paulus hoc loco, qui certe erat omnium opportunissimus, de utilitate Circumcisionis ad remissionem peccatorum profert.

187. Resp. *primo*, generaliter S. Paulum ad reprimendam Judæorum superbiam, qui ceteris se præferebant propter prærogativam Circumcisionis, recte, & sæpe docuisse, Circumcisionem per se nihil valuisse sine fide in venturum Messiam, unde tota ejus virtus pendebat. *Secundo*, quando ad Rom. III. 1. quærit: *Quid ergo amplius Judæo est; aut quæ utilitas Circumcisionis?* duas quæstiones movet; ibi autem non respondet nisi primæ, quid scilicet amplius Judæo esset? Et dicit, *multum per omnem modum*, quamvis postea nonnisi unam, eamque præcipuam Judæorum prærogativam recenseat, quod scilicet *iis credita sint eloquia Dei*. Alteri deinceps quæstioni respondet Paulus c. seq. eadem repetens iis verbis: *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?* idest *secundum Circumcisionem carnalem*, ut S. Thomas explicat (*a*). Respondet autem vers. 10. & seq. Abraham fuisse justificatum ex fide, antequam Circumcisionem reciperet (quomodo Cornelius justificatus fuit prius ex fide in Jesum Christum, & postea *accessit Sacramentum regenerationis in lavacro baptismi*, ut loquitur S. Augustinus Lib. IV. *de Bapt.* contra Donatistas cap. 24.) Ex quo autem Abraham non fuerit justificatus per Circumcisionem, & tantummodo acceperit *signaculum*, seu sigillum *justitiæ fidei*, non sequitur quod alii non justificarentur; sed solum, ut inquit S. Thomas hunc locum commentans, quod Circumcisio *ex ipso opere operato* non haberet virtutem effectivam, neque quantum ad remotionem culpæ, neque quantum ad operationem justitiæ: *Sed per fidem Christi, cujus Circumcisio signum erat, auferebatur peccatum originale, & conferebatur auxilium gratiæ ad recte agendum*.

188. Quantum vero ad Patres attinet, *primo* certum est, eos qui videntur asserere, Circumcisionem fuisse datam *solummodo* ad populum Israeliti-

(*a*) Quamvis alii illud *secundum carnem* referunt ad priora verba: *patrem nostrum secundum carnem*; sed parva hæc est differentia, cum certum sit, Apostolum sibi respondere quæstioni antea motæ: *quæ utilitas Circumcisionis?*

litionem discernendum ab aliis, non posse intelligi presse, & omnino in sensu exclusivo: alias excluderentur multa alia beneficia, a Deo in Circumcisione collata. *Ulterius*, si hæc fuisset unica Circumcisionis ratio, quando postea Circumcisio facta est Ægyptiis, aliisque populis gentilibus communis, jam omnis hujus sacræ cæremoniæ finis cessasset; & multo magis hodie cessare deberet apud Hebræos, qui in Orientalibus partibus vivunt, cum populosissima, & latissime extensa Turcarum natio eodem ritu utatur. *Tertio*, cum alii Patres bene multi non solum dicant, Circumcisionem fuisse ritum sacrum ad Dei cultum pertinentem, sed etiam primarium Mosaicæ legis Sacramentum, quo per fidem homines justificabantur, istorum testimonia, utpote affirmativa, aliis negativis præponenda sunt. Demum aliorum testimonia facile possunt explicari de Circumcisione facta sine fide, quæ utique ad remedium peccati originalis inutilis erat; sicuti inutilis est ad justificationem Baptismus, si absque debitis internis dispositionibus fiat externa tantum aquæ ablutio.

189. Quod si duo doctissimi Judæi Philo, & Josephus nullam gratiæ in hoc Sacramento collatæ mentionem fecerunt, mirandum non est. *Primus* enim cum Circumcisionis defensionem non apud suos, sed apud Gentiles suscepisset, omnes eas causas allegavit, quæ hunc ritum non esse ab ipsis Gentilibus contemnendum probare poterant, sacras, & veras reticuit; ita ut aliquibus visus sit Circumcisionis, non Judaicæ, sed Ægyptiacæ apologiam adornasse. Josephus pariter ut historiam suam Romanis, quibus serviebat, probabilem redderet, a Mosaica veritate non semel recessit, & multa studiose reticuit. Sic veram Circumcisionis originem sub Patriarcha Abrahamo silentio pressit, eamdemque Circumcisionem solum ut legem Mosaicam commemoravit, cum tamen ignorare minime posset, eam 400. & amplius annis fuisse ante Moysem a Deo institutam.

190. Multoque minus mirandum est, posteriores Rabbinos non cognoscere gratiam justificationis, quæ olim in Circumcisione conferebatur; quandoquidem etiam ipsum originale peccatum stupenda cæcitate passim ignorant, aut non credunt. Vid. quæ hac de re dicta sunt in Tom. IV. Diss. 3. cap. 3. n. 73.

191. Dices cum Tournelio, S. Augustinum a communi Sanct. Patrum doctrina *primum* recessisse, *a cujus propterea sententia*, *salva*, *quæ ipsi debetur*, *reverentia*, *recedere nobis fas est*.

192. Resp., non ab omnibus concedi, *primum* omnium ex sanctis Patribus Augustinum docuisse in Circumcisione peccatum originale fuisse expiatum. Deinde, etiamsi hoc verum esset, mirabile videri non debere, cum primus omnium debuerit profundum illud peccato Originalis dogma contra recens exortam hæresim Pelagianam confirmare, illustrare, ac vindicare, quod tanta, ac tam mirabili doctrinæ, argumentorumque copia ita feliciter perfecit, ut eum postea, tanquam ducem, & invictum Pelagianæ impietatis debellatorem alii, Patres, & Theologi magno consensu sibi delegerint. Quamobrem Tournelius licentiam petens recedendi ab Augustini doctrina, facile videre debuisset, se una simul licentiam petere recedendi a doctrina Prosperi, Fulgentii, Gregorii Magni, Ven. Bedæ, Bernardi, atque ipsius Summi Pontificis Innocenti III., qui omnes Augustinum ut magistrum secuti sunt. Ulterius recedendi a doctrina Petri Lombardi, Sanct. Thomæ, & Bonaventuræ, Scoti, aliorumque catholicarum scholarum Principum, qui omnes *communiter*, teste S. Thoma num. 164. docuerunt, in Circumcisione deleri peccatum originale. *Salva* igitur *reverentia* fas erit a tam magno, & tam venerando Patrum, & Theologorum choro recedere? Si unice contendat adversarius, hoc *fas esse*, hoc est, sine hæresis nota, libenter assentimur, cum nullum hactenus prodierit solemne Ecclesiæ, aut Rom. Pontificis oraculum; sed patienter ferri non potest consueta illa dicendi formula: *Salva*, *quæ debetur S. Augustino reventia &c.*, qua ii soli utuntur, qui, quoad possunt, tanti Doctoris auctoritatem imminutam cuperent. Recolantur, quæ Tom. VI. Dissert. V. c. 1. de Augustini auctoritate disputata sunt.

193. Ob. secundo ex ratione. Si Circumcisio fuisset in remedium originalis noxæ instituta, *primo* debuisset esse communis masculis, & feminis; erat autem solum pro maribus instituta: *secundo* pueris ante octavum diem periclitantibus dari oportuisset; quod tamen non fiebat: *tertio* nullo unquam tempore prætermitti debuisset; scimus autem, fuisse prætermissam totis illis 40. annis, quibus populus Israeliticus in deserto erravit, quo tempore innumeros natos esse pueros, certum est.

194. Resp., non ita nos asserere, Circumcisionem fuisse institutam in remedium peccati originalis, quasi ante ipsam nullum fuerit ad hoc peccatum delendum institutum remedium (Vid. quæ ex S. Augustino supra diximus de Sacram. legis naturæ num. 52. & seq.). Illo igitur Sacramento, quodcumque fuerit, utebantur Hebræi, & pro feminis, & pro infantibus, qui ante octavum diem peribant (a).

195. Tertium ita diluit S. Thomas laud. quæst.

70.

(a) Cur Deus non subdiderit feminas austeræ Circumcisionis legi, certa ratio afferri non potest. Communiter tamen dicitur, Deum pepercisse femineo sexui, quia multis aliis incommodis obnoxius est; noluisse autem parvulos ante octavum diem circumcidi, ne in ætate minus solida eorum vita periclitaretur. Hinc etiam ostenditur, non potuisse Circumcisionem præveniri propter periculum mortis, quia vulnus sectionis sine dubio illud periculum auxisset. Dubitandum autem non est, Deum infinite misericordem tam feminarum, quam infantium saluti æternæ aliquo remedio prospexisse; quamvis *quod illud esset*, *aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit*, ut inquit Augustinus Lib. V. cont. Jul. cap. 11.

70. art. 4. ad 3.: „ Populus in deserto prætermittens mandatum Circumcisionis excusabatur, tum quia nesciebat, quando castra movenda erant, tum quia, ut Damascenus dicit Lib. IV. *De fide orthod.* cap. 26., non necesse erat, eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsim ab aliis populis habitabant: & tamen, ut Augustinus dicit Quæst. in Josue, inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant. Videtur tamen, quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto, quia ut in Ps. CIV. dicitur, *non erat in tribubus eorum infirmus*; sed illi videntur mortui in deserto, qui fuerant in Ægypto circumcisi. Si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his, ut de illis, qui moriebantur ante Circumcisionis institutionem: quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octavam diem tempore legis. "

196. Ob. contra secundam partem. Testimonia allata ex S. Augustino, S. Gregorio, Beda, Bernardo, & Innocentio III., quibus supra n. 170. & seq. probavimus, Circumcisionem fuisse institutam in remedium peccati originalis, si quid valent, ea valent etiam, ut evincant, id factum fuisse *ex opere operato*; præcipue quia laudati Patres utuntur exemplo Baptismi, in quo infunditur gratia sanctificans ex ejusdem Sacramenti virtute, tamquam ex causa instrumentali passionis Christi: ergo &c.

197. Resp. neg. maj.; tum quia S. Augustini fidelis interpres, & discipulus S. Thomas contrarium apertissime docet; tum etiam quia idem S. Pater aliis in locis virtutem producendi in nobis gratiam justificantem solis Sacramentis novæ legis tribuit, non autem Sacramentis veteris testamenti. *Alia*, inquit Enarrat. in Ps. LXXIII., *sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem &c.* Vide supra num 86. Et præterea insignis est locus ejusdem S. Patris Lib. II. *De nuptiis, & Concupisc.* cap. 21. ubi inquit: „ Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ita *ad significationem purgationis valebat* & in parvulis originalis, veterisque peccati, sicut & Baptismus ex illo *valere cœpit ad innovationem hominis*, ex quo est institutus. " Ubi aperte Circumcisioni tribuit *significationem justitiæ fidei*; Baptismo autem *innovationem hominis*. Postea loquens de fide, qua justificatus fuit Abraham, ita prosequitur: *Eadem fides Mediatoris justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis, non vetus testamentum, quod in servitutem generat &c.* Agnovit ergo S. Augustinus, & cum eo agnoverunt alii Patres discrimen inter Sacramenta novæ, & antiquæ legis &c.

198. Obj. *secundo*. Sacramenta conferre gratiam *ex opere operato* nihil est aliud, quam eam conferre, non propter opera meritoria, quæ sive a ministris, sive a suscipientibus exercentur, sed propter virtutem ipsis Sacramentis a Deo institutione inditam; atqui hujusmodi erat Circumcisionis effectus, scilicet a ministris, æque ac a suscipientibus independens; infantes enim erant cujuscumque meriti incapaces; ministri autem fides necessaria non erat, saltem *formata*, ut docet S. Thom. in IV. Dist. I. q. 2. art. 6. ad 3.; ergo &c.

199. Resp. cum S. Thoma 3. P. qu. 70. art. 4. ad consequendam remissionem peccati originalis fuisse necessariam fidem; in adultis quidem propriam, in parvulis autem fidem parentum, vel ministrorum. *In Baptismo*, inquit S. Doctor, *confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, quam habet, inquantum est instrumentum passionis Christi jam perfectæ; in Circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio: ita scilicet quod homo, qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis.* Et in resp. ad 2. *Sicut*, inquit, *ante institutionem Circumcisionis, sola fides Christi futuri justificabat tam pueros, quam adultos, ita etiam Circumcisione data.* Hinc sequitur, in Circumcisione non fuisse collatam gratiam *ex opere operato*, quemadmodum confertur in Baptismo ad cujus valorem non requiritur fides, ut inferius docebitur.

Quæres, *utrum in Circumcisione adultorum expiarentur etiam peccata actualia?*

200. Resp. S. Thomas laud. q. 70. art. 4. ad 5.; *quod adulti, quando circumcidebantur, consequebantur remissionem non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum: non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu pœnæ, sicut in Baptismo, in quo confertur copiosior gratia.* Hoc idem docuerat Petrus Lombardus in Lib. IV. *Sentent.* Dist. I. ubi postquam Augustini, & Bedæ testimonia attulisset, ita concludit: *Hoc aperte traditur, per Circumcisionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis, & actualis, parvulis, & majoribus a Deo præstitam, sicut nunc per baptismum datur.* Angelicus autem hunc locum commentans qu. 2. art. 4. *Circumcisio*, inquit, *directe contra originale ordinata fuit; sed ex consequenti etiam actuale tollebat, ubi inveniebat. Sed tamen Sancti de hoc non loquuntur, quia ad hoc non erat Circumcisio principaliter instituta.*

Hactenus de Circumcisione, & Sacramentis veteris testamenti. Nunc sermonem nostrum convertimus ad Sacramenta novæ legis, quorum necessitatem, numerum, auctorem, partes essentiales, investigare debemus.

CAPUT VI.

De necessitate Sacramentorum in novo testamento ad hominum salutem.

201. Meminisse oportet eorum, quæ supra nu. 22. diximus, scilicet non hic agi de vera, & propria necessitate, qua Deus debuerit instituere Sacramenta ad nostram salutem; cum nemo dubitet, Deum etiam sine Sacramentis posse remittere peccata; ut mulieri peccatrici remisit Lucæ VII. 47. homines simul in vera religione coadunare, sanctificare, atque ad æternam, beatamque vitam feliciter perducere (*a*). Agitur ergo solum de quadam congruentia, seu late sumpta necessitate, de qua disserit S. Thomas 3. P. q. 61. art. 4.; ad cujus mentem sit

PROPOSITIO

Conveniens fuit, ut Christus Dominus abolitis veteribus Sacramentis nova institueret.

202. Hanc autem propositionem Angelicus *primo* probat auctoritate S. Augustini, qui Lib. XIX. *contra Faustum* c. 13. *Prima Sacramenta*, inquit, *quæ observabantur, & celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi; quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; & ideo ablata, quia impleta: & alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

203. Deinde addit hanc theologicam rationem: „ Sicut antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos salvamur per fidem Christi jam nati, & passi. Sunt autem Sacramenta „ quædam signa protestantia fidem, qua justificatur homo. Oportet autem aliis signis significari „ futura, præterita, & præsentia. Ut enim Augustinus dicit XIX. contra Faustum cap. 16., „ *eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta; sicut ipsa verba* passurus, & passus *non similiter sonant*. Et ideo oportet, quædam alia Sacramenta esse in nova lege, quibus significentur ea, quæ præcesserunt in Christo, præter Sacramenta veteris legis, quibus prænuntiabantur futura ".

204. Respectu autem hominum veram quorumdam Sacramentorum necessitatem Patres Tridentinæ Synodi Sess. VII. in Procemio decreti de Sacramentis inquientes, consentaneum sibi visum esse, *de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Et can. 4. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* Quibus verbis diserte asseritur, supposita Sacramentorum institutione, horum aliqua esse nobis omnino necessaria. Et quidem duo, scilicet Baptismus omnibus, & Pœnitentia iis, qui post Baptimum in peccata lethalia lapsi sunt, dicuntur necessaria *necessitate medii*, ut sine illis aut actu, aut saltem in voto susceptis homines justificari, & salvari nequeant; alia vero tria, Confirmationis, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis sunt necessaria, tantum necessitate præcepti: demum reliqua duo Ordinis, & Matrimonii sunt libera, quia hæc non pro singulis hominibus instituta sunt; sed Ordo pro Ecclesiasticis muniis, quæ debent esse in societate Christiana; Matrimonium vero in officium naturæ ad licitam humani generis propagationem.

205. Obj. *primo*. Sacramenta sunt quædam signa corporea invisibilis gratiæ spiritualis; sed adveniente veritate debent signa, & figuræ cessare: postquam ergo *gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*, ut dicitur Jo. I. 27., Sacramenta nulla esse debent.

206. Resp. Angelicus laud. art. 4. qu. 61. ad 1. „ quod sicut Dionysius dicit in V. cap. *Eccl. Hier.* „ status novæ legis medius est inter statum veteris legis, cujus figuræ implentur in novà lege, „ & inter statum gloriæ, in qua omnis nude, & „ perfecte manifestabitur veritas: & ideo tunc nulla erunt Sacramenta; nunc autem, quamdiu „ *per speculum, & in ænigmate* cognoscimus, „ ut dicitur 1. ad Corinth. XIII., oportet nos per „ aliqua sensibilia signa in spiritualia devenire; „ quod pertinet ad rationem Sacramentorum ".

207. Obj. *secundo*. Sacramenta consistunt in quibusdam elementis; atqui Apostolus non vult nos in statu legis gratiæ esse sub elementis; inquit enim ad Gal. IV. 3.: *Cum essemus parvuli* (nempe in veteri lege) *sub elementis mundi eramus servientes; at ubi venit plenitudo temporis &c.* ergo &c.

208. Resp. Angelicus, Apostolum ibi indicare Sacramenta veteris legis, quæ vers. 9. vocat *infirma, & egena elementa*, quia gratiam nec continebant, nec causabant. „ Et ideo utentes illis „ Sacramentis dicit Apostolus, sub elementis mundi Deo servisse, quia scilicet nihil aliud erant, „ quam elementa hujus mundi. Nostra autem Sacramenta gratiam continent, & causant; & ideo „ non est de eis similis ratio ".

209. Obj. *tertio*. Si Deus abrogatis veteris legis

(*a*) S. Thomas in IV. Dist. I. qu. 1. art. 2. declarat, Sacramenta non fuisse necessaria *necessitate absoluta; cum ex sola divina bonitate instituta sint; sed necessitate, quæ est ex suppositione finis. Non ita tamen, quod sine his Deus homines sanare non posset, quia Sacramentis virtutem suam non alligavit.*

gis Sacramentis nova instituisset; alicujus mutationis accusari posset.

210. Respondet S. Thomas ad 3. „ quod sicut „ Paterfamilias non ex hoc habere monstratur mutabilem voluntatem, quod diversa præcepta familiæ suæ proponit pro temporum varietate, „ non eadem præcipiens hyeme, & æstate, ita „ non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum „ ex hoc, quod alia Sacramenta instituit post Christi adventum, & alia tempore legis: quia illa „ fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ: hæc autem sunt congrua gratiæ præsentialiter demonstrandæ ".

211. Obj. *quarto*. Christus Dominus Matt. XIX. 17. homini interroganti, quid factu opus esset, ut vitam haberet æternam, respondit: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*; quæ ibi enumerat, nulla facta Sacramentorum mentione.

212. Resp. quanquam eo in loco Sacramentorum usus inter mandata observanda non memoretur, memoratur tamen tot aliis in locis, ut ineptum plane sit de hoc dubitare. Marci ult. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Jo. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis &c.* Addo, ipsa legis naturalis præcepta non posse sine divinæ gratiæ auxilio, ut oportet, servari; hæc autem gratia nobis potissimum per Sacramenta a Deo conceditur. Quamobrem Patres Tridentini recte dicebant, per Sacramenta *veram justitiam vel incipere, vel cœptam augeri, vel amissam reparari*.

213. Obj. *quinto*. Christiana Religio debet tota esse spiritualis, dicente Christo Jo. IV. 23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate:* non ergo in ea debent esse Sacramenta, quæ partim sint spiritualia, & partim corporea.

214. Resp., hoc dictum fuisse a Jesu Christo, non ad excludenda a sua Religione Sacramenta, sed primo ad excludendas cæremonias carnales Judæorum, quæ umbræ erant futurorum; unde dicit: *In spiritu*; secundo etiam ad excludendos superstitiosos Gentilium ritus; propterea subdit: *& veritate*. Ceterum bene admonet S. Thomas 2. 2. qu. 84. art. 2. ad 1., *quod etiam adoratio corporalis in spiritu fit, inquantum ex spirituali devotione procedit, & ad eam ordinatur*.

CAPUT VII.

De numero Sacramentorum novæ legis.

215. Lutherus, ejusque asseclæ solita Novatorum inconstantia in numero Sacramentorum determinando sæpe variantur. Aliquanto minus inconstantes visi sunt Calviniani (*a*). Sed modo simul omnes conspirare videntur in duobus solis admittendis, videlicet Baptismo, & Sacra cœna. Fatendum est, etiam veteres quosdam Catholicos inter se non omnino consensisse de numero Sacramentorum, quanquam nonnisi pauci a communi omnium sententia discrepabant, quæ septem novi Test. vera Sacramenta numerabat (*b*). Modo vero nemo unus Catholicorum dissentire potest, postquam sacrosancta Tridentina Synodus Sess. VII. can. 1. definivit septem omnino esse Sacramenta a Christo Domino instituta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium.

PROPOSITIO I.

Septem sunt novæ legis Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, & Extrema Unctio.

216. Singulas hujus propositionis partes probaturi sumus, quando de singulis Sacramentis agetur. Modo solum generaliter eamdem ostendemus unico, sed invictissimo argumento ex *præscriptione* ducto; ex eo scilicet quod omnes, quotquot in orbe terrarum modo sunt, Christianæ Communiones,

(*a*) Lutherus semper varius, & incertus in sua nova doctrina, modo unum Sacramentum admisit; & tria *Sacramentalia*, ut in Lib. *De Captiv. Babylonica*; modo duo, scilicet Baptismum, & Panem, rejecta Pœnitentia, quam prius admiserat. Immo etiam addidit, se non hoc dicere, *quod damnet septem Sacramenta, quod e Scripturis ea probari neget*. In *Apologia* Confessionis Augustanæ Phil. Melanchton. tria agnovit vera Sacramenta, Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam; postea addidit etiam Ordinem. Immo observante Jac. Ben. Bossueto Lib. III. *Variat.* num. 48., hæc *Apologia* non multum a doctrina Ecclesiæ circa numerum Sacramentorum abhorret. Calvinus magis in suis erroribus constans fuisse videtur; nam Lib. IV. *Institut. Christ. Relig.* cap. 19. operæ pretium se facturum dicit, si convellat *illam de septem Sacramentis opinionem, omnium fere sermone tritam, scholasque, & conciones omnes pervagatam, & quæ vetustate ipsa radices egit*. Solis ergo Baptismi, & Eucharistiæ Sacramentis contentos nos esse vult; & quamvis postea n. 28. Presbyterii munus loco Sacramentorum se libenter habere testetur, non vult tamen *tertium* Sacramentum dici, quia *non ordinarium, nec commune est apud omnes fideles*. Sed hac de causa, ut mihi videtur, potuisset Calvinus etiam Eucharistiam e numero Sacramentorum expungere, quia parvulis Baptizatis communis non est.

(*b*) Negari non potest, fuisse hac in parte erratum etiam a quibusdam Catholicis, qui ante Concilium Tridentinum scripserunt. Nam Durandus in IV. Dist. 26. quæst. 3. putat, Matrimonium nonnisi *æquivoce* dici posse Sacramentum. Alexander Alensis P. IV. *Summæ* quæst. 24. art. 1. Confirmationem vult fuisse in quodam Concilio Meldensi primo institutam. Hoc idem Sacramentum neque a Christo, neque ab Apostolis traditum esse scripsit etiam S. Bonaventura in IV. Dist. VII. art. 1. qu. 1. Sed istis paucis parcendum est, quod multo ante duo Concilia generalia Florentinum, & Tridentinum vixerint.

nes, etiam hæreticæ, & schismaticæ, nobiscum conveniunt in hoc septenario Sacramentorum numero; ut proinde Novatores, qui Sæc. XVI. ab Ecclesia Romana discesserunt, in hac parte etiam a doctrina omnium Christianarum Communionum recesserint, ac soli inveniantur catholici dogmatis hostes, & impugnatores.

217. Ut autem hujus argumenti tota vis percipiatur, præ oculis habendum est illud Tertulliani principium *De Præscr. Hæret.*: *Quod apud omnes unum invenitur, non est erratum, sed traditum*; tum illud simile S. Augustini Lib. IV. contra Donatistas cap. 24. T. IX.: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*. Jam vero in hoc septenario Sacramentorum numero confitendo omnes Christiani nominis nationes, quamvis locis inter se disjunctas, moribus, & linguis diversas, atque in pluribus aliis articulis sibi ipsis contrarias semper convenisse, ita demonstratur.

218. *Primo*. Quando semel, iterum, & tertio actum est de extinctione illius teterrimi schismatis, quo Ecclesia græca a Romana omnium matre infeliciter separata erat, numquam de numero Sacramentorum disputatum fuisse legimus. Photius, Mich. Cerularius, eorumque schismatis pertinacissimi defensores omnia etiam minutiora dissensionum capita exposuerunt, & quantum poterant, exaggerarunt: nullibi tamen aliquod vestigium reperire est accusationis circa numerum Sacramentorum, vel in Barensi, vel in Lugdunensi, & in Florentina Synodo (c); neque postea. Quod utriusque partis silentium nobis suppeditat patentissimum argumentum, plenam, perfectamque fuisse hac in parte utriusque Ecclesiæ consensionem. Addo etiam argumentum positivum ductum ex Simeone Thessalonicensi celebri, & probatissimo inter suos populares Theologo, qui scripsit ante Concilium Florentinum, & septem Sacramenta, qualia apud nos sunt, distincte enumerat, ut videri potest apud Petrum Arcudium Lib. I. *De concordia Ecclesiæ Orient. & Occid. in septem Sacr. administr.* cap. 2.

219. Ulterius Græci ignorare non poterant, quæ in Concilio Florentino post sancitam cum ipsis concordiam ab Eugenio Papa pro Armenorum instructione decreta fuerunt; nec tamen quisquam contra septenarium Sacramentorum numerum ibidem contentum mussitavit. Immo & quando in patriam reduces renovato schismate, omnes ad suæ perfidiæ infamiam abstergendam prætextus undique quæsiverunt, nec Marcus Ephesius, nec Sylvester Sguropolus, nec ullus alius schismaticus Eugenium, aut ejus Synodum novitatis hac in parte accusavit.

220. Ad hæc, vetusta Græcorum Euchologia a nostro Jac. Goario, ab Isaaco Habert, ad Edm. Martene, a Leone Allatio collecta, non solum aperta omnium, & singulorum Sacramentorum mentionem faciunt, sed etiam eorum ritus, ac cæremonias exponunt; in quibus non leves sunt (quamquam non substantiales) a nostris differentiæ, ut magis, magisque appareat, Sacramentorum doctrinam nec ad Græcos ex Ecclesia latina, nec vicissim ad latinam Ecclesiam a Græcis fuisse derivatam; sed ex Apostolica traditione ad utramque Ecclesiam descendisse.

221. Huic argumento majus robur accedit ex iis, quæ Sæc. XVI., & XVII. hac in re contigerunt. Cum anno 1559. Demetrius quidam Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus integro semestri Wirtembergi inter Lutheranos commoratus in patriam rediret, Phil. Melanchthon ipsi Confessionem Augustanam græce versam Josaphato (a) Patriarchæ deferendam dedit. Cum autem nihil omnino fuisset a Græcis responsum, anno 1575. Mart. Cursius, & Jac. Andreas ex Tubingensi Academia commercium litterarium instituerunt cum Jeremia Patriarcha Constantinopol. per Stephanum Gerlachium, qui cum Cæsareo Legato Constantinopoli morabatur, eamdemque Confessionis Augustanæ græcam versionem ad illum transmiserunt. Jeremias porro re mature cum suis discussa, tandem respondit, & fere omnes ejus Confessionis articulos, qui contra Ecclesiæ Romanæ fidem constituti erant, aperte rejecit. Cap. autem VII. de Sacramentis ita scripsit: *In ea item ipsa catholica, & orthodoxa Ecclesia septem divina Sacramenta sunt, Baptismus scilicet, Sacri Unguenti unctio, Sacra Communio, Ordo, Matrimonium, Pœnitentia, & extremæ unctionis Oleum*. Et in secunda resp. ad eosdem Theologos fatetur quidem, inter Sacramenta Baptismum, & divinam Communionem potiora esse, *cum sine iis salus nullo modo contingat*, subdit tamen, *& reliqua, quæ cum iis septenarium numerum implent, tradita esse ab Ecclesia*. *Tradita*, inquam, non instituta; ut male quidam sunt interpretati (b).

222.

(c) Videri possunt contra quæstiones inter Latinos, & Græcos agitatæ apud eruditissimum Mich. Le Quien in *Hist. schism. Græc.* sub fictitio nomine Stephani de Altimura Ponticensis. Immo provocamus ad ipsum Sylvestrum Sguropolum, qui calamo schismatico *Arcanam Historiam* Synodi Florentinæ exaravit; in qua de controversia septenarii Sacramentorum numeri ne γρὺ quidem occurrit. Quis autem credat, cavillosos Græcos, qui de minutissimis diversitatibus nostræ Ecclesiæ a sua litigiose conquerebantur, in re tanti momenti mutos esse potuisse, si aliqua extitisset nos inter ac ipsos discrepantia?

(a) Hottingerus in *Hist. Eccl.* Sæc. XVI., Melchior Adamus in *Vita Melanchthonis*, Jo. Franc. Buddeus in *Isagoge &c.* pag. 1222., aliique Lutherani hunc Patriarcham nominant *Josephum*. Sed Leo Allatius in his rebus multo peritior, eos corrigit Lib. III. *De Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua Consensione* cap. 8. §. 2.

(b) Hæc omnia videri possunt in *Actis*, & *scriptis*

222. Idem Ecclesiæ græcæ cum latina consensus postea adhuc magis apparuit, quando famosus Cyrillus Lucaris Calvinistica lue infectus ad Thronum Constantinopolitanum Legati Hollandici opera evectus fuit. Simulac enim sacrilegus ille Calvinianos errores spargere cœpit, ab illius Ecclesiæ Proceribus duce Georgio Coressio, accusatus, damnatus, depositus, atque in exilium amandatus fuit; quamvis ejusdem Legati opera, & pecuniis suam sedem non multo post recuperaverit; donec tandem an. 1638. meritas suæ impietatis pœnas dedit, iterum exauctoratus, & laqueo suffocatus (*a*).

223. Interim vero quænam fuerit ante, & post Cyrillum Lucarem Ecclesiæ græcæ fides, palam factum est sub duobus ejus Successoribus, Cyrillo Berrhoensi, & Parthenio seniore; quorum prior collecta Synodo Cyrilli Lucaris errores omnes, & præcipue illum, quo septem Ecclesiæ Sacramenta respuebat, ejusque personam expresse, & distincte anathematizavit. Aderant autem huic Synodo, præter Episcopos tres supra viginti, duo Patriarchæ, Alexandrinus, & Jerosolymitanus (*b*).

224. Parthenius autem senior, qui Cyrillo Berrhoensi successit, quamvis fuisset cum Cyrillo Lucari amicitia junctus, non potuit tamen ejus doctrinam approbare; sed eamdem proscribere coactus est in Synodo plurium Metropolitarum, Episcoporum, multorumque Sacri Ordinis hominum; qui, ut ait Arsenius Hieromachus in epist. eidem Synodo præfixa (apud Leonem Allatium *De Consensu &c.* Lib. III. cap. 8.) *Calvini hæresim, & omnia illius dogmatica capitula, quæ Cyrillus quasi Ecclesiæ græcæ nomine professus erat, confirmaveratque, damnarunt, & æterno anathemati, condemnationique subjecerunt.* Nulla tamen in hac Synodo facta est mentio Synodi præcedentis, aut Cyrilli Lucaris; quia Parthenius ad tuendam amici sui famam contendebat, eum per calumniam fuisse hæresis Calvinianæ accusatum.

225. Decretoria demum hac in re esse debet auctoritas celebris *Orthodoxæ Confessionis catholicæ, atque apostolicæ Ecclesiæ Orientalis*, quæ anno 1642. confecta fuit, & postea ab omnibus Orientis Patriarchis, scilicet Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Jerosolimitano, plurimisque Metropolitis approbata, & tandem in Hollandia, & alibi impressa, ac ubique divulgata. Ibi autem Quæst. XCVIII. septem recensentur Ecclesiæ mysteria, seu Sacramenta; quæ sunt *Baptismus, Unguentum Chrismatis, Eucharistia, Pœnitentia, Sacerdotium, Honorabile conjugium, & Oleum consecratum*, seu extrema unctio; ibique citatur Jeremias Patriarcha in libro, *quem convertendis Lutheranis scripsit*. In sequentibus autem quæstionibus quæritur, & explicatur, quid sit Sacramentum? Quæ res ad Sacramentum requirantur? Quem in finem instituta sint Mysteria? Et postea singulorum Sacramentorum doctrina, & liturgia exponitur.

226. Cum tam liquido constet totius Ecclesiæ
græ-

Theologorum Wirtenbergensium & Patriarchæ Constantinopol. Jeremiæ &c. græce, & latine editis Wirtembergæ 1584. in fol.; in quorum *Actorum* præfat. frustra laboratum est, ut hæc Ecclesiæ græcæ cum nostra consensio labefactaretur. Ex nostris consulantur Stanisl. Socolovius, qui primus Jeremiæ responsum nactus est, & cum adnotationibus edidit Cracoviæ 1582. in fol. sub hoc titulo: *Censura Orientalis Ecclesiæ contra hæreticos nostri sæculi*. Emman. a Schelestrate in *Actis Ecclesiæ Orientalis contra Lutheri hæresim*. Romæ 1739., Guill. Lindanus Episc. Ruremondanus, celebris ejus ætatis Controversista, aliique, qui hac Patriarchæ Jeremiæ Confessione contra Sectarios feliciter usi sunt. In ea enim Jeremias Catholicæ Ecclesiæ doctrinam non solum in hac parte, sed in multis aliis capitibus de transubstantiatione, de cultu Sanctorum, eorumdemque reliquiarum, & imaginum, ac de vita Monastica profitetur; & Lutheranos temeritatis redarguit, quod omnia hæc dogmata melius se intelligere præsumant, quam vetus, & nova Roma.

(*a*) Quis, & qualis fuerint Cyrillus Lucaris, primum Patriarcha Alexandrinus, postea Constantinopolitanus, narrat Leo Allatius in Lib. III. *De Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua consensione* cap. 8., ubi etiam refert litteras, quibus Gerasimus Patriarcha Alexandrinus respondit Comiti Hagio Oratori Hollandico, non posse se cum Calvinistis communionem inire propter diversa religionis capita, in quibus ipsi non minus a Græca, quam a Romana Ecclesia dissentiunt. Frustra autem hunc Æthiopem lavare nisus est Thomas Smith in *Brevi, & succincta narratione de vita, studiis, gestis, & martyrio Cyrilli Lucaris Patr. Constantinop.* Scripta Cyrilli Lucaris recenset Jo. Alc. Fabricius Tom. X. *Biblioth. græcæ* pag. 499. seq., ubi recte concludit, *a Cyrillo sinceram græcæ Ecclesiæ de dogmatibus sententiam petendam non esse*. Ejus confessio, Calvinistica lue infecta, publici juris facta fuit Genevæ græco-latina anno 1633., cum ante quadriennium solum latine prodiisset. In ejusdem art. 15. mendacissime asseritur, *Græcorum perpetuam, & constantem esse doctrinam, duo tantum Sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam, a supremo Legislatore Christo sancita*.

Prætermittere hic non debemus, Cyrilli Lucaris errores fuisse a Jo. Caryophilo defensos, sed infaustis avibus. Ipse enim Caryophilus eamdem damnationis sententiam subiit anno 1691. a Patriarcha Callinico; solide autem confutatus fuit a Dositheo Patriarcha Constantinopolitano in Tractatu impresso Jassii in Moldavia anno 1694.

(*b*) Ita habet canon ille: *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, & credenti non esse ex institutione J.C. neque ex Apostolorum traditione, praxique perpetua septem Ecclesiæ Sacramenta, Baptismum scilicet &c.* Neque vero audienda est illa quorumdam exceptio, quod iste Cyrillus Berrhoensis fuerit Romanæ Ecclesiæ addictus, eaque de causa a Sede Patriarchali dejectus, & interemptus. Etiamsi enim id verum sit, non tamen inde minuitur apud Græcos Synodi ab eo celebratæ auctoritas; tum quia nihil in ea definitum fuit de articulis nos inter & illos controversis; tum etiam quia alii Patriarchæ, atque Episcopi, qui eidem interfuerunt, aperte schismati favebant; ac demum quia eadem doctrina fuit postea in Synodo sequenti confirmata, suppresso tantum Cyrilli Lucaris nomine, ad invidiam ipsi minuendam.

græcæ cum Romana de numero Sacramentorum consensio, supervacaneum est, multa addere de Ruthenis, qui a Græcis in fide minime differunt, quanquam a Patriarchæ Constantinopolitani obedientia se subtraxerint. Una sufficiat celebris Ruthenorum Echtesis, seu Catechismus a Petro Mogila Metropolita Kioviensi, adhibito consilio Jesajæ Trophimi, Connovicii, & Kenovicii Russorum, tum etiam Porphyrii Nicæensis Metropolitæ, & Meletii Syrigi, qui nomine Patriarchæ Constantinopolitani, ejusque Synodi aderat, confectus, & anno 1646. Kioviæ editus; & qui antea a quatuor Patriarchis græcis anno 1642. probatus fuerat. In eo autem non solum asseritur septenarius Sacramentorum numerus, sed singulorum Sacramentorum materia, forma, atque Minister determinantur (*a*).

227. Nimis porro longum esset dicere de aliis Communionibus Orientalibus, quæ tam a Græca, quam a Romana Ecclesia sunt separatæ; nimirum de Armenis, Melchitis, seu Syris, de Nestorianis, Jacobitis, Maronitis, Cophtis, Æthyopibus &c. Constat autem, nunquam ipsis vel a Græcis, vel a nostris fuisse aliquem errorem de numero Sacramentorum exprobratum. Præterea ex eorum Liturgiis, atque ex relationibus Missionariorum apparet, eosdem septem Sacramenta agnoscere, quamvis in quorumdam administratione a nobis valde discrepent, salva tamen eorumdem substantia. *Tertio*. Plura alia sunt indubia eorum fidei monumenta, scilicet Synodorum, Patriarcharum, Metropolitarum, Episcoporum, Monachorum, aliorumque testimonia, tum Confessiones fidei, & Catechismi; quæ omnia diligentissime collecta fuere ab auctoribus Operis immortalis *Perpetuitatis fidei* (*b*).

228. Ex his omnibus, aliisque monumentis, quæ necessaria brevitas nos coegit omittere, ita contra Sectarios colligimus. Hæc universarum nationum, atque sectarum in septenario Sacramentorum numero perfecta consensio non aliunde oriri potuit, quam ex primæva Apostolorum traditione; neque enim Ecclesia græca id a Latina accepit, cum nota omnibus sit antiqua ipsius æmulatio, quæ tandem in apertum schisma erupit; & cum in omnium fere Sacramentorum administratione diversi sint ritus, quamvis eadem sit substantia. Neque etiam Orientales Communiones a Græcis, vel Latinis hunc Sacramentorum numerum discere potuerunt, cum ab utrorumque fide jam ab antiquissimis temporibus longe recesserint, & adhuc pertinaciter recedant. Non alia ergo hujus universalis omnium consensionis causa afferri potest, quam primigenia, atque Apostolica doctrina, in qua Deo sic disponente, unanimes omnes permanserunt, usque ad illa Lutherana, & Calviniana tempora in quibus Novatorum rabies, & furor omnia susdeque confudit. *Constat*, concludo cum Tertulliano *De Præscript.* 2. 21., *omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspirêt, veritati deputandam, idest sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam &c.*

Solvuntur Novatorum Cavillationes.

229. Vix dici potest, quantum hoc argumento torqueantur Novatores: quamobrem illud labefactare omni molimine conantur; atque *primo* contendunt, verisimile esse, Græcos a Latinis de septenario Sacramentorum numero fuisse edoctos; quando scilicet Latini anno 1204. Constantinopoli potiti sunt, atque Imperium Græcum 60. & aliquot annis gubernarunt. Sane, observante Jo. Dallæo Calvinista, ante illud tempus nulla apud Græcos, atque Orientales invenitur septem Sacramentorum mentio. Immo nec apud Latinos ante Hugonem Vi-

(*a*) Hic Catechismus Russorum est ipsa *Orthodoxa Confessio* num. super. memorata, & catechetica methodo exposita, cujus historiam præmisit Jo. Jac. Korn suæ editioni Wratislaviensi 1751. in 8. Petrus Mogilas fuit unus ex præstantioribus Theologus Ecclesiæ Græcæ, quem frustra contemnit Th. Smith, cum vocans *ferocuium*, & *insulsum Monachum*. Extat etiam Collectio *De Russorum Religione* facta Spiræ 1582., & altera *De rebus Moscovitis* Francofurti 1600. Non pauci alii doctrinam Ruthenorum nobis exposuerunt, ut Ant. Possevinus in sua *Bibliotheca*, Eduinus Sandi Anglus in *Speculo Europæ*, Eduardus Brerewoodus, Jo. Hoornbeckius, Jo. Henr. Hottingerus, & Sigis. Baro in Herbestain in *Commentariis rerum Moscovitarum*, quibus inseruit librum Pauli Jovii *De legatione Moscovitarum ad Clementem VII.*, ubi postquam omnes eorum errores enumerasset, *in ceteris*, inquit, *eadem, quæ a nobis de religione sentiuntur, constantissime credunt.* In eodem opere Sigismundi Bar. in Herbestain continentur etiam XII. Quæstiones Claudii Card. Guisani, & totidem Græcorum responsiones, ex quibus eorum consensio cum Ecclesia Catholica in parte manifeste apparet.

(*b*) De Armenis fusissime agit celebris P. Clemens Galanus Clericus Regularis, qui diu apud eos Præconis fidei munere functus est, in sua *Conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana*, Latino, & Armeno idiomate Romæ edita ann. 1690. tribus volum. in 4. Ibi omnes ipsorum errores diligentissime inquirit, & confutat, quin aliquid de Sacramentorum numero ipsis exprobret. De Melchitis, vel Syris videri potest Abr. Echellensis Maronita in Præfat. ac notis ad *Catalogum Librorum Chaldæorum* Hebed Jesu; quod opus Bartholdus Nihusius in *Concordia Nationum Christianarum &c.* Moguntiæ recudi curavit anno 1655. in 8., postquam e Lutheranis castris ad nostræ Ecclesiæ vexilla feliciter migravit. De hoc scriptore (quem Bælius appellat *fameux converti, & fameux convertisseur*) vide dicta in præf. Tom. II. Sed Jos. Simonius Assemanius in sua *Bibliotheca Orientali Clementino-Vaticana* multo uberius has materias pertractavit.

Victorinum, & ante Petrum Lombardum. Hoc autem utriusque Ecclesiæ silentium manifeste indicare hujus dogmatis novitatem, dicunt.

230. Resp. *primo*, nihil minus verisimile esse, quam Græcos tunc a Latinis aliquod doctrinæ nostræ caput acceptasse, quando Latini ipsis maxime invisi erant: eo nempe tempore, quo se a Latinis injuste oppressos esse conquerebantur, omnemque dabant operam, ut Latinorum jugum excuterent; quod ipsis tandem pro voto successit. *Deinde* illud Latinorum Imperium non fuit admodum longum; idest ab anno 1204., quo a Gallis, & Venetis Constantinopolis capta fuit, & direpta; usque ad annum 1261; quo Balduinus II. a Cæsare Alexio Strategopulo ab Urbe pulsus fuit. *Tertio* hoc ipso paucorum annorum intervallo major Græcorum pars in Vallachia, aliisque bene multis Europæ Provinciis, quas Latini occupare non potuerunt, suis legibus, ac consuetudinibus tuta vivebat; reliqui autem in Asia, quo Theodorus Lascaris Imperium Orientale transtulerat, procul a Latinis erant separati. Nihil magis a vero alienum, quam durante bello sacro Latinorum doctrinam de Sacramentis fuisse in Græcam Ecclesiam invectam. His addo, magnam esse inter duas Ecclesias in aliquorum Sacramentorum administratione rituum diversitatem, quæ sacrorum rituum diversitas manifeste ostendit, nec Latinos a Græcis, nec rursus istos ab illis Sacramenta accepisse, sed omnes ab antiquissima Apostolorum traditione, quantum ad substantiam; quamvis postea ad majorem his mysteriis reverentiam conciliandam, multæ successivis temporibus additæ sint cæremoniæ, & quædam in utraque Ecclesia admodum diversæ.

231. Neque etiam obest veterum scriptorum silentium de aliquibus Sacramentis; eorum enim institutum non erat de re omnibus notissima verba facere. Ceterum nullum horum Sacramentorum fuisse ab iis ignoratum, vel neglectum, suis locis patebit, quando de singulis agemus. Impræsentiarum satis est monere, vix ac ne vix quidem in re tanti momenti novitatem potuisse sine turbis, disputationibus, ac Conciliorum definitionibus invehi, ut semper contigit, quando aliquod dogma novum furtim invehi cœptum est. Dicant autem Adversarii, si possunt, quandonam ante illorum Ecclesiæ pseudoreformationem de numero Sacramentorum disputatum fuerit? *Secundo* tempus, & locum determinent, quibus hæc doctrina de septenario Sacramentorum numero in Ecclesia Occidentali spargi cœpit; quomodo aucta, & facta universalis? *Tertio* quomodo in Grætiam penetraverit; deinde in Asiam, & communis tandem apud omnes Christiani nominis sectas evaserit. Hæc omnia constare deberent, si, ut adversarii blaterant, non fuit ab Apostolis derivata. Præcipue quia hic agitur non de aliqua speculativa, & abstrusa veritate, quæ rudes populos latere potuisset, sed de Sacramentis, quæ publice fidelibus administrantur, ad justificationem vel obtinendam, vel conservandam, & augendam; quorum propterea ignorantia, nec in ipsis de trivio mulieribus fingi potest.

232. Inst. Aliqui ex nostris ipsis Catholicis, præcipue autem Missionarii, Græcos accusant, quod quædam Sacramenta non agnoscant. Inter alios Græcorum accusatores citantur Æneas Episcopus Parisiensis, Ratramnus Monachus, Anselmus Havespergensis, Cardin. Humbertus, Guido Carmelita, Gabr. Prateolus, Thomas a Jesu, & Ant. Caucus Archiepiscopus Corcyrensis, qui in *Hist. De Græcorum recentiorum hæresibus* ad Gregorium XIII. Græcis multos errores objicit circa Sacramenta; præcipue autem quod nec Confirmationem admittant, nec Extremam Unctionem. Quod idem de Æthiopibus ut certum asserit Jobus Ludolphus *in Hist. Æthyop.* Lib. III. c. 5., rejiciens ut fabulosam illam relationem, quam de Abyssinorum religione ediderat Damianus a Goez nobilis Lusitanus deceptus narratione Matthæi Armeni, qui primus ex Æthiopia ad Emmanuelem Lusitaniæ Regem Legatus advenerat (a).

233. Resp. His omnibus, & si quis sunt alii, nos opponimus multo firmiora monumenta, quibus de recta Græcorum, atque Orientalium fide circa septem Sacramenta omnino convincimur. Hujusmodi sunt Libri Symbolici illarum gentium, nempe Euchologia, & Catechismi; publicæ Patriarcharum, Metropolitanorum, aliorumque Præsulum responsiones, Synodorum etiam iteratæ definitiones. His inconcussis monumentis addimus quoque Scriptorum Græcorum illustria testimonia, quales apud ipsos sunt Simeon Tessalonicensis, qui suos libros de Sacramentis ante Concilium Florentinum edidit, Gabriel Metropolita Philadelphiensis, cujus Tractatus de Sacramentis impressi sunt Venetiis anno 1600., Gregorius Protu-Syncellus in *Epitome divinorum Mysteriorum*, & Meletius Piga Patriarcha Alexandrinus, cujus extant duæ dogmaticæ epistolæ editæ anno 1709. His inconcussis fundamentis frustra opponuntur testimonia Missionariorum, aut aliorum scriptorum, qui facile decipi potuerunt; vel quod viderent ritus in administrandis Sacramentis a nostris longe diversos: vel quod

(a) Vid. idem Jobus Ludolphus in Comment. ad suam Hist. pag. 3., & 267.; tum etiam Jo. Alb. Fabricius in *Salutari luce Evangelii* pag. 716. seq., ubi refert responsiones Abba Gregorii ad *Quæsita Ludolphiana*; & cap. 6. ita respondisse dicitur: *Mysteriorum* (i. e. Sacramentorum) *certus numerus non est. Constat tamen illos* (Æthiopes) *dicere: Mysterium Baptismi, Mysterium S. Cænæ; Mysterium Confessionis. Alia Mysteria, vel Sacramenta non sunt in usu.* Sed ignoti hujus Gregorii nullam esse auctoritatem, ejusque ignorantia fuisse Ludolphum abusum ad suæ sectæ præjudicia confirmanda, pluribus ostendit Eusebius Renaudotius.

quod errores quorumdam imperitorum toti genti injuste adscriberent; vel quod a testibus ignaris, & facile credulis innocenter decepti fuerint. Sic etiam nullam a nobis meretur fidem Jobus Ludolphus, dum testimonio nescio cujus Gregorii Abyssini innixus, contendit, nec Confirmationis, nec Extremæ unctionis Sacramenta a gente Æthiopica agnosci. Tutiora, majorique fide digna, habemus testimonia de illis populis, qui Patriarchæ Alexandrino Jacobitæ obediunt, ejusque hæresi adhærent. Jam vero Patriarchas Alexandrinos, utut Monophysitarum erroribus infectos, in Sacramentorum numero a ceteris Orientalibus communionibus non discrepare, supra ostensum est n. 225. (a). Vid. Leo Allatius Lib. III. *De Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua consensione* c. 16.

234. Dices *secundo*. Omnes, qui hactenus laudati sunt Græci, nempe Jeremias Patriarcha Constantinopol., aliique post ipsum, erant λατινόφρονες, hoc est in partes Latinorum inclinati, aut pecuniis corrupti, quorum propterea fides suspecta est. Potius Cyrillo Lucari fidendum, qui in sua fidei confessione art. 15. testabatur: *Græcorum perpetuam, & constantem esse doctrinam, duo tantum Sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam a supremo legislatore Christo sancita*.

235. Resp., meram hanc esse cavillationem, quæ nullo negotio dissipatur. Nam *primo* difficile creditu est, tot primarum sedium Præsules, Patriarchas, Metropolitas, aliosque Episcopos fuisse omnes Latinis partibus addictos. *Deinde*, etiamsi fuissent, non tamen propterera testimonii illorum fides nutaret, quando asserunt, Ecclesiam Græcam, sin minus in Sacramentorum liturgiis, saltem in eorum numero cum Latina convenire. *Tertio*, si falsum perhibuissent testimonium, mirabile certe foret, ac pene prodigium, alios non reclamasse. Certe quando Cyrillus Lucaris ausus est, avitæ Græcorum fidei Calvinisticas blasphemias substituere, omnes facto agmine contra eum insurrexerunt, eumque semel, atque iterum condemnarunt. Quidni igitur aliquid simile contigisset, si Jeremias, aut alii Patriarchæ, & Episcopi suarum Ecclesiarum doctrinam subdole immutassent? Quod vero de corruptione pecuniis facta aliqui temere suspicantur, ut vanum effugium, seu potius, ut mendacium putidissimum, ac teterrimam calumniam contemnere debemus (b).

236. Dices *tertio*. Si Græcorum testimonio hæc controversia finiri debeat, non septem tantummodo, sed multo plura admittenda erunt Sacramenta. Quidam enim eorum inter Sacramenta numerabant etiam Professionem religiosam. Ita in primis Dionysius vulgo Areopagita in Lib. *De Eccles. Hierarchia*. Ita etiam Monachus Jobius, cujus librum recenset Photius *in Bibliotheca* Cod. CCXXII., & Theodorus Studita, & nonnulli alii; quorum aliqui eamdem religiosam professionem ipsi Baptismo compararunt. Horum nomina, & testimonia exhibet Leo Allatius sup. laud. num. 233., qui Græcos erroris manifesti hac de causa insimulat. Etiam preces pro defunctis fuisse aliquando *Sacramenta* appellata, discimus ex Damasceno Studita apud Arcudium.

237. Resp. *primo*, non hic quæri, an alia adhuc Sacramenta admitti debeant præter septem; de hoc enim agemus postea. Sed impræsentiarum confutamus Protestantes, qui nonnisi duo agnoscunt, reliqua temere, & pervicaciter repudiant. Ad eos autem revincendos satis est ostendere, ab omnibus, quotquot ubique sunt, Christianis septem nostra Sacramenta admitti. *Secundo*, ideo, inquit Simeon Thessalonicensis cap. 52., ab aliquibus fuisse professionem religiosam in Sacramentis numeratam, quia censebatur tanquam pars Sacramenti Pœnitentiæ; quæ vocari solet *Baptismus laboriosus*: unde & vestes Monachorum appellari consueverunt *vestes Pœnitentiæ*. Aliqui hyperbolice locuti sunt, ut vitam Monasticam, quoad poterant, collaudarent, cujusmodi similia encomia facile est reperire etiam apud Latinos; ut illud celebre dictum Theodorici Cantuariensis in *Pœnit. de profess. Monach.* n. 2., professionem Monasticam esse *secundum Baptisma, & omnia peccata in illa deleri, sicut in Baptismo*; quæ per exaggerationem prolata esse, nemo non intelligit.

238. Preces pro defunctis, quæ solemniter Deo of-

(a) Non innitimur illi *Fidei Æthiopum*, quæ Lovanii prodiit anno 1549., & postea inserta est secundo Volumini *Hispaniæ illustratæ*: utpote quæ absurdis, & ineptiis tota plena est, & tribuitur cuidam Tzaga-Zaabi, homini doloso & insulso, quem forte non inepte appellatum fuisse *Bestiam Campi*, refert Ludolphus. Hic autem Ludolphus, quanquam vir doctus, atque Æthiopicarum rerum peritus, sectæ tamen Lutheranæ præjudiciis præoccupatus, veram Æthiopum religionem aut non novit, aut noscere noluit. Consul. Eusebius Renaudotius in Tom. IV. *De la Perpetuité de la foi &c.* Lib. I. cap. 11 & seq. edit. Lausannæ 1782. Idem judicium ferendum est de Maturino Veyssierio la Croze, qui in sua *Historia Christianismi Indorum*, edita Hagæ Comitum 1724. in 8., incertis testimoniis innixus Sacramenta Confirmationis, & Extremæ-unctionis apud multas gentes Orientales non haberi fidenter scripsit.

(b) Audiatur breviter Hugo Grotius ex Calvinianis Remonstrantibus, qui in *Discussione Rivetiani Apologetici* T. IV. Operum pag. 681. *Sumenda est*, inquit, *Ecclesia græca, non qualem ex suo capite Cyrillus nuper inductus pretio confinxerat, sed qualis est revera; qualem nobis exhibent scripta Jeremiæ, & decreta nuper facta, Patriarcha Parthenio cœtui præsidente &c.* Ceterum in Ecclesia Græca fuisse, & esse omnia Sacramenta nostra recepta, multi alii Heterodoxi vel inviti fateri debuerunt, ut Mart. Crusius in epist. ad Chytræum, & Elias Vejelius *De hodierna græcanica Ecclesia*, qui tamen ne victas manus dent, fidem Græcos accusant, quod ab avita majorum suorum fide discesserint.

offeruntur, & partem liturgiæ conficiunt, aliquo latiore sensu potuerunt a quibusdam appellari *mysteria*, vel *Sacramenta*, non autem *proprie*; quasi *ex opere operato* in defunctis gratiam producant, qui Sacramentorum novæ legis præcipuus effectus est. Ceterum non a quibusdam ignobilibus scriptoribus, sed a libris Græcorum symbolicis, a definitionibus Synodorum, aliisque probatis monumentis, quænam sit Ecclesiæ græcæ fides de numero, & efficacia Sacramentorum, eruendum est, ut nos fecimus supra num. 222. seq. Ita etiam Ecclesiæ Catholicæ quis frustra objiceret quorumdam paucorum errores circa Sacramenta, quos supra in nota ad num. 215. retulimus? Non enim ab istis, sed a concordi Theologorum cœtu, & potissimum a libris nostris Symbolicis, & ab oraculis Pontificum, & Conciliorum Ecclesiæ Catholicæ fides pendet.

239. Objiciunt *secundo* Novatores (& hoc est maximum, & pene totum illorum fundamentum): In sacris novi test. libris clara, & aperta est mentio duorum Sacramentorum Baptismi, & Eucharistiæ: horum institutio describitur, necessitas inculcatur, ac gratiæ promissio diserte habetur. Aliorum autem quinque nulla est mentio: nonnisi ergo duo sunt admittenda. Nisi forte quis fingat, septem Sacramenta adumbrata fuisse in illa visione Bestiæ, quæ portabat mulierem, matrem fornicationum, quæ habebat capita *septem*; & cujus *Sacramentum* Angelus Joanni aperuit Apocal. XVII. 5. seq.

240. Resp. *primo*, hoc argumentum falsissimo Protestantium principio inniti, scilicet ex solis libris sanctis dogmata nostræ Religionis esse depromenda, non autem ex traditionibus apostolicis, quæ in tota Ecclesia receptæ sunt. Nihil igitur habet roboris apud nos, qui duplicem nostrorum dogmatum fontem agnoscimus, verbum scilicet Dei scriptum, & verbum Dei traditum: unde quamvis sacræ litteræ de aliis quinque Sacramentis omnino silerent, nobis sufficerent universalis traditio, quæ non solum in Latina, sed etiam in Græca Ecclesia, & in omnibus remotissimis, & diversissimis Christiani nominis nationibus semper viguit, prout supra demonstratum est. Unde illud S. Hieronymi dictum in *Dial. adv. Luciferianos* merito usurpare possumus: *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret*.

241. Resp. *secundo*, sacras Scripturas non omnino silere de quinque Sacramentis, quæ a Protestantibus immerito exploduntur. Confirmationem enim post Baptismum fuisse ab Apostolis collatam, colligitur ex cap. VIII. 17. Act., ubi dicitur: *Tunc imponebat manus super illos* (scilicet Baptizatos), *& accipiebant Spiritum sanctum*. Pœnitentiæ Sacramentum instituit Christus Dominus, quando Jo. XX. 22. dixit Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Jacobus Apostolus meminit Unctionis extremæ, quando in sua epist. cap. V. 14. inquit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*. Ordinis Sacramentum memorat Paulus in prima epist. ad Timoth. IV. 14. dicens: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*; & in 2. epist. cap. I. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Matrimonium denique approbavit Christus Matth. XIX. 6. inquiens; *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Quamobrem etiam nuptias celebratas in Cana Galilææ sua præsentia sanctificavit. Et Apostolus ad Ephes. V. 32. Matrimonium vocat *Sacramentum magnum*. Sed hæc modo indicasse sufficiat; suis enim locis uberius tractanda sunt, & a pravis ac distortis Hæreticorum interpretationibus vindicanda (*a*).

242. Nihil vero ineptius afferri potest visione illa mulieris peccatricis, sedentis super bestiam habentem capita septem, & cornua decem. Hujus *misterii* explicatio data est ab Angelo ibidem vers. 7., & seq.; nec quidquam commune habet cum sacrosanctis Ecclesiæ nostræ Sacramentis (*b*).

243. Ob. *tertio*. Ex Sanct. Patrum traditione septenarius Sacramentorum numerus erui nequit, quia nullibi apud veteres scriptores invenitur hujus sacri numeri mentio: quanquam aliqui eorum de Sacramentis data opera scripserint. Justinus Martyr in sua Apologia II. (quæ tamen prima nominari deberet) de Baptismo agit, ac de Eucharistia, de aliis silet. Silent pariter Tertullianus, Irenæus, Cyprianus, aliique trium priorum seculorum Patres. Silent etiam alii subsequentes; & quod maxime mireris, Cyrillus Jerosolymitanus, qui XXIII. nobis reliquit Catecheses, quarum quinque postremæ dictæ sunt mystagogicæ, de Baptismo, Eucharistia, & Confirmatione ea tradit, quæ rudi populo instruendo erant necessaria; de ceteris Sa-

(*a*) Hugo Grotius pacis amicus in *Discussione Rivetiani Apologetici* T. IV. Operum pag. 698. mentionem septem Sacramentorum in locis S. Scripturæ allegatis fieri, confessus est; immo hæc addit: *Eminere inter ea, quæ veterum more Sacramenta dici possunt, illa septem, agnoscunt & Lutherus, & Melanchton*.

(*b*) Pudet referre verba Mart. Kemnitii, qui II. P. *Examinis Conc. Trid.* ita scurriliter hunc locum commentatur: *Per capita septem significatur septenarius numerus Sacramentorum, pertinens ad bestiam, scilicet ad antichristum*. Mirum est, hominem non indoctum non vidisse, hoc suo Commentario duo quoque Sacramenta Baptismi, & Eucharistiæ in capitibus bestiæ numerari. Sed insanus in Rom. Ecclesiam furor ipsos etiam doctiores inter Hæreticos sæpius obcæcavit.

Sacramentis ne verbum quidem. Idem facit Ambrosius, vel quilibet alius vetustus auctor libri *De initiandis*; & aliorum sex Librorum *De Sacramentis*. Immo in Lib. IV. cap. 2. se nihil de hoc argumento prætermisisse significat, dicens: *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia*. Denique S. Gregorius Papa non solum de septenario Sacramentorum numero nihil habet in suo celebri *Sacramentario*; sed nonnisi tria recenset apud Gratianum in cap. *Multi secularium* dicens: *Sunt autem Sacramenta Baptisma, Chrisma, Corpus, & Sanguis Domini*.

244. Resp., parum nostra referre, quod apud veteres non inveniatur materialis hæc vox *septem Sacramenta*; fatemur enim hunc numerum fuisse postea a Theologis determinatum, non ex arbitrio, sed ex antiquissima Ecclesiæ praxi, quæ hæc, & non alia suis fidelibus administravit Sacramenta. Neque est mirandum, quod prisci Ecclesiæ Patres distinctam omnium, & singulorum mentionem non fecerint, partim quod eorum scopus id non exigeret, partim etiam, quod necesse non habuerint de rebus notissimis verba facere; ac demum quia quædam occultiora palam fieri vetabat *Disciplina-arcani*. Sic Justinus debuit necessario loqui de Baptismo, & de Eucharistia ad repellendam Gentilium calumniam de Atheismo, & de epulis Thiestæis impactam Christianis; de aliis Sacramentis dicere opus non habuit. Idem contingit aliis Patribus. S. Cyrillus in primis duabus *Catechesibus* agit de Baptismo, & Pœnitentia, in aliis 16. sequentibus explicat Symbolum, quod a Baptizandis recitandum erat: in prima, & secunda *mystagogica* exponit cæremonias, quæ præcedebant, & subsequebantur Baptismum, tertia est de Sacro Chrismate, quarta de Eucharistia, & postrema de Liturgia, & Communione. Ideo autem de his solis Sacramentis tunc populum instruendum putavit S. Antistes, quia hæc solebant in solemnitate Paschali fidelibus distribui; & hic unicus erat ipsius scopus in his *Catechesibus*, quas ante Pascha, & diebus immediate sequentibus ad populum habuit. Idem etiam fuit scopus S. Ambrosii, qui memoratas mox S. Cyrilli *Catecheses mystagogicas* pene exscripsisse videtur, ut suos fideles ad tria Sacramenta disponeret, quæ in solemnitate Paschali distribuebantur; & respectu horum vere dicere potuit: *Plenissime cognovisti omnia*. His omnibus addendum, non pauca prisca monumenta nunc desiderari; atque inter alia XII. Libros de Sacramentis ab Eusebio Cæsareensi conscriptos. Postremum, quod ex S. Gregorio objectum est, facile expeditur, dicendo, S. Pontificem in suo *Sacramentario* potissimum fuisse complexum sacram Liturgiam pro celebratione Missæ solemnis; non autem quæ ad aliorum Sacramentorum administrationem pertinebant. In loco autem ex Gratiano laud. S. Pontifex tria quidem Sacramenta memoravit, cetera vero minime exclusit. Eruditi tamen testantur, ea verba, quæ Gratianus refert, in S. Gregorii operibus frustra fuisse quæsita.

245. Dices *primo*. Frequentissima, & aperta occurrit apud veteres Patres duorum Sacramentorum Baptismi, & Eucharistiæ mentio: cur ergo etiam aliorum quinque Sacramentorum mentionem non fecissent, si eadem cognovissent? Majus autem robur huic objectioni accedit ex eo, quod S. Augustinus Serm. I. in Ps. CIII. num. 14. T. VI., dicit, hæc duo sola Sacramenta fuisse per *disciplinam arcani* profanis abscondita: *Quid est*, inquit, *quod occultum est, & non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ. Opera enim nostra vident & Pagani, Sacramenta vero occultantur illis*. Si ergo non obstante hac lege *arcani* Patres tam sæpe de his duobus Sacramentis locuti sunt, multo magis fuissent locuti de aliis, si ea cognovissent.

246. Resp., etiamsi hujus diversitatis nequeat certa causa afferri, non posse tamen ex hoc concludi, a Sanctis Patribus non fuisse agnita alia Sacramenta præter Baptismum, & Eucharistiam: nam etiam aliorum aliquam mentionem, licet non tam celebrem & expressam, certe fecerunt; præsertim Confirmationis, & Pœnitentiæ, quorum primum statim post Baptismum conferri solebat; alterum autem & frequens, & solemne erat in iis, qui gratiam Baptismalem peccatis actualibus infeliciter amittebant. Ceterum si hoc argumentum valeret, posset etiam contra nonnulla alia dogmata valere, quorum non tam expressa & frequens mentio apud veteres invenitur, nisi postquam exortæ hæreses coegerunt Patres apertius & frequentius Ecclesiæ doctrinam exponere. Id similiter factum est in casu nostro. Simulac enim Novatores contra Sacramentorum numerum blasphemare cœperunt, omnes Christiani nominis communiones, Latina, Græca, Orientalis, schismaticæ, hæreticæ septenarium Sacramentorum numerum professæ sunt, & adhuc profitentur; non alia certe de causa, nisi quia omnes a majoribus suis hunc numerum perpetua traditione acceperant.

247. S. Augustinus autem laud. in loco memorat quidem duo Sacramenta Baptismi, & Eucharistiæ; non tamen cetera excludit; nam in eodem Sermone paulo superius num. 9. dixerat: *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in ceteris sanctis Sacramentis; quale munus?* Ecce, quomodo S. Pater alia Sacramenta indigitat præter Baptismum, & Eucharistiam. Parum autem interest, quod *septenarium* numerum arithmeticis notis non determinet; nam locis opportunis modo unum nominat, modo alterum, quod Deo dante declarabimus, cum de singulis agemus.

248. Dices *secundo* S. P. Augustinus sæpius nomen *Sacramenti* sumit latiore significatione. Exempli loco sit, quod habet in Lib. II. *De peccatorum meritis, & remissione* cap. 26. T. XIII. inquiens: *Catechumenos secundum quemdam modum*

dum

dum suum per signum Chisti, *&* *orationem manus impositionis puto sanctificari*, *&* *quod accipiunt*, *quamvis non sit corpus Christi*, *sanctum est tamen*, *&* *sanctius quam cibi*, *quibus alimur*, *quoniam Sacramentum est;* ubi Sacramenti nomen latissime sumitur. Ex quo ergo aliquando S. P. præter Baptismum, & Eucharistiam nonnulla alia nominet Sacramenta, inferri non potest, hæc, quæ nominat, esse Sacramenta vere, & proprie talia.

249. Resp., nos minime inficiari, nomen *Sacramenti*, tam a S. P. Augustino, quam ab aliis priscis Ecclesiæ Doctoribus, aliquando sumi in latiore significatione: sed hæc exceptio locum non habet, quando S. Doctor dicit, Confirmationem, & Ordinem esse duo Sacramenta, quæ iterari non possunt, quia imprimunt in anima indelebilem characterem, quemadmodum imprimit ipse Baptismus. Libro enim II. *Contra epist. Parmeniani* cap. 13. §. IX. de Baptismo, & Ordine dicit: *Utrumque Sacramentum est*, *&* *quadam consecratione homini datur ...... ideoque in Catholica utrumque non licet iterari*. Et Lib. II. *Cont. Litt. Petiliani* cap. 104. T. XII. *Sacramentum Chrismatis*, inquit, *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est*, *sicut ipse Baptismus*, *sed potest esse & in hominibus pessimis*, scilicet propter characterem. En duo alia vera, & propria Sacramenta præter Baptismum, & Eucharistiam, quæ propter characterem impressum iterari nequeunt. Pœnitentiam ut verum, & proprium novæ legis Sacramentum agnoscit Augustinus in fine Lib. I. *De adulterinis conjugiis* T. VIII. inquiens: *Quæ Baptismatis*, *eadem reconciliationis est causa*. Matrimonium pariter vocat in sensu proprio *Sacramentum* in Lib. *De bono conjugali* cap. 18. T. XI., & quidem sæpius; atque ita concludit: *In nostrorum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti*, *quam fœcunditas uteri*. Ac denique Extremam unctionem indigitat Lib. V. *De Baptismo* c. 20. numerans inter Sacramenta, quæ a malis ministris valide conficiuntur, *benedictionem Olei tenebræ*, quo scilicet ungebantur infirmi.

250. Dices *tertio*. Idem Sanctus Augustinus Lib. III. *De doctrina Christiana* cap. 9. T. III. conferens Sacramenta nostra cum Sacramentis veteris legis: *Quædam pauca*, inquit, *pro multis*, *eademque factu facillima*, *&* *intellectu augustissima*, *&* *observatione castissima ipse Dominus*, *&* *Apostolica tradidit disciplina*, *sicuti est Baptismus*, *&* *celebratio corporis*, *&* *sanguinis Domini*. Ubi nonnisi duo memorat novæ legis Sacramenta; alia vero saltem tacite excludit, asserens, nonnisi *pauca pro multis* fuisse a Christo instituta Sacramenta; quod non esset verum, si in Lege Mosaica nonnisi quatuor erant (V. sup. n. 71.), & in nostra essent septem (*a*).

251. Resps., S. Doctorem eadem fere verba repetere in Epist. LIV. ad Januarium, alias 118. T. II., & postea hæc alia addere notatu dignissima: *Et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur:* quorum verborum sensus non est, quasi dubitaverit S. Pater, aut ignoraverit, alia esse Sacramenta in Scripturis canonicis commemorata; quis enim suspicetur, ignorasse magnum Augustinum, quot, & quænam essent Sacramenta in Scripturis commemorata? Sed sensus est: *Et quidquid aliud* &c.; quod tradidit expressius Serm. I. in Ps. CIII. n. 9. ita recensens munera Ecclesiæ, *Munus Sacramentorum in Baptismo*, *in Eucharistia*, *in ceteris sanctis Sacramentis:* qua additione aperte ostendit, se non solum hæc duo memorata, sed alia etiam sacramenta agnoscere, quorum alibi meminit, quando opportuna illi sese obtulit occasio. Nostra vero Sacramenta recte appellantur *pauciora*, quia unicum pœnitentiæ Sacramentum correspondet illis omnibus tam multis, & tam difficilibus observantiis veteris Legis, quæ erant ad expiationem peccatorum necessariæ, ut supra n. 71. cum S. Thoma observavimus; unde vere dicere potuit S. Doctor, *pauca pro multis*, *eademque factu facillima* fuisse a Christo Domino instituta Sacramenta. *Sacramenta*, inquit S. Thomas 3. P. qu. 65. art. 1. ad 4., *in veteri lege plura fuerunt numero*, *propter diversitatem sacrificiorum*, *&* *cæremoniarum*.

252. Dices *quarto*. Sancti Patres illa verba apud Jo. XIX. 34.: *Unus militum lancea latus ejus aperuit*, *&* *continuo exivit sanguis & aqua*, explicant de duobus Sacramentis Eucharistiæ, & Baptismi, quæ mystice ex aperto latere Christi prodierunt. Ita inter alios S. Augustinus Tract. CXX. in Joann. n. 2. T. IV. inquiens: *Ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur*, *unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt*. Adhuc clarius S. Cyrillus Alexandr. Lib. XII. in Joan. *Lancea*, inquit, *latus ejus perfodiunt*, *unde cruor aqua mixtus scaturiit*, *quod eulogiæ mysticæ*, *&* *sancti Baptismatis imago quædam erat*. Facile esset alia aliorum Patrum testimonia agglomerare, quibus duorum tantummodo Sacramentorum ex Christi latere profluentium fit mentio.

253. Resp., non omnes Patres in mystica hac il-

(*a*) Hoc maxime Augustini loco exultat Calvinus Lib. VI. *Instit.* cap. 19. ita nos interrogans: *Cur nullam hic sacri numeri*, *hoc est septenarii mentionem facit? An verisimile est*, *prætermissurum fuisse*, *si tunc fuisset in Ecclesia institutus: præsertim quum sit alias in observandis numeris curiosior*, *quam necesse foret &c.* Futilis interrogatio, quæ si vim haberet, etiam veteris testamenti Sacramenta explodenda forent, quia eorum arithmeticum numerum neque in sacris litteris, neque a scriptoribus Ecclesiasticis determinatum habemus. Præterea æquo jure possemus & nos a Calvino sciscitari, cur Augustinus nullibi dixerit, *duo* tantum esse *vera*, *&* *germana* Domini Sacramenta, cum tam fuerit in observandis numeris curiosior?

illius loci explicatione convenire. Aliqui enim, ut S. Ambrosius Lib. X. in Lucam n. 135., S. Leo in Epist. IV., & ipse S. Augustinus loco mox citato, per sanguinem intelligunt pretium nostræ redemptionis. Alii, ut Hieronymus Epist. LXXXIII., & Cyrillus Jerosol. Catech. III., intelligunt martyrium. Si ergo ex latere Christi pretioso manarunt Sacramenta, unum tantummodo juxta expositionem istorum Patrum erit Sacramentum. Verior itaque illius loci interpretatio, & doctrinæ Ecclesiæ omnino consentanea est, ex latere Christi omnia fluxisse Sacramenta, quia omnia suam virtutem, & efficaciam ex Christi passione accipiunt. Et quando aliqui eorum solum Baptismum, & Eucharistiam nominant, non propterea alia excludunt.

254. Dices *quinto*. Dionysius vulgo Areopagita nonnisi tria Sacramenta agnoscit. Nam in Cap. IV. *Eccl. Hier.* triplicem Sacramentorum *Deiformem* consecrationem distinguit, primam, qua profanos expiat, mediam, qua expiatos illuminando initiat, postremam, quæ jam sacris initiatos consummat, ac perficit; & postea ita concludit: *Triplex ergo mysteriorum sanctæ consecrationis virtus commendata est &c.*

255. Respondet S. Thomas 3. P. quæst. 65. art. 1. ad 3., S. Dionysium loqui non de Sacramentis, sed potius de sacris officiis, quæ ab Episcopis, & Sacerdotibus in mysteriis tum conficiendis, tum administrandis exercentur cum quadam consecratione. *In actionibus autem hierarchicis*, inquit S. Doctor, *considerantur & agentes, & recipientes, & actiones. Agentes autem sunt Ministri Ecclesiæ, ad quos pertinet Ordinis Sacramentum; recipientes autem sunt illi, qui ad Sacramentum accedunt; qui producuntur per matrimonium; actiones autem sunt purgatio, illuminatio, & perfectio &c.* In his autem implicite contineri septem Ecclesiæ Sacramenta ibidem S. Doctor ostendit; nam *purgatio, & illuminatio simul, secundum eumdem Dionysium c. 3. pertinent ad Baptismum, & propter recidivum secundario pertinent ad Pœnitentiam, & extremam unctionem. Perfectio autem, quantum ad virtutem quidem, quæ est quasi perfectio formalis, pertinet ad Confirmationem; quantum autem ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiam.* Ita Angelicus admodum versatus in operibus hujus antiqui auctoris quem citatum reperimus anno 533. in quadam Collatione habita inter catholicos, & Monophysitas Severianos.

PROPOSITIO II.

Sacramenta novæ legis non sunt plura, quam septem.

256. Id fuerat semper in Ecclesia Catholica creditum. Nam Londinense Concilium anno 1237. inter triginta & unum decreta sibi ab Othone Gregorii IX. Legato proposita hoc etiam approbavit, quod septem sint Sacramenta, scilicet Baptismus &c. Concilium autem generale Constantiense anno 1415. septem Sacramenta agnovit, & solum damnavit articulum VIII. Jo. Hus, quod Sacerdos criminose viventes eadem valide administrare non possent. Clarius autem Eugenius IV. in Concilio Florentino anno 1439. omnia, & singula Sacramenta recensuit in Decreto *Unionis*. Ac tandem idipsum fuit a Concilio Tridentino expresse definitum, ut dogma fidei ab omnibus credendum his verbis Sess. VII. can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis ..... esse plura, vel pauciora, quam septem ..... anathema sit* (a); ut proinde nemini Catholicorum liceat amplius de hac re dubitare.

257. Idipsum Græci confessi sunt in monumentis supra num. 221. seq. allatis; ubi non alia veri nominis Sacramenta admittere se profitentur, quam septem nostra. Immo Dositheus Patriarcha Jerosolymitanus in suo *Enchiridio* anathema dicere non dubitavit omnibus iis, qui septenarium Sacramentorum numerum vel minuunt, vel augent. Nonnullæ tamen sunt difficultates, præcipue de lotione pedum, quæ tam ex sacris litteris, quam ex quorumdam Patrum auctoritate videri potest Sacramentis accensenda.

258. Ob. itaque *primo*. In sacris litteris, habetur divina lotionis pedum institutio, significatio, & promissio gratiæ, ac demum præceptum; immo & ipsum Christi exemplum. Nam Jo. XIII. 4. & seq. institutio accurate describitur iis verbis: *Surgit a cœna ..... cœpit lavare pedes discipulorum &c.*; deinde significatio, & promissio gratiæ iis aliis verbis ad Simonem Petrum: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea .... si non lavero te, non habebis partem mecum.* Præceptum vero continetur expresse in iis verbis: *Debetis alter alterius lavare pedes.* Exemplum denique cum dixit: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

259. Resp., ex universali Ecclesiæ praxi, quæ optima est interpres, aperte constare, lotionem pedum nunquam habitam fuisse ut verum Sacramentum; immo nec agnitum fuisse ejusdem præceptum,

(a) Non quasi Novatores assererent, Sacramenta esse plura, quam septem, cum iste error apud neminem eorum, quod sciam, inveniatur: sed ne in posterum aliquis Sacramentorum numerum augeret, in eorum censu omnia illa signa reponens, quibus in sacris scripturis adjecta est promissio gratiæ, ut sunt eleemosyna, & oratio.

ptum. Nullus enim reperiretur antiquus Canon, qui hujus præcepti observantiam inculcaverit. Et quanquam Pastores Ecclesiæ, immo & summi Principes, ad humilitatis exercitium soleant semel in anno exemplum Christi imitari, non tamen hoc unquam factum fuisse legimus a singulis fidelibus, immo nec etiam a singulis Sacerdotibus, aliisque Ecclesiæ ministris. Quis autem suspicetur, tantam fuisse ab ipsis primis Ecclesiæ incunabulis negligentiam, ut divinum Sacramentum, immo & præceptum ubique contemneretur? Præcepta generaliter est humilitas; non tamen præceptum fuit determinatum hoc humilitatis exercitium. *De lavandis vero pedibus*, inquit S. Augustinus Epist. LV. ad Januarium cap. 18. T. II., *cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit ... multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt, nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitarunt &c.* Itane vero, si lotio pedum fuisset Sacramentum, & quidem a Domino præceptum?

260. Itaque dicendum est, ad divinam alicujus Sacramenti institutionem minime sufficere, quod a Jesu Christo habeat originem, & exemplum; sed requiri etiam materiæ consecrationem certa forma ab ipso institutore præscriptam, ut in Baptismo, in Eucharistia, & ceteris Sacramentis factum est.

261. Neque etiam hic habetur expressa significatio gratiæ conferendæ, qualis habetur in Baptismo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit;* & in Eucharistia: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Nec movere nos debet comminatio Petro facta: *Si non lavero te, non habebis partem mecum;* hæc enim facta fuit ad vincendam Petri obstinationem: *Non lavabis mihi pedes in æternum;* in qua obstinatione si Pervicaciter perseverasset, culpæ utique fuisset obnoxius, qua a Christi regno meruisset excludi. Quanquam fortasse magis obvius illorum verborum sensus hic esse potest: Petrum non habiturum partem in cœna, qua Christus erat suum corpus, & sanguinem Discipulis daturus. Si enim aliorum Evangelistarum textus simul conferantur, videtur lotio pedum facta ante Eucharistiæ institutionem.

262. Neque hæc comminatio cum ea comparari potest, qua Christus Dominus Jo. III. dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Primo* enim hæc comminatio generalis est, & ad omnes homines pertinet, alia vero ad solum Petrum pertinebat: *deinde* in Baptismo, sicut etiam in Eucharistia habetur expressa promissio gratiæ, quæ non invenitur in lotione pedum. Quæ omnes nostræ animadversiones maximam & demonstrativam vim accipiunt ex eo, quod Ecclesia lotionem pedum ut pium quidem humilitatis exercitium semper habuit, nunquam tamen ut Sacramentum.

263. Dices. S. Ambrosius in Libro *De mysteriis* cap. 6. num. 32. *Mundus*, inquit, *erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens, & persuasit errorem: ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur: nostra enim propria per Baptismum relaxantur.* Et Lib. III. *De Sacramentis* cap. 1. num. 4. seq. *Accinctus*, inquit, *summus Sacerdos pedes tibi lavit. Quid est istud mysterium? ... vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem. Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem .... Aliud est humilitatis:; aliud est sanctificationis. Denique audi, quia mysterium est, & sanctificatio: nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Et postea: *Ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus præsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit: lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem ergo proficit:* non igitur lotio pedum ad solum humilitatis exercitium, sed etiam ad gratiam producendam instituta fuit (*a*).

264. Resp. Verba allegata ex Libro *de mysteriis*, qui sine dubio genuinus est S. Antistitis fœtus, non possunt certe litteraliter intelligi de peccato *hæreditario* Adami, quod per Baptismum omnino ablatum fuerat, & nullatenus tollitur per ablutionem pedum. Textus valde obscurus est, & negotium non leve facessit eruditis; quorum nonnulli maluerunt propterea hoc opus, ut spurium rejicere (*b*). Sapientissimi editores Maurini in not. ad hunc locum non incongrue putarunt, per *peccata hæreditaria*, quæ lotione pedum absterguntur, intelligi concupiscentiam, cujus motus rebelles ex peccato Adami facti sunt nobis hæreditarii; minuuntur autem hi motus piis humilitatis exercitiis, cu-

(*a*) Ex hoc S. Ambrosii loco potissimum eruditus Jos. Vicecomes Lib. III. *De Sacramentis* c. 1. confirmare nititur ritum abluendi pedes baptizatorum. Sed vid. de hoc ritu doctissimus D. J. Crysost. Trombelli *De Sacram.* Tom. I. Dissert. V. Sect. 8.

(*b*) *Quidam* Heterodoxi hoc opus S. Ambrosio abjudicarunt, potissimum ex eo, quod doceat peccata *propria*, idest *actualia* per Baptismum relaxari, *hæreditaria* vero, nempe *Originale* per lotionem pedum. Ita inter alios Jo. Dallæus Lib. III. *De Confirmat.* cap. 8. Verumtamen Ambrosianum esse fœtum alii Critici melioris notæ judicarunt; atque inter ipsos Calvinistas David Blondellus *De primatu*, & Jo. Forbesius *Instruct. Historico-Theolog.* Tom. II. Sane Augustinus, ut dogma peccati originalis contra Pelagianos ex traditione evinceret, S. Ambrosii, quem venerebatur ut Patrem, sæpius auctoritate usus est, ut vidimus T. IV. *Prælect.* quæ certe nullius ponderis pro doctrina Ecclesiæ fuisset, si hoc hæreditarium ex Adamo peccatum sola lotione pedum, non autem Baptismi Sacramento deleri docuisset.

cujusmodi est lotio pedum. Hujus interpretationis fundamentum nobis suppeditat Ambrosius ipse in Expos. Psal. XLVIII. num. 9. inquiens: *Unde reor, iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti: meritoque Dominus ..... Lavemus, inquit, & pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fidei statio possit esse virtutum, & ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito: & non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis.* Putavit igitur S. Pater, concupiscentiam minui per quamdam gratiam a Deo in lotione pedum collatam.

265. Eademque explicatio adhibenda est aliis verbis ex Lib. III. *De Sacram.* depromptis; quamvis de horum Librorum auctore merito dubitetur. Sed illud hic notandum maxime venit, quod ibidem num. 5. dicitur, Ecclesiam Romanam non habere *hanc consuetudinem*, lavandi scilicet pedes recens baptizatis. At vero si lotio pedum esset Sacramentum vere, & proprie tale, & a Jesu Christo præceptum; estne credibile, id fuisse a Romana Ecclesia prætermissum, quæ semper habita fuit ut omnium aliarum mater, & magistra? Quanquam non sola Ecclesia Romana, sed etiam Africana, & fere omnes aliæ, paucis exceptis, hanc consuetudinem nunquam habuerunt. Quæ Ecclesiarum varietas in ritibus, cæremoniis, & quibusdam sacramentalibus salvo unitatis vinculo esse potest, in Sacramentis autem esse nullatenus potest.

266. Dices iterum. S. Cyprianus, vel quilibet alius antiquus auctor Libri *De Cardinalibus Christi operibus* olim Cypriano adscripti, in Serm. *De ablut. pedum* explicans illa verba: *Si non lavero te, non habebis &c. Paulatim*, inquit, *hujus mysterii declaratur necessitas .... Hoc lavacrum quotidianis excessibus est destinatum*.

267. Resp., hujus operis auctorem, qui communiter creditur Arnoldus Carnotensis Abbas Bonæ vallis Sec. XII., solum nobis inculcare necessitatem imitandi Christi exemplum, quo in lotione pedum singulare humilitatis, & charitatis reliquit præceptum. Nec tanta est hujus scriptoris auctoritas, ut in ejus mente investiganda, & declaranda multam insumamus operam. Vide not. ad num. 52.

268. Ob. *secundo* aliquos textus S. Bernardi, qui omnes veri Sacramenti notas lotioni pedum disertissime tribuit in Serm. *in Cœna Domini*, ubi *primo* ita fatur: *Appropinquans passioni Dominus de gratia sua curavit investire suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur.* En vera, & propria Sacramenti definitio. Post ita pergit, ipsam definitionem applicans lotioni pedum, eadem ratione, qua applicatur aliis Sacramentis: *Ad hoc*, inquit, *instituta sunt omnia Sacramenta; ad hoc Eucharistiæ participatio; ad hoc pedum ablutio; ad hoc denique ipse Baptismus, initium Sacramentorum omnium*. Quid clarius? *Secundo* ibidem sibi objicit, quod Christus Dominus non dixerit Apostolis, se in lotione pedum illis relinquere *Sacramentum*, sed solum *exemplum*, quam objectionem ut diluat, „ Vis autem „ nosse, inquit, quia pro *Sacramento* illud est, „ non pro *solo exemplo* factum? Illud attende, „ quod Petro dictum est, *si non lavero te, non* „ *habebis partem mecum*. Aliquid igitur latet, „ quod necessarium est ad salutem, quando sine „ eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Chri- „ sti, & Dei. " *Tertio* declarat, lotionem pedum esse institutam ad abstergenda paccata venialia; quod colligit ex iis Christi verbis: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*. Reipsa cum nullum aliud Sacramentum inveniatur ad delenda peccata venialia (Baptismus enim est institutus in remedium peccati originalis, & Pœnitentia contra peccata mortalia) pronum est assentiri Mellifluo Doctori asserenti, lotionem pedum esse Sacramentum ad abstergenda peccata venialia.

269. Resp. Theologos hoc in loco valde laborare, non ad tuendum de septenario Sacramentorum numero catholicum dogma; quod non nutaret, etiamsi splendissimum Ecclesiæ Gallicanæ sidus aliquam eclipsim passum esset (a); sed ad assequendum verum, & germanum objectorum verborum sensum, eumdemque cum infallibili Ecclesiæ doctrina conciliandum. Communis omnium responsio est, S. Bernardum lotionem pedum appellasse *Sacramentum* minus proprie, & in latiore significatione; non presse, & stricte. Hujus interpretationis aliquod fundamentum suppeditare videtur Bernardus ipse in eodem loco, ubi hanc tradit Sacramenti definitionem: *Sacramentum dicitur signum sacrum, sive sacrum secretum*: quæ definitio certe minus propria est, & mirifice convenit lotioni pedum, de qua dicit Jesus Petro: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*. Tradit quidem S. Doctor etiam veram, & propriam Sacramenti definitionem, eamque accommodat lotioni pedum; immo hanc ipsam lotionem pedum simul ponit cum Baptismo, & Eucharistia, quæ vera sine dubio sunt Sacramenta. Sed hæc emollienda sunt; neque enim Mellifluus Doctor ignorabat, Baptismum, & Eucharistiam ab omnibus, & ubique in tota Ecclesia, ut vera Sacramenta ad salutem omnino necessaria administrari; secus vero lotionem pedum, quæ nonnisi alicubi, & apud aliquos in usu erat. Hinc ipse Bernardus nonnisi semel in hoc sermone de lotione pe-

(a) Apposite S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 12. *Maximam*, inquit, *habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris*.

pedum verba fecit; cum de aliis duobus Sacramentis frequentissime, & locupletissime locutus inveniatur.

270. Postremum, quod nempe S. Bernardus dixerit, lotionem pedum esse institutam ad remissionem peccatorum venialium, non solum non officit nostræ interpretationi, sed etiam potius confirmat. Nam *primo*, probat ea Christi verba: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, non posse intelligi de necessitate hujus lotionis, quia peccata venialia non excludunt a regno cœlorum. *Secundo* cum ignorare non potuerit S. Doctor, ad remissionem venialium sufficere *Sacramentalia*, hoc ipso quod S. Bernardus lotionem pedum solum ad venialium remissionem valere docuerit, indicium nobis præbet, se illam non inter vera Sacramenta, sed solum inter sacramentalia voluisse reponere; quidquid ejus verba litteraliter significare videantur. Audiatur S. Thomas, qui 3. P. qu. 65. art. 1. ad 8. simili argumento respondens, inquit: *Ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiæ. Unde ..... nullum Sacramentum novæ legis instituitur directe contra veniale, quod tollitur per quædam sacramentalia, puta per aquam benedictam, & alia hujusmodi*.

271. Ob. Postremo. Plura alia præter nostra septem, tum a veteribus Patribus, tum a recentioribus Theologis enumerantur Sacramenta. Nam Tertullianus *De Præscrip.* virginitatem, & martyrium nominat Sacramenta. Etiam S. Hieronymus eodem nomine martyrium appellat, & dicit, ex Christi latere percusso Baptismi, ac martyrii Sacramenta fluxisse. *Secundo* Hugo Victorinus ingentem Sacramentorum copiam in scholas invexit, nempe aquam lustralem, Cineres in capite jejunii benedictos, Paschales cereos, alios item cereos, quos *Agnus Dei* vocamus; aliosque similes Ecclesiæ ritus. *Tertio* Græci quamplurimi Professionem religiosam; & alii preces, quas pro defunctis Ecclesia offert, Sacramentis accensent. *Quarto*, apud nos triplex distinguitur Baptismus, scilicet aquæ, sanguinis, & voti, seu desiderii: septem item sunt Ordines sacri, quorum singuli sunt Sacramenta; ac denique Extrema unctio omnibus & singulis infirmi sensibus cum materia, & forma applicata quintuplex efficit Sacramentum.

272. Resp., nomen Sacramenti fuisse sæpius in latiore significatione tributum quibusdam sacris ritibus, vel heroicis virtutibus, quibus gratiæ Dei augmentum promeremur: ex nomine autem solo non est desumenda vera, & germana Sacramenti notio, sed ex omnibus aliis adjunctis. Ad primum autem negamus a Tertulliano fuisse virginitatem, aut martyrium appellata Sacramenta: sed cum ibi diaboli fraudes detegeret, quibus Sacramenta nostræ religionis superstitiosis suis ritibus æmulari studebat, solum addit, habere eum & Virgines, & Martyres. Hieronymus vero potuit aliqua ratione nomen Sacramenti martyrio imponere, quatenus ab intensissima charitate procedit, quæ animam plene justificat. Non tamen vere, & proprie est Sacramentum, cum in martyrio nullum sit proprie signum, nec ulla verborum forma, & minister ejusdem sit crudelis, & impius carnifex.

273. *Secundum* ita explicat Doctor Angelicus 3. P. quæst. 65. art. 1. ad 6. inquiens: *Aqua benedicta, & aliæ consecrationes non dicuntur Sacramenta, quia non perducunt ad Sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio: sed sunt dispositiones quædam ad Sacramenta, vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias dæmonum, & contra peccata venialia: vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad Sacramenti perfectionem, & perceptionem, sicut consecratur altare, & vasa propter reverentiam Eucharistiæ*. De his, aliisque ejusdem generis agit Hugo a S. Victore; & quanquam hæc aliquando vocet *Sacramenta*, seipsum tamen explicat P. IX. cap. 1. dicens: *Sunt quædam Sacramenta in Ecclesia, in quibus etsi principaliter salus non constet, tamen salus ex eo augetur, inquantum devotio exercetur*.

274. Ad *tertium*. Plures quidem ex nostris Græcos accusarunt, quod Professionem Monachalem ut Sacramentum haberent; sed solertissimus Renaudotius rebus melius, & intimius perspectis comperit, eos falso hujus criminis accusari; partim quod aliqui austeritates Monachorum ad Sacramentum Pœnitentiæ referrent; partim quod alii magnificentius sanctitatem illius status extollentes, occasionem præbuerint credendi, eos religiosam professionem ut verum Sacramentum habuisse. Attamen etiamsi aliqui hac in re errassent, iniquum foret, paucorum errata toti Ecclesiæ Græcæ tribuere; cujus fides non ex privatis opinionibus, sed ex Conciliorum decretis, ex publicis Euchologiis, & ex aliis libris symbolicis pendet. Vide sup. n. 237.

275. *Quartum* facile diluitur. Verum sacramentum non est nisi Baptismus aquæ debite administratus. Votum Baptismi, & martyrium non sunt sacramenta, nisi per quamdam analogiam, quia scilicet defectu Baptismi valent ad justificationem a Deo impetrandam, non *ex opere operato*, sed *ex opere operantis*; seu, ut loquitur S. Thomas 3. P. quæst. 66. art. 11., *utrumque aliorum Baptismatum nominatur Baptismus, inquantum supplet vicem Baptismi aquæ*. Insuper nec votum, nec martyrium imprimit characterem.

276. Septem Ordines, quanquam specie inter se differant, unum tamen genus constituunt; & sic unum efficiunt Sacramentum toto genere ab aliis distinctum. *Divisio Ordinis*, inquit S. Thomas in Supplem. quæst. 37. art. 1. ad 2., *non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potentialis; cujus hic est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic: tota enim pleni-*

tu-

tudo Sacramentum hujus est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio Ordinis .... Et ideo omnes Ordines sunt unum sacramentum.

277. Denique diversæ inunctiones, quæ fiunt in diversis infirmi partibus, non tendunt nisi ad unum, adeoque nonnisi unum efficiunt sacramentum.

Quæres *primo*, *cur septem tantummodo, nec plura, nec pauciora sint Sacramenta?*

278. Resp., veram hujus sacri numeri rationem non esse nisi divinam voluntatem; nemo enim inficias iverit, potuisse Deum, si voluisset, aut plura, aut pauciora Sacramenta instituere. Variæ tamen a quibusdam Doctoribus allatæ sunt rationes, quarum aliquas Protestantes non solum contemnunt, & irrident, sed etiam novo cavillandi genere ita impugnant, perinde ac si iis inniteretur firmissimum nostrum dogma. Nos cæteris missis, eam afferemus, quam Catechismus Romanus ex S. Thoma 3. P. quæst. 65. art. 1. ita proponit P. II. *De Sacram. in gen.* cap. 1. num. 20. inquiens: *Cur autem neque plura, neque pauciora numerentur, ex iis etiam rebus, quæ per similitudinem a naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum, vitamque conservandam, & ex sua, reique publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria videntur; ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur, imbecillitas virium reficiatur: deinde quod ad rempublicam attinet, ut magistratus nunquam desint, quorum auctoritate, & imperio regatur; ac postremo legitima sobolis propagatione seipsum, & humanum genus conservet; quæ omnia, quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facile Sacramentorum numerus colligetur.* Haud dissimili ratione congruum esse septenarium Sacramentorum numerum observavit Concilium Florentinum. Alii alias afferunt rationes, quas longius persequi non vacat.

Quæres *secundo*, *an æqualis sit omnium Sacramentorum necessitas, & dignitas?*

279. Respondet Catechismus Rom. P. II. *De Sacram. in gen.* cap. 1. n. 22. his verbis: „ Illud „ vero maxime animadvertendum est, quamvis o„ mnia Sacramenta divinam, & admirabilem vir„ tutem in se contineant, tamen non parem o„ mnia, & æqualem necessitatem, aut dignita„ tem, aut unam, eamdemque significandi vim „ habere. Atque ex iis tria sunt, quæ tametsi „ non eadem ratione, tamen præ ceteris necessa„ ria dicuntur. Baptismum enim unicuique sine „ ulla adjunctione necessarium esse, Salvator his „ verbis declaravit Jo. III. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Pœnitentia vero illis tantummodo ne„ cessaria est, qui se post Baptismum aliquo mor„ tali peccato obstrinxerunt; neque enim æternum „ exitium effugere poterunt, nisi eos admissi pec„ cati rite pœnituerit. Ordo præterea, etsi non „ singulis fidelibus, toti tamen Ecclesiæ omnino „ necessarius est. Verum si dignitas in sacramen„ tis spectetur, Eucharistia sanctitate, & myste„ riorum numero, ac magnitudine longe ceteris „ antecellit."

280. Hæc doctrina sumpta est ex S. Thoma, qui 3. P. quæst. 65. art. 4. postquam observasset, dupliciter aliquid dici necessarium; uno modo *simpliciter*, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ; alio modo *non simpliciter*, sicut equus necessarius est ad iter, ita pergit: „ Primo modo neces„ sitatis sunt tria Sacramenta necessaria: duo qui„ dem personæ singulari: Baptismus quidem *sim„ pliciter, & absolute;* Pœnitentia autem, sup„ posito peccato mortali post Baptismum; Sacra„ mentum autem Ordinis est necessarium Eccle„ siæ; quia *ubi non est gubernator, populus cor„ ruet*, ut dicitur Prov. XI. 14. Sed secundo mo„ do sunt necessaria alia sacramenta. Nam Con„ firmatio quodammodo perficit Baptismum, Ex„ trema Unctio Pœnitentiam; Matrimonium vero „ Ecclesiæ multitudinem per propagationem con„ servat." Vide dicta superius n. 204.

CAPUT VIII.

De Auctore Sacramentorum novæ legis.

281. Sanctus Thomas 3. P. quæst. 64. art. 1. agens de causa Sacramentorum, *primo* observat, interiorem eorumdem effectum, qui est gratia, non posse esse, nisi a Deo, quia, ut dicitur Roman. VIII. 33., *Deus, qui justificat;* tum etiam quia *solus Deus illabitur animæ, in qua sacramenti effectus existit.* Non inficiatur tamen Angelicus, *etiam hominem posse operari ad interiorem effectum Sacramenti, inquantum operatur per modum ministri; nam eadem ratio est ministri, & instrumenti; utriusque enim actio exterius adhibetur: sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus.* Cohærenter ad hæc in art. 2. statuit, *solum* Deum esse Sacramentorum institutorem, quia a solo Deo est virtus Sacramenti: neque enim hæc virtus potest esse ab homine, qui utitur sacramento: *quia homo non operatur, nisi per modum ministerii.*

282. Tota hanc doctrinam postea declarat, & confirmat in art. 3. quærens, utrum Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiorem effectum Sacramentorum? Respondet autem, Christum interiorem Sacramentorum effectum operari, & secundum quod est Deus, & secundum quod est homo; *aliter tamen, & aliter.* „ Nam secundum quod est Deus, operatur in Sa„ cramentis *per auctoritatem:* secundum autem „ quod est homo, operatur ad interiores effectus „ Sacramentorum *meritorie, & efficienter*, sed „ *instrumentaliter* ..... Sed quia est instrumentum „ conjunctum divinitati in persona, habet quam„ dam principalitatem, & causalitatem respectu „ in-

,, instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ. Et ideo sicut Christus inquantum est Deus, habet potestatem auctoritatis in Sacramentis, ita inquantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive *potestatem excellentiæ*, quæ quidem consistit in quatuor. *Primo* quidem in hoc, quod meritum, & virtus passionis ejus operatur in Sacramentis. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud Roman. III. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius;* quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur: ideo *secundo* ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in Sacramentis, pertinet, quod in ejus nomine Sacramenta sanctificentur. Et quia ex ejus institutione Sacramenta virtutem obtinent, inde est, quod *tertio* ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse qui dedit virtutem Sacramentis, potuit instituere Sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, ideo *quarto* ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum Sacramentorum sine exteriori Sacramento conferre;" ut reipsa contulit mulieri peccatrici Lucæ VII. 48., & nonnullis aliis. Hæc S. Thomæ doctrina lucem plurimam affert iis, quæ dicenda sunt.

283. Jam vero certum fidei dogma est, omnia novæ legis Sacramenta fuisse a Christo Servatore nostro instituta; ita enim infallibiliter sancivit sacrosancta Trid. Synodus Sess. VII. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta ..... anathema sit*. Sed quæstio enata est, an omnia Sacramenta fuerint a Christo *immediate* instituta, an solum *mediate*, nempe per Apostolos, aut Ecclesiam, potestate ipsi a Christo Domino concessa. Ita quidem visum olim fuit quibusdam antiquis (*a*). Sed modo tanto consensu omnes docent Theologi omnia Sacramenta fuisse a Servatore nostro *immediate* instituta, ut id negare, sin minus hæreticum, saltem temerarium reputetur.

PROPOSITIO

Omnia novæ legis Sacramenta fuerunt a Christo Domino immediate instituta.

284. Prob. *primo* ex communi, & antiquo Patrum, & Doctorum consensu. Nam ante Hugonem de S. Victore, aliosque paucos Theologiæ Magistros, qui Sec. XII. floruerunt, nullus hac de re dubitasse legitur. Ulterius qui hanc communem aliorum doctrinam de Sacramentorum immediata institutione a Christo facta secuti non sunt, admodum paucos habuerunt sectatores; immo iis aperte repugnavit S. Thomas omnium Scholasticorum princeps, ita ut ipsorum sententia penitus postea obsoleverit.

285. *Secundo* aliqui Patres omnia Sacramenta fuisse *immediate* a Christo instituta satis aperte indicant, ut Sanct. Ambrosius, vel alius antiquus scriptor sex Librorum *De Sacramentis* (*b*). Hic enim Lib. IV. cap. 4. *Auctor*, inquit, *quis est, nisi Dominus Jesus? De cœlo ista Sacramenta venerunt*. Et S. Augustinus *De vera religione* cap. 7. Tom. I. *a Christo Domino*, inquit, *pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt*, *quæ societatem Christiani populi continerent*.

286. *Tertio* certum est, Sacramenta veteris legis fuisse *omnia* a Deo *immediate* instituta: ergo multo magis id credendum de Sacramentis novæ legis, quæ illis in dignitate, & efficacia multo præcellunt. Rursus nemo dubitat, Baptismum, Eucharistiam, & nonnulla alia fuisse a Jesu Christo *immediate* instituta: cur ergo idem non dicatur de ceteris? Neque enim ulla satis probabilis ratio reddi potest, ob quam voluerit Christus aliqua Sacramenta per se ipsum instituere, alia vero per Apostolos, aut per Ecclesiam.

287. *Quarto*. Si quod est Sacramentum, de quo dubitari possit, an fuerit a Jesu Christo *immediate* institutum, illud profecto erit Sacramentum Extremæ Unctionis; & reipsa Hugo de S. Victore, ac Magister sententiarum opinati sunt, hoc Sacramentum non a Christo, sed ab Apostolis originem suam trahere. Atque id modo a nemine catholicorum asseri, aut in dubium revocari potest, postquam sacros. Trident. Synodus Sess. XIV. can. 1. sic expresse definivit: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum .... anathema sit*. Ubi *institutio a promulgatione* distinguitur: prima tribuitur soli D. N. Jesu Christo; altera autem Apostolo Jacobo.

288. Ob. *primo*. Aliquorum Sacramentorum, ut Confirmationis, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, nulla est in sacris litteris mentio: ergo videtur, hæc postea fuisse ab Apostolis, vel ab Eccle-

(*a*) Hugo de S. Victore Sæc. XII. Lib. II. *De Sacramentis*, & Magister *Sententiarum* in IV. Dist. XXIII. aperte negarunt, extremam unctionem fuisse a Christo institutam. Id ipsum de Confirmatione sensit Alexander Alensis P. IV. *Summæ* quæst. 24. membro 1., putans, hoc sacramentum fuisse institutum ab Ecclesia in quodam Concilio Meldensi, quod a vero procul abest. S. autem Bonaventura in IV. Dist. VII. art. 1. quæst. 1. asserit, hoc sacramentum Confirmationis non fuisse a Christo nec institutum, *nec dispensatum, quia solum post ascensionem suam decebat Apostolos confirmari*. Postquam vero Apostoli defecerunt, *instituit*, inquit, *Spiritus Sanctus hujus sacramenti formam, cui etiam virtutem sanctificandi dedit*.

(*b*) Visum est Casimiro Oudino in Comment. *De scriptor. Eccles.* Tom. I. cap. 6., hos libros tribuendos esse cuidam Ambrosio Episcopo Caturcensi Sæc. VIII.; sed Remigius Ceillier Tom. VII. *De auctoribus Eccles.* pag. 486. eorum auctorem fuisse Sæc. VIII. multo vetustiorem, censet.

clesia post Apostolorum obitum constituta ex potestate sibi a Jesu Christo relicta.

289. Resp. neg. cons., quæ nullatenus sequitur ex antecedenti apud nos Catholicos, qui præter verbum Dei scriptum, agnoscimus etiam verbum Dei traditum, ut fidei nostræ regulam. Ita respondet S. Thomas 3. P. quæst. 64. art. 2. ad 1. inquiens: *Ea, quæ sunt de necessitate Sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, & homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione*. Sane, ut S. Lucas testatur Act. I. 3., cum Christus Dominus post suam resurrectionem sæpius apparuerit Discipulis suis, *loquens de regno Dei*, nempe de sua Ecclesia instituenda, & gubernanda, sine dubio etiam de Sacramentorum administratione locutus est, quæ ad fundamenta hujus spiritualis ædificii pertinet. *Non ergo*, inquit apposite S. Leo Serm. I. de Ascensione Domini, *ii dies, qui inter resurrectionem Domini, ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu: sed magna in his confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria*.

290. Dices, Scripturæ sacræ satis innuunt, Christum hanc instituendorum Sacramentorum potestatem tribuisse Apostolis. Nam Jo. XX. 21. iis dixit: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos:* & Matth. ult. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes &c.*; quibus verbis manifeste declaravit, se Apostolos mittere cum omni ea potestate, quam ipse a Patre acceperat, adeoque etiam cum potestate instituendi ea Sacramenta, quæ ipse non instituerat.

291. Resp., potestatem a Christo Apostolis communicatam non esse omnino eadem, aut æqualem illi, quam ipse ut homo a Patre acceperat; illius enim potestas erat *excellentiæ*, ut loquitur S. Thomas sup. num. 282., quæ soli Christo Deo, & homini competit; potestas autem Apostolorum erat *ministerialis*, qua Sacramenta a Jesu Christo jam condita aliis dispensare debebant. Unde S. Joannes in prima sua epist. I. 3. se annuntiare dicit, quæ a Christo audivit, & S. Paulus 1. Corinth. IV. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Immo idem Apostolus in epist. 1. ad Corinth. cap. XI. postquam exposuit ea omnia, quæ pro Sacramento Eucharistiæ a Domino Jesu instituta fuere, concludit caput his verbis: *Cætera autem, cum venero, disponam*; quæ nempe spectant ad dignam hujus Sacramenti dispensationem.

292. Dices *secundo*. Sanctus Paulus 2. ad Cor. II. 10. se personam Christi gerere, aperte significat, inquiens: *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, nempe perinde ac si Christus donasset: ergo etiam auctoritate sibi a Christo data potuit &c.

293. Respondet S. Thomas 3. P. quæst. 64. art. 2. ad 3.: *Apostoli, & eorum successores, sunt vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem, & fidei Sacramenta. Unde, sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia Sacramenta: sed per Sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi*. Ceterum nullibi neque in sacris litteris, neque in veneranda Patrum traditione legitur, aliquod Sacramentum ab Apostolis, & multo minus post Apostolorum mortem fuisse ab Ecclesia institutum.

294. Ob. *secundo*. S. Augustinus in Lib. III. *De doctrina christiana* cap. 9. T. III. loquens de Sacramentis novæ legis, ea dicit *Dominus ipse, & Apostolica tradidit disciplina*. Non solum igitur Christum, sed etiam Apostolos agnoscit Sacramentorum auctores. Præterea in epist. LIV. olim 118. ad Januarium T. II. postquam dixisset, D. N. Jesum Christum *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligasse*, subdit: *sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis, & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis commendatur ... Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri*. Censet igitur Augustinus, nonnisi Baptismum, & Eucharistiam, quorum est in Scripturis expressa mentio, fuisse a Christo Domino instituta; cetera autem *Apostolica disciplina* esse ad nos derivata; vel etiam a plenariis Conciliis statuta.

295. Resp., in primo loco S. Doctorem voluisse primum declarare, Sacramenta novæ legis comparatione Sacramentorum veterum esse *pauca, eademque factu facillima, & intellectu augustissima &c.* Hic enim est ejus scopus, ostendendi scilicet, quam leve esset Christi jugum in comparatione gravis servitutis veteris testamenti. Postea addens, eadem ab ipso Domino, & ab apostolica disciplina esse tradita, opportune significat, non omnia esse in sacris litteris quærenda, sed aliqua etiam sola apostolica traditione teneri, eaque maxime, quæ ad ritus, & cæremonias Sacramentorum attinent; quorum certe plurima ad majus Sacramentorum decus, tum ad excitandam nostram devotionem ab Apostolis, eorumque successoribus addita, ac determinata fuere.

296. Et pariter de hujusmodi ritibus, ac cæremoniis explicandum esse alterum Augustini testimonium ex eadem epist. ad Januar., ipse S. Pater diserte significat, statim addens: *Sicut quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrantur; & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quocumque se diffundit, Ecclesia*.

297. Objiciunt aliqui verba, quæ habentur in quodam Sermone *de ablutione pedum* inter Opera S. Cypriani: *Ipse sumus Sacerdos* (Christus) *sui est sacramenti* (nempe Eucharistiæ) *institutor; in ceteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem*.

298. Sed omnium criticorum judicio ille sermo non est genuinus S. Martyris fœtus; & communiter tribuitur Arnoldo Abbati Bonæ vallis, qui floruit Sæc. XII. Ulterius si hujus auctoris verba presse accipiantur, illud consequetur, nec Baptismum fuisse a Christo Domino institutum, sed solam Eucharistiam. Verum probabile est, hunc incelebrem scriptorem nomine *sui sacramenti* omnia intellexisse Christi Sacramenta; per *cetera* vero ea intellexisse, quæ in Sacramentorum administratione ex Spiritus sancti instinctu Ecclesia addidit.

Quæres, *an fide catholica certum sit, Christum Dominum fuisse omnium Sacramentorum immediatum auctorem?*

299. Resp., non deesse multos, gravesque Theologos, qui id sine dubio affirment. Quamvis enim Synodus Tridentina suo decreto non addiderit vocem illam *immediatum*, contendunt tamen non contemnendis argumentis eam subintelligi debere, nec aliam potuisse esse illorum Patrum mentem. Ita Card. Bellarminus, Recanus, Vasquez, & non pauci alii. Veruntamen dissentiunt ab his Guill. Estius, Suarezius, Tournelius, Jueninus, Cardin. Gotti, Drouvenius, aliique passim, bene advertentes, non casu, sed consulto prætermissam fuisse illam vocem *immediatum*, ne scilicet hæresis nota inureretur illi opinioni, quam Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, Alexander Alensis, S. Bonaventura, aliique Scholasticorum coriphæi innocenter olim adoptaverunt. Vid. hac de re celebratissimus P. Jo. Laur. Berti, qui allegat etiam duos gravissimos testes Jodocum Ravestein, & Ruardum Tapperum Theologos Lovanienses, qui Synodo Tridentinæ interfuere. His duobus addimus Dom. Soto, qui & ipse Concilio interfuit, & tamen in IV. Dist. I. quæst. 5. art. 1. Concl. 3. hæreticum esse non censet negare, Sacramenta Confirmationis, & Extremæ Unctionis fuisse ore Christi proprio instituta.

Quæres secundo, *an potuerit Christus Jesus Apostolis, & Ecclesiæ potestatem instituendi Sacramenta communicare?*

300. Respondet S. Augustinus Tract. V. in Joan. num. 7. T. IV. agens de Baptismo, *potuisse Dominum Jesum Christum, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret Baptismum suum, tanquam vice sua, & transferre a se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare Baptismo translato in servum, quantam vim haberet Baptismus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset Baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo, servum ponere spem in servo ... Intendite. Et potuit hanc potestatem servis dare; & noluit.*

301. Cohærenter ad hanc S. P. Augustini auctoritatem ejus fidelis sectator S. Thomas 3. P. quæst. 64. artic. 4. ita quæstionem resolvit: „ Christus in Sacramentis habuit duplicem potestatem: „ unam *auctoritatis*, quæ competit ei, secundum „ quod est Deus; *& talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec divina essentia*. Aliam potestatem habuit *excellentiæ*, „ quæ competit ei, secundum, quod est homo; „ *& talem potestatem potuit ministris communicare*, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta, & „ ut ipsi possent Sacramenta instituere; & sine ritu Sacramentorum effectum Sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum „ conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis „ virtutem suam instrumento separato tribuere, „ sicut manus baculo ".

302. In resp. autem ad 1. negans cum S. Augustino voluisse Christum hanc suam auctoritatem *excellentiæ* Ecclesiæ ministris communicare, id noluisse dicit, propter fidelium utilitatem, ne in hominem spem ponerent, & ne essent diversa Sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos, qui dicebant 1. ad Corinth. 1. 12.: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi.*

303. Atque hæc est duorum Ecclesiæ, & Theologiæ luminum Augustini, & Thomæ sententia; cui nedum Thomistæ, & Augustiniani subscribunt, sed etiam non pauci aliarum scholarum Theologi, repugnantibus Scoto cum suis asseclis, Gabriele Biel, Durando, Vasquezio &c.

CAPUT IX.

De materia, & forma Sacramentorum.

304. Quando Theologi nominant *materiam*, & *formam* Sacramentorum, intelligunt partes illas, ex quibus eorum essentia constituitur: nimirum ea res materialis, & sensibilis, quæ adhibetur tanquam subjectum, ex. gr. aqua in Baptismo, vocatur *materia*; verba autem, quæ Minister addit, dicuntur *forma*; quæ voces licet sint ex Philosophia Peripatetica depromptæ, generaliter tamen a Theologis usurpari solent, quia aptissimæ visæ sunt ad designandas partes Sacramentorum essentiales; ut quemadmodum in compositis naturalibus materiæ nomen significat id, quod per se indifferens est, & ad certam speciem determinatur per formam, ita in Sacramentis materiæ nomine venit res sensibilis, quæ per se incapax est ad producendum certum aliquem effectum spiritualem, ad id vero determinatur per verba a Ministro prolata; quæ propterea aptissimo vocabulo dicuntur *forma*.

Sic

Sic in Baptismo aqua, qua corpus abluitur, dicitur *materia*, verba autem abluentis: *Ego te baptizo &c.* dicuntur *forma* baptismi; quia his verbis ex Christi institutione ablutio illa corporea ab usu communi elevatur ad significandam, & efficiendam internam, & spiritualem emundationem animæ a peccatis (*a*).

305. Haud inficiamur, has voces *materiæ*, & *formæ* fuisse ex Aristotelica Philosophia depromptas, & veteribus Patribus inusitatas: quia tamen inventæ sunt admodum idoneæ ad explicandas Sacramentorum partes essentiales, non solum a Scholasticis adoptatæ fuerunt, sed etiam ab Eugenio IV., in toties commemorata Instructione Armenorum, ubi inquit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Minisvri conferentis Sacramentum*, Concilium etiam Trident. Sess. XIV. cap. 2. nominat *materiam*, & *formam*, *quibus Sacramenti essentia perficitur*; & cap. 3. *de Sacram. Pœnitentiæ* nos docet hujus Sacramenti *formam* positam esse in illis Ministri verbis: *Ego te absolvo &c.*; actus autem pœnitentis esse *quasi materiam* ejusdem Sacramenti. Immo & ipsam Ecclesiam græcam has voces, utpote valde accommodas, tandem adoptasse apparet, non solum ex celebri responsione Jeremiæ Patriarchæ Constantinop. ad Lutheranos anno 1575., sed etiam ex Gabriele Philadelphio in libello *de Sacramentis*: ac denique ex Synodo Jerosol. habita anno 1672. sub Patriarcha Dositheo.

306. Verum tota novitas est in solis vocibus: nam de re ipsa, seu de duabus partibus Sacramentorum essentialibus nulla esse potest controversia. Notum est illud S. Augustini Tract. LXXX. in Jo.: *Detrahe verbum: & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; ubi nomine *elementi* intelligit aquam, quam nos dicimus *materiam* Baptismi; per *verbum* autem sine dubio verba consecrationis intelligit, quæ nos *formam* nominamus. Cavendum est tamen, ne philosophicis ideis, quas scholastici termini in nobis excitant, nimis presse insistamus; isti enim termini prudenter fuerunt e scholis hausti, quia alii magis proprii ad res divinas explicandas desunt; quique propterea nobis utiliter inservire possunt ad ea intelligenda, quæ Deus pro salute nostra instituere, & revelare dignatus est.

307. Erraret tamen, qui has voces in ea propria significatione acciperet, qua usurpantur in scholis ad explicanda composita naturalia, vel artificialia. Quamobrem non sine causa Eugenius Papa in *Instruct. Armenorum* mox laudata dicit, res esse *tanquam materiam*, & verba *tanquam formam*; tum etiam Concilium Trid. actus pœnitentis vocavit *quasi materiam* Sacramenti. Et utroque multo antiquior S. Thomas, 3. P. quæst. 60. art. 6. ad 2. observat, ex materia, & forma in Sacramentis fieri *quodammodo unum*; & art. 7. „ *In Sacramentis*, inquit, verba se habent *per* „ *modum formæ*; res autem sensibiles *per mo-* „ *dum materiæ*," indicans inter Sacramenta, & compositum physicum latum esse discrimen. His breviter prænotatis, multisque aliis subtilioribus Scholasticorum speculationibus prætermissis, nonnullas resolvemus quæstiones.

Quæres primo, *an materia, & forma Sacramentorum fuerit a Deo determinata?*

308. Respondet S. Thomas 3. P. quæst. 60. art. 5.

(*a*) Novatores, qui studiose quærunt occasiones Ecclesiæ Romanæ doctrinam carpendi, hac etiam in parte nobis litem intentant, quod profana philosophiæ Aristotelicæ vocabula ad Religionis dogmata explicanda transtulerimus. Reipsa fatendum est, apud veteres sanctos Patres hæc vocabula non inveniri; primusque qui ea usurpaverit, creditur fuisse Guillelmus Antisiodorensis circa annum 1215. Plura de harum vocum novitate habet Jo. Morinus in *Comment. Histor. de Pœnit.* Lib. VI. cap. 24., addens, „ Scholasticorum de Sacramen- „ tis Ecclesiæ philosophandi methodum Græcis omni- „ bus, etiam doctissimis, prope esse incognitam. Ideo „ nunquam apud eos legas, hæc est sacramenti mate- „ ria, hæc forma, si paucos forsan ab annis 80. ex- „ cipias, qui in Collegio Romano operam litteris theo- „ logicis navaverunt; aut cum iis aliisque latinis ver- „ sati sunt. Id antiquorum, & recentiorum scriptorum „ lectio non modo docet, in quibus ista nunquam oc- „ currunt, verum etiam Petrus Arcudius, græcus Theo- „ logus, Philosophiæ, ac Theologiæ Scholasticæ peri- „ tissimus, & qui cum Græcis schismaticis in Italia, „ Græcia, & Russia sæpissime congressus est cap. 2. „ Lib. IV. *Concordiæ Ecclesiæ Orientalis cum Occiden-* „ *tali*. Scribit enim *Græcos passim ne quidem scire*, „ *quod sibi velint hujusmodi termini, materia & for-* „ *ma in Tractatu de sacramentis*." Ibidem tamen fatetur Morinus, Hieremiam Patriarcham Constantinopolit. in celebri responso ad Theologos Wirtembergenses mentionem fecisse *materiæ*, & *formæ* in sacramentis. Eadem repetit Morinus *De Sacris Ordinat.* P. II. Exercit. I. cap. 3. Idem docet Gaspar. Juenin. in *Comment. Histor. & Dogmat. De Sacram.* Dissert. I. quæst. 3. cap. 2., notans, ante Guill. Antisiodorensem, nihil de vocibus *materiæ*, & *formæ* legi apud Lanfrancum, Guitmundum, Anselmum, Yvonem, Abailardum, Bernardum, Hugonem a S. Victore; immo nec apud Lombardum, seu Magistrum Sententiarum Scholasticorum Principem, qui, circa annum 1150. scripsit; neque apud Petrum Pictaviensem, qui primus Magistrum commentatus est. Hæc tamen omnia non impediunt, quin Theologi unanimi consilio, & multo magis Ecclesia, novas voces adhibere possint ad antiqua dogmata clarius exponenda; cujusmodi certe sunt illa vocabula *materiæ* & *formæ*, quæ multo clarius explicant partes sacramentorum essentiales, quam antiquæ voces *signi, & rei invisibilis; rerum, & verborum*, aut *Sacramenti, & rei Sacramenti*, aliæque similes, quibus sancti Patres, & veteres Theologi olim utebantur. Quod si nonnunquam *formam* sacramentorum nominarent, aliud quid intellexerunt, quam modo nos intelligamus; intelligebant scilicet illum cæremoniarum apparatum, quibus sacramenta administrantur, ut Morinus probat *De Sacris Ordinat.* P. III. Exerc. 1. cap. 3.

5. & seq. *affirmative ;* & *primo* id de materia ita probat: ,, In usu Sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus, & sanctificatio ,, hominis; quorum primum pertinet ad hominem ,, per comparationem ad Deum; secundum autem ,, e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non pertinet autem ad aliquem determinare illud, quod est in potestate ,, alterius, sed solum id, quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione ,, determinatum. Et ideo in Sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur, secundum ,, illud 1. ad Corinth. VI. 11. *Abluti estis, sanctificati estis*, oportet uti rebus ex divina Institutione determinatis ".

309. In art. autem 6. generaliter ostendit, in significatione Sacramentorum requiri verba, quia, ut dicit S. Augustinus in II. *De doctrina Christ.* cap. 3. T. III., *verba inter homines obtinuerunt principatum significandi* (*a*). ,, Et ideo, subdit ,, Angelicus, ad perfectionem significationis Sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua ,, enim significare potest & ablutionem propter ,, suam humiditatem, & refrigerium propter suam ,, frigiditatem. Sed cum dicitur, *Ego te baptizo*, ,, manifestatur, quod aqua utimur in Baptismo ad ,, significandam emundationem spiritualem ".

310. Sed postea in art. 7. evincit, hanc formam verborum debere esse *determinatam :* & quidem ex eo, ,, quod Dominus determinata verba protulit in consecratione Sacramenti Eucharistiæ, dicens Matth. XXVI. 26. *Hoc est corpus meum.* ,, Similiter etiam mandavit discipulis, ut sub determinata forma verborum baptizarent, dicens ,, Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* ".

311. Addit deinde hanc rationem. ,, In Sacramentis verba se habent per modum formæ, res ,, autem sensibiles per modum materiæ. In omnibus autem compositis ex materia, & forma principium determinationis est ex parte formæ, quæ ,, est quodammodo finis, & terminus materiæ; & ,, ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata materia; materia ,, enim determinata requiritur, ut sit proportionata determinatæ formæ. Cum igitur in Sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, ,, quæ se habent in Sacramentis sicut materia, ,, multo magis requiritur in eis determinata forma ,, verborum (*b*).

312. Difficultas præcipua, quam sibi Angelicus objicit de materiæ determinatione, inde oritur, quod in Sacramentis legis naturæ non requirebantur aliquæ res determinatæ: ergo videtur, multo minus has res determinari debuisse in lege Christi, ne homini difficilior via salutis reddatur.

313. Hanc difficultatem ita solvit Doctor Aquinas laud. art. 5. ad 3. *Sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum ; ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscurationem legis naturæ ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit, res determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis, quia res, quarum usus est necessarius in Sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt.*

314. Similis exsurgit difficultas contra usum verborum in Sacramentis, seu *formam*, quia in Sacramentis veteris legis nulla requirebatur verborum forma. Sic Gen. XVIII. ubi describitur institutio Circumcisionis, nulla præscribitur verborum forma. Et pariter in Sacramento agni paschalis Exodi XII. nihil innuitur in verbis proferendis, quanquam omnes cæremoniæ accurate præscribantur. Sic etiam Levit. VIII., ubi ritus statuitur sacerdotes consecrandi.

315.

(*a*) Nimis pulchra sunt verba S. Doctoris, ut propterea omitti non debeant: ,, Signorum, inquit, quibus inter se homines sua sensa communicant, quædam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad aurium, paucissima ad ceteros sensus. Nam cum innuimus, non damus signum, nisi oculis ejus, quem ,, volumus per hoc signum voluntatis nostræ participem facere. Et quidam motu manuum pleraque significant: & histriones omnium membrorum motibus dant signa quædam scientibus, & cum oculis ,, eorum quasi fabulantur; & vexilla, draconesque militares per oculos insinuant voluntatem ducum: & ,, sunt hæc omnia quasi quædam verba visibilia. Ad ,, aures autem quæ pertinent, ut dixi, plura sunt, in ,, verbis maxime. Nam & tuba, & tibia, & cythara ,, dant plerumque non solum suavem, sed etiam significantem sonum. Sed hæc omnia signa verbis comparata paucissima sunt. Verba enim prorsus inter ,, homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit.

(*b*) En quomodo Angelicus insanam Lutheri hæresim multo antea confutaverat. Hic quippe Hæresiarca consentanee ad suum capitalem errorem, justificationem non esse a Sacramentorum efficacia repetendam, sed a fide, quæ ab eis in homine excitatur, in Lib. *De captiv. Babylonica*, docuit, posse formas Sacramentorum mutari, aliis substitutis verbis ad eamdem fidem suscitandam idoneis. Pœnituit quidem eum postea hujus doctrinæ, eamdemque revocavit; sed jure fuit a Zwinglio, Brentio, aliisque inconstantiæ & inconsequentiæ accusatus.

515. Respondet S. Doctor art. 6. ad 3. ex S. Augustino Lib. XIX. *Contra Faustum* cap. 16. & 17. T. X., „ alia debere esse Sacramenta rei præsentis, & alia rei futuræ. Sacramenta autem „ veteris legis prænuntia erant Christi venturi; & „ ideo non ita expresse significabant Christum, „ sicut Sacramenta novæ legis, quæ ab ipso Christo effluunt, & quamdam similitudinem ipsius „ in se habent. Utebantur tamen aliquibus verbis „ in his, quæ ad cultum Dei pertinent, tam Sacerdotes, qui erant Sacramentorum illorum ministri, secundum illud Num. VI. 23. *Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus &c.*; quam etiam illi, qui illis Sacramentis utebantur, secundum illud Deuter. „ XXVI. 3. *Profiteor hodie coram Deo tuo, quod* „ *&c.*" Et hæc de prima quæstione satis, quæ enim pertinent ad singulorum Sacramentorum materiam, & formam, opportunius explicabuntur, quando erit de singulis Sacramentis disputandum.

Quæritur *secundo*, *an Christus Dominus Sacramentorum materiam*, *& formam non tantum* in genere, *sed etiam* in specie *determinaverit?*

516. Resp., dubitari minime posse, materiam aliquam, & formam fuisse a Christo Sacramentorum auctore præscriptam, cum sine hisce duabus partibus Sacramenta esse nequeant. Scholastici tamen subtilius inquirere cœperunt, an istæ duæ partes fuerint tantum *in genere*, an vero etiam *in specie*, a Christo ipso in *omnibus* Sacramentis determinatæ. Dixi *in omnibus*; quia certissimum est, in Sacramentis Baptismi, & Eucharistiæ tam materiam quam formam fuisse ab ipso Christo institutas. Solum ergo quæritur de materia, & forma aliorum quinque Sacramentorum.

517. Non pauci, cum veteres, tum recentiores arbitrati sunt, *quorumdam* Sacramentorum materiam, & formam nonnisi *in genere* fuisse a Christo Domino constitutas, relicta Ecclesiæ suæ sponsæ potestate easdem sub perenni Spiritus Sancti assistentia *in specie* determinandi. Et hæc sententia commodior visa est, ad conciliandam simul diversam Ecclesiæ græcæ, & latinæ praxim in quorumdam Sacramentorum administratione (*a*).

518. Sed opposita sententia, scilicet Christum Jesum, ut omnia & singula Sacramenta, ita etiam omnium partes essentiales, materiam nempe, & formam, in specie instituisse a plerisque multo probabilior judicatur. Primo enim videtur conformior menti Patrum Tridentinorum, qui Sess. XXI. cap. 2. declararunt, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*. Porro apposita restrictio *salva illorum substantia*, manifeste indicat, non esse in Ecclesia auctoritatem aliquid statuendi circa materiam, & formam, quæ ad Sacramentorum substantiam pertinent.

519. Præterea, cum certum sit apud omnes, Christum determinasse *in specie* Baptismi, atque Eucharistiæ materiam, & formam, argumentum satis probabile ducunt, id etiam in aliis Sacramentis præstitisse. Neque referre putant, quod Scriptura, & Patrum traditio nullam hujus determinatæ materiæ, ac formæ mentionem faciant apertam; ad id enim sufficere ajunt antiquam Ecclesiæ praxim. Plenius hac de re tractabitur, cum de singulis Sacramentis agemus.

Quæres *tertio*, an *verba formæ sint vere consecratoria?*

520. Resp. *affirmative* contra Novatores, qui eadem solum *concionatoria* esse contendunt, ad excitandam in suscipientibus fidem, a qua sola gratiam Sacramentalem repetunt (*b*); quem eorum errorem inferius cap. 10. operose confutabimus. Sed refelluntur *primo* ex puerorum Baptismo, qui concionis, aut fidei actualis capaces non sunt: *secundo* ex Baptismo collato ab hæreticis, quorum certe fides, ac proinde etiam concio recta non est, Baptismus tamen est validus, si fuerit Evangelica forma collatus; *tertio* ex eo, quod aliud sit *concionandi*, aliud *baptizandi* ministerium, quod Apostolus Paulus declarat 1. ad Cor. I. 17. inquiens: *Non enim misit me Christus Baptizare*, *sed Evangelizare: quarto*, quia idem Apostolus in eadem Epist. cap. X. 16. Eucharistiam vocat *Calicem benedictionis*, *cui benedicimus: demum*, quia ipse S. Augustinus, cui plurimum, licet incassum, fidunt Novatores, Lib. III. *De Baptismo* cap. 10. T. XII. *Baptismus Christi*, inquit, *verbis Evangelicis consecratus*, *& per adulteros*, *& in adulteris sanctus est*.

521.

(*a*) Id docuerunt S. Bonaventura in IV. *Sent.* Dist. VII. art. 1. quæst. 1., Alexander de Ales in IV. P. *Summæ*, Innocentius IV. in cap. *Presbyter de Sacramentis non iterandis*, aliique veteres; quibus subscribunt ex recentioribus Card. Bellarminus *De Ordine*, *& Extrema unctione*, Franc. Halier *De sacris ordinationibus* P. II. Sect. II. cap. 2., & Natalis Alexander *Theol. dogm. & moralis* Lib. II. cap. 3. prop. 2., ubi nonnullos alios ejusdem sententiæ patronos nominat, addens, *plerosque Parisienses Theologos doctissimos* idipsum sentire.

(*b*) Lutherani profitentur, se verba *consecratoria* admittere; ita enim eorum nomine scribit Jo. Gerhardus Theologus Jenensis in *Locis Theolog.* T. VII. Loco XIX. cap. 5. Sect. 4.: *Consecrationem*, *sive* εὐλογίαν ϰ̀ ἁγιασμὸν *dicimus*, *non esse tantum instructionem auditorum ... sed etiam symbolorum ad usum sacramentalem efficacem dedicationem*, *ac sanctificationem*, *ut cum illis ex divinæ institutionis*, *ordinationis*, *ac promissionis res cælestes distribuantur*, *exhibeantur*, *& sumantur*, *atque hac ratione symbola illa terrena in novum*, *& meliorem statum*, *videlicet ad usum mysticum*, *& sacrum transferantur*. *Proinde consecratio ... est sacra*, *& efficax actio*, *per quam symbola Sacramentalia vere*

521. Ex hactenus dictis infertur, Sacramenta irrita, atque inania esse, in quibus *sola* concio adhiberetur, prætermissa forma consecratoria. Hanc formam in Baptismo omittere non solent Protestantes; quamobrem hoc eorum Sacramentum validum est. Dicitur tamen, eosdem in sacra cœna solis verbis concionatoriis occupatos aliquando verba consecratoria omittere; & tunc Eucharisticum Sacramentum nullum esset, etiamsi a Sacerdote rite ordinato perficeretur, cujusmodi apud ipsos esse posset aliquis noster Sacerdos infelix apostata.

Quæres *quarto*, *quœnam materiœ*, *ac formœ mutatio irritum reddat Sacramentum?*

522. Resp., solam mutationem *substantialem*, non autem *accidentalem*. Mutatio autem substantialis materiæ est, quando adhibetur res sensibilis specie diversa ab ea, quam Christus præscripsit, ut si aqua artificialis, aliusve liquor ad Baptismum adhiberetur; vel panis hordeaceus, aut farinæ massa non cocta loco panis triticei in Eucharistia consecraretur. Mutatio vero accidentalis materiæ dicitur, quando alteratur quidem, non autem specie mutatur: ut si aquæ admisceatur sal, vel cinis; vel Baptismus conferatur aquis mineralibus &c.

523. Mutatio substantialis formæ, definiente S. Thoma 3. P. quæst. 60. art. 7. ad 3. tunc fit, quando *corruptio tanta est*, *ut omnino auferat sensum locutionis*. Sic S. Irenæus Lib. I. can. 18., & ex S. Irenæo Eusebius Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 11. refert, quosdam Hæreticos ita baptizasse: *In nomine ignoti omnium Patris*, *in veritate omnium matre; in eo*, *qui descendit in Jesum*. Accidentalis autem mutatio reputatur, quando idem verborum sensus permanet; ut si quis in forma Baptismi omitteret pronomen *ego*, vel diceret: *ego te abluo &c.* Sed de his consulendi sunt Theologiæ Moralis Tractatores, ac præcipue Nat. Alexander, qui in I. Tomo *Theol. Dogmatico-Moralis* Lib. II. cap. 5. nonnullas regulas tradit, quibus facile potest mutatio substantialis ab accidentali distingui.

Quæres *quinto*: *an materiœ applicatio*, *& formœ prolatio debeant simul conjungi in administratione Sacramenti?*

524. Resp. *affirmative*, quia hæ duæ partes ad sacrum illud compositum constituendum ex divina institutione determinatæ sunt; & quia ad gratiam, quam continent, & conferunt, significandam neutra sufficit, sed ambæ requiruntur. Sic in Baptismo nec sola aquæ ablutio sine verbis, nec verba sine ablutione gratiam sanctificantem significare possunt; utraque ergo debent simul conjungi. Quia tamen Sacramentum non est compositum physicum, sed morale, aliqua brevis interpolatio Sacramenti essentiam non tollit, dummodo notabilis non sit.

525. Excipitur ab hac regula generali sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, quod forma pertranseunte, solisque speciebus panis, & vini remanentibus, perdurat; unde hoc illi peculiare est, quod solum *in fieri*, ut philosophico verbo utamur, constet materia, & forma. Quamobrem cum duo Concilia Florentinum, & Tridentinum supra n. 505. allata dicunt, Sacramenta perfici materia, & forma, hoc respectu Eucharistiæ debet intelligi de actuali consecratione, in qua adest *materia* panis, & vini, & *forma*, qua panis, & vini substantia in verum corpus, & sanguinem Christi transmutatur.

Quæres *sexto*, *quid sentiendum sit de formula conditionata?*

526. Resp. Fere omnes eruditi fatentur, septem prioribus Ecclesiæ sæculis nullum formulæ conditionatæ in Ecclesiasticis monumentis inveniri vestigium, unde colligunt Theologi, toto illo temporis intervallo fuisse inusitatam. Prima ejusdem mentio apparet in capitularibus Caroli Magni, Sæc. VIII. Libro enim VI. cap. 184. ita præcipitur: „ De quibus dubium est, utrum sint baptizati, „ an non, absque omni scrupulo baptizentur, his „ tamen verbis præmissis: *Non te rebaptizo; sed* „ *si nondum baptizatus es*, *baptizo te in nomi-* „ *ne &c.* " Apud Balluzium Tom. I.

527. Sed postea Sæc. XIII. formæ conditionatæ usus apud Latinos ubique invaluit, quando scilicet Gregorius IX. Decretales a S. Raymundo de Pennafort compilatas evulgavit. In iis enim Extra *de Baptismo* c. 2. continetur Decretalis Alexandri III., in qua sic de Baptismo statuitur: „ De qui- „ bus dubium est, an baptizati fuerint, baptizen- „ tur his verbis præmissis: *Si baptizatus es*, *non* „ *te baptizo; sed si nondum baptizatus es*, *ego* „ *te baptizo &c.* " Post hoc jus Canonicum evulgatum, & ubique receptum, omnes Canonistæ, & Theologi forma conditionata utendum esse docuerunt, quotiescumque aliquod fundatum dubium exoritur, an subjectum sit Sacramenti capax; vel an Sacramentum fuerit prius valide collatum. Quod etiam confirmatum fuit a Joanne XXII. apud Odor. Raynaldum ad annum 1333. num. 42.

528. Rituale Romanum de forma Baptismi agens, postquam modum explicavit, quo conditio exprimenda est, hoc monitum subdit: *Hac tamen conditionali forma non passim*, *aut leviter uti* li-

sanctificantur, *hoc est profanis usibus eximuntur*, *& usui Sacramentali destinatur*. Ne tamen Catholicis consentire videatur, negat subinde consecrationem esse *magicam*, *& superstitiosam quamdam actionem*, *ex dignitate & qualitate personœ*, *hoc est ex potestate*, *& charactere ministri pendentem*, *qui vi intentionis suœ Sacramentum conficiat*. Quæ postrema verba ipsam consecrationis notionem evertunt; neque enim aliter vere dici potest, verba formæ Sacramentorum esse *consecratoria*, nisi quia materiam ex se indifferentem determinant ad conficiendum Sacramentum: *accedit verbum ad elementum*, *& fit Sacramentum*.

licet; sed prudenter, & ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum. Quod monitum maxime attendendum est in tribus Sacramentis, quæ propter characterem impressum iterari non possunt. Immo in iis solis olim forma conditionata adhiberi consuevit: & nonnisi post Concilium Tridentinum in aliis etiam adhiberi cœpit, quando prudenter dubitatum est, an subjectum capax sit Sacramenti; vel an Sacramentum fuerit rite collatum. Vid. Benedictus XIV. *De Synodo Diœcesana* Lib. VII. c. 7., ubi aures præbendas esse vult Estio, monenti, ne ob quamcumque levem in contrarium suspicionem, vel scrupulum aliquis sub conditione baptizetur. Legatur Catechismus Rom. P. II. *De Sacram. Baptism.* num. 57.

Quæres *septimo*, *quid dicendum sit de ritibus, & cæremoniis in Sacramentorum administratione adhiberi solitis?*

329. Resp. Synodus Tridentina Sess. VII. can. 13. *De Sacramentis* ita definivit: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Hanc etiam in Piana fidei professione positum est: *Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.*

330. Omissio tamen harum cæremoniarum, & solemnitatum Sacramenta irrita non facit, quia ad ipsorum substantiam proprie non pertinent, sed ab Ecclesia additæ sunt ad majorem ipsis Sacramentis reverentiam conciliandam. Quamobrem varii olim in diversis Ecclesiis, & in diversis temporibus hujusmodi ritus invaluerunt; *tamen sapienter Ecclesia declaravit*, ut inquit Zegerus Bern. Van-Espen P. II. *Juris Eccl.* Sect. 1. c. 2. num. 10., *eos non posse arbitrio quorumcumque inferiorum Pastorum, vel Ministrorum mutari, aut de novo introduci; ne alias sub specie religionis, & pietatis, superstitio, aut avaritia, vel irreverentia in Sacramentorum administratione sensim immisceantur; quod aliquot ante Synodum Tridentinam sæculis non infrequens fuit; ipsisque hæreticis ritus Ecclesiasticos explodendi, ac generatim rejiciendi prætextum dedisse videtur.* Atque his de causis editum fuit Rituale Romanum, in cujus præfatione Paulus V. *Restabat*, inquit, *ut uno etiam volumine comprehensi sacri, & sinceri Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicæ Sedis auctoritate prodirent, ad cujus voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine sua illi ministeria, tanquam ad publicam, & obsignatam normam peragerent, unoque, ac fideli ductu inoffeso pede ambularent cum consensu.* Fuit autem hoc Rituale a cl. Jos. Catalano tribus volum. in fol. illustratum Romæ ann. 1758. Sed hac de re aliquanto uberius agemus cap. postr.

Quæres *ultimo*, *an ad nutriendam fidelium pietatem satius foret Sacramenta, & eorum cæremonias vulgari idiomate celebrare?*

331. Resp. *negative*, & quidem multis de causis. *Primo* enim veneranda linguæ latinæ antiquitas, qua Ecclesia Occidentalis in suis incunabilis usa est, a nobis exigere videtur, ut eadem lingua non immutetur. Hac de causa etiam in Ecclesia Orientali liturgiæ eodem ipso idiomate, quo primitus institutæ fuere, conservatæ sunt, licet illud primum idioma a rudi populo non amplius intelligatur. Sic nec hodierni græci vulgares doctam linguam Græcam callent, nec Syri antiquam linguam Syriacam, nec Cophti Alexandrini Ægyptiacam; quod injustis Protestantium querelis solita sua eruditione opposuit Eus. Renaudotius in Dissert. I. *De liturgiarum Orientalium origine, & auctoritate* cap. 6. *Secundo* ad uniformitatem observandam id est necessarium. Cum enim in Ecclesia Occidentali multa regna, multæque provinciæ comprehendantur, quæ diversis omnino linguis utuntur, liturgiæ vernaculæ nimis multiplicari, & variari deberent. Immo cum ipsæ ejusdem provinciæ, & regni linguæ sensim immutentur, nova semper liturgiarum versio fieri deberet, ut a rudi populo intelligeretur (*a*). *Tertio* ad majorem conciliandam sacris mysteriis reverentiam, & devotionem satius visum est, quod illa celebrentur formulis non vulgaribus, quæ possent sensim verti in contemptum. Atque hac etiam de causa ab Ecclesia statutum fuisse, ut quædam a Sacerdotibus in Missa secreto recitarentur, ne scilicet *sacrosancta verba vilescerent*, asserit Innocentius III. *De Sacro Altaris mysterio* Lib. III. cap. 1. (*b*). Ne tamen rudis populus debita, & necessaria sacrorum mysteriorum intelligentia pri-

(*a*) Id proprio periculo cognoscere debuissent Novatores. Quam enim carmine gallico olim ediderunt Psalmorum versionem, jam adeo obscura facta est propter linguæ vernaculæ mutationem, ut vix a doctis intelligatur, & risum potius, quam devotionem in multis excitet. Rursus si Calvinistæ Galli in Angliam, vel Germaniam commigrent, aut vicissim Angli, vel Germani in Galliam, certe liturgiæ sensum minime percipient.

(*b*) Cum D. de Voisin ann. 1660. Parisiis vulgasset Missale Romanum in gallicam linguam conversum, florentissimæ illius Ecclesiæ Episcopi hanc novitatem illico improbarunt; postea autem Alexander VII. apostolica Constitutione edita ann. 1661. Missale præfatum gallico idiomate conscriptum perpetuo damnavit, & interdixit.

privetur, Sacros. Trid. Synodus Sess. XXIV. de reform. cap. 7. ita providentissime decrevit: *Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit S. Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum hæc per seipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, & usum pro suscipientium captu explicent; sed etiam idem a singulis Parochis pie, prudenterque etiam lingua vernacula, si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant &c.*

CAPUT X.

De Sacramentorum N. L. efficacia.

552. Relatæ superius cap. I. Sacramentorum definitiones traditæ ab Hæreticis, quamvis multum inter se discrepent, in hoc tamen puncto capitali conveniunt, Sacramenta non esse signa gratiæ efficacia, sed inania, & vacua, neque a Sacramentis veteris legis, quæ gratiam tantummodo significabant, esse diversa. Communis autem hic Novatorum error a perversa illorum doctrina descendit, quam exposuimus, & confutavimus Tomo VI. *Prælect.* Theol. Diss. II. c. I. scilicet justificationem nostram *soli fidei* divinarum promissionum esse adscribendam. Inde enim manifeste fluit, Sacramenta ad justificationem consequendam nihil valere, aut si quid valent, solum valere ad fidem earumdem promissionum in nobis excitandam, fovendam, atque augendam. Hinc consequenter docent, Sacramenta non esse nisi pignora, arrhas, atque sigilla divinarum promissionum, unde certi reddimur, easdem promissiones in nobis esse completas (*a*).

PROPOSITIO I.

Sacramenta novæ legis non sunt nuda quædam signa, vacua, & sterilia, quæ gratiam tantummodo præfigurent, sed sunt signa efficacia, quæ gratiam continent, eamque in nobis producunt, nisi obex ex parte nostra opponatur.

553. Id vero ostenditur *primo* apertissimis sacr. Scripturarum oraculis, quæ Religionis nostræ Sacramentis efficacem justificandi, & sanctificandi vim tribuunt. Joan. III. 5., dixit Jesus Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, significans scilicet regenerationem spiritualem, quam nobis tribuit Baptismus per virtutem Spiritus Sancti. Ephes. V. 25. *Christus*, inquit Apostolus, *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, nempe per Sacramentum Baptismi. Ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Item S. Petrus Act. II. 38. dicebat Judæis: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Ac demum Ananias Saulum a Christo Jesu mirabiliter vocatum ita allocutus est Act. XXII. 16.: *Quid moraris? Exsurge, & baptizare, & ablue peccata tua.* Hinc recte jubentur Fideles in Symbolo Costantinopol. confiteri inter alios articulos *unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Quod autem brevitatis causa dictum est de solo Baptismo, potest facile demonstrari etiam de aliis Sacramentis, quibus sacræ litteræ virtutem tribuunt emundandi, & sanctificandi animas, non minus quam Baptismo.

554. Sane ad sigificandam vim, & efficaciam passionis Jesu Christi ad diluenda nostra peccata, non aliis phrasibus Scripturæ sanctæ utuntur; ut cum Joannes in sua prima epist. I. 7. dicit: *Sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato*; negabuntne adversarii sanguini Jesu Christi veram, & efficacem virtutem nos emundandi? Non puto. Neque igitur negare possunt hanc eamdem virtutem Baptismo, per quem Deus Ecclesiam mundat, & sanctificat; & sic etiam nec aliis Sacramentis.

555. Præterea non esse institutum Baptismum solummodo ad excitandum fidem, luculenter evincitur ex Act. VIII. 36. seq. ubi Eunuchus a Philippo de nostræ religionis mysteriis satis edoctus petiit baptizari: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Respondit autem Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Erat ergo in eo fides jam excitata: & tamen baptizari petiit, & reipsa baptizatus est, non certe alia de causa, nisi quia per Sacramentum Baptismi debebat a peccatis emundari. Similiter in eodem cap. v. 13. legitur de Sa-

(*a*) Neque vero iisdem Novatoribus fidendum est, cum aliquando vocant Sacramenta *signa efficacia*, vel *causas instrumentales* gratiæ. Nihil enim aliud intendunt, quam per sacramenta, tamquam per divinarum promissionum sigilla in nobis excitari fidem, quam solam justificationis nostræ causam agnoscunt. Testis sit Mart. Kemnitius, qui P. II. *Examinis Concil. Trident.* postquam multa disseruisset de Sacramentorum efficacia, ut a Catholicis vix dissentire videretur, ita demum concludit: *Verbum igitur* (nudum, & prædicatum) *& Sacramenta monstrant nobis, ubi fides debeat credere, & ubi possit invenire Christum mediatorem, Patrem, & Spiritum sanctum, ita ut nobiscum agant; exhibeant, adplicent, & obsignent beneficia, quæ Christus promeruit, & de quibus Evangelium concionatur.* Quamobrem assentire non possum doctissimis Fratribus Petro, & Adriano de Walemburch, qui Tomo II. *Controvers.* Tract. I. cap. 21. hanc controversiam de Sacramentorum efficacia meram esse logomachiam crediderunt. Idem fuit persuasum perdocto Le Fevre in *Addition. ad motiva invincibilia* §. 4., aliisque non multis, qui hæreticorum fraudes, & æquivocationes non bene olfecerunt.

Samaritanis, quod *cum credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres*; ut nempe intelligamus, fidem quidem in adultis præcedere debere, justificationem autem per Sacramentum obtinendam esse. Huc denique spectant verba Christi Domini Marci XVI 16.: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Ubi ad salutem non fidem solam sufficere, sed præter fidem etiam Sacramentum Baptismi requiri, manifeste docetur.

336. Prob. *secundo* nostrum dogma veterum Ecclesiæ Patrum auctoritate. Nam antiquissimus Tertullianus Lib. *De Baptismo* cap. 1. *Felix*, ait, *Saramentum aquæ nostræ, qua ablutis delictis pristinæ cœcitatis, in vitam æternam liberamur*. Plura similia habet in eodem libro, ad probandam Baptismi efficaciam. Et in Lib. *De resurrect. carnis* cap. 8. *Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur; caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur*.

337. S. Cyprianus in epist. LXXII. ad Stephanum dicit, Catechumenos *plene sanctificari, & esse filios Dei*, cum Sacramento Baptismi renascuntur.

338. Sed præstat audire S. Augustinum, quem obtorto collo adversarii in suas partes trahere satagunt (a). In Ps. LXXIII. num. 2. docet, non eadem esse Sacramenta veteris, & novi testamenti, quia *alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem: Sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem*. In Enchiridio cap. 64. Baptismum dicit, non solum originalem culpam, *sed activa quoque peccata, quæcumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollere*. In Lib. XIX. contra Faustum cap. 11. *Sacramentorum vis*, inquit, *inenarrabiliter valet plurimum; & ideo contempta sacrilegos facit*. Ac demum Tract. LXXX. in Joan. *Unde*, inquit, *tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?*

339. Neque prætermittendus est ex Patribus latinis S. Leo Papa, qui in Serm. XXIV., seu IV. in Nativ. Domini c. 3. *Omni homini*, inquit, *renascenti aqua Baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit & Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio*. Nescio, an aliquid magis energicum excogitari possit ad declarandam summam efficaciam Baptismi ad delenda peccata.

340. His Patribus latinis tres græcos adjungamus ad cognoscendam utriusque Ecclesiæ perfectam in hoc dogmate consonantiam, scilicet Basilium, Gregorium Nyssenum, & Cyrillum Jerosolymitanum. Horum primus Hom. XIII. per Baptismum dicit *renovari animam*. Et postea: *Baptismus ergo peccati mors, animæ regeneratio, adoptionis gratia*. Ejus autem frater Gregorius Nyssenus Orat. in Christi Baptismum, postquam dixisset, Baptismum esse *expiationem peccatorum, remissionem delictorum, renovationis & regenerationis causam*, ita subdit: *Aqua, cum nihil sit aliud, quam aqua, superna gratia benedicente, in eum, quæ mente percipitur, hominem renovat generationem. Quod si quis mihi dubitando, negotium exhibeat, interrogans, qua ratione aqua regeneret? Dicam optimo jure ad eum: ostende mihi modum nativitatis, quæ fit secundum carnem, & ego tibi vim regenerationis, quæ secundum animam fit, exponam*. Denique S. Cyrillus Jerosolym. Catechesi III. *Per aquam*, inquit, *gratia datur &c.*

341. Hæ, aliæque similes, sæpius repetitæ, sanct. Patrum locutiones quid aliud significant, quam latentem, & invisibilem Dei gratiam nobis per Sacramenta infundi, ad peccatorum expiationem, animæque sanctificationem? Non ergo Sacramenta novæ legis sunt signa vacua, sterilia, & inania, quæ gratiam tantummodo præfigurant; sed signa sunt plena, & efficacia, quæ gratiam continent, eamdemque in anima nostra producunt, nisi obicem inveniant.

342. Quid ad hæc Sectarii? Frigide respondet Calvinus Lib. IV. *Instit.* cap. 14. num. 26., hæc omnia ad amplificandam Sacramentorum dignitatem *paulo magnificentius a veteribus scripta fuisse, ac figuras esse hyperbolicas*. Frigide, inquam, & imperite. Si enim hanc regulam explicandorum veterum Patrum arripiamus, nihil erit in sacra traditione adeo solide, constanterque fundatum, quod similiter convelli non possit. Addo locutiones allatas priscorum Ecclesiæ Patrum esse locutioni Scripturæ sacræ omnino similes, quæ ut supra num. 333. vidimus, aquæ Baptismi virtutem tribuunt nos *mundandi, renovandi, regenerandi, sanctificandi, & salvandi*.

343. Prob. ulterius catholica veritas ex definitionibus Ecclesiæ. Concilium enim Florentinum sub Eugenio IV. anno 1433. suffragantibus etiam Græcis in *Decreto Unionis* ita definivit: *Novæ legis Sacramenta multum a Sacramentis differunt antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne sumentibus conferunt*. Et quanquam Græci in patriam reduces fœdissimo renovato schismate ab unionis decreto in multis recesserunt, in hac tamen Sacramentorum efficacia confitenda constantes permanserunt. Qua-

(a) *Quem*, inquit Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 14. in fine, *ut optimum, ex tota antiquitate, & fidelissimum testem sæpius citamus*.

Quamobrem cum anno 1575. Lutherani Wirtembergenses missa legatione ad Jeremiam Patriarcham Constantinopolit. fœdus cum schismaticis contra Ecclesiam Romanam pangere voluissent, repulsam tulerunt, atque de Sacramentis Jeremias nomine omnium respondit, *ideo Sacramenta dici*, *quia sub externis*, *sensibilibusque symbolis arcanum*, *& spiritualem effectum continent*. In qua Patrum suorum doctrina etiam moderni Græci constanter permanent (*a*).

544. Synodus autem Tridentina Sess. VII. can. 5. ita definivit: *Si quis dixerit*, *hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse*, *anathema sit*. Et can. 6. *Si quis dixerit*, *Sacramenta novæ legis non continere gratiam*, *quam significant*, *aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre*, *quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ*, *vel justitiæ*, *& notæ quædam Christianæ professionis*, *quibus*, *apud homines discernuntur fideles ab infidelibus*, *anathema sit*. Et can. 7. *Si quis dixerit*, *non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta*, *semper*, *& omnibus*, *quantum est ex parte Dei*, *etiamsi rite ea suscipiant*, *sed aliquando*, *& aliquibus*, *anathema sit*.

PROPOSITIO

Sacramenta non constituuntur ex verbis concionatoriis, *quibus in suscipientibus fides excitetur*, *sed constituuntur per verba vere consecratoria* (*b*).

545. Præter allata superius invicta argumenta, quibus demonstratum fuit, tam ex libris sanctis, quam ex veteribus Patribus, atque Ecclesiæ definitionibus, Sacramenta in se continere gratiam, eamdemque in nobis producere, facile probatur *primo*, justificationem non esse repetendam a fide, sed a Sacramento, quia etiam infantes, & amentes, in quibus certe ex verbis concionatoriis nulla potest excitari fides, Baptismi capaces sunt, & in Baptismo recipiunt gratiam sanctificantem, qua ex filiis iræ fiunt filii Dei adoptivi. De parvulis nullum est dubium, cum ipsi Novatores, paucis exceptis Anabaptistis, eos baptizent. Adultis etiam rationis usu carentibus fuisse Baptismum collatum, testatur Sanctus Augustinus Lib. IV. *Confessionum* cap. 4. referens, adolescentem suum amicum, cum jaceret *sine sensu*, fuisse *nescientem* baptizatum. Et in Lib. *De adulterinis conjugiis* c. 26. baptizandos esse docet Catechumenos in hujus vitæ ultimo constitutos, si morbo, vel casu aliquo oppressi respondere non possint.

546. Quod si ita est, ut certissime est, nemo non videt, ineptam omnino esse Calvini, ejusque sectariorum querelam, quod Sacramenta apud nos lingua latina, ac submissa voce consecrentur, & administrentur; cum eorum virtus non ab intelligentia suscipientis, sed a forma a Jesu Christo servatore nostro præscripta dependeat. Et sicut insulse, ac sacrilege quis Christum irridet, quod Lazarum mortuum vocaverit, dicens, *Lazare veni foras*, Joann. XI. 43. & adolescenti pariter mortuo præceperit, *Adolescens tibi dico*, *surge*, Luc. VII. 14., ita impie, & insipienter Hæretici criminantur nostram Ecclesiam, quod in forma Sacramentorum lingua utatur a suscipientibus non intellecta.

547. Levissimum pariter est, quod aliqui reponunt, verba consecratoria esse vernaculo idiomate,

(*a*) Hugo Grotius in *Adnotatis ad consultationem Cassandri* art. 13. suos improbrat, quod scissionem cum Ecclesia Catholica, causa Sacramentorum fecerint, *cum eadem omnia, etsi non plane cum iisdem cæremoniis, habeat Ecclesia Orientis*.

(*b*) Hæc propositio est contra eosdem Sectarios, qui nostram justificationem a sola fide, non autem a Sacramentis pendere volunt. Præcipue autem est contra Calvinum, qui Lib. IV. *institut. Christ. Relig.* cap. 14. totus est, ut Rom. Ecclesiæ doctrinam impugnet, qua, ut ipse garrit, statuitur, Sacramentum consistere in verbo, *quod sine sensu, & fide insussuratum solo strepitu, veluti magica incantatione consecrandi elementi vim habeat*. Ipse autem vult, Sacramentum consistere in verbo, *quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit;* nimirum dimissa nobis esse peccata; quam fidem *justificantem* appellat. Mitto calumnias, & injurias, quas contra fideles Romanæ Ecclesiæ filios odio impotenti evomit, quos fingit, *putasse, satis esse, si Sacerdos populo sine intelligentia obstupente, consecrationis formulam demurmuraret. Immo id data opera cavisse, ne quid doctrinæ inde ad plebem perveniret: omnia enim latine pronunciarunt apud homines illiteratos. Postea eo usque prorupisse* dicit *superstitionem, ut consecrationem nonnisi rauco murmure, quod a paucis exaudiretur, rite peragi crederent*. Hac arte Calvinus, his dicteriis, ac pestifera sua eloquentia, populos a recta fide avertebat; eisque persuadere nitebatur, justificationem præcedere usum Sacramenti, & Sacramentum non esse, nisi *sigillum*, vel *arrhabonem* justitiæ jam adeptæ. Et fidus ejus discipulus Theodorus Beza in Libro *Summa doctrinæ de re sacramentaria* causam formalem Sacramentorum vult esse explicationem Evangelii, non autem pronuntiationem verborum consecrationis. Aliqui tamen inter Calvini sectatores verba Sacramentorum *consecratoria* esse concedunt, ut Franc. Turretinus in *Institut. Theol. Elencthicæ* Loco XIX.

Est etiam nostra propositio contra Lutheranos, qui concedunt quidem, justificationem non præcedere Sacramenti usum, Calvinianis tamen in eo consentiunt, quod non a Sacramento ipso, sed a fide per Sacramentum excitata eamdem justificationem repetunt. Quamobrem Mart. Kemnitius in *Examine Concilii Trident.* P. II. *De usu, & efficacia Sacram.* non aliam Sacramentis tribuit efficaciam, quam Evangelio. Buddeus unus ex recentioribus, & doctioribus Lutheranis, in *Instit. Theol. dogm.* Lib. IV. cap. 1. §. 16. idem docet. Quanquam Jo. Gerhardus celebris inter priscos Lutheranos Loco XIV. cap. 7. sect. 4. num. 51. fatetur, consecrationem non esse tantum instructionem, *sed etiam Symbolorum ad usum sacramentalem efficacem dedicationem, & sanctificationem*.

te, & alta voce proferenda, quia instructionem continent, quæ toti Ecclesiæ innotescere debet. Id, inquam, levissimum est, quia ex mandato Concilii Trid. Sess. XXIV. cap. 7. *de reform.* instructio fit, & fieri debet in publicis catechesibus, quæ coram toto populo habentur, non in administratione Baptismi, quæ plerumque nonnisi patrinis, aut paucis aliis adstantibus, & aliquando etiam sine ullo teste fieri solent. Deinde instructio ista utilis quidem semper erit, sed ad Sacramenti valorem minime necessaria. Ut enim inquit S. Augustinus Lib. III. *De Baptismo* c. 14. num. 19., *cum de Sacramentis integritate, & sanctitate tractatur, non interest, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest.* Sed hæc obiter. Nunc ad institutum redeamus.

348. Huic invicto argumento Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 16. num. 9. seq. respondet, non inutilem esse pædobaptismum, in quo nulla excitatur in suscipiente fides, *primo*, quia piis parentibus divinam promissionem confirmat: *secundo*, *quia pueri in corpus Ecclesiæ insiti, aliis membris sunt aliquanto commendatiores: tertio*, quia cum adoleverint, *Baptismo ad serium Dei colendi studium non mediocriter adjuvantur: quarto*, quanquam velit Calvinus, verbum Dei concionatorium esse spiritualis generationis semen unicum, negat tamen, *non posse regenerari infantes Dei virtute, quæ nobis incomperta sit: quinto* aliam responsionem insinuat, quanquam subdubitanter, nempe eos pueros extraordinaria œconomia, fidei *exigua scintilla irradiari. Demum* asserit, pueros baptizari *in futuram pœnitentiam, & fidem, quæ etsi nondum in illis formatæ sint, arcana tamen Spiritus operatione utriusque semen in illis latet.* Ita Calvinus in omne se latus vertit, ut rimam aliquam, qua elabatur, inveniat; sed frustra.

349. Quod enim *primo* de parentibus affert, prorsus vanum est. Quam enim consolationem ex divina promissione illi habebunt, si Baptismum filiis suis administrari videant, quem sine fide nullam posse gratiam, & justificationem conferre existimant? Futile item est, quod *secundo* addit de insitione Baptizati membris Ecclesiæ; cum hæc insitio sine gratia regenerationis haberi nequeat. *Tertium* commentitium pariter est, infantes scilicet cum adoleverint, ex inutili Baptismi cæremonia adjuvari ad serium Dei colendi studium. Quod autem *quarto*, & *quinto* loco respondet, mera divinatio est, non solum temeraria, sed falsa, & opposita clarissimis S. Scripturæ verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Jo. III. 5. Fictitia vero omnino est, & ante Calvinum inaudita *exigua illa scintilla fidei*, qua pueros vix natos a Deo irradiari somniat; & quam simili fingendi jure potuisset etiam illis pueris concedere, qui in utero matrum infeliciter decedunt (*a*). Postremum Calvini responsum, si quidem admitti posset, nonnisi eos salvaret, qui ad adultam perveniunt ætatem, non autem illos, qui ante usum rationis ex hac vita rapiuntur; in iis enim nulla *futura est pœnitentia, & fides.*

350. Prob. *secundo* nostra propositio ex absurdo, quod ex hoc Novatorum errore manifeste consequitur; nempe si Sacramenta solum essent instituta ad excitandam in nobis fidem, & essent tantummodo sigilla quædam ad confirmandas divinas promissiones, sequeretur, eorum usum minime esse fidelibus necessarium; quia etiam sine ipsis posset in nobis fides excitari, & sine hoc externo sigillo firmæ starent divinæ promissiones (*b*). At vero Sacramenta esse nobis omnino, & simpliciter necessaria, dubitari non potest, dicente Domino Jo. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* & iterum Jo. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Unde Synodus Tridentina Sess. VII. Can. 4. eum anathemate percutit, *qui dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint.*

351. Sequeretur etiam ex perversa Hæreticorum sententia, unumquemque hominum ne fæminis quidem exceptis, esse idoneos omnium Sacramentorum ministros, dummodo idonei sint ad excitandam in suscipientibus fidem, tunc etiam jocando, & ridendo posse eadem conferri, ac denique nullo opus esse ministro, cum quilibet possit sola lectione, ac meditatione fidem, quam Novatores justificantem appellant, in seipso excitare. Has consecutiones vidit Lutherus, easdemque admittere non dubitavit. Sed quam absurdæ sint, totique ve-

(*a*) S. Augustinus Epist. CLXXXVII. num. 25. T. II. hanc opinionem, quæ postea Calvino in mentem venit, adeo absurdam putavit, ut nec refelli mereretur. *Nescire autem*, inquit, *divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor, ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam quando id loquendo suademus, ubi omnes vires, officiumque sermonis facillime superat evidentia veritatis.*

(*b*) Id minime diffitetur Calvinus loco sæpius cit. num. 14., ubi *justificationem in uno Christo repositam nihilo minus Evangelii prædicatione, quam Sacramenti obsignatione nobis communicari, ac sine hac posse in solidum constare*, asserit. Verba autem Jesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit &c.* quidam Calvinistæ ausi sunt interpretari de introitu in Ecclesiam, quæ est regnum Dei visibile; quasi scilicet Sacramentum Baptismi non ob aliud sit institutum, quam ut quis cœtui fidelium aggregari queat. Vah putidissimum commentum!

venerandæ antiquitati, ac perpetuæ Ecclesiæ praxi contrariæ, etiam videre debuisset. Quamobrem Tridentini Patres Sess. VII. can. 10. ita sapientissime statuerunt: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Solvuntur Hæreticorum objectiones.

352. Objiciunt *primo* Sectarii bene multa sacræ Scripturæ loca, in quibus justificatio, quæ fit in Baptismo, non ipsi Baptismi Sacramento, sed fidei tribuitur. Act. XV. 7. seq. S. Petrus postquam narrasset, Gentes audivisse verbum Evangelii, & credidisse, subdit: Deus *nihil discrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum*, nulla facta mentione Baptismatis, quod certe susceperant. *Deinde* Paulus ad Rom. X. salutem, & justitiam adscribit *verbo fidei, quod prædicabat*, nulla pariter facta Baptismi mentione. *Tertio* idem Paulus Eph. V. 26. Baptismum quidem memorat, virtutem tamen mundandi non ipsi tribuit, sed *verbo vitæ*, inquiens: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ;* idest *verbo doctrinæ*, ut explicat S. Hieronymus in Comment. Tom. VII.

353. Resp. cum Synodo Trident. Sess. VI. cap. 8. his, aliisque similibus Scripturæ sacræ locis nil aliud indicari, quam fidem ad salutem, & justificationem requiri, cum *sine fide impossibile sit placere Deo* Hebr. XI. 6.; non autem solam fidem sufficere. *Cum vero*, inquiunt Patres, *Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Unde etiam S. Augustinus *De prædest. sanctorum* cap. 7. *Ex fide*, inquit, *ideo dicit* (Apostolus) *justificari hominem, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera.*

354. Sic ergo S. Petrus dicit, Deum purificasse corda Gentilium *per fidem*, quatenus per fidem eos ad Baptismum perduxit; quomodo Philippus egit cum Eunucho Act. VIII., quem prius de fide in Jesum Christum instruxit, & postea baptizavit. Eadem ratione intelligendus est S. Paulus Roman. X. qui tamen alibi Baptismum vocat *lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti* ad Titum III. 5. Quod si ad Eph. V. addidit: *In verbo vitæ*, seu *doctrinæ*, ut exponit Hieronymus, certe indicare noluit, fide sola adhibita verbo divino nos justificari; hoc enim e diametro opponeretur aliis ejusdem Pauli sententiis supra n. 333. relatis; sed voluit significare nos justificari fide conjuncta Sacramento Baptismi.

355. Inst. *primo*. S. Petrus in sua priori epist. cap. III. 21. postquam dixisset, in Arca Noe octo animas salvas factas esse *per aquam*, subdit: *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Quibus verbis omnem justificandi vim Baptismo adimit, solique fidei in Jesum Christum attribuit. Hoc pariter idem Apostolorum Princeps indicaverat cap. I. 23. vocans nos *renatos per verbum Dei vivi*. Et explicat postea de quo verbo loquatur, subdens: *Est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.* Similiter S. Jacobus cap. I. 18. nos *genitos* dicit *verbo veritatis*.

356. Resp., hunc Apostoli Petri locum valde obscurum esse, nec in eo exponendo una simul conspirare Interpretes; non tamen favere Novatoribus; quia illa *carnis depositio sordium*, cui vim justificandi Apostolus denegat, non est ablutio illa corporis, quæ fit in Baptismo, & quæ non est instituta ad deponendas sordes carnis, sed sordes animæ. Voluit ergo Apostolorum Princeps indigitare illas purificationes, & ablutiones, quæ in usu erant apud Judæos, & quæ certe non valebant, ad animam purificandam a sordibus peccati. Immo quando ibidem comparat Baptismum Arcæ Noe, in qua octo animæ salvæ factæ sunt, manifeste nos docet, talem esse virtutem Baptismi, ut animas nostras justificet, & salvet, quemadmodum Arca Noe octo animas ab interitu salvavit. Et hæc clara sunt.

357. Tota vero obscuritas est in verbis subsequentibus: *Sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Admodum probabilis est explicatio Bedæ, qui post aliquos Patres græcos intelligit illas interrogationes, quæ fieri solent suscipientibus Baptismum; nempe: *Credis in Deum? Abrenuntias Satanæ?* &c. Quas interrogationes perantiquas esse, colligitur ex Tertulliano in Lib. *De corona* cap. 3., ubi de suscipiente Baptismum ait: *Sub Antistitis manu contestatur se renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus* (a). Huic interpretationi favere videtur vox græca ἐπερώτημα, quam latinus Interpres vertit *interrogatio*, sed usu forensi significat *pactum;* quod notavit etiam Lutherus, quamvis hanc significationem verbis S. Petri haud recte adaptaverit. Est ergo sensus, salutem, quæ nobis in Baptismo confertur, non esse tantummodo repetendam ab externa Sacramentali ablu-

(a) Abrenuntiatio, quæ in Baptismo fieri consuevit, a græcis dicitur ἀποταγὴ, vel ἀπόταξις, & describitur in Lib. VII. *Constitut. Apostolic.* cap. 41. Ejusdem mentio reperitur apud Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, aliosque veteres. Eamdem ex apostolica traditione descendere, nonnulli credunt. Antiquissima certe est.

lutione corporis, sed etiam, immo potissimum a fide in Jesum Christum hujus Sacramenti auctorem, & a pacto, quo renuntiamus Satanæ ut Christo penitus consecremur.

358. Quod ut recte percipiatur, adnotanda est doctrina Angelici 3. P. quæst. 68. art. 8., ubi quærit, an fides requiratur ex parte baptizati? & respondet: „ rectam fidem *ex necessitate* requiri ad „ Baptismum, quia sicut dicitur Rom. III. 22. *Ju-* „ *stitia Dei est per fidem Jesu Christi*." Hoc autem præsupposito idem Angelicus art. 9. ad 3. ita explicat objectum S. Petri textum: „ Sicut puer „ cum baptizatur, non per seipsum, sed per a- „ lios credit, ita non per seipsum, sed per alios „ interrogatur; interrogati confitentur fidem Ec- „ clesiæ in persona pueri, qui huic fidei aggre- „ gatur per fidei Sacramentum. Conscientiam au- „ tem bonam consequitur puer etiam in seipso, „ non quidem actu, sed habitu per gratiam justi- „ ficantem." Hinc si quis hypocrita ficto animo ad Baptismum accedat, Sacramentum quidem suscipit, non autem ejus effectum, nempe gratiam sanctificantem; non quia Sacramentum ex se efficax non sit, sed quia suscipiens obicem ponit. Apposite ergo dicit Apostolorum Princeps: *Vos salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium*, seu ablutio externa corporis, *sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum:* nempe fides sincera, quæ a bona conscientia procedit, qua Dæmoni renuntiantes vos Deo integre consecrastis. Quo eodem sensu dicebat Apostolus Paulus Hebr. X. 22. *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda;* tunc enim solum Baptismus nos salvat (a).

359. Haud absimiliter dicitur in aliis Scripturæ sacræ locis nos renasci, & regenerari *verbo vitæ, seu doctrinæ*, quia in adultis requiritur fides ad gratiam Sacramentalem consequendam; adeo ut sine fide, saltem habituali, homo non possit justificationem, & salutem adipisci. Dixi *in adultis;* nam de infantibus alia ratio est; pro ipsis enim sufficit fides Ecclesiæ, ut mox exponetur n. 475. seq.

360. Inst. *secundo*, & hoc est præcipuum Calvini argumentum. S. Augustinus Tract. LXXX. in Joan. num. 3. Tom. IV. laudata Scripturæ sacræ testimonia ita explicat, ut a sola fide vim justificandi in Sacramentis repetat. Expendens enim illud a Christo Apostolis dictum Joan. XV. 3. *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, inquit: „ Quare non ait: mundi „ estis propter Baptismum, quo loti estis, sed „ ait, *propter verbum, quod locutus sum nobis;* „ nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe „ verbum; & quid est aqua, nisi aqua? Accedit „ verbum ad elementum, & fit Sacramentum; „ etiam ipsum tanquam visibile verbum...... Un- „ de ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & „ cor abluat, nisi faciente verbo, *non quia di-* „ *citur, sed quia creditur?* Nam & in ipso ver- „ bo aliud est sonus transiens, aliud virtus ma- „ nens. *Hoc est verbum fidei, quod prædica-* „ *mus*, ait Apostolus; *quia si confessus fueris* „ *in ore tuo, quia Dominus est Jesus, & cre-* „ *dideris in corde tuo, quia Deus illum suscita-* „ *vit a mortuis, salvus eris; corde enim credi-* „ *tur ad justitiam, ore autem fit confessio ad* „ *salutem* Roman. X. Unde in actibus Apostolo- „ rum legitur XV. 9. *Fides mundans corda eo-* „ *rum*. Et in epistola sua (prima cap. III. 21.) „ beatus Petrus *Sic & vos*, inquit, *baptisma sal-* „ *vos facit, non carnis depositio sordium, sed* „ *conscientiæ bonæ interrogatio*. Hoc est ver- „ bum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio, „ ut mundare possit, consecratur & Baptismus. „ Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre a- „ gricola dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit „ pro ea. Lege Apostolum, & vide, quid adjungat „ (Ephes. V. 26.): *Ut eam sanctificaret*, in- „ quit, *mundans eam lavacro aquæ in verbo*. „ Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tri- „ bueretur elemento, nisi adderetur *in verbo*."

361. Porro ex prolixo hoc S. Doctoris loco colligunt in rem suam Adversarii. *Primo* objecta superius testimonia S. Scripturæ ita esse intelligenda, ut sola fides in Sacramentis justificet; ipsa vero Sacramenta signa sint vacua, nulliusque efficaciæ. *Secundo* verbum illud, quod dicitur *Sacramentale*, & cui tribuitur justificandi vis, non esse verbum *consecratorium*, sed verbum *concionale*, quod *prædicatur, & creditur;* & per quod Christus testatur, mundatos fuisse Apostolos: *Jam vos mundi estis &c.*

362. Resp., perperam Sectarios in magno Augustino quærere sui erroris patrocinium, qui non minus sæpe, quam aperte Baptismi, atque adeo aliorum Sacramentorum valorem, & efficaciam a solis consecratoriis verbis repetit. Ex pluribus locis, quæ afferri possent, pauca seligam. In epist. XXIII. olim CCIII. num. 4. Maximinum Episcopum Donatistam hortatur, ut una cum Catholicis in hanc erumpat exultantem, & liberam vocem: *Ego unum baptismum novi, Patris, & Filii, & Spiritus sancti nomine consecratum, atque signatum. Hanc formam ubi invenio, necesse est, ut approbem.* Et Lib. III. *De Baptismo contra Donatistas* cap. 15. Baptisma evangelicis verbis consecratum vocat *integrum Sacramentum*, quamvis a Marcione, aut Valentino, aut Ario, aut Eu-

no-

(a) S. Augustinus in Ps. LXXVII. num. 2. T. V. *Omnibus*, inquit, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizatis commune est lavacrum regenerationis, sed ipsa gratia, cujus ipsa sunt Sacramenta, qua membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam & hæretici habent eumdem baptismum, & falsi fratres in communione Catholici nominis.*

nomio, aut a quocumque alio hæretico collatum. At vero ab hæreticis expectandane sunt verba concionatoria, quæ veras contineant Dei promissiones, & quibus vera fides in nobis gignatur? Quomodo igitur S. Doctor in Sacramentorum collatione exigere potuit verbum fidei a Ministris prædicatum, quo suscipientes fidem divinis promissionibus adhibeant? Sed ne ab ipso loco nobis objecto recedamus, valde notanda sunt hæc, quæ ibidem addit: „ Hoc verbum fidei tantum valet in „ Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offe„ rentem, benedicentem, tingentem etiam tantil„ lum mudet infantem, *quamvis nondum valen„ tem corde credere ad justitiam*, & ore con„ fiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, „ de quo Dominus ait: *Jam vos mundi estis pro„ pter verbum, quod locutus sum vobis.*" Audis, quale sit verbum mundans, & justificans? Illud scilicet, quo etiam infans mundatur, qui nondum valet *corde credere ad justitiam*, nec ore confiteri ad salutem. Istudne, quæso, erit verbum concionatorium, quo fides excitetur, augeatur, ac corroboretur? Propositam vero difficultatem sic solvimus.

363. Angelicus noster Præceptor, fidus S. Augustini discipulus, & securus interpres 3. P. quæst. 60. art. 7. ad 1. hunc locum ita exponit, ut verbum mundet in Sacramentis, non quia dicitur, sed quia creditur, *idest non secundum exteriorem sonum vocis, sed secundum sensum verborum, qui fide tenetur*. Porro hac Angelici doctrina facile omnia explicantur, quæ ex allato textu S. Augustini nobis Adversarii objiciunt. *Primo* vere dicit S. Pater, Apostolos fuisse mundos non propter Baptismum, sed propter verbum, quia *& in aqua verbum mundat;* neque enim aqua vim mundandi haberet, nisi accedente verbo consecratorio; unde subdit: *detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? ..... Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur*, scilicet externo labiorum sono, *sed quia creditur*, idest secundum sensum verborum, qui fide tenetur. Propterea distinguens sonum a sensu addit: *nam in ipso verbo* (scilicet consecratorio) *aliud est sonus transiens, aliud virtus manens*.

364. Pergit vero S. Pater, & dicit, hoc verbum esse illud ipsum *verbum fidei, quod prædicatur;* idque multis S. Scripturæ testimoniis confirmat. Verumtamen non propterea excludit verbum consecratorium, quo accedente ad elementum, sive materiam, proprie fit Sacramentum; sed solummodo vult, hoc verbum consecratorium Baptismi esse illud ipsum, quod jubente Domino prædicarunt Apostoli: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Hanc esse Augustini mentem declarant verba subsequentia: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus*. Verba ergo consecratoria in Baptismo ea ipsa sunt, quæ prædicanda esse omnibus gentibus Christus præcepit; quæque ex hoc præcepto vim mundandi accipiunt. Id demum adhuc manifestius declarat illa postrema conclusio, scilicet tantam esse hujus verbi consecratorii vim, ut mundet etiam infantes, *qui credere, & confiteri* nondum valent. Hæc nobis planior videtur hujus Augustiniani loci explicandi ratio; quamvis alias minime contemnamus, quæ a gravissimis Theologis afferri solent (*a*).

365. Dices. Idem S. Doctor Lib. XV. *De Trinit.* c. 26. n. 49. T. XI. negat, Spiritum sanctum datum fuisse ab Apostolis; atqui illi Sacramenta ministrabant: ergo per Sacramenta Spiritus sanctus non datur; adeoque &c.

366. Resp., Apostolos non dedisse Spiritum sanctum eo modo, quo datus fuit a Christo Domino, a quo procedebat; fuisse tamen datum, vel potius impetratum super credentes per impositionem manuum. *Orabant*, inquit Augustinus, *ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant*. Ex quo eruebat, Spiritum sanctum vere a Filio procedere, quia ab ipso vere datur: *Accipite Spiritum sanctum &c.* Eodemque sensu ibid. concludit: *Nos accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro; effundere autem super alios non utique possumus; sed ut hoc fiat, Deum super eos, a quo hoc efficitur, invocamus*.

367. Ob. *secundo* nonnullos sanctos Patres, qui a sola fide totam Sacramentorum efficaciam repetunt. S. Ambrosius in Lib. *De mysteriis* cap. 3. num. 14. *Aqua*, inquit, *sine prædicatione Dominicæ Crucis ad nullos usus futuræ salutis est: cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri, & salutaris populi ad usum spiritualis lavacri, & salutaris poculi consecratur:* putat ergo hic S. Antistes, totam virtutem aquæ baptismalis a prædicatione Dominicæ Crucis, seu Evangelii derivari. Præterea S. Hieronymus in cap. 4. Isa. *Homo*, inquit, *tantum aquam tribuit, Deus autem Spiritum sanctum, quo & sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur:* non igitur virtus sanctificandi est aquæ baptismatis insita. *Tertio* S. Bernardus Serm. in cœna Domini n. 2. Tom. III. postquam definivisset Sacramentum *sacrum signum*, omnia Sacramenta comparat diversis signis, qui-

(*a*) Facilior videtur eorum responsio, qui contendunt, S. Augustinum ibi agere de Baptismo adultorum, in quibus certe requiritur fides, sin minus ad valorem, saltem ad fructum Sacramenti recipiendum. Verumtamen cum manifestum sit, ibi S. Doctorem comprehendere etiam parvulos *non valentes credere*, hac faciliore responsione omissa aliam S. Thomæ explicationem amplexi sumus, quæ solidissima est, licet aliquanto obscurior.

quibus diversæ traduntur *investituræ*: v. g. inquit, *investitur Canonicus per librum*, *Abbas per baculum*, *Episcopus per baculum*, *& annulum simul*; atqui certo certius est, hujusmodi signa esse vacua, & inania: ergo pariter Sacramenta &c. *Quarto* S. Basilius Lib. *De Spiritu sancto* cap. 12. *Præcedit quidem*, ait, *professio ad salutem perducens*, *sequitur autem baptisma consignans pactum nostrum*. *Demum* frequentissime sancti Patres Sacramenta appellarunt *signa*, *sigilla*, *symbola*, *pignora* &c. Immo S. Paulus Roman. IV. 11. *signum circumcisionis* memorat (græce σφραγῖδα), eam vocans *signaculum* pacti a Deo initi cum Patriarcha Abraham.

568. Resp. ad *primum*, S. Ambrosium ibi loqui de consuetudine jam suo tempore vigente, quæque adhuc religiose servatur, ut aqua baptismatis certis benedictionibus præparetur; non quod in causa necessitatis etiam aqua communis, & non benedicta non valeret; sed quia hic erat consuetus in solemni Baptismo mos. Non autem loquitur S. Pater *de prædicatione crucis*, seu Evangelii in proprio sensu, quasi per hanc prædicationem consecratur aqua. Fortasse etiam S. Antistes per *prædicationem Dominicæ Crucis* intellexit ipsam consecrationem, quæ fit a Ministro, dum aquam infundit. Propterea initio illius capitis, *Quid vidisti?* inquit, *aquas utique*, *sed non solas*. *Levitas illic ministrantes*, *summum Sacerdotem interrogantem*, *& consecrantem*. Ceterum fidem, quæ per crucis prædicationem, sive per concionem excitatur, ad justificationem minime sufficere, aperte ibidem tradit Ambrosius num. 20. inquiens: *Credit autem Catechumenus in crucem Domini Jesu*, *qua & ipse signatur*: *sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*, *remissionem non potest accipere peccatorum*, *nec spiritualis gratiæ munus haurire*.

569. Ad *secundum*. In textu S. Hieronymi nulla est difficultas; nemo enim inficias iverit, virtute Spiritus sancti animam a sordibus peccatorum purgari; hoc tamen non impedit, quin hæc Spiritus sancti virtus indita sit ipsis Sacramentis.

570. *Tertium* ex S. Bernardo leve est: mellifluus enim Doctor eas similitudines attulit, solum ut aliquo modo explicaret suam definitionem Sacramenti, quod sit *signum sacrum*, seu rei sacræ. Magnum tamen inter memorata signa, & Sacramenta discrimen ibidem affert, subdens: *Divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis*. Et Baptismum dicit fuisse institutum, *ut inveteratam rubiginem* (peccati originalis) *cum unctione sancti Spiritus aqua dilueret*.

571. *Quartum* ex S. Basilio solum probat, in adultis fidem præcedere debere, non autem illi soli esse justificationem adscribendam. Immo oppositum ibidem S. Basilius aperte docet, inquiens: *Fides*, *& Baptisma duo sunt modi parandæ salutis inter se cognati*, *& inseparabiles*. *Nam fides perficitur per Baptismum*, *Baptismus vero fundamento fidei nititur*. Dicitur autem Baptismum obsignare pactum cum Deo, quatenus per eum renuntiamus Satanæ, & filii Dei per adoptionem efficimur.

572. *Postremum* nihil continet difficultatis; neque enim cum Protestantibus litigamus de nomine, sed de re; non an Sacramenta dici possint *signa*, *symbola*, *pignora*, *arrhæ* &c.; sed an sint signa vacua, inania, atque omni careant efficacia, ita ut tota justificandi vis non ipsis Sacramentis, sed soli fidei sit tribuenda. Hoc nobiscum negent Protestantes, & nos cum ipsis appellabimus Sacramenta *signa*, *symbola*, atque *pignora* gratiæ, quam positis debitis conditionibus in nobis producunt.

573. Sed illud addendum, Patres non vocare Sacramenta *sigilla*, *symbola*, aut pignora *promissionum*, scilicet ad excitandam fidem promissionum divinarum, sed potius signa gratiæ, quæ in iis confertur. Sic etiam Apostolus Rom. IV. Circumcisionem vocavit *signaculum justitiæ*, *& fidei*; quanquam, ut supra vidimus n. 78. seq. latum est inter Circumcisionem, aliaque Sacramenta veteris legis, & Sacramenta Jesu Christi discrimen.

574. Multo minus ad rem nostram pertinent alia signa, quibus Calvinus ineptissime comparat nostra Sacramenta; ut arcus cœlestis signum erat promissionis de non immittendo diluvium: manna erat signum Eucharistiæ: serpens æneus figura crucis Christi: transitus maris rurbi præfigurabat Baptismum &c. Hæc enim omnia non erant, nec dici poterant Sacramenta, nisi latissimo sensu, ut sint a nostris immenso intervallo distantia. Immo etiam in novo fœdere multi sacri ritus, ut aqua benedicta, signum crucis, aliaque bene multa, quæ ad excitandam devotionem pie, & religiose sunt instituta, quæ tamen gratiam non continent, nec illam virtute sua infundunt, Sacramenta proprie non sunt.

575. Ob. *tertio*. Postremum nostrum argumentum contra Sectarios desumitur ex Baptismo parvulorum, in quibus verba concionatoria ad excitandam fidem inutilia essent. At vero hoc argumentum a S. Augustino penitus eliditur, qui haud semel docet, etiam ipsis esse necessariam fidem, sin minus propriam, saltem Ecclesiæ. Lib. VI. contra Julianum cap. 10. num. 29. *Pertinet*, inquit, *ad parvulum*, *etiam quod per alterum gessit*, *idest credidit* ... *alienum quippe opus est*, *cum credit per alterum*, *sicut alienum opus fuit*, *cum peccavit in altero*. Et Lib. III. *De peccat. merit. & remis.* cap. 2. docet, parvulos baptizatos essa in credentium numero deputandos, quia *eorum*, *per quos renascuntur*, *justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem*, *quam voluntate propria nondum habere potuerunt*.

576. Resp., totam hanc doctrinam verissimam esse; ex ea autem minime consequi, verba Baptismi

simi

smi esse concionalia ad fidem excitandam vel in ministris, vel in parentibus, aut in susceptoribus infantis, vel in adstantibus. Si enim hi omnes vel hæretici essent, vel etiam infideles, adhuc tamen ratum esset, & integrum Sacramentum; quia in hoc casu Ecclesia est, quæ puerum per suam fidem Deo offert; *& per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem* infans nondum valens corde credere ad justitiam mundatur, ut inquit S. Augustinus sup. num. 462. Quis autem dicat, per verba concionalia fidem Ecclesiæ generari, aut excitari? Concludo cum eodem S. Doctore, quod infantibus *credere est, baptizari, non credere autem, non baptizari* Lib. I. *De peccat. mer. & remis.* cap. 19. 20., & 27. Tom. XIII. Hæc quidem infra discutientur uberius, ubi de Sacramento Baptismi; sed ea modo attingere coacti sumus, ut objectionibus Hæreticorum satisfaciamus. Vid. S. Thomas 3. P. quæst. 68. art. 8., & 9.

377. Ceterum hic serio animadvertendum est, non per fidem Ecclesiæ infantes mundari, sed per ipsum Sacramentum Baptismi in nomine sanctissimæ Trinitatis collati; neque cæremonias, aut interrogationes, & responsiones patrinorum, vel circumstantium pertinere ad ipsius baptismi valorem; nam puer etiam sine illis Baptizatus ex ipso *opere operato* effectum Sacramenti recipit, & justificatur: unde nec fides parentum, vel patrinorum absque Baptismo sufficit; nec sine illa Baptismus suo caret effectu.

CAPUT XI.

Quo sensu Sacramenta contineant gratiam; eamque in nobis producere dicantur?

378. In Concilio Tridentino Sess. VII. can. 6. duo definita fuere; scilicet primo Sacramenta novæ legis *continere gratiam, quam significant, & gratiam ipsam non ponentibus obicem conferre*. Postea can. 8. additum fuit, hanc gratiam conferri *ex opere operato*. Quæ duo nobis breviter exponenda sunt, & contra Hæreticos vindicanda.

379. Primum jam fuerat ab Eugenio IV. post Synodum Florentinam statutum in Decreto pro unione Armenorum his verbis: *Septem sunt Sacramenta novæ legis, quæ multum ab antiquis differunt. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.*

380. Quo autem sensu Sacramenta dicantur *continere gratiam*, non uno modo intelligitur a Theologis; neque enim putandum est, in Sacramentis contineri gratiam, ut liquor continetur in vase. Audiendus S. Thomas, qui hanc rem ita explicat 3. P. quæst. 62. art. 3.: „ Duplici modo gratia „ est in Sacramentis: uno modo, *sicut in signo*; „ nam Sacramentum est signum gratiæ: alio mo- „ do sicut *in causa*: nam Sacramentum novæ le- „ gis est instrumentalis gratiæ causa: unde gratia „ est in Sacramento novæ legis, non quidem se- „ cundum similitudinem speciei, sicut effectus est „ in causa univoca: neque etiam secundum ali- „ quam formam propriam, & permanentem, & „ proportionatam ad talem effectum, sicut sunt ef- „ fectus in causis non univocis, puta res generatæ „ in sole, sed secundum quamdam instrumentalem „ virtutem, quæ est fluens, & incompleta in esse „ naturæ. " Et in resp. ad 1. „ Gratia, inquit, „ non dicitur esse in Sacramento, sicuti in sub- „ jecto, neque sicut in vase, prout vas est locus „ quidem, sed prout vas dicitur instrumentum a- „ licujus operis faciendi, secundum quod dicitur „ Ezech. IX. 1. *Unusquisque vas interfectionis* „ *habet in manu sua*.

381. Ex hac doctrina intelligitur, quo sensu ab Hugone de S. Victore *De Sacram.* P. IX. cap. 3. dictum fuerit, in Sacramentis, veluti in quibusdam *vasculis* antidota spiritualia homini porrigi. Ab aliis etiam eodem sensu Sacramenta appellata fuerunt *vasa gratiæ*, scilicet instrumenta gratiæ. Et hæc quidem de primo.

382. Alterum vero aliquanto operosius declarandum est. Atque primo loco fatemur, hæc verba *ex opere operato* neque in sacris litteris, neque in vetustis monumentis ecclesiasticis inveniri. Nam primus, qui hanc vocem usurpaverit, communiter citatur Innocentius III. Lib. III. *De sacro altaris mysterio* cap. 5. (*a*). S. Thomas, qui Sæculo XIII. paulo post Innocentium floruit, eamdem phrasim *a quibusdam* fuisse usurpatam dicit in IV. *Sentent.* Dist. I. q. 1. art. 5.; sed ipse in *Summa theol.* eam nunquam adhibuit. Postea vero Scholastici passim illa usi sunt, potissimum ut discrimen notarent inter Sacramenta veteris legis, & nostra.

383. Ex quo autem hæc locutio *ex opere operato* neque in sacris litteris, neque apud veteres Patres inveniatur, ansam sumpserunt Protestantes Concilium Trident. carpendi, quod profanam vocem in suis fidei decretis consecraverit Sess. VII. can. 8. ita definiens: *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non confer-*

(*a*) Putant nonnulli, Innocentium eo in loco nihil aliud voluisse innuere, quam Sacramenti effectum non dependere a sanctitate ministri contra Donatistarum hæresim. Loquitur enim de Sacramento Eucharistiæ, cujus effectum impedire non potest iniquitas Sacerdotis, *quia non in merito Sacerdotis, sed in rebus conficitur Creatoris*. Unde postea concludit: *Quamvis igitur opus operans aliquando sit immundus, semper tamen opus operatum est mundum*. Alii tamen contendunt, summum Pontificem de suscipiente Sacramentum esse locutum, & *opus operatum* accepisse in eo sensu, quo illud postea acceperunt Scholastici.

ferri gratiam, *sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere*, *anathema sit*. Criminationem autem duplici ex capite intentant: *primo*, quod hæc vox, utpote nova, & barbara, non esset fidei decretis inserenda: *secundo*, quod eadem significetur, nullam ex parte nostra ad Sacramenta suscipienda præparationem requiri (*a*).

384. Facile tamen utraque ex parte criminatio repellitur. Nam primo multis exemplis ostenditur, novas voces fuisse ab Ecclesia adoptatas, sacrisque decretis insertas, quando ad hæreses condemnandas id necessarium visum fuit, quod in Concilio Nicæno contra Arianos, & in Ephesino contra Nestorium factum fuisse, nemo ignorat. In veterum autem Patrum scriptis, immo in ipsis libris sanctis, sin minus litteræ, & syllabæ, saltem sensus hujus vocis apertissime reperitur, ut supra ostensum est: eccur ergo non potuerunt Tridentini Patres hanc vocem de novo cudere ad catholicum dogma contra Novatorum cavillationes luculentius exprimendum? Parum autem refert, *operatum* in passiva significatione apud probatos latinos scriptores non inveniri. Ecclesia enim, ut non semel monuit Augustinus, non tam ad grammaticæ leges, quam ad auditorum captum attendere solet. Sic etiam noster vulgatus Interpres in epist. ad Hebr. XIII. 16. verbum deponens *promereri* passive usurpavit, inquiens: *Talibus enim hostiis promeretur Deus*. *Et nihil contentiosius est*, inquit Sanctus Augustinus epist. CCXXXVIII. n. 4., *quam ubi de re constat*, *litigare de nomine*.

385. Quantum ad alteram partem, ipsi Patres Tridentini Protestantium ora ita obstruere satagerunt Sess. XIV. cap. 4.: *Quamborem falso quidam calumniantur catholicos scriptores*, *quasi tradiderint*, *Sacramentum pœnitentiæ*, *absque bono motu suscipientium gratiam conferre*; *quod nunquam Ecclesia Dei docuit*, *neque sensit*. Et antea Sess. VI. cap. 6. dispositiones hominis ad justificationem acquirendam mirabili ordine iidem Patres descripserunt; in quo ordine primum locum occupat fides, *qua credimus*, *vera esse*, *quæ divinitus revelata*, *ac promissa sunt*.

386. Jam vero putida hac Protestantium calumnia breviter repudiata, facile est explicare, quid intellexerint veteres Doctores Scholastici, & quid post ipsos Synodus Tridentina definiens can. 8., novæ legis Sacramenta gratiam conferre *ex opere operato*. Nempe magis, magisque confirmare voluerunt dogma fidei ab Hæreticis protervе oppugnatum, quod Sacramenta sint signa gratiæ, non vacua, & speculativa, sed practica, & efficacia; non quatenus actiones quædam naturales sunt, quia non modo vanum, sed plane superstitiosum foret, ab operibus naturalibus, ut talia sunt, effectum supernaturalem expectare; sed quatenus divinitus institutæ sunt, atque ex Christi passione ad gratiam in nobis producendam infallibiliter ordinantur. Hæc igitur phrasis *ex opere operato*, licet minus latina, apud Theologos significat, Sacramenta conferre gratiam, non propter opera pia, quæ sive a ministris, sive a suscipientibus exercentur, sed propter virtutem ipsis a Deo institutore inditam. Id apparet in Baptismo rite collato infantibus, dormientibus, perpetuo furiosis, & amentibus, quibus certissime confertur gratia baptismalis, quamvis in eis nulla dispositio præcedat; & etiamsi Baptismus a ministro hæretico, vel peccatore administretur.

387. In homine quidem adulto, & rationis compote ad recipiendam gratiam Sacramenti haud exiguus requiritur virtutum apparatus, quas Tridentina Synodus enumerat Sess. VI. cap. 6., nimirum *fides*, qua creduntur, quæ divinitus revelata, ac promissa sunt; *timor*, quo peccatores utiliter concutiuntur; *spes*, qua confidunt, Deum sibi propitium fore; *amor*, quo Deum omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, *detestatio*, & *odium* peccatorum; ac denique *propositum* inchoandæ novæ vitæ, & servandi divina mandata. Sed hæc omnia neque merentur, neque producunt illam gratiam, quæ tota a Sacramenti virtute dependet; adeo ut si ex duobus adultis æqualiter ad suscipiendum Baptismum sic dispositis unus baptizetur, alter non, ille gratiam, & justificationem consequetur, iste autem non consequetur, quamvis idem in utroque sit *opus operantis*.

388.

(*a*) Calvinus in *Antidoto* Sess. VII. cap. 4. solita sua procacitate vocat hanc Concilii Trid. definitionem *monstrum verborum*; & cap. 5. de Catholicis ait: *Fingunt subesse vim magicam Sacramentis*, *quæ sit extra fidem efficax*. Lutherus pariter *De captivit. Babylon.* ubi de Baptismo agit, ita nostris calumniose imponit: *Hinc impulsi sunt tantam vim tribuere Sacramentis novæ legis*, *ut ea statuerent prodesse etiam iis*, *qui in peccatis mortalibus sunt*, *nec requiri fidem*, *aut gratiam*. Primum verum est de Baptismo, & Pœnitentia quæ vocantur Sacramenta mortuorum, & conferunt primam gratiam. Alterum putidissima calumnia est. Solemnius adhuc mentiti sunt Lutherani in *Apologia Confess. August.* art. 13.. ubi *Damnamus*, inquiunt, *totum populum Scholasticorum*, *qui docent*, *quod Sacramenta non ponenti obicem conferunt gratiam ex opere operato sine bono motu utentis* ... *Hæc impia*, *&* *perniciosa opinio magna auctoritate docetur in toto regno Pontificio*. Non defuerunt tamen inter ipsos Catholicæ religionis hostes, qui tam apertum mendacium publice rejicerent. Hugo Grotius in *Annotatis ad consultationem Cassandri* art. 13. *Opus operatum*, inquit, *intelligitur Dei efficacia ad honorandam Ecclesiam*, *&* *ejus unitatem nobis commendandam Sacramentis attributa*. *Ceterum non negant Catholici requiri ad salutarem usum in adultis fidem*, *&* *Dei amorem*: *&* *hæc ita ajunt requiri*, *ut efficaciæ honos Deo salvus sit*. *In his omnibus nihil est controversiæ*, *si dextera interpretatio accedat*. *Si qui minus recte locuti sunt eorum imprudentia alios non inquinet*. Alios Heterodoxos hoc idem ingenue confitentes allegavit Jo. Fabricius in *Consideratione controversiarum*, *quæ Evangelicos inter*, *&* *Romano-Catholicos*, *Reformatosque agitantur* pag. 60.

588. Ad id declarandum adhibetur exemplum aptissimum ignis; licet enim ad comburendum lignum necessariæ sint quædam naturales dispositiones in ipso ligno, ignis tamen vere dicitur vi, & natura sua lignum comburere. Ita quamvis ad digne, & fructuose suscipienda Sacramenta in adulto requirantur fides, timor, spes, pœnitentia, aliæque piæ dispositiones, gratiæ tamen productio non istis dispositionibus, sed ingenitæ Sacramentorum virtuti, & efficaciæ tribuitur.

589. Hisce expositis, facile est probare, dogma a Patribus Tridentinis definitum perspicue contineri, sin minus totidem verbis, saltem aliis æquivalentibus, tum in sacra Scriptura, tum in sanctorum Patrum doctrina; ut luculenter patet ex pluribus testimoniis supra num. 553. & seq. congesti. Cum enim dicitur, hominem ex aqua baptismatis *renasci*, Ecclesiam *mundari lavacro aquæ*, per Baptismum *ablui peccata*, baptizari homines *in remissionem peccatorum*, & per ipsum *sanctificari*, quid aliud innuitur, quam talem esse efficaciam baptismi, atque adeo aliorum Sacramentorum, ut rite suscepta ex vi ipsis a divino Institutore indita gratiam producant? Hoc autem est, quod dicitur *gratiam conferre ex opere operato;* quod definivit Ecclesia.

590. Dices. Sacræ litteræ eodem prorsus modo loquuntur de pretioso Christi sanguine. S. Joannes in priori sua epist. I. 7. *Sanguis Jesu Christi*, inquit ... *emundat nos ab omni peccato*. Et Apoc. I. 5. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Et multa ejusdem generis sæpe occurrunt, quæ pretiosissimo sanguini Jesu Christi vim, & efficaciam mundandi nos tribuunt, quin tamen dicamus, id præstari a Christi sanguine *ex opere operato;* sed requiritur *opus operantis*, seu fides nostra ad obtinendum super nos fructum passionis ejus. Unde S. Paulus Roman. *III*. 25. de Christo loquens, *Quem*, inquit, *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius:* similiter ergo idem dicendum de Sacramentis, quod non *ex opere operato*, sed *ex opere operantis*, seu per fidem operantis gratiam producunt.

591. Resp. cum S. Thoma 3. P. quæst. 62. art. 5., tam Jesu Christi sanguinem, ejus passionem, & mortem, quam Sacramenta ab eodem Jesu Christo instituta, esse in nobis causas gratiæ *instrumentales*, sed diverso modo. „ Est enim duplex „ instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem conjunctum, ut manus. Per „ instrumentum autem conjunctum, movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ „ est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas „ Christi, sicut instrumentum conjunctum, Sacramentum autem, sicut instrumentum separatum. „ Et ideo oportet, quod virtus salutifera a divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa Sacramenta derivetur ... Unde manifestum est, quod „ Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem „ ex passione Christi, cujus virtus quodammodo „ nobis copulatur per susceptionem Sacramentorum ". Quia ergo Sacramenta non propter nostra opera, vel merita, sed unice per virtutem passionis Christi in nobis gratiam producunt, dicuntur eamdem producere *ex opere operato*. Sanguis autem, aut passio Domini nostri Jesu Christi non dicitur in nobis producere gratiam immediate, & *ex opere operato*, quia ejus fructus debet nobis applicari per Sacramenta.

592. Addit vero S. Paulus Roman. III. *per fidem;* quia fides ad nostram sanctificationem est dispositio omnino necessaria; sola tamen non sufficit: unde Christus ipse Marci XVI. 16. utrumque conjungens *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit*, *salvus erit*. Noster autem Angelicus 3. P. quæst. 49. art. 1. ad 5. ita Apostoli verba commentatur; *Fides*, *per quam a peccato mundamur*, *non est fides informis*, *quæ potest esse etiam cum peccato*, *sed est fides formata per charitatem; ut sic passio Christi nobis applicetur*, *non solum quantum ad intellectum*, *sed etiam quantum ad affectum*. Vid. totus ille articulus, in quo S. Thoma mirifice explicat, quomodo per passionem Christi liberemur a peccato.

593. Dices *secundo*. In Sacramentis major, vel minor gratia confertur pro majore, vel minore suscipientium dispositione, prout etiam Synodus Tridentina definivit Sess. VI. cap. 7.: non ergo confertur *ex opere operato*, sed *ex opere operantis*.

594. Resp. neg. cons.; Gratia enim sanctificans quantum ad substantiam eadem omnibus confertur, qui rite, & sine obice Sacramenta suscipiunt; ut patet in Baptismo puerorum. Sed si adulti majores afferant animi dispositiones, tunc gratiæ Sacramentali, quæ *ex opere operato* confertur, additur etiam illa, quæ a Deo summo bono obtinetur per opus operantis. Ulterius sicut ignis vehementius urit materiam magis dispositam, ita etiam virtus intrinseca Sacramenti majorem effectum producit in suscipiente magis disposito. Unde idem Concilium Trident. Sess. VI. cap. 7. dicit, justitiam Dei in Sacramentis recipi *secundum propriam cujusque dispositionem*, *& cooperationem*.

Quæres *primo*, *quomodo Sacramenta sint causa gratiæ?*

595. Resp. Cum certum sit apud omnes Catholicos, Sacramenta esse veras causas gratiæ *instrumentales* (nam causa principalis gratiæ non est nisi Deus), non parva postea est inter Theologos controversia, cum subtilius quæritur, qua ratione hanc gratiam in nobis producant. Quamvis autem variæ, ac diversæ sint Scholasticorum explicationes, possunt tamen brevitatis gratia ad duas præcipuas revocari (*a*). Prima est Thomistarum, qui physicam instrumenti rationem in Sacramentis agnoscunt,

(*a*) Doctissimus noster Melchior Canus in *Relectionibus de Sacramentis* P. IV. has opiniones diversas ita

scunt. Thomistis vero præter fidos eorum socios doctissimos Salmanticenses adhærent Suarezius, Sylvius, aliique.

596. Plerique autem tam veteres, quam recentiores, negant virtutem aliquam creatam Sacramentis inesse, qua gratiæ effectum in suscipientibus operentur; sed ea tantum ratione volunt Sacramenta esse signa gratiæ efficacia, quia virtus infallibiliter præsto est ad eamdem gratiam producendam positis Sacramentis, ac propterea dicunt, Sacramenta esse causas *morales*, quæ Deum moveant ad gratiam conferendam; vel potius habere rationem causæ *sine qua non*, cum sine iis non moveatur ad dandam gratiam. Huic opinioni subscribunt Scotus, S. Bonaventura, Henr. Gandavensis, aliique non pauci, nec ignobiles Theologi. Qui tamen minime inter se conveniunt, an hæc moralis causalitas sit per modum *impetrationis*, aut vi pacti cujusdam, quo Christus in Sacramentorum institutione se ad gratiam largiendam obligaverit; an instar chirographi, Christi sanguine obsignati, quo suscipiens Sacramentum promissam sibi gratiam *ex opere operato exigat*.

597. Sed nos prætermissis his omnibus Scholasticis dissidiis, quæ ad ipsam substantiam fidei non pertinent (*a*), solidissima S. Thomæ doctrina contenti erimus. Ita enim 3. P. quæst. 62. art. 1. ratiocinatur: „ Necesse est dicere, Sacramenta novæ legis per aliquem modum gratiam causare. Manifestum est enim, quod per Sacramenta novæ legis homo Christo incorporatur; sicut de Baptismo dicit Apostolus Gal. III. 27. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Non autem efficitur homo membrum Christi, nisi per gratiam.

598. „ Quidam tamen dicunt, quod non sunt causa gratiæ aliquid operando, sed quia Deus Sacramentis adhibitis in anima gratiam operatur: & ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex Regis ordinatione; non quod denarius ille aliquid operetur ad habendam prædictæ pecuniæ quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas Regis ... Sed si quis recte consideret, iste modus non trascendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est, nisi quoddam signum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto ... Secundum hoc igitur Sacramanta novæ legis nihil plus essent, quam signa gratiæ; cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur, quod Sacramenta novæ legis non solum significant, sed causant gratiam ".

599. „ Et ideo aliter dicendum, quod duplex est causa agens, principalis, & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit: & hoc modo nihil potest causare gratiam, nisi Deus; quia gratia nihil est aliud, quam quædam participata similitudo divinæ naturæ, secundum illud 2. Petri I. 4. *maxima nobis, & pretiosa promissa donavit, ut divinæ simus consortes naturæ*. Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur, a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti; sicuti lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta novæ legis gratiam causant ".

400. Ibidem postea in resp. ad 2. explicat Angelicus, quomodo Sacramenta, quæ sunt signa materialia, agere possint in anima, producendo gratiam, quæ res est spiritualis, inquiens: „ instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed virtute principalis agentis: aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam: sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis: non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum. Et similiter Sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina „ cir-

recenset. „ Quidam asserunt, Sacramenta esse causas *dispositivas* gratiæ ex eo quod producant characterem, vel ornatum nescio quem, videlicet qualitates interius disponentes ... Alii affirmant, Sacramenta esse quidem causas dispositionis, sed extrinsecus appositas, ut anulum, aut sigillum regium, quibus ostensis, atque exhibitis id nobis præstatur, quod ex Regis beneficio quæritur. Opinantur alii, Sacramenta non esse causas per se gratiæ, sed per accidens, sine quibus videlicet effectus non sequitur; quæ tamen nihil vere agant, atque producant. Sunt contra, qui existimant, Sacramenta virtute supernaturali recepta, ipsam etiam qualitatem, quæ gratia est, attingere, instrumentalique actione facere. Ac demum alii, qui propius accedunt ad veram hujus rei intelligentiam, Sacramenta censent causas esse gratiæ veluti motivas divinæ voluntatis: sunt enim ratio, propter quam Deus gratiam confert: ut quia puer baptizatus est, Deus illum salvat: quia est confirmatus, datur ei spirituale robur. „ His autem enumeratis, illud Tullianum usurpat: *Quorum opiniones, cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum profecto fieri potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una vera sit*. Eo autem doctissimus iste Theologus propendet, ut nullam verum esse existimet, adeoque omnes breviter quidem, sed nervose refellit, ac denique docet Sacramenta esse causas efficientes gratiæ, non *physicas*, sed *morales*. Qua de re legendum consulo ipsum Canum, Theologum non solum latinissimum, & elegantissimum, sed etiam eruditissimum.

(*a*) Patres Concilii Trident. non voluerunt consecrare nisi illas communes Theologorum locutiones, *Sacramenta gratiam continere, eamque conferre*, studiose autem abstinere a scholasticis controversiis.

„ circa animam: sicut aqua Baptismi, abluendo „ corpus secundum propriam virtutem, abluit a- „ nimam, inquantum est instrumentum virtutis di- „ vinæ; nam ex anima, & corpore unum fit. Et „ hoc est, quod Augustinus dicit Tract. LXXX. „ in Joan. quod aqua *corpus tangit*, *& cor ab-* „ *luit* ".

401. Ex quo autem Sacramenta sint causæ instrumentales gratiæ, idem noster S. Præceptor art. 4. infert, *esse in iisdem aliquam virtutem causativam gratiæ*. Ita enim ratiocinatur: „ Illi, „ qui ponunt, quod Sacramenta non causant gra- „ tiam, nisi per quamdam concomitantiam, po- „ nunt, quod in Sacramento non sit aliqua virtus, „ quæ operetur ad Sacramenti effectum, est ta- „ men virtus divina Sacramento assistens, quæ „ Sacramentalem effectum operatur ".

402. „ Sed ponendo, quod Sacramentum est in- „ strumentalis causa gratiæ, necesse est simul po- „ nere, quod in Sacramento sit quædam virtus in- „ strumentalis ad inducendum Sacramentalem ef- „ fectum. Et hæc quidem virtus proportionatur „ instrumento, unde comparatur ad virtutem ab- „ solutam, & perfectam alicujus rei, sicut com- „ paratur instrumentum ad agens principale. In- „ strumentum enim non operatur, nisi inquantum „ est motum a principali agente, quod per se o- „ peratur: & ideo virtus principalis agentis habet „ permanens & completum esse in natura: virtus „ autem instrumentalis habet esse transiens ex uno „ in aliud, & incompletum; sicut & motus est a- „ ctus imperfectus ab agente in patiens ".

403. Postea in resp. ad 1. uberius exponit, quomodo in instrumento corporeo, cujusmodi sunt Sacramenta, possit esse aliqua virtus spiritualis causativa gratiæ, inquiens: „ Virtus spiritualis non „ potest esse in re corporea per modum virtutis „ permanentis, & completæ. Nihil tamen prohi- „ bet, in corpore esse virtutem spiritualem instru- „ mentaliter, inquantum scilicet corpus potest mo- „ veri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem „ effectum spiritualem inducendum: sicuti & in „ ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad „ excitandum intellectum hominis, inquantum pro- „ cedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spi- „ ritualis est in Sacramentis, inquantum ordinan- „ tur a Deo ad effectum spiritualem ".

404. Quanquam vero hæc tota Angelici doctrina minime pertineat ad fidem, ut supra innuimus num. 397., mirifice tamen facit ad ipsum fidei dogma de efficacia Sacramentorum intelligendum. Est etiam consentanea verbis sanctorum Patrum supra num. 356. seq. allatis ad nostri dogmatis confirmationem. Quibus alia addi possent bene multa, ut S. Cyrilli Alexandrini, qui Lib. II. in Joan. cap. 42. dicit: *Quemadmodum virtute ignis non aliter quam ignis urit aqua, sic operatione Spiritus sancti aqua illa, qua baptizati corpus aspergitur, in divinam reformatur virtutem, & potentiam*. Alius autem Cyrillus, nempe Jerosolym. *Catechesi III. Ut illa*, inquit, *quæ in aris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur: sic contra aqua simplex per sancti Spiritus, Christi, & Patris invocationem accepta virtute sanctitatem consequitur*. Et S. Joan. Chrysostomus Hom. XXV. in Joan. *Nunquam*, inquit, *aqua Baptismi purgare peccata credentium posset, nisi tactu Dominici corporis fuisset sanctificata*.

405. Sed hæc satis sint pro nostro instituto, sobrie scilicet quæstiones scholasticas pertractandi, cujusmodi ista est, de qua poterunt curiosi consulere commentatores Libri IV. Sententiarum, Dist. I. utriusque Scholæ. Illud tamen monendum, ne Protestantes audiamus, qui ex his domesticis nostris dissidiis inaniter concludunt, Sacramenta non esse signa efficacia gratiæ, quia Catholici certo determinare non possunt modum, quo id efficiant, quod significant, dissidentibus de eo ipsis primis Scholarum ducibus, & principibus.

406. Non, inquam, audiendi sunt; si enim hoc eorum ratiocinum valeret, valeret etiam ad alia convellenda nostræ sanctæ Religionis mysteria, in quibus explicandis admodum raro Theologi inter se consentiunt.

407. Deinde quamvis Scholastici plurimum dissideant de modo, quo Sacramenta continent, & causant gratiam, quilibet tamen hoc catholicum dogma cum suo systemate conciliare studet. Sic qui influxum duntaxat moralem defendunt, adhuc contendunt, Sacramenta esse signa efficacia gratiæ, quomodo Regis chirographum est signum efficax beneficii ab ipso concessi; anulus, & baculus signum est pariter efficax dignitatis Episcopalis, quæ per hujusmodi instrumenta confertur (*a*). Qui vero putant, Sacramenta esse causas gratiæ physice instrumentales, nihil omnino laborant in explicanda eorum efficacia.

408. Haud me latet, quam difficile sit intellectu, elementa corporalia ad tantam virtutem attolli; ut gratiam, quæ spirituale donum est, contineant, & producant. Patres tamen, qui hanc difficultatem non ignorarunt, id Deo impossibile esse arbitrati non sunt. *Nonne mirandum*, inquit Tertullianus *De Bapt.* cap. 2., *lavacro dilui mortem?* Et Sanctus Cyrillus Alex. Lib. I. in Joan. *Spiritus efficacitate*, inquit, ... *aqua ad divinam quamdam & ineffabilem vim transformatur*. Atque ut ceteros omittam, S. Gregorius Nazianzenus in Orat. *De Baptismo*, cuidam hujus mirabilis divinorum Sacramentorum efficaciæ rationem poscenti ita respondet: *Ostende mihi modum nati-*

vi-

(*a*) Eos tamen magnam habere cum sensu Lutheranorum, & Calvinistarum affinitatem, haud inepte demonstrat P. Renatus Hyac. Drouven *de re Sacramentaria* Lib. I. quæst. 4. cap. 2. ubi Thomistarum opinionem multiplici argumentorum genere confirmat.

vitatis, quæ fit secundum carnem, & ego tibi vim regenerationis, quæ fit secundum animam, exponam: ubique divina vis, & efficacia incomprehensibilis est, nullaque vel ratione, vel arte explicari potest.

409. Hinc recte ita monuit Catechismus Rom. P. II. cap. I. num. 27. „ Quo autem pacto tanta „ res, & tam admirabilis per Sacramentum effi- „ ciatur, ut quemadmodum Augustini sententia „ celebratum est, *aqua corpus tangat, & cor* „ *abluat*, id quidem humana ratione, atque in- „ telligentia comprehendi non potest. Constitutum „ enim esse debet, nullam rem sensibilem sua- „ pte natura ea vi præditam esse, ut penetrare „ ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, „ omnipotentis Dei virtutem Sacramentis inesse, „ qua id efficiant, quod sua vi res ipsæ natura- „ les præstare non possunt ". Ex hac autem inexplicabili virtute producendi gratiam, quam sancti Patres tribuunt Sacramentis, novum argumentum desumunt Thomistæ, ut credant, eadem non *moraliter* tantum, sed *physice* esse causas instrumentales gratiæ. Nam hoc secundum, non autem primum est humanæ intelligentiæ incomprehensibile (*a*).

Quæres *secundo*, *cujus generis sit gratia illa, quæ in Sacramentis confertur?*

410. Resp. *primo* in duobus Sacramentis, quæ dicuntur *mortuorum*, scilet Baptismo, & Pœnitentia, conferri gratiam habitualem, & sanctificantem, qua homines antea peccatores, & inimici Dei, fiunt justi, & adoptionem filiorum Dei recipiunt, quæ gratia dicitur *prima*. Quamvis contingere potest, ut etiam hæc duo Sacramenta *per accidens* non producant *primam* gratiam, sed *secundam*. Si enim homo adultus accedat ad hæc duo Sacramenta jam justificatus per actum perfectæ contritionis, & charitatis, tunc gratiam recipiet sanctificantem, non *primam*, qua jam exornatus est, sed *secundam*, seu novum gratiæ habitualis augmentum, juxta illud Apoc. XXII. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc*. Hanc etiam *secundam* gratiam conferunt alia Sacramenta, quæ dicuntur *vivorum*, quia ad illa digne suscipienda requiritur status gratiæ habitualis.

411. Fieri tamen potest, *per accidens*, ut etiam Sacramenta vivorum conferant *primam* gratiam. Nam Sanctus Thomas 3. P. quæst. 79. art. 3. aperte docet, Sacramentum Eucharistiæ operari remissionem peccati in eo, qui ejusdem peccati *conscientiam, & affectum non habet: forte enim*, subdit, *primo non fuit sufficienter contritus; sed devote, & reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati*. Idem asserit Angelicus de Sacramento Confirmationis 3. P. quæst. 72. art. 7. ad 2. inquiens: *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet; vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum*. Eamdemque doctrinam tradit de Extrema Unctione in IV. Dist. XXIII. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. Atque hæc Angelici sententia, sin minus undequaque certa, contradicentibus aliquibus Theologis, saltem admodum probabilis est, tum propter tanti Doctoris gravissimam auctoritatem, tum etiam propter rationes, quas Thomistæ afferunt.

412. Sed præter hanc gratiam sanctificantem, certum est, a singulis Sacramentis conferri aliam gratiam, quæ dicitur *Sacramentalis*, quæ, ut inquit S. Thomas 3. P. quæst. 52. art. 2., *addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes, & dona quoddam divinum auxilium, ad consequendum Sacramenti finem*.

413. Diversos omnium Sacramentorum effectus ita Concilium Florentinum exposuit: „ Septem Sa- „ cramentorum prima quinque ad spiritualem u- „ niuscujusque hominis in seipso perfectionem, „ duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multi- „ plicationemque ordinata sunt. Per Baptismum „ enim spiritualiter renascimur, per Confirmatio- „ nem augemur in gratia, & roboramur in fide; „ renati autem, & roborati nutrimur divinæ Eu- „ charistiæ alimonia. Quod si per peccatum æ- „ gritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam „ spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam, & cor- „ poraliter (prout animæ expedit) per Extre- „ mam Unctionem. Per Ordinem vero Ecclesia „ gubernatur, & multiplicatur spiritualiter; per „ Matrimonium corporaliter augetur. " Et certe supervacaneum fuisset, tot, & diversa Sacramenta a Deo instituti, si eamdem gratiam Sacramentalem omnia conferrent. Vide dicta superius num. 278. Et hic primus est, & generalis omnium Sacramentorum effectus. Nunc dicendum est de altero effectu non omnium, sed trium dumtaxat novæ legis Sacramentorum, nempe de Charactere.

CA-

(*a*) Doctissimus P. Laur. Berti Lib. XXX. *De Theol. Discipl.* cap. 20. enumeratis pro solita sua solertia, & eruditione variis, & multis Theologorum opinionibus, conatur ostendere, Sacramenta esse causas *physicas* instrumentales gratiæ, non tamen *directas* ut instrumenta artificum sunt; sed *indirectas*, quomodo agricolæ sunt causa segetum, quia ea faciunt, quibus positis Deus dat segetibus incrementum, & medicus porrigens infirmo medicamentum causa est instrumentalis, sed indirecta sanitatis; quæ duo exempla sunt S. Augustini Lib. IX. *De Genesi ad litt.* cap. 15. Hic explicandi modus iis non displicebit, ut reor, qui Sacramenta esse causas gratiæ tantummodo morales cum Scotistis defendunt.

CAPUT XII.

De Charactere, quem aliqua Sacramenta animæ indelebiliter imprimunt.

414. Character, si solam nominis vim attendere velimus, definiente S. Thoma 3. P. quæst. 63. art. 3. *proprie est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur, ut ordinatum in aliquem finem, sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum, & milites insigniuntur ad militiam deputati.*

415. Si vero loquamur de charactere Sacramentali, definiri potest cum eodem S. Doctore ibid. *signaculum, quo deputatur quisque fidelis ad recipiendum, vel tradendum aliis ea, quæ sunt divini cultus.* Quæ S. Thomæ doctrina sine ulla difficultate a Theologis recipitur. Sed postea magnæ inter eos controversiæ oriuntur, quando hujus characteris natura ad penitius examen revocatur.

416. Sed nos prætermissis domesticis dissidiis, de solo Ecclesiæ dogmate solliciti erimus contra Acatholicos, qui hunc quorumdam Sacramentorum effectum, ut commentitium, pertinaciter rejiciunt (a). Contra quos sit

PROPOSITIO

Certum, & indubitatum fidei dogma est, in tribus Sacramentis Baptismo, Confirmatione, & Ordine indelebilem imprimi characterem.

417. Sanctus Thomas 3. P. quæst. 63. art. 1. id probat *primo* de Baptismo verbis Apostoli Pauli, qui epist. 2. ad Cor. I. 21. seq. inquit: *Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*: hujusmodi autem signum, judice S. Thoma, aliisque claris Interpretibus, non est nisi spiritualis character animæ nostræ indelebiliter impressus. Quod etiam magis declarat primigenius textus grecus ὁ καί σφραγισάμενος ἡμᾶς a verbo σφραγίζω, quod significat *signare, sigillare, & nota quadam impressa insignire.* Sic idem Paulus Roman. IV. 11. signum Circumcisionis, quod certe erat carni impressum, vocat σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης *signaculum justitiæ.* Eodemque sensu S. Apostolus ad Eph. I. 12. dicit, *credentes signati estis* (ἐσφραγίσθητε) *spiritu promissionis sancto;* tum cap. IV. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Quem utrumque locum S. Hieronymus videtur intelligere de Baptismo, quo recipimus *illam imaginem, & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus*, ac subdit, *hoc signaculum Sancti Spiritus Deo imprimente signari.* Idemque sentit S. Thomas Lect. X. explicans illud: *In diem redemptionis*, *idest Baptismi.*

418. Non me quidem latet, nonnullos Catholicos Interpretes in citatis testimoniis nonnisi Spiritus sancti dona intelligere; cum tamen aliqui Sancti Patres, ut Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, & nonnulli alii infra laudandi signum indelebile intellexerint, videtur hoc argumentum grave pondus habere. Luculentius vero admodum dogma ostenditur ex Sanctorum Patrum traditione. Et ut exordiamur a græcis.

419. S. Cyrillus Jerosolym. Præfat. in Catecheses vocat Baptismum *signaculum sanctum indelebile;* & Catechesi IV. *Spiritus sanctus*, inquit, *tempore baptismatis animam obsignat*, nempe signaculo indelebili.

420. S. Basilius Hom. XIII. fideles exhortans ad Baptismum, eum comparat *tesseræ militari*, qua Duces utuntur ad suos discernendos. Postea eumdem comparat sanguini illi, quo, Deo jubente, Israelitæ domos suas signarunt, ut signo illo viso Angelus primogenitorum Ægypti occisor, primogenitis Hebræorum parceret, Exodi XII.; ac demum ovibus, quas Pastor signat, ne a grege separentur.

421. S. Jo. Chrysostomus Hom. II. In epist. ad Ephes. explicans verba S. Pauli supra num. 157. allata, Deus, inquit, *charactere nos insignivit.* Et postea: *Signati sunt etiam Israelitæ, sed circumcisionis nota, ut pecora; nos autem ut filii, signati sumus Spiritu sancto.*

422. S. Epiphanius *Hæresi* VIII. Circumcisioni comparat Baptismum, *quo nos a peccatis præcidimur, & in Dei nomine signamur.*

423. S. Gregorius Nazianzenus Orat. XL. n. 4. inter varia Baptismi nomina eum vocat *sigillum, quia conservatio est, ac dominationis obsignatio.*

424. Denique S. Jo. Damascenus, qui Ecclesiæ Græcæ Patrum doctrinam complexus est. Lib. IV. *Orth. fidei* cap. 9. *Nunc*, inquit, *Spiritus sancti primitias per Baptismum accipimus, & regeneratio alterius nobis vitæ initium, & signaculum, & præsidium, & illuminatio efficitur.*

425.

(a) Primus, qui Sacramentorum characterem in universa Ecclesia receptum, impugnare ausus fuerit, creditur Jo. Wiclefus in Lib. IV. *Trialogi* cap. 15., ut refert Thomas Waldensis in *Doctrinali Antiquitatis fidei Catholicæ* T. II. cap. 109., ubi eum confutat. Famosum hunc Sæc. XIV. Hæresiarcham, sicuti in aliis multis, ita in hoc errore secuti sunt Sæc. XVI. Novatores. Lutherus enim *De captivitate Babylonica* asseruit, characterem indelebilem esse *figmentum*. Calvinus autem in *Antidoto Conc. Trid.* Sess. VII. can. 9. *Quod*, inquit, *de charactere indelebili fabulantur* Pontificii, ... *veteribus ignotum fuit, & magis consentaneum est incantationibus magicis, quam sanæ Evangelii doctrinæ.* Hanc magistrorum suorum errorem postea adoptarunt Mart. Kemnitius in II. P. *Exam. Conc. Trident.*, Tilmannus Heshusius in mendacissimo Libro *De erroribus Pontificiorum* tit. 5., Jo. Franc. Buddeus in *Instit. Theol. dogmat.* Lib. IV. 1. §. 16. &c. &c.

425. Non minus luculenta afferri possunt Patrum latinorum testimonia; sed brevitatis causa duo nobis sufficient, Ambrosius, & Augustinus. Horum primus Lib. I. *De Spiritu sancto* cap. 6. utrumque locum Apostoli supra num. 517. allatum ex 2. Corinth. I., & Eph. I. explicat de signo, quod in Baptismo accipimus, *quod est utique*, ait, *spiritale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem.*

426. Multo autem clarius locutus est magnus Augustinus, qui in disputationibus cum Donatistis sæpius hac de re loquendi occasionem habuit. In epist. ad Bonifacium XCVIII., alias 23. num. 5. Tom. II. loquens de consecratione Baptismi facta ab hæretico: *Quia consecratio*, inquit, *reum quidem facit hæreticum, extra Domini gregem habentem dominicum characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum.* En conceptis verbis ab Augustino agnitum Baptismi characterem, qui neque in hæresi deletur.

427. Præterea S. Antistes in baptizatis gratiam distinguit a charactere, ut illa nonnisi fide integra acquiri possit, bene vero character; unde sæpius inferebat contra Donatistas, Baptismum ab hæreticis collatum iterandum non esse, quia Baptismum, quem intus in Ecclesia acceperunt *amittere utique foras exeundo non possunt.* Ita Lib. III. *De Baptismo* cap. 11.; & cap. 14. *Manifestum est*, inquit, *fieri posse, ut fide non integra integrum in quoquam maneat Baptismi Sacramentum*; scilicet quantum ad characterem, qui indelebilis est, non quantum ad gratiam, quæ cum fide non integra sociari non potest.

428. Accedit, quod ipsi Donatistæ rebaptizantes aperte fatebantur, Baptismum rite, & legitime in Ecclesia catholica collatum non amitti propter apostasiam, vel hæresim; sed solum contendebant, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, quia putabant, non posse ab hæreticis baptismum rite, & valide conferri; unde tota moles illius magnæ controversiæ non erat de indelebili charactere Baptismi rite collati, sed de hujus Sacramenti idoneo ministro, cujusmodi esse hæreticum a Donatistis negabatur. Insignis est S. Augustini locus Lib. I. *De Baptismo contra Donatistas* cap. 1. T. XII., ubi inquit: *Nullus illorum* (Donatistarum) *negat, habere Baptismum etiam apostatas, quibus utique redeuntibus, & per pœnitentiam conversis, dum non redditur, amitti non potuisse, judicatur &c.* Pergit postea magnus hujus hæresis debellator Augustinus contra eos demonstrare, Baptismum etiam extra Ecclesiam dari posse, quamvis *recte*, idest legitime non detur. Qua autem de causa non solum Augustino, sed etiam Donatistis, & omnibus persuasum erat, Baptismum semel susceptum amitti non posse, nec propter apostasiam, nec propter hæresim, nisi quia character ab eo impressus deleri non poterat?

429. Neque solum in Baptismo indelebilem hunc characterem agnoscit Augustinus, sed etiam in duobus aliis Sacramentis Ordinis, & Confirmationis. Nam Lib. II. *contra epist. Parmeniani* cap. 13. n. 28. T. XII. de Baptismo, & Ordine inquit: *Utrumque Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica* (Ecclesia) *utrumque non licet iterari.* Deinde subdit eos, qui deserto schismate ad Ecclesiam redeunt, iterum non ordinari, quia *sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra.* De Confirmatione autem Lib. II contra litteras Petiliani c. 104. T. XII. *Sacramentum*, inquit, *Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse & in hominibus pessimis &c.*

430. Poro hanc sanct. Patrum doctrinam omnes postea Theologi secuti sunt, qui magno consensu a Sæc. XIII. usque ad nostra tempora pro certo habuerunt, in tribus Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis indelebilem imprimi characterem, ut iterari nunquam possint. Hos præivit Innocentius III. *Extrav. de Bapt. & ejus effectu* cap. *Majores* Lib. III. *Decretalium* Gregorii IX., non quasi ipse primus fuerit *characteris* Sacramentalis inventor, ut frustra sectarii effutiunt, quibus postea os obstruemus; sed quia post Innocentium Theologi Scholastici varias quæstiones de hujus characteris indole, & natura excitarunt; quas nunquam profecto movissent, nisi de ejusdem characteris existentia, certa, & explorata Ecclesiæ doctrina fuisset.

431. His de causis Sacros. Tridentinæ Synodi Patres Sess. VII. can. 9. ita sapientissime definiverunt: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit*; & in Sess. XXIII. cap. 4. *Quoniam vero in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest &c.* Et ib. can. 4. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem ...... non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.* Et ante Concilium Tridentinum Eugenius IV. in Decreto unionis Armenorum dixerat, *inter Sacramenta tria esse* (*Baptismum, Confirmationem, & Ordinem*), *quæ characterem, idest spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur.* Quibus Ecclesiæ catholicæ definitionibus addi potest & Ecclesiæ Orientalis hac in parte plenus consensus, qui tunc manifestatus est, quando Lutherani eamdem, ut cum ipsis fœdus iniret, frustra sollicitarunt. Vide sup. n. 221. seq.

432. Objectio prima, & potissima Adversariorum inde repetitur; quod in Scriptura sacra nullum

Jam inveniatur characteris Sacramentalis vestigium; quæ enim testimonia supra n. 417. ex S. Paulo allata sunt, possunt facile explicari de gratia in Sacramentis recepta, ut reipsa a multis Patribus, & Interpretibus explicantur, unde graves Theologi facile concedunt, hoc Ecclesiæ nostræ dogma ex sacris libris minime probari. Sed neque invicta demonstratio potest ex verbis sanct. Patrum desumi; quod Scotus confessus est in IV. Dist. VI. qu. 9., addens, se illud credere ob solam Ecclesiæ auctoritatem. Hinc Mart. Kemnitius concludit in II. P. *Examinis Concilii Trid.*, Innocentium III. novum hoc dogma efformasse, illudque postea fuisse a Scholasticis receptum; quanquam quid proprie character sit, quænam ipsius proprietates, quinam effectus, & quodnam ejusdem subjectum determinare nunquam valuerunt, sed perpetuo inter se dimicarunt, etiam in ipso Concilio Tridentino, si credimus Paulo Sarpio Lib. II. *Hist. Concil. Trid.*

433. Resp. nolle nos pugnaciter defendere probationem superius allatam ex verbis S. Pauli, tanquam omnino demonstrativam; eam enim proposuimus tantummodo ut valde probabilem, maxime propter auctoritatem aliquorum Patrum, atque Theologorum, qui ea verba de charactere Sacramentali intellexerunt. Ceterum etiam Scriptura tacente posse ex sola Patrum traditione aliquod dogma fidei ab Ecclesia proponi, illudque esse ab omnibus fidelibus indubie profitendum, regula est apud Catholicos certissima, alibi a nobis demonstrata, & quæ nova non indiget confirmatione. Jam vero traditionem sanct. Patrum supra exposuimus, ipsorum verbis in medium allatis, quæ luculentiora sunt, quam ut possint adversariorum cavillationibus, & subtilitatibus eludi. Quod si Scoto, vel alicui alteri privato scriptori ante solemnes Ecclesiæ definitiones aliter visum est, eorum auctoritas a longe majore aliorum Theologorum auctoritate omnino suffocatur & penitus eliditur. Nec facile sibi constant, qui dicunt, propter *solam* auctoritatem Ecclesiæ se aliquid credere, quod neque ex sacra Scriptura, neque ex Traditione eruitur. Ecclesia enim nova dogmata non cudit, sed sacrum revelationis depositum per verbum Dei aut scriptum, aut traditum ad se derivatum suis filiis explicat, atque ad credendum proponit (*a*).

434. Qui autem Innocentio III. novum hoc characteris Sacramentalis inventum tribuunt, a veritate quamlongissime aberrant. Innocentius enim doctrinam characteris ut certam, & in Ecclesia omni memoria antiquiorem habuit; ac solum ex ea respondit ad quæsitum sibi factum, *an dormientibus & amentibus Sacramenti saltem character in baptismate imprimatur?* Diversis autem relatis opinionibus ita quæstionem generaliter resolvit: *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.*

435. Ceterum ante Innocentium characteris Sacramentalis mentionem fecit Petrus Lombardus in IV. *Sententiarum* Dist. VII. docens, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse, quia juxta Augustinum *quadam consecratione dantur*. Quod cum de effectu gratiæ intelligi non possit, intelligi debet de altero effectu, scilicet charactere. Et Dist. XXIV. ipsam characteris vocem usurpat, inquiens: *Character ergo spiritualis, ubi fit promotio potestatis, Ordo vel gradus vocatur.*

436. Similiter quoque Gratianus Innocentio antiquior (floruit enim sæc. XII.) *De consecrat.* Distint. XXIV. cap. 41. *Ovem* dicit, *quæ foris errabat, & dominicum characterem foris accipiebat, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi* (debere) *characterem autem Dominicum in ea agnosci potius, quam reprobari*. Petrus etiam Pictaviensis, qui primus Libros Sententiarum commentatus est, & initio sæc. XIII. obiit, antequam Innocentius ad summum Pontificatus fastigium eveheretur, ad Dist. XXIV. Lib. IV. characterem animæ impressum distincte memorat. Corrigendi itaque sunt, qui ante Innocentii tempora nullam putant factam fuisse Sacramentalis characteris mentionem.

437. Demum quod Sarpius de dissidiis Theologorum in Concilio Tridentino sine teste affirmat, luculenter explicatur a Card. Pallavicino Lib. IX. *Hist. Conc. Trid.* cap. 5. de controversiis excitatis, non circa impressionem characteris, quæ fit in tribus Sacramentis, sed circa indolem, & naturam ejusdem characteris, de qua Præsules illi prudentissime nihil pronunciare voluerunt. Alia profecto quæstio est, an character, seu *signum quoddam spirituale, & indelebile* in anima imprimatur, quod reipsa imprimi infallibili Trident. Pa-

(*a*) Inter eos paucos, qui videntur negasse, characteris doctrinam vel ex sacris litteris, vel ex Patrum traditione esse derivatam, recensetur etiam doctissimus Card. Cajetanus, in cujus Commentariis ad 3. P. q. 63. art. 1. hæc *olim* legebantur: „ Adverte hic duo: „ primum, quod Sacramenta imprimere characterem „ ex sacra Scriptura non habetur, sed ex Ecclesiæ au„ ctoritate, & non multum antiqua, ut patet ex sacris „ canonibus, & priscis quæstionibus Patrum de reite„ ratione baptismi quæ locum non haberent, si Ec„ clesia jam determinasset; imprimi in anima chara„ cterem per baptismum &c. Hæc certe non scripsisset religiosissimus Cardinalis post Synodi Trident. definitionem. Quamobrem S. Pius V. in editione Operum S. Thomæ cum commentariis Cajetani hæc omitti jussit, quæ in editionibus prioribus legebantur, ut in duabus Venetis per Juntam anno 1523. & anno 1567. Video ab aliquibus ejusdem erroris accusari B. Albertum magnum; sed injuria; nihil enim aliud voluit celebris iste non solum Philosophus, sed etiam Theologus, quam examinare duas characteris definitiones, quarum, *neutra*, inquit, *habet robur auctoritatis, nisi quantum facit usus Magistrorum; quia de charactere in sensu, quo Magistri disputant, de eo parum invenitur in dictis Sanctorum*. In IV. Dist. VI. art. 4.

Patrum judicio definitum fuit; aliud subtilius, & curiosius investigare, quænam sit hujus signi natura, & in qua animæ potentia imprimatur, quod iidem Præsules Scholasticorum disputationibus libere permissum voluerunt (a). Et nisi hæc distinctio admittatur, non hoc unum Ecclesiæ dogma, sed multa alia simul cum eo in dubium revocanda erunt; fere enim nunquam inter Theologos omnino convenit de modo, & natura mysteriorum, quamvis de eorumdem existentia summa sit omnium consensio.

438. Obj. *secundo*. S. Augustinus, cujus patrocinio nos potissimum gloriamur, non agnovit illum characterem, quem non defendimus, invisibiliter animæ impressum, sed alium exteriorem, & visibilem. In Serm. enim ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem Tom. XII. *Ego*, inquit, ... *attendo fidem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: iste est character Imperatoris mei. De illo charactere militibus suis, vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus, præcepit dicens: Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti &c.* Non igitur S. Pater alium agnoscit in nobis characterem, quam rectam fidem, & etiam Baptismum collatum in nomine Sanctissimæ Trinitatis.

439. Resp., S. Doctorem in verbis objectis voluisse potius indicare causam characteris, quam ipsum *formaliter* characterem: causa autem characteris, qui in Baptismo imprimitur, est Sanctissimæ Trinitatis invocatio. Itaque S. Pater recte dicebat, ad cognoscendos milites Christi se attendere ad characterem, quo insigniti fuerant, nempe ad formam Baptismi; si enim datus fuerat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, tunc agnoscebat characterem Imperatoris sui; non quod illa invocatio, aut fides esset ipse character, sed quia ex ipsa invocatione character imprimebatur, sicuti ex sigillo in cera imprimitur ejus imago. Invocatio illa transit, character autem indelebiliter permanet, etiam in iis, qui foris exeunt, & veram fidem amittunt; unde ibidem n. 2. dixerat: *In errante, & deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed Imperatoris.* Et postea de iis loquens, qui a schismaticis baptizati fuerant, inquit: *A desertoribus signati sunt, non tamen signo desertoris, sed signo Imperatoris: non enim desertor characterem suum fixit.* En character impressus sub invocatione Sanctissimæ Triadis, qui manet etiam in desertoribus.

440. Dices. Ibidem S. Pater ita pergit: *Si Donatus quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret. Ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem &c.:* putavit ergo S. Doctor, characterem esse aliquod signum externum, & visibile, quod etiam exterminari, deleri, & aboleri possit.

441. Resp., Augustinum loqui in hypothesi impossibili, si nempe Donatus in nomine suo baptizaret, & non in nomine Trinitatis, & sic baptizans *characterem desertoris infigeret*, quod utique fieri non potuisset: infigere enim animæ characterem solus Deus potest. Nec aliud voluit ex tota hac dicendi formula indicare, quam se Baptismi a Donato collati valorem, & perennem characterem agnoscere, quia Donatus baptizabat in nomine Trinitatis; quod si in nomine suo baptizasset, nullum potuisset imprimere characterem. Et si potuisset imprimere (quod tamen impossibile erat), illum vanum, & fictitium characterem S. Pater improbasset, anathematizasset, damnasset: immo etiam energico dicendi modo addebat, se illum *exterminaturum, deleturum, aboliturum*.

442. Obj. *tertio* Sacramentum a Catholicis communiter definitur *signum sensibile, quod ex institutione divina continet, & causat gratiam*, nulla facta characteris mentione. Immo hæc mentio fieri non potuit: neque enim character pertinet ad signum externum Sacramentale, quod non potest internum aliquod signaculum perenne, & indelebile producere. Neque pertinet ad gratiam, quam significant, & conferunt Sacramenta, quia gratia amitti potest, secus ac character; commentitius est ergo hic quorundam Sacramentorum effectus.

443. Resp. characteris impressionem esse ex institutione divina. Nimirum Deus ob altissimos suos fines voluit aliquibus Sacramentis virtutem tribuere, ut præter primarium effectum conferendi gratiam, qui aliis Sacramentis communis est, signum indelebile animæ infigerent. Id voluisse Deum, manifeste colligitur ex Sanct. Patrum traditione, & præcipue ex constanti, & universali Ecclesiæ praxi, quæ hæc Sacramenta rite collata nunquam reiterari permisit, hac potissimum de causa, quia character ab ipsis impressus est indelebilis. Dixi *ex praxi universali:* quamvis enim inter Africanos, & Orientales fuerint olim plures, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizabant, ut suo loco videbimus, illi tamen id faciebant, non quia *verum* Baptismum iterari posse crederent, sed quia putabant, Baptismum in hæresi acceptum non esse *verum*,

(a) Eminentissimus Concilii Trident. Historiographus fuisse quidem memorat aliquos Theologos, qui sententiam impressionis characteris solum ut *probabiliorem* tenendam esse consulebant, agente autem Card. Seripando Concilii Præside, fuisse ut articulum fidei receptam, potissimum propter auctoritatem S. Augustini ab eodem Seripando adductam. Sed hæc frustra objiciuntur. Licuit enim Theologis ante definitionem Concilii disputare; veruntamen firmitas definitionum Ecclesiæ non ex Theologorum opinionibus, sed ex Spiritus sancti assistentia desumi debet; opiniones Theologorum propositæ, & ventilatæ fuerunt ante Sessiones Conciliares, in quibus certissima fidei dogmata definiebantur.

rum, ac *legitimum*, ut proinde posset characterem imprimere. Hoc semel constituto, supervacanee quæritur, undenam character proveniat, an a materia, an a forma, an a signo, an a gratia? Dico provenire ex divina institutione, & recepto Sacramento statim indelebile signaculum in anima imprimi. Ideo vero in definitione Sacramenti non ponitur character, quia non est omnibus Sacramentis communis.

444. Inst. *primo*. Cui bono voluit Deus, hujusmodi indelebile signaculum imprimi? Anne ut suos signatos discerneret? Sed, ut inquit Apostolus 2. ad Timoth. II. 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus*. Anne propter Angelos? Sed isti vident omnia in Verbo divino, nec indigent aliqua tessera ad homines baptizatos a non baptizatis discernendos. An fortasse propter homines ipsos? Sed tunc debuisset esse signum externum, & corporeum, cujusmodi fuerat Circumcisio, non spirituale, & internum, quod ab hominibus videri nequit.

445. Resp., omnem difficultatem evanescere, si consideretur cum S. Thoma 3. P. qu. 63. art. 1. & seq. non imprimi characterem ad solam distinctionem, sed ut homines deputentur ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ religionis; ut ostendunt ejus verba supra relata n. 415. Hinc trium Sacramentorum characteri diversus tribuitur effectus: in Baptismo enim fideles accipiunt jus civitatis, seu familiæ Christi; in Confirmatione confertur character militiæ Christianæ; & in Ordine character potestatis, seu ministerii ecclesiastici, ut bene Estius observavit.

446. Verba autem Apostoli ita explicat S. Doctor ibidem art. 1. ad 1. *Fideles Christi ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur signaculo prædestinationis divinæ; sed ad actus convenientes præsenti Ecclesiæ deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, quod character nuncupatur*.

447. Sed neque supervacanea est distinctio, quam character affert respectu hominum. Quamvis enim ipse in seipso invisibilis sit, visibilis tamen est Sacramento, quod suscipitur; unde baptizatus novit, se esse a non baptizato perenni signaculo discretum, ut ita suarum promissionum memor vitam Christiano homine dignam degat: tum ut per Confirmationem confortatus, armis, & viribus sibi aliunde suppeditatis ad fidem publice profitendam, ac defendendam paratus sit; tum etiam ut ad insiti nobis hostis insidias detegendas, & repellendas sit fortior: ac denique per Sacramentum Ordinis supra ceteros elevatus, ut ecclesiastica munia exerceat, ac Sacramenta aliis dispenset. Accedit, quod & ceteri homines, quanquam internum animæ signaculum non videant, norunt tamen, quinam sint iis Sacramentis Deo peculiariter consecrati, & ad ea, quæ sunt divini cultus vel recipienda, vel aliis tradenda, spirituali potestati donati.

448. Immo Doctor Angelicus art. 5. ad 3. indubitanter asserit, *quod quamvis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam, sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in his, qui vicerunt, ad gloriam, & in his, qui sunt victi, ad pœnam.*

449. Inst. *secundo*. Eccur non etiam Sacramenta veteris legis, quæ certe ad cultum divinum pertinebant, characterem conferebant?

450. Respondet S. Thomas art. 1. ad 3., *quod Sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum operandum: & ideo in illis Sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed sufficiebat ibi corporalis Circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat Rom. IV.* Vid. etiam qu. 72. art. 5. ad 3. (*a*).

451. Inst. *tertio*. Quare non omnibus novæ legis Sacramentis hæc virtus imprimendi characterem competit; præsertim vero Eucharistiæ, quæ alia Sacramenta in dignitate præcellit?

452. Respondeo iterum cum S. Thoma, nonnisi ea Sacramenta imprimere characterem, quæ conferunt potestatem aliquid recipiendi, vel aliis tradendi, quod pertinet ad divinum cultum; quæ potestas ut supra declaratum est n. 445. nonnisi per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem confertur. Eucharistia autem non imprimit characterem, quia, ut observat S. Doctor art. 6. „ per hoc Sacramentum non ordinatur homo ad aliquid ulterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis, cum potius sit *finis, & consummatio omnium Sacramentorum*, ut Dionysius dicit cap. 3. *Eccl. Hierarchiæ* ". Et cum sibi objecisset, hominem per omnia Sacramenta fieri participem Sacerdotii Christi, ex quo Sacerdotio character Sacramentalis dimanat, ita respondet ad 1.: *Per omnia Sacramenta fit homo particeps sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem effectum ejus: non tamen per omnia Sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid, vel recipiendum, quod pertineat ad cultum sacerdotii Christi: quod quidem exigitur ad hoc, quod Sacramentum characterem imprimat*.

453. Inst. *quarto*. Gratia sanctificans reddit homines idoneos ad verum cultum Dei, non autem character, qui in nostra sententia etiam impiis imprimitur, & in apostatis remanet, qui certe apti non sunt ad Deum, ut par est, rite colendum: supervacaneus ergo est character.

454. Resp. cum Angelico art. 6. ad 2., *quod per*

(*a*) Scotus in IV. Dist. VI. qu. ult. dici posse concedit, Circumcisionem contulisse characterem; sed Angelicus, nullo facto discrimine, id negat de omnibus Sacramentis veteris legis.

per omnia Sacramenta sanctificatur homo, secundum quod sanctitas importat munditiem a peccato, quæ fit per gratiam; sed specialiter per quædam Sacramenta, quæ characterem imprimunt, homo sanctificatur quadam consecratione, utpote deputatus ad divinum cultum: sicuti etiam res inanimatæ sanctificari dicuntur, inquantum divino cultui deputantur. Gratia autem sanctificans facit hominem idoneum, ut cultum Deo *dignum* reddat; sola autem non sufficit, ut potestatem tribuat cetera Sacramenta ministrandi; & Sacerdos impius hac potestate carebit. Quod utrumque ab Ecclesia damnatum est, ut suo loco videbimus.

455. Obj. *quarto*. Potissima ratio, cur dicamus, aliqua Sacramenta imprimere characterem, deducitur ex doctrina S. Augustini, & totius Ecclesiæ, etiam vetustioris, quod hæc Sacramenta iterari non possint; atqui hujus doctrinæ, vel potius disciplinæ aliæ potuerunt esse rationes, etiamsi dicatur, nullum ab istis Sacramentis imprimi characterem: ergo &c. Prob. minor. *Primo* Calvinus Lib. IV. *Instit.* cap. 18. n. 19. Mart. Kemnitius in P. II. *Examinis Concilii Trid.* Franc. Turretinus *Loco* XIX. qu. 10. aliique Novatores, qui nullum agnoscunt in Baptismo characterem, multis rationibus ostendunt, ipsum iterari non posse. *Secundo* id ipsum S. Thomas 3. P. qu. 66. art. 9. quatuor argumentis evincit: ex quo igitur aliqua Sacramenta iterari nequeant, non sequitur, ea characterem imprimere.

456. Resp. *primo*, nos ex S. Augustino demonstrasse, characterem in Baptismo imprimi, quia Baptismus numquam amittitur, nec per apostasiam, nec per schisma, aut hæresim, unde redeuntes ad Ecclesiam nunquam rebaptizantur. Jam vero non alia de causa Baptismus *amitti* non potest, nisi propter characterem, qui indelebiliter permanet. Vid. sup. num. 526. seq. Præterea, quanquam possint aliquæ rationes afferri non improbabiles, quare Baptismus iterandus non sit, præcipua tamen ratio, atque invicta est illa, quæ desumitur ex charactere impresso. Unde etiam Angelicus hoc potissimum argumento utitur ex S. Augustino deprompto, qui Lib. II. *cont. epist. Parmeniani* cap. 13. T. XII. adducto exemplo characteris militaris, qui in desertore revertente *non repetitur, sed agnitus approbatur*, infert, *non minus hærere Sacramenta christiana*, scilicet propter characterem impressum in anima. Rursus idem Angelicus 3. P. qu. 72. art. 5., ut probet in Sacramento Confirmationis imprimi characterem, ita ratiocinatur: *In omni Sacramento, quod non iteratur, imprimitur character, sed hoc Sacramentum* (Confirmationis) *non iteratur .... ergo in Confirmatione imprimitur character*, ut apud ipsum valeat reciproca illatio: *Quædam Sacramenta non iterantur, quia imprimunt characterem;* & rursus: *Quædam Sacramenta imprimunt characterem; ergo iterari non possunt.* Unde etiam in Professione fidei Pii IV. nulla facta mentione expressa characteris, solum credere jubemur, *Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse;* hoc enim posito, etiam sequitur, in iis Sacramentis characterem imprimi (*a*).

457. Dices. Hæc est manifesta petitio principii. Si enim quæratur ratio, ob quam Sacramenta quædam imprimant characterem, respondetur, quia iterari non possunt. Et rursus cum quæritur, quare iterari nequeant, respondetur circulo vitioso, quia imprimunt characterem.

458. Resp. ex regulis Dialecticorum nullum esse vitium in argumentatione, quando effectus demonstratur per causam, & vicissim causa per effectum; quia effectus, & causa a se mutuo dependent, & reciprocantur. Sic Cicero *De Divinat.* Lib. I. ista reciprocari dicebat, *ut si divinatio sit, dii sint; & si dii sint, sit divinatio.* Præterea nos ex sacra traditione Patrum, & Theologorum consensu primum discimus in tribus Sacramentis indelebilem imprimi characterem, quo fit, ut iterari non possint, quia characteri jam impresso, & permanenti fieret injuria. Post autem considerantes perpetuam, & universalem Ecclesiæ praxim, qua hæc Sacramenta rite collata nunquam repetita fuerint, inde etiam ab effectu confirmamur, in his Sacramentis imprimi characterem, quamvis fortasse aliæ sint rationes congruæ, ut hæc Sacramenta in eadem persona non repetantur (*b*).

459. Dices iterum. Matrimonium cum eadem persona iterari nequit, quin tamen inferri possit, in matrimonio imprimi characterem: ergo similiter ex quo aliqua Sacramenta iterari nefas sit, inferri non potest &c.

460. Resp., diversam esse rationem. Matrimonium enim cum eadem persona repeti nequit, quia est indissolubile, atque ex utroque conjuge fit una caro: mortuo autem alterutro conjuge, potest a superstite iterari.

461. Et hæc quidem de dogmate ab Ecclesia de-

(*a*) Conati sunt quidem Calvinus, aliique ex Protestantium grege aliquas reddere rationes, quare baptismus iterari non possit. Sed quasdam ex S. Thoma laud. q. 66. art. 9. mutuati sunt; alias autem non esse satis firmas, ostendit Card. Bellarminus II. *De Sacram.* cap. 23. Porro necesse non est hac de re funem contentionis longius trahere. Nobis enim sufficit, quod S. Augustinus, ejusque fidus discipulus S. Thomas, nec non alii Doctores ideo *etiam* baptismum iterari non posse docuerint; quia indelebilem imprimit characterem.

(*b*) Ut proinde audiendus non sit Jo. Franc. Buddeus, qui in *Instit. Theol. Dogm.* Lib. IV. cap. 1. §. 16. scribit, nostros Theologos, cum non alias possent afferre rationes, cur hæc tria Sacramenta non sint iteranda, *ad illepidum illud Scholasticorum de charactere indelebili commentum se recepisse.* Hæc scribere certe ausus non fuisset, si nostros Theologos, ac potissimum eorum Principem S. Thomam vel leviter pervolvisset.

damno. Postea vero multæ, & implexæ occurrunt quæstiones a Scholasticis excitatæ, quas nonnisi breviter indicabimus, ut tempus, ac diligentiam nostrum in rebus utilioribus impendamus (*a*).

Quæres *primo*, *in quo sita sit natura*, *vel essentia characteris Sacramentalis?*

462. Resp., admodum difficile esse id certo determinare, cum inter se valde discrepent scholastici Doctores, quorum præcipuas sententias hic referemus. Scotus in IV. Dist. VI. quæst. 10. vult, characterem non esse nisi relationem quamdam realem extrinsecus animæ advenientem, velut effectum Sacramenti. Cum enim character dicatur *signum*, signum autem sit quid relativum ad rem significatam, colligit Doctor subtilis, characterem non esse, nisi relationem realem.

463. Durandus in IV. Dist. IV. qu. 1. a Scoti sententia in eo recedit, quod velit characterem nihil esse reale, sed solam relationem rationis, seu denominationem externam, per quam homo deputatur ad aliquid agendum, vel recipiendum: sicuti cum Princeps aliquem deputat ad officium, vel nummismatis valorem auget, nihil reale eis confert; sed nudam extrinsecam relationem, vel denominationem: hæc enim explicant quidem aliquem actum ex parte Principis; nullam tamen intrinsecam mutationem in moneta, vel in homine deputato. Ab hac sententia non omnino se alienum fatetur Dominicus Soto in IV. Dist. I. quæst. 4. art. 2.

464. Alii alias iniverunt vias, ut essentiam characteris Sacramentalis determinarent, eamque ad aliquod prædicamentum reducerent; *ut tot sint sententiæ, quot capita, suppudeatque omnium opiniones recensere: eo potissimum, quod quæstio est in visceribus Metaphysices abstrusa, & ideo cunctis molestior, quam Theologis necessaria*. Verba sunt celebris Hispani Theologi mox laudati. Nos iis prætermissis solam Magistri nostri sententiam explicabimus.

465. Sanctissimus noster Præceptor 3. P. quæst. 63. art. 2. ponit, characterem esse spiritualem potestatem: quod probat in argum., *sed contra*, ratione philosophica; quia secundum Philosophum II. *Ethic.* tria sunt in anima, potentia, habitus, & passio; character autem neque passio est, neque habitus: ergo debet esse potentia. Non est passio, quia hæc cito transit, character autem est indelebilis. Non est habitus, quia nullus habitus est indifferens ad bonum, vel ad malum; charactere autem potest quis uti, bene, vel male: ergo potentia.

466. In corpore autem articuli hoc idem evincit argumento theologico: quia ,, Sacramenta novæ legis imprimunt characterem, inquantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundum ritum christianæ religionis ... Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quædam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur quædam potentia activa; ad accipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt divini cultus ".

467. Postea in resp. ad 3. refellit duas supra relatas opiniones Scoti, & Durandi, qui characteris naturam in sola relatione intrinseca, aut tantummodo extrinseca reponebant, inquiens: ,, Relatio, quæ importatur in nomine signi, oportet, quod supra aliquod fundetur. Relatio autem hujus signi, quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animæ, quia sic conveniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet, aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio: & hoc est essentia characteris: unde non oportebit, quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt. *Et rursus ad* 4. Character, *inquit*, habet rationem signi per comparationem ad Sacramentum sensibile, a quo imprimitur, sed secundum se consideratus habet rationem principii ".

468. Similitudines autem deputationis ad aliquem magistratum, vel determinationis valoris in nummis, & aliæ hujus generis nihil evincunt ad rem nostram: ideo enim hæc non sunt nisi externæ quædam relationes, vel denominationes, quia Princeps non valet aliquid intrinsecum homini, vel nummo imprimere: bene autem id potest Deus omnipotens: quamobrem character ab eo impressus veram tribuit homini potentiam ad res divinas vel accipiendas, vel aliis tradendas; quæ potentia est indelebilis.

469. Observat insuper Doctor art. 3., characterem Sacramentalem esse specialiter characterem Christi, quia homo per characterem deputatur ad recipiendum, vel tradendum aliis ea, quæ pertinent ad cultum Dei: totus autem ritus christianæ religionis derivatur a Sacerdotio Christi; & ideo character Sacramentalis specialiter est character Christi. Unde Apostolus 1. Cor. IV. 1. inquiebat: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Jesu autem Christo non competit habere characterem, ut ipse S. Thomas docet art. 5., *quia Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem: & potestas sacerdo-*

(*a*) *Quid enim juvat*, inquit doctissimus P. Ren. Hyac. Drouven. Lib. I. *De re sacram.* cap. 12., ,, ad defensionem catholici dogmatis importune, & ad ravim usque in scholasticis exercitationibus quæritare sitne character substantia, vel accidens, ens reale, aut rationis? Utrum in prædicamento debeat collocari directe, tanquam genus, aut species, vel indirecte tantum, & reductive, ut ajunt? Sitne relatio aliqua realis, an denominatio pure extrinseca, an e contrario res absoluta? Et denique ad quam speciem qualitatis pertineat?

dotii ejus comparatur ad characterem, sicut id, quod est plenum, & perfectum ad aliquam sui participationem. Atque hæc de natura, & essentia characteris satis sint. Plura cupientibus plene satisfacient Scholastici, ac præcipue doctissimi, & copiosissimi Salmanticenses.

Quæres secundo, *quodnam sit characteris subjectum?*

470. Resp. Nemo dubitat, characterem recipi non exterius in corpore, sed interius in anima, quemadmodum in definitionibus Synodi Trid., & Eugenii IV. supra expressum est. Sed quæstio instituitur, an character imprimatur in ipsa animæ essentia, an vero in ejus potentiis. Imprimi autem in potentiis animæ, potius quam in animæ essentia, ita breviter ostendit S. Thomas art. 4. „ Character imprimitur ad ea exercenda, vel suscipienda, quæ sunt divini cultus; qui divinus cultus consistit in quibusdam actibus: ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse: & ideo character non est, sicut in subjecto, in essentia animæ, sed in ejus potentia ". Postea in resp. ad 3. statuit, characterem non esse in potentia animæ *appetitiva*, sed in *cognoscitiva*, in qua est fides, scilicet in intellectu.

471. Ex hactenus dictis colligimus, nonnisi tria esse in hac materia ab Ecclesia solemniter definita, atque ab omnibus certa fide credenda. *Primum*, characterem esse *signum quoddam spirituale, & indelebile, quod in anima imprimitur*. *Alterum*, hoc signum imprimi a tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine. *Tertium*, hæc Sacramenta iterari non posse. Reliqua, quæ ingeniose, & subtiliter a Scholasticis in controversiam vocantur, utilia quidem esse possunt, ad fidem tamen minime pertinent.

CAPUT POSTR.

De cæremoniis Sacramentorum.

472. Antequam hanc primam Dissertationem claudamus, aliqua dicenda supersunt de cæremoniis, quas adhibet Ecclesia in cultu divino, præcipue autem in administratione Sacramentorum. Eas enim variis titulis culpare solent Protestantes, quamvis in aliquibus earum retinendis, vel abjiciendis non minus a se ipsis, quam a nobis dissentiant (*a*). Prius tamen quid cæremoniæ ipsæ sint, breviter explicandum.

473. S. Thomas 1. 2. quæst. 99. art. 3. de præceptis cæremonialibus legis veteris agens hæc habet: „ Ordinatur homo in Deum, non solum per interiores actus mentis, qui sunt credere, sperare, & amare, sed etiam per quædam exteriora opera, quibus homo divinam servitutem profitetur: & ista opera dicuntur ad cultum Dei pertinere, qui quidem cultus *cæremonia* vocatur quasi *munia*, idest dona *Cæreris*, quæ dicebatur Dea frugum, eo quod primo ex frugibus oblationes Deo offerebantur; sive ut Maximus Valerius refert Lib. I. cap. I. num. 10., nomen *cæremoniæ* introductum est ad significandum cultum divinum apud latinos a quodam oppido juxta Romam, quod *Cære* vocabatur, eo quod Roma capta a Gallis illic Sacra Romanorum oblata sunt, & reverendissime habita. Sic igitur illa præcepta, quæ in lege pertinent ad cultum Dei specialiter, *cæremonialia* dicuntur (*b*) ".

474. Definiri autem possunt cæremoniæ, de quibus loquimur, *ritus sacri ad Sacramenta decentius, & utilius administranda*. Harum cæremoni-

(a) Lutherani magna nostrarum cæremoniarum partem retinuerunt. Nam in *Confessione August.* art. 15. aliquos Ecclesiæ nostræ ritus conservandos esse, insinuatur: & Phil. Melanchthon in c. XIV. Epist. ad Rom. *Non probo*, ait, *petulantiam illorum, qui ritus, & traditiones sine probabili causa ubique violant, seu studio novitatis, seu quadam contumacia. In his enim non solum pietas, sed etiam humanitas desiderari potest*. Jo. Franc. Buddeus in *Instit. Theol.* Lib. V. cap. 1. §. 9. nobis fidem facit, in Lutheranorum secta multas Ecclesiæ Romanæ cæremonias fuisse retentas, ut in Baptismo ἀνάδοχοι, nempe *sponsores*, seu *patrinos*, formulam renuntiandi diabolo, signum crucis, & exorcismos. Aliquos tamen sacros universæ Ecclesiæ ritus & ipsi sustulerunt. Calvinus multo ferocius contra sacros nostros ritus, tanquam non solum inutiles, sed etiam perniciosos sæpe debacchatur, præcipue vero Lib. IV. *Instit.* cap. 10. nos mendacissime calumnians, quasi præcipuum Dei cultum in his cæremoniis reponamus; unde prætextu antiquam Ecclesiæ simplicitatem revocandi omnes fere sacras cæremonias a cultu Dei resecavit. Cap. autem 15. a Baptismo remotam esse vult aquæ benedictionem, cereum cum chrismate, exsufflationem, sputum, aliamque similem *nugarum farraginem*, ut impuro ore blasphemat; quamvis negare non audeat, hæc omnia esse in Ecclesia admodum *vetusta*. Non omnes tamen Calvinistæ sui antesignani vestigiis pressius institerunt, ut videre est in Calvinistis Anglis, qui *Episcopales* nominantur. Hugo Grotius Calvinista mollior ex *Remonstrantium* grege in *Adnotat. ad Consult.* Cassandri, aliisque in locis, a nostris cæremoniis minime abhorret. Uno verbo hac etiam in parte, sicut in pluribus aliis, frustra unitatem, & consensionem ab iis requiras, qui se ab unitate Ecclesiæ Christi luctuoso schismate separarunt. Duæ etiam Erasmi propositiones in hac materia a Sorbonica Parisiensi Facultate condemnatæ fuerunt; altera quidem ut erroribus Wiclefi, & Lutheri consona, quæ dicebat: *Plus nos inhæremus sensibilibus cæremoniis, plus ad Judaismum tendimus*. Altera ut temeraria his verbis concepta: *Optarem, omnes homines tales esse, ut his cæremoniis non indigerent, aut tantam ipsis virtutem non attribuerent*.

(b) Eadem fere habet Aulus Gellius Lib. IV. c. 9. addens, ob honorem a Cæretanis Romanorum Sacris delatum, a Romanis fuisse institutum, ut omnis divinus cultus cæremonia a Cære diceretur. Sanctus Augustinus Lib. II. *Retract.* cap. 37. postquam observasset,

niarum aliæ consistunt in verbis, ut exorcismi in Baptismo: aliæ in actionibus, & corporis motibus, ut signa crucis, genuflexiones, tunsiones peccatoris, elevatio oculorum, & manuum extensio: aliæ in externarum quarumdam rerum usum, & aquæ benedictæ, olei, salivæ, salis, luminum, vestium &c. Rursus aliquæ istarum cæremoniarum Christum ipsum habent auctorem, qui aliquando non est dedignatus & verbis, & rebus uti in suis miraculis edendis; ut cum sua voce mortuos ad vitam revocavit; cum lutum fecit ex sputo ad illuminandum cæcum; cum saliva tetigit linguam muti; & cum manum extendit ad mundandum leprosum. Aliæ fuerunt post Christi ascensionem ab Apostolis institutæ; & quædam etiam ab Ecclesia, potestate sibi a Christo facta ad augendam Sacramentorum majestatem, postea additæ.

475. Hæ postremæ, aut sunt ubique receptæ, & tunc a sola universali Ecclesia tolli, vel mutari possunt; aut nonnisi in quibusdam Ecclesiis vigent, & in his auream regulam nobis præscribit S. Augustinus epist. LIV., olim CXVIII. ad Januarium num. 2., ut gravis, prudensque Christianus *eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit*. Quod confirmat auctoritate S. Ambrosii, quem tanquam cæleste oraculum se accepisse ait. Ita nimirum sibi dixisse refert: *Cum Romam venio, jejuno sabbato: cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi* (a). His breviter præmissis sit

PROPOSITIO

Cæremoniæ in solemni Sacramentorum administratione ab Apostolis traditæ, aut etiam ab Ecclesia institutæ, omnino sunt retinendæ (b).

476. **P**rob. Ab Apostolis fuisse aliquas cæremonias in Sacramentorum administratione institutas, luculenter eruitur ex epist. 1. ad Corinth. XI.; ubi cum de sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramenti institutione, & necessariis ad illud cum fructu sumendum dispositionibus disseruisset, postea sic concludit vers. 34.: *Cetera autem, cum venero, disponam;* certe nihil aliud innuens, quam se constituturum quosdam ritus, ad majorem tanti Sacramenti decorem, & sumentium profectum. Hoc probe animadvertit S. Augustinus epist. IV. ad Jan. cap. 6. ita Apostoli locum commentans: *Unde intelligi datur, (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur*. Et S. Thomas Lect. VII. in hunc locum, *ex quo patet*, inquit, *quod Ecclesia multa habet ex dispositione Apostolorum, quæ in sacra Scriptura non continentur*.

477. Reipsa autem vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia fuisse in ipso Christianæ Religionis exordio institutas, quæ vel Sacramenta præcederent, vel ipsa comitarentur, aut subsequerentur, indicat antiquissima ejusdem Ecclesiæ praxis, quam apud primos nostrarum rerum scriptores invenimus. Nam S. Justinus Martyr in altera sua *Apologia* nonnullarum cæremoniarum meminit, quæ in Baptismi, & Eucharistiæ administratione adhiberi solebant.

478. Tertullianus autem in Lib. *De corona militis* cap. 3. varias recenset cæremonias, quæ in Baptismi collatione observabantur, nempe *primo* contestationes, quibus baptizandus declarabat, *se renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus; secundo* trinam immersionem in aqua: *tertio* prægustationem lactis, & mellis: *quarto*, abstinentiam a lavacro quotidiano per totam hebdomadam. Postea enumerat alias sacras cæremonias, scilicet oblationes pro defunctis, & ritum frequenter signandi frontem signaculo crucis, & postea concludit: *harum & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur autrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix*. Quæ vetustissimis hujus sacri scriptoris verba clariora sunt, quam ut aliquo glossemate indigeant, ad confirmandam Ecclesiæ auctoritatem in quibusdam religionis nostræ cæremoniis instituendis, & retinendis, vel etiam immutandis, si id ad fidelium emolumentum expedire judicaverit.

479. Exorcismos, qui ante Baptismum adhiberi solent, memorat S. Cyprianus antiquissimus Ecclesiæ Africanæ Pater in epist. LXXVI. ad Magnum. Qui etiam in alia epist. nempe LXIII. ad Cæcilium mentionem facit ritus miscendi aquam cum vino in Sacrificio Missæ.

480. Ecclesiæ quoque græcæ varios ritus in collatione Sacramentorum recenset S. Cyrillus Jerosoly-

hoc vocabulum *non esse in usu litterarum sanctarum* (nempe secundum Versionem LXX. nam in nostra vulgata sæpissime invenitur) putavit illud esse derivatum a *carendo*, quasi *cæremoniæ* dicerentur, *eo quod observantes careant his rebus, a quibus se abstinent*. Quam explicationem sequitur etiam S. Isidorus Lib. V. *Etymolog.* Alii alias hujus vocis origines assignant, fere omnes incertas. Videndus in primis Eminentiss. Card. Jo. Bona *De Divina Psalmodia* c. 19. §. 3., tum Ger. Jo. Vossius in *Etymologia linguæ latinæ*.

(a) Ab hac regula excipiendæ sunt duæ Ecclesiæ latina, & græca: neque enim fas est Latinis se Græcorum cæremoniis accommodare, aut vicissim Græcis latinos ritus usurpare.

(b) Posita est illa restrictio: *in solemni Sacramentorum administratione*, quia existit etiam in Concilii Tridentini definitione Sess. VII. can. 13., ut infra videbimus num. 582.; & quia Baptismus, necessitate urgente, etiam sine cæremoniis conferri potest.

lymitanus in suis *Catechesibus* I. II. IV., & V., ac concludit monens fideles, ut *retinerent has traditiones*.

481. Adhuc clarius, & omnino apposite ad confundendos nostri ævi Novatores loquutur S. Basilius in Lib. *De Spiritu Sancto* cap. 27. inquiens: *Si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes gravissimum detrimentum in Evangelio inferemus; immo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus*. Addit etiam, nonnullos Sacramentorum ritus *ex non publicata, & arcana traditione* derivari. Sed supervacaneum est, hanc veritatem prolixius demonstrare, cum ipse Calvinus fateri debuerit, *fere inter ipsa Evangelii exordia* fuisse sacras cæremonias receptas, quas hic Hæresiarcha omnium mortalium audacissimus non veretur *Satanæ imposturas* vocare.

482. Sacrilegas hujus iniquissimi hominis blasphemias æterno anathemate proscripsit sacrosancta Trid. Synodus, quæ antiquæ, ac venerandæ sanctorum Patrum doctrinæ inhærens Sess. XXI. cap. 2. declaravit, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*. Vid. sup. n. 329.

483. Denique eadem Tridentina Synodus Sess. XXII. cap. 5. necessitatem cæremoniarum hac solidissima ratione comprobavit. *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam .... instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, & traditione; quo & majestas tanti sacrificii* (Eucharistici) *commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplatione excitarentur*.

Solvuntur Hæreticorum objectiones præcipuæ.

484. Nimis multa sunt, quæ Hæretici, ac potissimum Calvinistæ contra varias Ecclesiæ cæremonias objiciunt; inde enim solent prætextum suæ ab Ecclesia secessionis sumere, & fucum imperitis facere, quasi se a corrupta Babylone separaverint. Nos autem, ut breviores simus, nonnisi præcipuas eorumdem difficultates expediemus. Una ex his præcipua ea est, quam ducunt ex veneranda antiquæ Ecclesiæ simplicitate, quando sine tanto cæremoniarum apparatu, immo sine ulla rituum pompa fideles adorabant Deum in spiritu, & veritate: nunc autem, inquiunt, Religio Christiana tot mundanis, ac profanis prorsus ornamentis circumvestita est, ut ad sensibilem quamdam admirationem, potius quam ad pietatam excitandam, & nutriendam, apta esse videatur. Hic amplus Catholicæ Ecclesiæ osoribus se aperit campus, ut contra nostrorum templorum magnificentiam, contra aurum, & argentum in eis resplendens, contra sacrificiorum pompam, & generaliter contra totum externum cultum procaciter debacchentur; ut inter alios facit Minister Claud. in *Defens. Reform.* c. 4.

485. Resp., præsentem nostram controversiam esse restrictam ad cæremonias, quæ in solemni Sacramentorum celebratione adhiberi solent, & debent: attamen ne adversariis terga dare videamur, dicimus hanc omnem Religionis nostræ pompam non esse *mundanam, & profanam*, ut Sectarii blaterant, sed *ecclesiasticam, & sacram*; cum templa, vasa, & omnia nostra ornamenta sint Deo, ejusque cultui dicata; & in his omnibus Ecclesia non suam, sed Dei gloriam unice quærat, illud repetens Ps. CXIII.: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Exemplum regis Salomonis, qui Deo jubente templum omnium magnificentissimum erexit, illudque omnis generis supellectili pretiosissima ornavit, satis esse deberet ad ora eorum omnium obstruenda, qui simul cum ethnico illo Poeta audent interrogare:

Dicite Pontifices, in templo quid facit aurum? (a)

486. Neque vero mirandum est, hunc externum cultum non fuisse in Ecclesiæ nascentis exordio adeo splendidum, ut modo conspicitur. Non, inquam mirandum, quia id non patiebatur infelix eorum temporum conditio, quando fideles metu persecutionum cogebantur latere, & secreto suas preces, suaque sacrificia Deo offerre in cryptis, in cœmeteriis, aliisque locis occultis. Semel ac vero potuit Ecclesia sua libertate frui, illico etiam cœpit pietas, & devotio fidelium divitiarum suarum partem Deo consecrare in magnifica templorum structura, in sacrorum vasorum pretio, aliisque donariis ad Dei cultum, & honorem dicatis. Id autem providentissime fuisse factum ad majorem erga Deum reverentiam excitandam a S. Thoma 1. 2. quæst. 102. art. 4. hac ratione ostendi-

(a) Templi Salomonis originem esse a Dei Opt. Max. consilio, afflatu, atque auctoritate, & a Davidis, ac Salomonis pietate repetendam, invicte demonstravit Natalis Alexander Dissert. I. in *Hist. Sacram. V. T.* quintæ mundi ætatis, contra Jo. Spencerum, & Jo. Marshamum, qui illam ruditati, & moribus Gentium tribuendum esse, probare conati sunt. Videri etiam potest Opus D. Brueys, cui titulus *Defense du culte extérieur de l'Eglise Catholique* in 12. Paris 1686.

ditur, quia *habet hoc humanus affectus, ut ea, quæ communia sunt, & non distincta ab aliis, minus revereatur; ea vero, quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur, & revereatur. Et inde etiam hominum consuetudo inolevit, ut Reges, & Principes, quos oportet in reverentia haberi a subditis, & pretiosioribus vestibus ornentur, & etiam ampliores, & pulchriores habitationes possideant.*

487. Sic etiam Deus egit cum Israelitis. Quamdiu enim peregrini erant in deserto, & quamdiu fuerant perpetuis bellis occupati, Dei Arca habitabat in tabernaculo, & in tentorio. Postquam vero debellatis hostibus eorum respublica in pace florebat sub regibus Davide, & Salomone, Deus voluit, ut sibi templum erigeretur, quod amplitudine, structura, auro, argento, gemmis, & cujuscumque generis ornamentis omnium admirationem, & stuporem attraheret; & omnes inde conjicerent, quanta esset majestas, sapientia, omnipotentia Dei summi, cujus honori cuncta erant dicata (a).

488. Inst. cum Jo. Spencero Lib. III. *De legibus Hebræorum ritualibus* Dissert. VI. Negari non potest, primam templorum originem esse ab idololatria repetendam; neque enim apud antiquos Patriarchas, immo neque ab Israelitis post Moysem ullum fuit exstructum templum usque ad tempora Regis Salomonis: at vero apud gentes innumera propemodum erant Deorum fana, & delubra, præcipue apud Ægyptios, quos scribit Herodotus in *Euterpe* cap. 4. *primos Diis & aras, & simulacra, & templa statuisse*; cui consonat Lucianus in Lib. *De Dea Syria*, inquiens: *Primi homines Ægyptii dicuntur & Deorum notitiam accepisse, & templa condidisse*. Idem de aliis ritibus, quibus Judæi Deum colebant, dici potest, scilicet eosdem fuisse a profana gentilitate mutuo acceptos; qui postea in ipsam religionem Christianam sensim, ac sensim commigrarunt. At vero, inquiunt, nostrorum sacrorum rituum osores, hæc tolerari utcumque potuerunt in populo hebraico carnali, & duræ cervicis, cui proinde Deus quadam συγκαταβάσει *condescendentia* multa sæpe permisit; nullatenus vero tolerari possunt in religione Christiana, in qua veri adoratores Deum adorare debent *in spiritu, & veritate*, ut dicitur Jo. IV.

489. Resp., nos minime inficiari, ritus *multos* religionis Christianæ a religione Judaica, & rursus in religionem Judaicam ex Gentilium moribus esse derivatos; sed dicimus eosdem ritus ab omni profana superstitione fuisse purgatos, ut possent externo Dei cultui applicari. *In multis*, inquit Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Rom. 2. Febr., *in multis Gentilium institutis contigit, ut superstitionis eorum usus sacris ritibus expiatus, & sacrosanctus redditus in Dei Ecclesiam laudabiliter receptus sit*. Et ad diem 5. Augusti post explicatum vocabulum *Basilicæ* ita subdit: *nam Basilicæ illæ Gentilium in Ecclesia Christianorum aliquando commutabantur*. Vid. etiam ad an. Christi 58. num. 28. Sed audiatur sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. *De Synodo Diœcesana* Lib. XIII. c. 17. num. 4. ubi comprobat, *quod ab aliis quoque animadversum est, de quibusdam Gentilium, Hebræorumque ritibus, quos Ecclesia sanctificatos adoptavit, quo faciliorem illis viam sterneret, ad veri Numinis cultum amplectendum: tum etiam innumeræ res profanæ, quæ olim ethnicæ superstitioni inservierunt, deinde vero in sacros Ecclesiarum usus, & ornamenta translatæ fuerunt, ut novissime multa eruditione demonstravit Jo. Marangonius in suo opere (Delle cose Gentilesche profane trasportate ad uso ed ornamento delle Chiese*, Romæ 1744.). Et ante omnes magnus Augustinus hoc ipsissimum argumentum a Fausto Manichæo sibi objectum similiter refellit toto Lib. XX. contra ipsum T. X.

490. Dixi autem *multos*, non omnes; nam veteres Patriarchæ etiam ante legem Mosaicam externis quibusdam ritibus Deum verum colebant, quos certe a Gentilibus non acceperant: quin potius verisimile est, eosdem ritus fuisse postea ab impiis in usus profanos, & superstitiosos conversos, quando a vera religione (quæ superstitione paganica multo est antiquior) deficere cœperunt. Sic ex. gr. oblatio primitiarum, & decimarum; sacrificia item, & aræ oleo consecratæ, in Genesi sæpe memorantur, antequam idololatria ex inferno erupisset. Moyses etiam plurimas cæremonias Deo jubente instituit, quæ ad præfigurandum venturum Messiam erant ordinatæ, & quæ certe a Gentilibus depromi non poterant.

491. Demum esse illud addendum, nonnullos ex sacris ritibus fuisse Dæmonis instinctu ab hostibus veræ religionis in falsum idolorum cultum impia superstitione detortos. Insigne hujus rei testimonium nobis suppeditat Tertullianus in Lib. *De Præscriptionibus Hæretic.* cap. 40., ubi inquit: *Diabolus, cujus sunt partes invertendi veritatem, ipsas quoque res Sacramentorum divinorum idolorum mysteriis æmulatur*; & multa hujus rei ibidem exempla recitat (b).

492. Neque vero quis objiciat celebrem S. Jo. Chrysostomi locum in Hom. VI. in Matth. ubi agens de stella, quæ Magis Messiæ ortum indica-

vit,

(a) Hoc primum fuit templum vero Deo erectum; nam quod dicitur Lib. I. Regum cap. I. 9. Sacerdotem Heli sedisse *ante postes templi Domini*, de tabernaculo intelligi debet. Non defuerunt etiam, qui contenderent, Templum Salomonis aliquot annis præcessisse illa, quæ Belus primus Assyriorum rex falsis Diis ædificavit.

(b) Hæc generaliter dicta sufficiant: neque enim hoc loco data opera confutandum suscipimus paradoxum illud Jo. Spenceri, qui notissimo opere *De legibus He-*

vit, *ne opineris*, inquit, *Deo indignum, quod Magi per stellam vocantur. Hoc enim modo omnes Judæorum cæremonias, omnesque ritus, & sacrificia, atque purificationes, & neomenias, & arcam, templumque ipsum reprobabis: siquidem hæc omnia originem a gentium ruditate traxerunt.*

493. Respondet enim Nat. Alexander, nec ipsum Spencerum eloquentissimo Patri hac in re plenam fidem adhibere. Nam ægre creditur, inquit Spencerus, Circumcisionem, Sabbatum, Festum Paschatis, & alia nonnulla Judæorum instituta huic origini tribuenda esse. Sacrificia certe, quæ Gentium ruditati, & mori inolito S. Chrysostomus accepta refert, longe alium habuere auctorem, nempe Deum ipsum, cujus instinctu a veteribus Patriarchis oblata fuere, quod & ipse Chrysostomus agnoscit Hom. XVII. in Genesim, inquiens: *Neque Cain doctorem habuit aliquem, neque Abel suggestorem, & consiliarium, sed uterque conscientiæ suæ magisterio, & sapientia divinitus humano generi suppeditata ad hanc oblationem incitatur.* Non itaque Chrysostomi verba ad litteram sunt accipienda, sed cum debita restrictione, ac limitatione. Eademque restrictio adhibenda est nonnullis aliis similibus veterum Patrum testimoniis.

494. Ob. *secundo*. Deus in Vet. Test., postquam omnes sui cultus cæremonias determinasset, ita conclusit Deut. XII. 32.: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Unde etiam Christus Matth. XV. 9. Pharisæorum cultum reprehendit, quia docebant *doctrinas, & mandata hominum.*

495. Resp., verba objecta ex Deut. XII. solum excludere additiones, quæ homines ad idololatricam superstitionem inclinare possent; unde vers. præc. 30., & 31. cavendum præcipit, ne imitentur Gentes, *& requirant cæremonias eorum*; non autem alias additiones, quæ ad verum Dei cultum pertinerent. Hinc Synagoga multas leges, nova festa, ac varias cæremonias instituere sibi licitum putavit. Sic etiam Christus doctrinas, & mandata Pharisæorum sæpius reprehendit, quod essent vel contraria vero Dei cultui, vel saltem inutiles, ut quædam sæpius repetitæ lotiones manuum.

496. Ob. *tertio*. Etiam cæremoniæ, quas adhibet Ecclesia in Sacramentis, sunt inutiles; nihil enim conferunt, aut conferre possunt ad Sacramentorum fructum; maxime in nostra sententia, qua dicimus totam Sacramentorum efficaciam esse *ex opere operato*. Præterea non solum inutiles, sed & perniciosæ esse videntur; plerumque enim fideles tota illa cæremoniarum mole occupati, impediuntur, ne animum ad ea, quæ Christus ipse instituit, attollant. *Tertio* nonnulli fideles etiam docti putant, in tota illa cæremoniarum pompa sitam esse Sacramentorum efficaciam. Exemplum suppeditat Cyprianus, qui Baptismum Novato collatum nullius roboris esse putavit, quia in illo ritus communes non fuerunt servati; cui sententiæ Cornelius quoque Rom. Pont., & nonnulli Episcopi in Africa subscripsisse dicuntur. Vid. Eusebius Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 43., ubi refert verba Cornelii Rom. Pontificis, qui in epist. ad Fabium de Novato scribens, quod in lectulo, in quo jacebat infirmus, Baptismum sine ullis cæremoniis susceperat, subdit: *Si tamen hujusmodi baptismum suscepisse dicendus est; quia* nempe etiam postquam a morbo liberatus fuit, *non percepit reliqua, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent.*

497. Resp. ad *primum*, varias, & multiplices esse utilitates, quæ ex cæremoniis Sacramentorum in fideles suscipientes dimanant. Has breviter exponit Catechismus Romanus P. II. *De Sacramentis* cap. 1. num. 18. his verbis., „ Ac merito quidem „ a primis usque Ecclesiæ temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam cæremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit, sacris mysteriis eum Religionis cultum tribuere, ut sancta sancti tractare videremur. Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipsæ magis declarant, ac „ veluti ante oculos ponunt, & earum rerum sancti-

breorum ritualibus, & earum rationibus, pluribus argumentis ostendere conatus est, *primo* Zabiorum ritus multis legibus Mosaicis occasionem dedisse: *secundo*, Deum in legibus quampluribus gentium, ac præsertim Ægyptiorum, moribus, atque institutis se attemperasse, ac propterea Hebræis quædam potius permisisse, quam mandasse; quod significari putat iis verbis apud Ezechielem XX. 25. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*, quasi Deus innuere voluerit, se permisisse potius, quam præcepisse ea, quæ ad ritus, ac cæremonias populi Israelitici spectabant. Multi hoc Spenceri paradoxum refutarunt, etiam inter Protestantes, sed nemo, ut equidem reor, melius, ac solidius nostro P. Natali Alexandro *in Hist. Vet. Test.* IV. mundi ætate Dissert. III.; & in V. Mundi ætate Dissert. I. Certe magnum argumentum contra Spencerum ducitur ex antiquitate Moysis, qui ætatem Herodoti, Strabonis, Diodori Siculi, Luciani, Plutarchi, aliorumque similium longe superat; unde majorem profecto fidem meretur, quam isti omnes, qui de rebus ab eorum tempore remotissimis scripserunt. Moyses autem omnium suarum legum ritualium auctorem facit Deum. Hoc argumento usus est Origenes Lib. IV. *contra Celsum*, ut ostenderet, fabulas Gentilium plerumque a Moysis historia desumptas fuisse; non vero, ut Celsus blaterabat, Moysis historiam a Poetarum fabulis. Idem argumentum majore eruditione postea pertractavit Eusebius Cæsariensis in Lib. X. *Præparationis Evangelicæ*, & post ipsum Dan. Huetius in sua *Demonstr. Evangelica* Prop. IV., quanquam hic postremus solet nimii excessus haud immerito accusari. Multa quoque in hanc rem suppeditat magnus Augustinus in aureis suis Libris *De Civitate Dei* Tom. IX.

,, ctitatem in animos fidelium altius imprimunt. ,, Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, ,, & diligenter observant, ad sublimium rerum ,, cogitationem erigunt, fidemque in eis, & chari- ,, tatem excitat, quo major cura, & diligentia ,, adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, ,, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cogni- ,, tam, & perspectam habeant. *Et doctissimus, ac piissimus Card. Bona* Div. Psalmodiæ *cap.* 19. §. 3. ,, Licet, *inquit*, ipsæ cæremoniæ nul- ,, lam secundum se perfectionem, nullam conti- ,, neant sanctitatem, sunt tamen actus externi re- ,, ligionis, quibus quasi signis excitatur animus ,, ad rerum sacrarum venerationem, mens ad su- ,, perna elevatur, nutritur pietas, fovetur chari- ,, tas, crescit fides, devotio roboratur, instruun- ,, tur simpliciores, Dei cultus ornatur, conserva- ,, tur religio, & veri fideles a pseudo-Christianis, ,, & Heterodoxis distinguuntur." Recolantur etiam, quæ ex Trident. Synodo superius allata sunt n. 483. (*a*).

498. Quamvis autem primus ac præcipuus Sacramentorum effectus *ex opere operato* dependeat; nihil tamen obest, quin etiam ex dispositionibus operantis major accrescat eorumdem Sacramentorum fructus, ut supra n. 494. explicatum fuit.

499. Ad *secundum* resp., vanum esse Sectariorum metum, ne fideles toto illo cæremoniarum apparatu impediantur a debita attentione ad ea, quæ ad eorumdem Sacramentorum essentiam ex Divina institutione pertinent; cum potius omnes illi ritus ad excitandam fidem, pietatem, ac devotionem ordinati sint, ut mox dictum est.

500. Postremum futile prorsus est; nemo enim etiam inter rudes reperietur, qui ignoret Baptismum urgente necessitate sine ullis cæremoniis collatum validum esse, & solemnes cæremonias postea quidem suppleri debere, quando fieri potest, non ex necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ. Verba autem Cornelii R. P. intelligenda sunt, non de valore baptismi, sed de ejusdem fructu. Dubium enim erat non inane, an illi, qui in periculo mortis baptismum recipiebant, & *Clinici* vocabantur, baptismi fructum perciperent, utpote qui solo metu periculi hoc Sacramentum suscipiebant. Quod dubium de Novato, vel Novatiano, ut scribit Henr. Valesius, eo gravius videbatur, quia sanitati restitutus solemnes baptismi cæremonias recipere neglexit, & postea in gravissimum schismatis crimen prolapsus est. Ceterum *Clinicorum* baptismum fuisse validum nunquam dubitatum est, ut videri potest apud Cyprianum epist. LXXVI.; nec in citatis ab Eusebio S. Cornelii litteris aliquid innuitur de renovando Novati baptismo.

501. Ob. *quarto*. S. Augustinus epist. LIV., seu Libro I. ad *inquisitiones Januarii* cap. 1. dicit, Dominum nostrum Jesum Christum, *leni jugo suo nos subdidisse, & sarcinæ levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit*. Insuper in epist. LV., seu Libro II. cap. 19. de cæremoniis loquens: *Ipsam*, inquit, *religionem, quam paucissimis, & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur*.

502.

(*a*) Rerum liturgicarum Tractatores, ut Card. Bona *de rebus liturgicis*, Hugo Menardus in *Sacrament. S. Gregorii*, Jo. Mich. Cavalieri in *Liturgia*, Barth. Gavantus in *Thesauro Sacrorum rituum*, quem copiosiorem postea edidit Gajet. Meratus, Edmundus Martene *de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebr. officiis*, Benedictus XIV. *de Festis &c.* aliique usum, & utilitates sacrorum rituum late explicarunt. Sed omnium copiosissime de hac re disseruit D. Claudius de Vert Ord. Cluniac. pietate, & doctrina celebris editis anno 1780. quatuor Volum. in 8. cum hoc titulo: *Explicatio simplex, litteralis & historica cæremoniarum Ecclesiæ*, in quibus demonstrare voluit, ,, Disciplinam ,, Ecclesiæ quoad ritus, & cæremonias attinet, fun- ,, datam esse in causis simplicibus, & desumptis ple- ,, rumque universis, aut ab usu veterum aut a simili- ,, tudine actionum cum vocabulis, & reciproco ordine ,, vocabulorum cum actionibus, aut quod necessitas, ,, decorum, & commodum ita postularet &c." Cum autem accusaretur, quod mysticas significationes explosisset, *Revereor*, scripsit in Epist. ad Juriæum Calvinistam, *omnes minimi etiam momenti explicationes morales, & mysticas, quas nobis dederunt Pielii, Durandi, Innocentii, eorumque discipuli*. Hac tamen protestatione omnem a se invidiam amoliri non potuit. Quamobrem hoc Vertii opus *omni impetu, vehementia & animositate* impugnavit Jo. Josephus Languet Episcopus Svessionensis in *opusculo De vero Ecclesiæ sensu circa sacr. cæremoniarum usum*, quod una cum *Epist. Pastorali* in lucem emisit anno 1720., ubi totum Vertii systema acerrimo stylo perstringit, contendens, hanc esse religionis nostræ mentem, *ut nullam prorsus cæremoniam, nisi ob rationes ex integro symbolicas primitus instituerit*. Inter hos duos litigantes judicium suum interposuit doctissimus vir Jos. Aloysius Assemanus in *Dissert. De sacris ritibus* Romæ 1747., in qua utrumque scriptorem in amicam concordiam, *si fieri posset*, vocare conatur; reipsa tamen utrumque condemnat, sed fortasse magis Svessionensem, quod ,, pietatis, quæ aliquando scientiæ adamussim non res- ,, pondet, zelo abreptus, ideas quasdam arbitrarias, ,, & pias moralitates, quæ cæremoniis pro libito ad ,, nutriendam pietatem adjectæ fuerunt, sed quæ in- ,, stitutione essent posteriores, quasque Ecclesia, uti ,, primam, ac fundamentalem rationem nunquam a- ,, gnovit, obtrusit, atque acrius, quam par ipsi appa- ,, ret, in Vertium invehatur &c." Postea autem idem Assemanus quasdam præscribit regulas, quibus rectum judicium de sensu Ecclesiæ in sacris ritibus ferri possit. Vertium sæpe refutavit etiam sapientissimus Bened. XIV. mox laud. Opere *de Festis*.

502. Resp., Hipponensem Doctorem utroque in loco improbare non eas cæremonias, quæ vel ab Apostolica traditione descendunt, vel ab universali Ecclesia institutæ sunt, sed quæ inconsulta pietate ab aliquibus privatis invectæ fuerunt; quamvis & istas pacis, & concordiæ causa observandas esse consulat. Sane in ipso loco laud. ex epist. LIV. ita pergit S. Pater: *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri;* & hæc ab omnibus servanda esse vult. *Alia vero*, pergit Augustinus, *quæ per loca terrarum, regionesque variantur ...... liberas habent observationes. Nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit*. Vid. sup. n. 473.

503. Nec minus perspicue se explicat alio in loco objecto: nam immediate antea dixerat: ,, Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda esse existimo". Poteratne clarius magnus hic Ecclesiæ magister doctrinam suam de ritibus Ecclesiæ exponere? Sed hæc accuratius expendentur, ubi de singulorum Sacramentorum ritibus sermo erit.

504. Ob. *postremo*. Aliquæ cæremoniæ, quæ olim in usu erant, postea antiquatæ sunt, ut prægustatio lactis, & mellis in Baptismo, quam memorat Tertullianus *De Corona Militis* cap. 4. trina immersio, ac potissimum Eucharistiæ post baptismum administratio, quam ex traditione Apostolica descendere crediderunt S. Augustinus, ac duo Romani Pontifices Innocentius, & Gelasius: cur ergo non possent etiam aliæ cæremoniæ inculpate omitti?

505. Resp., posse utique Ecclesiam gravibus de causis cæremonias quasdam Sacramentorum aut mutare, aut etiam omittere, sed id minime licere privatis personis, etiamsi Episcopali dignitate fulgeant. Clara sunt verba Syn. Trid. Sess. VII. can. 13. de Sacram. in gen.: ,, Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in ,, solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ,, Ministris pro libito omitti, aut in novos alios ,, per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari ,, posse, anathema sit". De usu Eucharistiæ infantibus post baptismum conferendæ prolixius dicta in Tom. I. nostrar. Prælect., quibus addi possunt, quæ nuper doctissimus vir P. Augustinus Georgius observavit in *Fragmento Evang. S. Jo. Græco Copto* &c. Romæ in 4. an. 1789. in not. ad vers. 33. cap. VI. pag. 142.

DISSERTATIO II.

De Ministris Sacramentorum.

S. Thomas 3. *P.* q. 64.

1. Patres Concilii Florentini inter ea quæ ad Sacramentorum administrationem necessario pertinent, posuerunt etiam personam ministri. Quis autem, & qualis esse debeat singulorum Sacramentorum minister, accurate discutietur, ubi de singulis Sacramentis disputabitur. Nunc solum ea examinabimus, quæ in ministro Sacramentorum necessario requiruntur, ut rite ea administrare possit: & *primo* agemus de sanctitate, ac fide, deinde de *intentione*. Prius tamen breviter videbimus, quibusnam Deus commiserit suorum Sacramentorum administrationem.

CAPUT I.

Quisnam sit ordinarius Sacramentorum minister?

2. Quæstio præsens solum est de *ordinario* Sacramentorum ministro, non autem de *extraordinario*, quem Deus pro supremo suo in res omnes dominio assumere posset. Hinc S. Thom. 3. P. q. 64. art. 7. postquam probasset, *ad homines, non autem ad Angelos pertinere dispensare Sacramenta, & in eis ministrare*, ita subdit: *Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis. Et quia boni Angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod Sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare, hoc fieri voluntate divina; sicut quædam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata. Si vero dæmones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod Sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum* (a).

3. Sacramentum Eucharistiæ fuisse per Angelos
non

(a) Facessat impius, & absurdus Lutherus, qui in Lib. De Missis privatis: ,, Si diabolus, inquit, ipse ,, veniret, & ego postea rescirem, diabolum se irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ, specie hominis ,, vocatum ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, celebravisse Missam, & absolvisse a pecca-

non quidem confectum, sed saltem administratum, non semel in Ecclesiastica historia legimus, ut S. Agneti de monte Politiano contigisse, Lectiones Breviarii testantur. Nicephorus autem Callisti Lib. XI. cap. 20. narrat, S. Amphilochium fuisse ab Angelis consecratum Iconii Episcopum. Verum quæ de Angelorum ministerio in Sacramentis vel conferendis, vel etiam conficiendis narrantur, non facile credi debent, nisi gravibus innitantur testimoniis.

4. Idemque potiori jure dicendum de beatis Comprehensoribus, qui potestatem, qua in hac vita potiti sunt, non videntur amisisse, firmo in ipsis remanente Baptismi, Chrismatis, aut etiam Ordinis, charactere; quamvis nec ipsi ordinarii esse possint Sacramentorum ministri. His breviter prænotatis sit

PROPOSITIO I.

Soli homines viatores sunt ordinarii Sacramentorum ministri.

5. Prob. ex ipsa divina Sacramentorum institutione. Nam Christus Dominus, non Angelos, aut beatos cæli Cives, sed homines in terra degentes allocutus est, cum Matth. XXVIII. 19. dixit undecim Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti;* & cum Jo. XX. 22. iisdem dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Idemque præstitit in institutione Eucharistiæ Lucæ XXII. 19. Hinc Apostolus Paulus Eph. IV. 8. & seq. Christum, inquit, ascendentem in cælum dedisse *dona hominibus;* postea hæc dona enumerat dicens: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores .... in opus ministerii &c.* Et in prima epist. ad Cor. IV. 1. *Sic nos*, inquit, *existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ac deinque ad Hebr. V. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Et quamquam in his, aliisque similibus locis nulla ponatur particula exclusiva Angelorum, aut cælestium Beatorum, hoc ipso tamen, quod hominum tantummodo viatorum mentio fit, manifestum est, hos solos esse ordinarios Sacramentorum ministros.

6. Hanc hominum excellentem prærogativam ita S. Jo. Chrysostomus exornat in Lib. III. *De Sacerdotio* cap. 5. inquiens: *Qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea, quæ in cœlis sunt, dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus &c.:* unde eloquentissimus iste Pater quanta sit, & quam venerabilis ministrorum Christi dignitas, merito concludit.

PROPOSITIO II.

Non quilibet homo viator, etiam baptizatus, est ordinarius omnium Sacramentorum minister (a).

7. Hæc propositio pertinet ad fidem: nam Concilium Tridentinum Sess. VII. cap. 10. *de Sacram. in gen.* ita definivit: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

8. Prob. autem ex locis Sacr. Scriptur. supra n. 5. allatis, quibus alia addi possunt; ut illud 1. Corinth. XII. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos &c.... Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ &c.* Præterea illud ejusdem Pauli ad Hebr. V. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem* (Pontificatus), *sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron;* quem scilicet Moyses jussu Dei una cum filiis suis assumpsit, ut sacerdotio fungeretur Exodi XXVIII. Post autem hæc lex in populo Dei religiose semper servata fuit, ut nonnisi ad Sacerdotes de stirpe

,, tis, & tali munere functum esse juxta institutionem ,, Christi; tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non ,, esse inefficacia, sed verum baptismum, verum evangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum ,, corporis, & sanguinis Christi nos accepisse". Vah putidam hypothesim, & Luthero dignam fictitii hujus casus resolutionem!

(a) Lutherus in impio suo Libro *de abroganda Missa* insane gloriatur, *se invictis Scripturis* demonstraturum, *legitimum illud, & unicum verbi ministerium esse commune omnibus Christianis, sicut & sacerdotium, & sacrificium.* Similia docet in Lib. *De Captivitate Babylonica*, ubi *de Ordine*, tum in epist. ad Pragenses, aliisque in locis, hoc solum monens hujus potestatis usum iis tantummodo concedendum esse, qui *consensum communitatis habent, vel vocationem Majoris*, ne scilicet aliqua in Ecclesia oriatur confusio. Inter articulos Lutheri a Leone X. damnatos hic etiam est: *Ubi non est sacerdos, æque potest quilibet Christianus Sacramenta administrare, etiamsi mulier, aut puer esset.* Hodierni vero Lutherani, quamvis omnibus christianis *privatim* docendi, erudiendi, reprehendendi &c. potestatem concedant *vi spiritualis sacerdotii*, ut loquitur Jo. Franc. Buddeus in *Instit. Theol.* Lib. V. cap. 4. §. 14., volunt tamen, id palam præstari non posse, nisi a ministris ad id deputatis. Similiter omnibus concedunt facultatem ministrandi baptismum in *casu necessitatis*, non tamen *ordinarie;* multoque magis docent certis personis alligatam esse potestatem conficiendi sacram cœnam, & peccata retinendi, aut solvendi. Immo in ipsa Confessione Augustana art. 14. cavetur, ne aliquis audeat *Sacramenta administrare, nisi rite vocatus.* Sed in eo vehementer errant, quod hanc potestatem a legitimo fonte non repetunt; qui ipsorum error amplam nobis dicendi materiam alibi suppeditabit.

pe Aaron administratio sacrorum pertineret. Celebre est illud, quod legitur in secundo libro Paralipom. XXVI., nempe Azariam Sacerdotem una cum 80. aliis Sacerdotibus fortiter restitisse Oziæ Regi, qui *adolere voluit incensum super altare thymiamatis*, eique dixisse: *Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministeria.*

9. Hinc etiam constans semper fuit Ecclesiæ usus, ut Sacramentorum administratio nonnisi iis concrederetur, qui essent ad hoc ministerium sacra Ordinatione destinati, excepto Baptismo necessitate urgente, ut suo loco dicetur. Porro in Actis, & epistolis Apostolorum sæpe legimus, per manuum impositionem fuisse Episcopos, Præsbyteros, & Diaconos ordinatos, quod supervacaneum utique fuisset, si omnibus indiscriminatim tribuisset Christus potestatem Sacramentorum conficiendorum. Quæ praxis fuit postea ab Ecclesia religiose custodita. Et quando Colluthus simplex Sacerdos temere ausus est Epicsopos, & Sacerdotes consecrare, illius Ordinationes irritæ declaratæ sunt in magna Synodo Nicæna. Hinc etiam in Ecclesia a primis usque temporibus varia instituta sunt ministeria, & pro singulis Sacramentis varii & diversi sunt ordinati ministri, ut patebit inferius.

10. Obj. *primo*. Omnes Fideles a Christo Jesu instituti sunt Sacerdotes, dicente Petro in prima epist. cap. II. 5. *Et ipsi, tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Item vers. 9. *vos autem genus electum, gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis.* Item Apocal. I. 6. Christus *fecit nos regnum, & Sacerdotes, Deo, & Patri:* & cap. V. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes;* & cap. XX. 6. *Et erunt Sacerdotes Dei, & Christi.*

11. Resp., his in locis *Sacerdotis* nomen tribui omnibus fidelibus latiori significatione; quemadmodum ipsi adversarii coguntur accipere nomen *regis* omnibus fidelibus pariter tributum. Duplici autem ratione omnes fideles dici possunt *Sacerdotes Christi; primo* quatenus omnes simul cum veris Sacerdotibus incruentum altaris Sacrificium Deo offerunt; unde in Canone Missæ Sacerdotes dicunt de fidelibus: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.; offerunt*, inquam, non officio sacerdotali, sed conjunctione animorum. Sane S. Petri objecta verba desumpta sunt ex cap. XIX. Exodi, ubi Deus ore Moysis dixit Israelitis v. 6.: *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta;* non quasi singulis Israelitis liceret veri sacerdotii muniis fungi, quæ solis filiis Aaron erant reservata; sed quia omnes una cum Sacerdotibus conjunctione animorum sacrificia Deo offerebant. Hanc explicationem adoptat S. Augustinus Lib. XX. *De civ. Dei* cap. 10. Tom. IX.

12. *Secundo*. Si aliqui malint hæc loca similis fidelibus applicare, tunc sacerdotium, sicut & regnum, intelligi debet in sensu spirituali, quatenus omnes boni fideles offerunt Deo spirituales hostias, idest *hostiam laudis ... fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Hebr. XIII. 15.: orationes insuper, quæ Apoc. VIII. 3. vocantur *incensa multa* Deo oblata *super altare aureum, quod est ante thronum Dei;* aliaque virtutum opera, quæ sunt *spirituales hostiæ, acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Reges etiam vocantur omnes Christiani, quia *servire Deo regnare est*, ut loquitur Ecclesia: vel quia omnibus fidelibus dispositum, & paratum est regnum Dei, ut inquit ipse Christus. Hoc sensu dicebat S. Ambrosius Lib. IX. *De Sacerd.* cap. 1.: *Unusquisque fidelis ungitur in sacerdotium, ungitur & in regnum: sed spirituale regnum est, & sacerdotium spirituale.* Quocumque autem modo objecta loca intelligantur, procul absunt a perversa illa Lutheri interpretatione, ut singuli fideles dici possint veri Sacerdotes, verique Ministri omnium Sacramentorum.

13. Inst. *primo*. Sacerdotes comprehenduntur sub nomine *Cleri:* atqui hoc nomine intelliguntur omnes fideles; nam S. Petrus cap. V. laud. primæ epist. vers. 2. seq. Seniores Ecclesiæ hortatur, ut pascant gregem Dei, *non ut dominantes in Cleris;* ergo omnes fideles ad ordinem Ecclesiasticum, seu cœtum Clericalem pertinent.

14. Resp. *Cleri* vocem modo communiter designare illam populi Dei portionem, quæ Ecclesiasticis muniis obeundis destinata est, quamvis generaliter aliquando possit etiam significare totam Ecclesiam, seu populum Dei, prout pastoribus, & ovibus, ministris, & plebe componitur. Primo sensu accipitur hæc vox in Act. Apost. I. 17. ubi dicitur Judas *sortitus sortem ministerii Apostolatus* (græce ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης). Alio sensu, scilicet pro toto populo Israelitico accipitur in Ps. XXXII., ubi dicitur: *Populus, quem elegit* (Deus) *in hæreditatem sibi*. S. Petrus autem in sua epistola *seniores*, hoc est non tam ætate, quam dignitate in populo præcedentes, *obsecrat*, *primo* ut pascant gregem Dei; *secundo*, ut non *dominetur in cleris*, seu ut non imperiose regant Ecclesiam, nempe cleros, seu portiones Ecclesiæ sibi subjectas: sed *forma facti gregis ex animo*, nempe exemplo potius, quam auctoritate alios ad pietatem alliciendo. Et nihil prorsus in toto contextu apparet, ex quo possit perfecta inter omnes æqualitas extendi. Quidam cum Hieronymo in epist. LII. ad Nepotianum legendum putarunt in numero singulari, *neque ut dominantes in Clerum*, nolens scilicet, Episcopos superbum dominatum exercere in Clericos sibi subjectos (*a*).

15. Inst. *secundo*. Apostolus Paulus ad Gal. III. 28.

(a) *Episcopi*, inquit laud. Sanct. Doctor, *Sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent Clericos;*

28. *Non est*, inquit, *Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. Hinc Lutherus sic inferebat: Christus est Sacerdos; omnes Christiani sine ullo discrimine sunt unum cum Christo: ergo omnes sunt Sacerdotes, & Sacramentorum Ministri.

16. Resp., legitimum Paulini textus sensum hunc esse, nullam esse gentis, aut sexus distinctionem in lege Evangelica ad justitiam consequendam, contra ac Galatæ putabant, quasi ex lege Mosaica aliquam prærogativam præ Gentilibus traherent. Ceterum ibi de ordine hierarchico Apostolus non agit, quem alibi luculenter distinxit. Vid sup. n. 5. Ex quo autem dicantur omnes Christiani *unum in Christo Jesu*, ineptissime infertur, cosdem esse omnes Sacerdotes: hæc enim unitas est per donum fidei, & gratiæ, non autem per participationem omnium donorum, quibus ejus anima fuit cumulatissime exornata. Voluit autem Christus summi sui Sacerdotii, suæque infinitæ potestatis partes aliquas quibusdam fidelibus communicare: unde *quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas &c.* Vid. sup. n. 8.

17. Nonnulla alia Scripturæ loca agglomerat Lutherus, ut probet, unicuique fidelium concessum esse, Ecclesiastica munia obire; præcipue vero utitur cap. XIV. 26. epist. primæ S. Pauli ad Corinthios, ubi dicitur, unumquemque fidelium habere *psalmum, doctrinam, apocalypsim, linguam, interpretationem;* & v. 31. *posse omnes per singulos prophetare, ut omnes discant*.

18. Verumtamen hæc, & ejusdem generis alia trahi nullo modo possunt, ad probandum, omnes & singulos homines baptizatos idoneos esse Sacramentorum ministros. *Primo* enim, quæ S. Paulus laud. in loco enumerat, non sunt Sacramenta, sed munia quædam Ecclesiastica ad utilitatem, & ædificationem fidelium. *Deinde* erant quædam extraordinaria gratiarum dona, quæ primis illis Ecclesiæ nascentis exordiis Deus largiri dignatus est, ut erant etiam aliæ gratiæ gratis datæ, quas idem Apostolus in eadem epistola cap. XII. enumerat, & quas certe Lutherus in exemplum non trahet ad præsens Ecclesiæ regimen.

19. Obj. *secundo*. Tertullianus in Lib. *De exhortatione castitatis* cap. 7. „ Nonne, *inquit*, & „ laici sacerdotes sumus? Scriptum est, regnum „ quoque nos, & sacerdotes Deo, & Patri suo fe- „ cit. Differentiam inter Ordinem, & plebem con- „ stituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordi- „ nis consessum sanctificatus a Deo (*a*). Ubi Ec- „ clesiastici Ordinis non est consessus, & offers, „ & tingis, & sacerdos es tibi solus; sed ubi tres, „ Ecclesia est, licet laici". Omnes itaque Christiani, Tertulliano judice, sunt divino jure sacerdotes, adeoque idonei Sacramentorum ministri.

20. Respondet Nat. Alexander *Hist. Eccl.* in Sæc. II. Dissert. XXIX. cap. 4. art. 8., Librum *De exhort. castitatis* a Tertulliano impia Montani hæresi jam infecto editum fuisse, atque objectum textum pertinere ad errores Montanistarum, seu Pepuzianorum, qui jus, & ordinem sacerdotii mulieribus ipsis tribuebant, ut ex S. Epiphanio colligitur. Ejusdem sententiæ est Jac. Pamelius in Vita Tertulliani; ubi notat, hæreticum plane esse illud dictum: *Ubi tres, Ecclesia est, licet laici;* quod Tertullianus repetit in Lib. *De pudicitia*, quibus verbis existimatur eo devenisse dementiæ, ut Ecclesiam coaluisse innuerit ex his tribus, Montano, Priscilla, & Maximilla. Idem judicium de hoc Tertulliani opere fert Duguetius in *Collationibus Ecclesiasticis* Dissert. VIII. 5. 2. (*b*). Illud sane certum est, Tertullianum adhuc sanum, & catholicum aliter sensisse, & scripsisse. Nam *De Præscript. Hæreticorum* cap. 41. inter alia Hæreticorum vitia hoc etiam exhorret, quod *& laicis sacerdotalia munera injungunt*. Aliqui putantes *exhortationem castitatis* fuisse scriptam a Tertulliano, antequam ab Ecclesia catholica deficeret, ejus dicta emollienda censet, &

21. Respondent, eum nonnisi sensu improprio nomen *Sacerdotis* laicis tribuisse, quatenus poterant ad Presbyterii gradum promoveri, modo virgines, aut monogami essent. Hinc allatis in objectione verbis, quæ certe durissima sunt, hæc alia molliora subjicit: „ Omnes nos Deus ita vult „ dispositos esse, ut ubique Sacramentis ejus ob- „ eundis apti simus... Nisi & laici ea observent, „ per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt „ Presbyteri, qui de laicis adleguntur? Ergo pu- „ gna-

quasi Clericos, ut & ipsis a Clericis, quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitii (verius L. Licinii Grassi): *cur ergo te habeam ut principem, cum tu me non habeas ut Senatorem?* Hactenus Hieronymus.

(*a*) In pervetusto Agobardi codice, quo Rigaltius usus est, hic textus ita legitur: „ Et honor per Ordinis consessum sanctificatur, *adeo* ubi Ecclesiastici Ordinis &c. Quam lectionem secuti sunt doctissimi viri Petrus de Marca in Dissert. *De discrimine Clericorum, & Laicorum*, Dion. Petavius in *Diatriba De potestate consecrandi*, & Lib. III. *Hierarchiæ Eccles.* cap. 3. ac Nat. Alexander *Theol. Dogmat. & Mor.* Lib. II. *De Sacram. in gen.* cap. 7. art. 1. Repugnant tamen Albaspinæus in suo Tract. gallico *De Eucharistia*, Duguet in *Collat. Ecclesiasticis* Dissert. VIII. aliique non pauci.

(*b*) Alii tamen repugnant propter auctoritatem S. Hieronymi, qui hunc librum nulla censura notavit. Sed ulterius observant, cum Tertullianus ea in hoc loco memoret, quæ passim apud omnes Christianos sua ætate fieri consueverant, etiam rejecta Tertulliani auctoritate, tanquam hominis extra Ecclesiam scribentis, adhuc solvendam remanere difficultatem. Verumtamen dici potest, Tertullianum ea referre, quæ apud solos Montanistas in usu erant, vel quæ ex perversis Montanistarum principiis consequebantur; non autem quæ in Ecclesia Catholica obtinebant.

„ gnare debemus ante laicum jussum a secundo matrimonio abstinere, dum Præsbyter esse non aliis posset, quam laicus semel fuerit maritus (*a*)". Fortasse igitur obscuris illis verbis nil aliud voluit Tertullianus significare, quam etiam laicos esse quodammodo sacerdotes, quia possunt ad Presbyterii gradum promoveri; eaque de causa eos hortatur, ut vel a nuptiis omnino abstineant, vel primis sint contenti, ne per bigamiam obstaculum Presbyterii honori ponant.

22. Adhuc difficiliora primo intuitu videri possunt, quæ Africanus Doctor subjicit, videlicet *differentiam inter Ordinem, & plebem esse constituam Ecclesiæ auctoritate*. Sed ea, quæ sequuntur, manifeste innuunt, non excludi divinam auctoritatem; ita enim habet communis lectio: *Differentiam inter Ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo;* quibus verbis non humana solum, sed etiam divina significatur auctoritas. Quod si quis contendat, sequendam esse lectionem Rigaltii, nempe *honor per Ordinis consessum sanctificatur, adeo ubi Ecclesiastici Ordinis non est consessus &c.*, tunc fortasse dici poterit, Tertullianum non intendere ad Sacramentalem, atque essentialem differentiam inter Presbyteros, & laicos, quæ ex jure divino descendit, sed ad *honorem consessus*, ut Presbyteris sedentibus laici starent, & ad alias externas cæremoniales differentias, quæ ad decorem sacerdotalis dignitatis salubriter, & decenter ab Ecclesia postmodum ordinata sunt; ut quemadmodum Clerici a laicis, & Clerici ipsi gradibus, & ordinibus sacris distincti sunt, ita externo cultu, & honore distinguantur.

23. Inst. Tertullianus addens: *Ubi ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers, & tingis* (idest baptizas); *& sacerdos es tibi solus*, manifeste indicat, deficientibus Ecclesiæ ministris, posse quemlibet laicum, tamquam sacerdotem, Sacramenta ministrare.

24. Resp., hæc etiam non esse nimis presse accipienda, sed latiore sensu, de oblatione minus propria, scilicet non de illa oblatione, quæ fit cum rei oblatæ mutatione, seu de ipsa sacrificii Eucharistici confectione, quæ nonnisi ad Sacerdotes pertinet, sed de illa oblatione, quæ etiam a laicis una cum Sacerdote sacrificante fieri potest, & solet. Ita enim Tertullianus *offerendi* verbum quandoque usurpat, ut in Libro *De monogamia* cap. 10. explicans pietatis officia, quæ mulier defuncto marito præstare solet: *Pro anima ejus*, inquit, *orat ... & offert annuis diebus dormitionis ejus*. Hic certe nemo suspicabitur, Tertullianum nomine *oblationis* intelligere Missæ sacrificium a muliere celebratum. Sic pariter quando dicit, deficiente ecclesiastici Ordinis consessu, ipsum laicum *offerre, tingere, & sacerdotem sibi esse*, nihil aliud significare voluit, quam consuetudinem tempore persecutionum vigentem, ut fideles Eucharistiæ Sacramentum a Sacerdote acceptum apud se conservarent, offerrent, & sumerent: unde quodammodo unusquisque erat sibi ipsi Sacerdos. Hoc expresse tradit ipse Tertullianus in fine libri *De oratione* dicens: *Accepto corpore Christi, & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii*. Laicos autem in casu necessitatis baptizare, seu tingere posse, nemo dubitat.

25. Postrema verba, *Ubi tres, Ecclesia est, licet laici*, benigne explicari poterunt de Ecclesia sumpta, non in ordine hierarchico, quam nemo dixerit, ex solis laicis coalescere posse, sed in ordine charitatis, secundum illud dictum a Christo Domino Matth. XVIII. 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Difficilis hujus Tertulliani textus videri potest explicatus a doctissimo Dion. Petavio, tum in Lib. III. *De Eccles. Hierarchia* cap. 3., tum in Diatriba *De potestate consecrandi* adv. Salmasium, qui sub anagrammatico *Messalino* nomine Dissertationem ediderat *De episcopis, & Presbyteris*.

CAPUT II.

Ostenditur, ad valorem Sacramentorum necessariam non esse Ministri sanctitatem.

26. Nemini dubium est, nec unquam fuit, morum probitatem, & conscientiæ munditiem esse necessariam, ut quis licite, & pie Ecclesiæ Sacramenta conficiat, & ministret. Vid. S. Thomas 3. P. qu. 64. art. 6. Sed sub initio Sæculi IV. Donatistæ, qui in Africa diuturnum, & turbulentissimum schisma excitarunt, stolide putantes totam Ecclesiam Christi funditus corruisse, & solum in exigua illa Africæ parte; quam ipsi incolebant, fuisse incorruptam servatam, cœperunt eos baptizare, qui ad eorum schisma ex catholicis castris transfugiebant, docentes Baptismum, atque alia Sacramenta ab impiis ministris (quales ipsi catholicos omnes repatabant) collata nihil omnino valere (*b*).

27.

(*a*) Similia scripsit etiam Sanct. Hieronymus epist. CXXIII. inquiens: *Quamquam lege sacerdotali tenearur* „ & laicus, qui talem præbere se debet, ut possit eligi in sacerdotem: non enim eligitur, si bigamus „ fuerit. Porro eliguntur ex laicis sacerdotes: *ergo & laicus tenetur mandato, per quod ad sacerdotium pervenitur*. Immo hæc ex ipso Tertulliano exscripta videntur; quanquam non dubito, ea a tanto Doctore in sano sensu prolata fuisse.

(*b*) Donatistæ circa annum Christi 311. Ecclesiam diro schismate dilacerare cœperunt, cujus primus auctor fuit Donatus a casis nigris in Numidia Episcopus. Hic cum quibusdam seditiosis partim avaritia, partim ambitione corruptis, Cæcilianum Episcopum Carthagi-

27. Eumdem errorem una cum pluribus aliis postea suscitavit Jo. Wiclefus, cujus ea fuit propositio in Concilio Constantiensi Sess. VIII. anno 1415. damnata: *Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat*. Idipsum docuisse convincitur Jo. Hus, dum in Tract. *de Decimis* scripsit, quod *nullus est dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali*. Waldenses item, & Albigenses, teste S. Antonino P. IV. *Summæ* tit. 11. cap. 3. ac nonnulli alii Hæretici Sæc. XII. ejusdem erroris accusantur (*a*), contra quos sit

PROPOSITIO

Probitas, & sanctitas non est necessaria in Ministro, ut valide Sacramentum conficiat.

28. Hæc propositio satis probata manet ex omnibus iis sacræ Scripturæ locis, quibus in super. Dissert. cap. 10., & 11. ostensum est, Sacramenta novæ legis non esse signa sterilia, & vacua, sed signa efficacia, quæ continent gratiam, eamque in nobis producunt *ex opere operato*, non autem *ex opere operantis*. Hinc manifestum fit, eorum effectum non pendere a sanctitate ministri, sed a virtute Jesu Christi eisdem indita.

29. Hanc invictam contra Donatistas rationem nobis suppeditat Paulus ad Rom. VIII. 33. inquiens: *Deus est, qui justificat:* & adhuc clarius Evangelista Joannes cap. I. 33. dicens de Christo: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto;* quæ verba magnus Augustinus Tract. VI. in Joan. n. 7. T. IV. ita pulchre commentatur: *Petrus baptizet, hic est, qui baptizat; Paulus baptizet, hic est, qui baptizat; Judas baptizet, hic est, qui baptizat.* Et postea subdit: „ Nam si pro diversitate meritorum „ Baptisma sanctum est, quia diversa sunt merita, diversa erunt baptismata, & tanto quisque „ aliquid melius putatur accipere, quanto a meliore videtur accepisse ... Illud, quod datum est, „ unum est, nec impar propter impares ministros, „ sed par, & æquale, propter *Hic est, qui baptizat* ". Eadem fere in Lib. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. 21. & alibi sæpe.

30. Simile argumentum nobis suppeditat Apostolus Paulus in sua prima epist. ad Corinth. cap. I. 12. inquiens: *Unusquisque vestrum dicit; ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et cap. III. 4. *Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis .... Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.... Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Quæ Pauli verba iterum expendens laudatus mox S. Augustinus Tract. V. in Joan. n. 7.: „ Baptizavit ergo Paulus, inquit, *tanquam minister*, non tanquam ipsa potestas: baptizavit autem

---

nensem a sua cathedra dejicere conatus est sub falso prætextu, quod Felix Aptungitanus ejus ordinator *Traditor* esset (quo nomine ii appellabantur, qui libros sacros infidelibus *tradiderant*) & ipse Cæcilianus Confessoribus in carcere detentis victum subministrari prohibuisset. Ad schisma fovendum, & late propagandum multum contulit Lucilla femina Hispana, dives opum, & a Cæciliano antea suboffensa, quia eam reprehenderat, quod os cujusdam Martyris nondum ab Ecclesia indicati superstitiose coleret. Schismatica factio Secundum Tigisitanum Numidiæ Primatem, cum aliis Episcopis numero 70. Carthaginem evocavit, ubi habita pseudo synodo in privata quadam domo (nam Ecclesiam Cathedralem una cum sua plebe Cæcilianus constanter retinuit) Majorinum quendam Lucillæ domesticum ejusdem Ecclesiæ Episcopum ordinavit. Hoc primum fuit schismatis initium, quod postea in Africa late succrevit, majori tamen, sanaque parte Cæciliano adhærente: cum quo etiam Apostolica Petri Sedes, omnesque Ecclesiæ transmarinæ semper communicarunt. Majorino demortuo schismatici suffecerunt Donatum Carthaginensem, alterum a Donato a casis nigris primo schismatis auctore. Illum schismatici ob doctrinæ copiam, ac singularem facundiam *Magnum* appellarunt; atque ab eo *Donatistarum* nomen derivatum credit Optatus Milevitanus Lib. III. *contra Parmenianum*.

Initio quidem Donatistæ schismatis tantummodo rei erant, sed brevi in apertam hæresim inciderunt, docentes *primo*, veram Christi Ecclesiam ubique terrarum periisse, iis tantum locis exceptis, in quibus Donatistæ regnabant; *deinde* efficaciam Sacramentorum ita a sanctitate Ministri pendere, ut nulla prorsus essent, quæ a malis hominibus conferebantur; unde nonnisi a suis, quos *filios martyrum* appellabant, vera Sacramenta confici docebant; & omnes, qui ad eorum castra infeliciter transibant, undecumque venissent, rebaptizare consueverant. Hæc nefanda hæresis in tribus Conciliis, Romano sub Melchiade an. 313., Arelatensi sub Sylvestro an. 314., & in generali Nicæno an. 325. sub eodem Sylvestro damnata, & a Constantino Magno, ejusque successoribus aliquoties proscripta, diu tamen perduravit usque ad Gregorii Magni ætatem. Hæc omnia, & alia permulta, quæ brevitatis causa omisimus, constant potissimum ex Optato Milevitano, & Magno Augustino, qui contra hanc pestilentissimam sectam invicte pugnarunt. Ex recentioribus autem præter Historicos, Baronium, Natalem Alexandrum, Tillemontium, Ursium, & Fleurium videri possunt Hen. Valesius in Dissert *De schismate Donatistarum*, Ellies Dupinius in editione Optati Milevitani, Fratres Ballerinii in Tom. III. *Operum Theologic.* Card. Norisii, & Remigius Ceillier *Des Auteurs Eccles.* T. VI. cap. 16.

(*a*) Lutherani tamen hac in parte Ecclesiæ Catholicæ dogma retinuerunt. Nam in *Confessionis Augustanæ Apologia* art. 7. dicitur: *Non adimit Sacramenti efficaciam, quod per indignos tractantur*. Neque alia est Calvinistarum doctrina.

„ tem Dominus, *tanquam potestas*. Intendite: Et „ potuit hanc potestatem servis dare, & noluit. „ Si enim daret hanc potestatem servis, idest ut „ ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent ba- „ ptismi, quot essent servi; ut quomodo dictum „ est baptisma Joannis, sic diceretur baptisma Pe- „ tri, sic baptisma Pauli, sic baptisma Jacobi, „ baptisma Thomæ, Matthæi, Bartholomæi .... „ Ergo ne tot baptismata dicerentur, quot essent „ servi, qui baptizarent, accepta potestate a Do- „ mino, sibi tenuit Dominus baptizandi potesta- „ tem, servis ministerium dedit:" servis, inquam, tam bonis, quam malis, ut ibidem S. Doctor explicare pergit.

31. Porro Angelicus noster Præceptor 3. P. qu. 64. art. 5. post allegatam Magistri sui Augustini auctoritatem ita idem ipsum argumentum more suo illustrat, & confirmat; „ Ministri Ecclesiæ *instru-* „ *mentaliter* operantur in Sacramentis, eo quod „ quodammodo eadem ratio est ministri, & instru- „ menti. Sicut autem supra dictum est quæst. 62. „ art. 1. & 4., instrumentum non agit secundum „ propriam formam, aut virtutem, sed secundum „ virtutem ejus, a quo movetur. Et ideo accidit „ instrumento, inquantum est instrumentum, qua- „ lemcumque formam, vel virtutem habeat, præ- „ ter id, quod exigitur ad rationem instrumenti, „ sicut quod corpus medici, quod est instrumen- „ tum animæ habentis artem, sit sanum, vel in- „ firmum; & sicut quod fistula, per quam tran- „ sit aqua, sit argentea, vel plumbea. Unde Mi- „ nistri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre, e- „ tiamsi sint mali".

32. Hanc eamdem rationem ita clarius exponit idem Angelicus IV. *Cont. Gent.* cap. 77. „ Quod „ agit in virtute alterius, non assimilat sibi pa- „ tiens, sed principali agenti, non enim domus „ assimilatur instrumentis, quibus artifex utitur, „ sed arti ipsius. Ministri autem Ecclesiæ in Sa- „ cramentis non agunt in virtute propria, sed in „ virtute Christi, de quo dicitur Jo. I. 33. *Hic* „ *est*, *qui baptizat*, unde & sicut instrumentum „ ministri agere dicuntur; minister enim est sic- „ ut instrumentum animatum.. Non igitur mali- „ tia ministrorum impedit, quin fideles salutem „ per Sacramenta consequantur a Christo."

33. Aliud etiam argumentum ibidem sumit S. Doctor ex malis Prælatis, quibus Dominus obedire jubet Matth. XXIII. 2. dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: quæcumque ergo dixerint vobis, servate, & facite; secundum autem opera eorum nolite facere*. „ Multo autem magis, inquit, obediendum est „ aliquibus propter hoc, quod suscipiunt ministe- „ rium a Christo, quam propter Cathedram Moy- „ si. Est ergo etiam malis ministris obediendum; „ quod non esset, nisi in eis Ordinis potestas ma- „ neret, propter quam eis obeditur. Habent er- „ go potestatem dispensandi Sacramenta etiam ma- „ li." Nonnullæ aliæ theologicæ rationes videri possunt ibidem; tum apud S. Augustinum laud. supra Tract. V. & VI. in Joan., aliisque in libris, quos contra Donatistas scripsit, & qui Tomo XII. ipsius Operum continentur.

34. Sed omittendum non est illud argumentum *ad hominem*, quo utebatur S. Augustinus Lib. IV. *Contra Cresconium* cap. 16. Donatistas inconstantiæ, & contradictionis accusans, quia Maximianenses non rebaptizabant, quos tamen non solum peccatores, sed ut *aspides*, *viperas*, *parricidas*, *& cadavera Ægyptiorum insepulta* in Concilio Bagajensi condemnaverat. Hac enim agendi ratione observabat Augustinus, & *ipsos judicasse*, *non eorum meritis*, *a quibus ministratur*, *nec eorum quibus ministratur*, *constare baptismum; sed propria sanctitate*, *atque veritate*, *propter eum*, *a quo institutus est*, *male utentibus ad perniciem*, *bene utentibus ad salutem*.

35. Observabat insuper, etiam in Donatistarum cœtu, non omnes ministros esse probos, & sanctos, immo aliquos fuisse impios, & scelestissimos, quorum tamen Sacramenta esse valida censebatur. Cumque Cresconius Donatista respondisset, ministri improbi, sed occulti valida esse Sacramenta, non autem publici, ita S. Doctor eum refellit ex propria eorum doctrina Lib. III. cap. 5.; dicebant enim Donatistæ, absurdum esse, quod *maculosus alium purificet*, *abluat sordidus*, *emundet immundus*, *infidelis det fidem*, *& criminosus faciat innocentem*. Jam vero hæc omnia sequi ostendebat Augustinus, etiam quando minister est peccator occultus. Cumque respondisset Cresconius, *non ministrum ipsum*, *sed famam ejus bonam*, *quamvis inanem*, *& falsam*, hæc omnia præstare, ita eum ad incitas redigit S. Doctor: *Itane ad mundandum hominem*, *quando boni ministri defuerit vera vita*, *tunc mali ministri falsa sufficit fama*, *quæ hoc efficiat*, *quod efficeret bona vita*, *ut ad hominem sanctificandum*, *quando ministri latet iniquitas*, *ministra Deo militet falsitas?* Et postea ostendit, non ministrum improbum, sed Deum bonum per malum ministrum homines emundare, & sanctificare.

36. Atque ad hoc explicandum, & ipse Augustinus, & alii Ecclesiæ Patres, aptissimas attulerunt similitudines. S. Thomas supra num. 31. laudatus utitur similitudine corporis medici, quod sive sanum sit, sive infirmum, valet tamen ut instrumentum animæ ad medicinam ægrotis propinandam: tum fistulæ plumbeæ, per quam transit aqua, non minus, quam per argenteam. S. Gregorius Nazianzenus Orat. XL. *De Baptismo* num. 26. ministros baptismatis probos, & improbos comparat duobus annulis, quorum alter aureus sit, alter ferreus, ambo tamen eamdem Imperatoris imaginem insculptam habeant, atque in cera imprimant; totum discrimen erit in materia, non autem in signo. S. Augustinus adhibet exempla vel agricolæ, cujus prava intentio semini no-

ce-

cere non potest, ne fructificet; vel lucis, quæ etiam per loca cœnosa sine ulla immunditia diffunditur; quibus similitudinibus aliqua ratione explicatur, quomodo Sacramenta suam virtutem retineant, etiam quando a malis ministris conferuntur.

37. Ex his, aliisque momentis, quæ brevitatis desiderium nos omittere coegit, manifeste apparet, Donatistarum errorem merito fuisse jam Sæculo IV. ab universa Ecclesia proscriptum, atque eliminatum; & quando sæculis posterioribus a Jo. Wiclefo, ejusque assecla Jo. Hus iterum ab orco revocatus est, fuisse iterum in Constantiensi Synodo jure condemnatum; ac denique a magna Tridentina Synodo Sess. VII. can. 12. ita definitum: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Solvuntur objectiones Donatistarum.

38. Objiciebant Donatistæ innumera fere sacr. Scripturarum loca utriusque testamenti, in quibus Deus summam a suis ministris exigit munditiem, & sanctitatem. Exodi XIX. 22. *Sacerdotes, qui ascendunt ad Dominum, sanctificentur.* Lev. XX. 17. *Homo .... qui habuerint maculam, non offeret panes Deo suo.* Proverb. XV. 8. *Victimæ impiorum abominabiles.* Eccli. XXXIV. 4. *Ab immundo quid mundabitur?* Joan. IX. 31. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit.* Et Lucæ XI. 23. *Qui non est mecum, contra me est.* Qui autem contra Deum sunt, non possunt esse ejusdem Dei ministri. Demum Apostolus 2. Corinth. VI. 14. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras?*

39. Resp., utique convenire, ac decere, ut Sacramentorum ministri justi, & sancti sint, sed id necesse non esse ad Sacramenti valorem, qui non a causa instrumentali, cujusmodi est minister, sed a causa principali, nempe ipso Deo, dependet. „ Et ego dico, respondebat S. Augustinus Tract. „ V. in Jo. num. 15. T. IV., & omnes dicimus, „ quia justos oportet esse tanti judicis ministros. „ Sint ministri justi, si volunt; si autem nolunt „ esse justi .... securum me fecit magister meus, „ de quo Spiritus ejus dixit:" *Hic est, qui baptizat.*

40. Ecclesiastici dictum: *Ab immundo quid mundabitur?* sic explicat S. Thomas 3. P. quæst. 64. art. 5. ad 1. „ Ministri Ecclesiæ neque a pec„ catis mundant homines, ad Sacramenta acce„ dentes, neque gratiam conferunt *sua virtute;* „ sed hoc facit Christus sua potestate per eos, „ sicut per quædam instrumenta. Et ideo effectus „ consequitur in suscipientibus Sacramenta, non „ secundum similitudinem ministrorum, sed se„ cundum configurationem ad Christum."

41. Quod vero ex Evangelio Joannis objectum est, *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, scite observat S. Augustinus Lib. II. *contra epist. Parmeniani* cap. 8. num. 17., id non fuisse dictum a Domino, *sed ab illo, qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant.* Sane Ecclesia in Litaniis ita Deum orare nos docet: *Peccatores te rogamus, exaudi nos.* Ceterum orationes ministrorum malorum a Deo exaudiri, probat S. Doctor etiam exemplo Balaam (Num. XXIV.), qui *cum aliud haberet in voto, verba tamen precantis & bona fuerunt, & pro populo exaudita a Domino.* Et subdit: *Unde non mirum est, verba bona, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiamsi a malis dicantur Episcopis, exaudiri tamen, non pro perversitate præpositorum, sed pro devotione populorum.*

42. Illud ex Lucæ XI. *Qui non est &c.* tantum probat, peccatores esse non posse Dei ministros, quantum *ad decentiam*, quanquam possint esse idonei ministri, quantum *ad valorem* Sacramenti. Id luculenter explicat Angelicus laud. quæst. 64. art. 5. ad 3. inquiens: *Aliquid est debitum esse in Sacramento dupliciter: uno modo, sicut: existens de necessitate Sacramenti, quod quidem si desit, non perficitur Sacramentum, sicut si desit debita forma vel debita materia: alio modo est aliquid debitum esse in Sacramento, secundum quamdam decentiam; & hoc modo debitum est, ut ministri Sacramentorum sint boni.*

43. Mentem Apostoli explicat optimus ejus interpres S. Thomas Lect. III., ut solum prohibeat communicationem cum Gentilibus, quantum ad impias eorum doctrinas contra quosdam, qui cum Christi evangelio conjungebant idololatricas superstitiones: unde dicebat: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio &c.;* jugum enim dicitur illud, quod ligat plures ad aliquid faciendum.

44. Inst. *primo*, Joan. XX. 22. Christus *insufflavit* in Apostolos, *& dixit eis: accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* ergo saltem Sacramenti pœnitentiæ non alii possunt esse ministri, quam qui pleni sunt Spiritu sancto. Cum autem eadem sit ratio aliorum Sacramentorum, non nisi justi poterunt esse idonei ipsorum ministri.

45. Respondet S. Augustinus in Lib. II. *Contra epist. Parmeniani* cap. 11. n. 24., ipsis Christi verbis aperte significari, Spiritum sanctum esse, qui per ministros peccata remittit. *Spiritus autem sanctus in Ecclesiæ præposito, vel ministro sic inest, ut si fictus non est* (nempe si justus est), Sacramentum prosit & danti, & suscipienti. Si autem fictus est, seu hypocrita, deest quidem illi Spiritus sanctus ad propriam salutem, *ministe-*

ri-

rivum tamen ejus non deserit, qui per eum salutem operetur aliorum (a).

46. Inst. *secundo*. Matth. VII. 18. dicit Christus: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*: ergo mali ministri non possunt bonos Sacramentorum fructus producere. Immo Christus ipse dicebat peccatoribus: *Vos ex patre diabolo estis* Jo. VIII. 44.: quomodo ergo filii diaboli possunt esse ministri Dei?

47. Respondet S. Augustinus Lib. III. *cont. Litt. Petiliani* cap. 44., *Arborem & fructum ejus, non eum esse qui baptizat, & eum qui baptizatur; sed hominem esse arborem, fructum vero ejus opus ac vitam ejus accipi debere, quam semper habet bonam bonus, & malam malus*. Alterum vero duntaxat ostendit, peccatores esse indignos Sacramentorum ministros; non autem eosdem non posse a Deo assumi, tanquam instrumenta ad gratiam Sacramentalem aliis conferendam, propter rationes sup. num. 29. & seq. allatas.

48. Sic etiam S. Augustinus Lib. III. contra Cresconium cap. 8. explicabat ea verba Jerem. III. 15. *Dabo vobis pastores secundum cor meum*, cujusmodi certo non sunt peccatores. Observat enim *primo*, apud Ezech. XXXIV. 13. Deum promisisse Israelitis, quod ipse eosdem pasceret: *Ego pascam*. Post autem subdit, Deum & per pastores *bonos*, & per pastores *malos* pascere homines, cum iis verbum suum, Sacramentumque dispensat.

49. Libro autem IV. cap. 18. respondet Cresconio objicienti, quod ita nulla fieret distinctio inter bonos, malosque ministros, inquiens: *Inter fidelem, perfidumque* (ministrum) *plurimum distat, non ad Sacramentum, si hoc uterque habet, sed ad meritum, quia hoc alter ad salutem habet, alter ad pœnam*.

50. Ob. *secundo* nonnulla Sanct. Patrum testimonia, quæ videntur errori Donatistarum patrocinari. S. Ambrosius in Lib. *De mysteriis* cap. 4. *Non sanat*, inquit, *baptisma perfidorum, non mundat, sed polluit* (b). Præterea S. Hieronymus in cap. III. Sophoniæ. Sacerdotes quoque, „ ait, qui Eucharistiæ serviunt, & Sanguinem „ Domini populis ejus dividunt, impie agunt, „ in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam; & necessariam „ esse tantum solemnem orationem, & non Sacerdotum merita, de quibus dicitur (Levit. XI. „ juxta Vers. LXX.): *Et Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino*, " *Tertio* S. Leo Papa epist. CLVI. miserum Alexandrinæ Ecclesiæ statum defiens. *Manifestum quippe est*, inquit, *per crudelissimam, insanissimamque sævitiam omne illic cælestium Sacramentorum lumen extinctum*: existimavit igitur sanctissimus Pontifiex, irrita esse omnia Sacramenta a nefariis illius Ecclesiæ hominibus confecta. *Quarto* Pelagius Papa (apud Gratianum XXIV. quæst. 1. cap. schisma) *Non est*, inquit, *corpus Domini, quod schismaticus conficit*.

51. Resp. ad *primum* S. Ambrosius loqui de baptismatibus Judæorum, & infidelium; ita enim prosequitur: *Judæus urceos baptizat, & calices &c.* Et clarius Lib. II. *De Sacramentis* cap. 1.: *sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata. Caro lavatur, non culpa abluitur, immo in illo lavacro contrahitur. Erant autem baptismata Judæorum alia superflua, alia in figura* (c).

52. Alterum S. Hieronymi testimonium difficiliorem habere videtur expositionem. Sed a S. Thoma 3. P. quæst. 82. art. 5. ad 1. sic explicatur, „ quod Hieronymus per illa verba improbet errorem Sacerdotum, qui credebant se *digne* posse Eucharistiam consecrare ex hoc solo, quod „ sunt Sacedotes, etiamsi sint peccatores. „ Ceterum Donatistarum errores in Dial. contra Luciferianos Doctor maximus data opera confutavit.

53. Verba S. Leonis magni potius significant, impietate, & sævitia Dioscori, ejusque asseclarum adeo fuisse turbatam Ecclesiam Alexandrinam; ut ibi cessaverint Sacramenta: ita enim subdit: *Intercepta est Sacrificii oblatio; defecit Chrismatis sanctificatio, & parricidialibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria*. Qua de re consuli possunt Historici, Evagrius Lib. II. cap. 8., & Nicephorus Lib. XV. cap. 16. Sed S. Thomas 3. P. quæst. 64. art. 9. ad 2. aliter explicat allata verba S. Leonis; nempe in Sede Alexandrina Sacramentorum lumen fuisse extinctum, *quantum ad rem Sacramenti*, seu effectum gratiæ, quem certe non recipiebant scelestissimi illi Alexandrini, *non autem quantum ad ipsum Sacramentum* (d).

54. Ad *quartum* resp., Pelagium ibi sumere cor-

(a) Admodum pulchra est ea similitudo Nicolai Papæ in resp. ad consulta Bulgarorum apud Gratianum XV. quæst. 8. cap. *sciscitantibus*, cereæ facis, quæ accensa sibi quidem nocumentum affert, aliis tamen commodum lucis præbet. *Sic malus minister bona Sacramenta administrando aliis est utilis; sed quia sacrosancta Sacramenta pollutis manibus tractat, sibi nocet eo ipso opere suo, quo aliis prodest.*

(b) Hoc opus S. Ambrosio adjudicarunt quidam Heterodoxi, ut Henr. Bullingerus in epist. ad Joach. Vadianum, Rob. Coccius in *Censura* subjecta suæ editioni Operum S. Ambrosii Helmstadii 1653., & Jo. Dallæus *De Confirmatione*; sed nimis frivolis argumentis, quæ egregie refutarunt doctissimi Editores Maurini. Vid. sup. not. ad n. 264. Diss. I.

(c) Non ita certum est, hoc etiam opus esse Ambrosio tribuendum, & Patres Maurini, quamvis iniqua sectariorum dicteria contra hoc Opus ipsis molestissimum refellant, affirmare tamen non audent, illud esse genuinum Mediolanensis Antistitis fœtum. Vid. Rom. Ceillier T. VIII. *Des Auteurs Eccl.* pag. 486.

(d) Hæc Angelici responsio est ad mentem S. Augu-

corpus Christi *mystice*, prout Ecclesiæ communionem repræsentat; quo sensu etiam S. Augustinus Lib. XXI. *De Civ. Dei* cap. 25. T. IX. dicebat: „ Qui est in ejus (Christi) corporis unitate, idest in Christianorum compage membrorum, cujus corporis Sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt, ipse vere dicendus est manducare Corpus Christi, & bibere Sanguinem Christi. Ac per hoc hæretici, & schismaticis ab hujus unitate corporis separati possunt idem percipere Sacramentum, sed non sibi utile, immo vero etiam noxium &c. "

55. Inst. Ipse S. Augustinus Lib. III. *De Baptismo* cap. 17. & 18. T. XII. aperte docet, malos ministros non posse a peccatis solvere, inquit enim: *Numquid ergo ad eamdem Columbam* (scilicet ad Ecclesiam) pertinent omnes avari, de quibus in eadem Catholica graviter idem Cyprianus ingemuit? Nam, ut opinor, raptores non columbæ, sed accipitres dici possunt. Quomodo ergo baptizabant, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant, & usuris multiplicantibus fœnus augebant, si sola illa columba, idest illa unitas, quæ nisi in bonis intelligi non potest, simplex, & casta, & perfecta baptizat? *Et postea:* Tales (idest avari, & raptores) ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coepiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur ...... remissionem tamen peccatorum non dabant .... Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi &c. "

56. Resp., admodum obscurum esse hunc S. Augustini locum, nec Theologos de vera ejusdem interpretatione inter se convenire. Verumtamen quis sibi persuadeat, invictum hunc Donatistarum debellatorem, iisdem potuisse unquam consentire? Mihi autem omnino verisimilior ea videtur explicatio, quod nihil aliud S. Doctor voluerit, nisi a malis ministris Sacramenta quidem conferri, non autem gratiam, iis nempe, qui cum illis in impietate conveniunt. Hanc esse S. Augustini mentem, eruitur ex ipso contextu. Nam *primo* expresse dicit: *Sacramenti autem integritas ubique cognoscitur, sed ad peccatorum illam irrevocabilem remissionem extra [illegible]atem Ecclesiæ non valebit*. En Sacramenti integritas, quamvis effectus non sequatur, non defectu ministri, sed defectu suscipientis. Quod luculentius exponit, *secundo* ibidem subdens, non posse precibus Sanctorum adjuvari non solum hæreticum, aut schismaticum, sed nec peccatorem *intus positum, si adversum se ipse per vitam pessimam teneat debita peccatorum ..... etiamsi per ipsius columbæ pium ministerium baptizetur*; non certe defectu pii ministri, sed defectu impii, & impœnitentis peccatoris. *Tertio* addit de ipsis peccatoribus impœnitentibus, quod *si corrigantur, & se pessimos ab bapismum accessisse fateantur, non rebaptizantur, sed incipiunt ad columbam pertinere &c.*; quod postea asserit etiam de hæreticis, qui foris sunt, *cum correcti ad Ecclesiæ veniunt unitatem*. Ecce iterum validum baptisma, quamvis effectu careat, quousque baptizati ad veram, & perfectam Ecclesiæ unitatem non veniant. Demum ita S. Doctor generaliter concludit, *solvitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem, sive aperte foris sit, sive intus esse videatur*. Ubi effectus Sacramenti semper repetitur non a sanctitate ministri, sed a dispositionibus suscipientis. Quam doctrinam tam sæpe, & tam luculenter tradit S. Antistes, ut de ejus mente dubitari non possit. Vid. Lib. V. ejusdem operis cap. 22.

57. Ob. *tertio* ex ratione. Sacramenta consistunt in actione ministri, qui materiam conjungit cum forma; atqui actio ministri mali est mala: ergo etiam Sacramentum, quod ex tali actione resultat, erit malum, & nullum.

58. Respondet S. Thomas 3. P. q. 82. art. 5. ad 3. *eamdem actionem, inquantum fit ex prava intentione ministri, posse esse malam; bonam autem, inquantum fit ex bona intentione Domini*, scilicet Christi, qui est causa principalis, ut dictum est sup. n. 29.

59. Inst. *primo*. Mali ministri non possunt esse instrumenta Christi ad conficienda Sacramenta, quia ab ipso sunt separati utpote non habentes charitatem, per quam membra capiti uniuntur, secundum illud 1. Jo. IV. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*.

60. Respondet Angelicus 3. P. q. 64. art. 5. ad 2.: „ quod per charitatem membra Christi uniuntur suo capiti, ut ab eo vitam recipiant, quia ut dicitur 1. Jo. III. 14. *Qui non diligit, manet in morte*. Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, & a se separatum, quantum ad corporis unionem, dummodo sit conjunctum per quamdam motionem: aliter enim operatur artifex per manum, & aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in Sacramentis, & per bonos tamquam per membra viventia, & per malos, tamquam per instrumenta carentia vita ".

61. Inst. *secundo*. Orationis effectus dependet a majore, vel minore orantis pietate & devotione; atqui in Sacramentis conficiendis, vel administrandis adhibeutur quædam orationes: ergo si istæ vanæ

stini Magistri sui, qui Lib. VI. *De Baptismo* cap. 1. bene observavit, quæstionem de valore baptismi Hæreticorum inde ortam fuisse, quia *non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti. Et quia ejus effectus; atque usus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.*

næ sunt & inutiles, ut sunt vanæ & inutiles orationes impiorum, immo aliquando noxiæ, juxta illud Ps. CVIII. 7. *Oratio ejus fiat in peccatum*, vana etiam & irrita erunt Sacramenta.

62. Resp. Orationes, quæ adhibentur in Sacramentis conficiendis, vel conferendis, habere vim ex Christi institutione, si constituant ipsam Sacramentorum formam, ut in Sacramento Extremæ Unctionis; vel ex Ecclesiæ meritis, si sint ab Ecclesia præscriptæ, saltem quantum ad valorem Sacramenti. Negari tamen non potest, hujusmodi orationes, quæ non pertinent ad formam Sacramenti, esse magis, vel minus utiles, prout major, vel minor est orantis ministri pietas & devotio. Audiendus S. Thomas 3. P. q. 82. art. 6. ubi inquit: „ Oratio, quæ fit in Missa, potest „ considerari dupliciter. Uno modo inquantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis; „ & sic non est dubium, quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa. Alio modo, inquantum oratio in Missa profertur a Sacerdote in „ persona totius Ecclesiæ, cujus Sacerdos est minister; quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet .... Unde etiam quantum ad hoc „ est fructuosa non solum oratio Sacerdotis peccatoris in Missa, sed etiam omnes ejus orationes, quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ: licet orationes ejus privatæ non sint fructuosæ, juxta illud Prov. XXVIII. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*".

Quæres *primo, an peccatores ministrando Sacramenta peccent?*

63. Respondet Angelicus 3. P. q. 64. art. 6. *affirmative*; idque probat ex eo, quod ministri debent Domino conformari, secundum illud Levit. XIX. 2. *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum*; & Eccl. X. 2. *Secundum judicem populi, sic & ministri ejus*. „ Et ideo, subdit, non est dubium, „ quin mali exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ in dispensationem Sacramentorum peccent. „ Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam „ Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint), „ consequens est, quod tale peccatum ex genere „ suo sit mortale".

64. Multo plura allegari possunt ex sacris litteris ad id comprobandum; ut illud Exodi XIX. 22. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur*. Ps. C. 6. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*. Isaiæ LIII. 11. *Mundamini, qui fertis vasa Domini, &c.* Si autem tanta requirebatur mundities, & sanctitas in ministris veterum sacrificiorum, quæ umbræ erant nostrorum, quantam putemus esse necessariam in ministris Sacramentorum novæ legis, quæ ipsam gratiam continent, & virtute sua conferunt?

65. Reipsa Apostolus in prima epist. ad Timoth. III. 10. Diaconos vult esse *judices non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura*; ac subdit: *Et hi autem probentur primum; & sic ministrent nullum crimen habentes*. Ibid. v. 2. & seq. vult, Episcopum irreprehensibilem esse, omnibusque christianis virtutibus ornatum: & ad Titum I. 7. *Oportet*, inquit, *Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*.

66. Noster autem S. Præceptor in art. mox laud. ad 3. excipit casum necessitatis, quo malus Sacerdos baptizaret, quia tunc *non exhiberet se ut ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem*, subdit, *in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus*.

Quæres *secundo, an peccent qui Sacramenta suscipiunt a malis ministris?*

67. Hanc quæstionem ita resolvit Angelicus laud. quæst. 64. art. 6. ad 2. „ Ille, qui ad Sacramenta accedit, suscipit Sacramenta a ministro Ecclesiæ non inquantum est talis persona, „ sed inquantum est minister Ecclesiæ. Et ideo „ quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscepit Sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tamquam ministrum exhibet. Si „ vero ab Ecclesia non toleratur, puta cum degradatur vel excommunicatur, vel suspenditur, „ peccat qui ab eo accipit Sacramentum, quia „ communicat peccato ipsius". Communiter tamen docent Theologi, charitatem exigere, ut qui certo novit ministrum esse malum, ab eo non petat Sacramenta, ne ipsum ad peccatum inducat, excepto tamen casu necessitatis, quo non possit alter minister haberi.

68. Docent insuper iidem Theologi, semper melius esse Sacramenta recipere a bonis ministris, quia ut bene observat S. Thomas 3. P. q. 64. art. 1. ad 2. quamvis *effectus Sacramenti non detur melior per meliorem ministrum, aliquid tamen adnexum impetrari potest recipienti Sacramentum per devotionem ministri*.

CAPUT III.

Ostenditur, ad valorem Sacramenti non esse necessariam in ministro fidem orthodoxam.

69. Hæc materia magnam habet cum præcedenti de probitate ministri affinitatem; est tamen absolute diversa; & qui fidem ministri esse ad valorem Sacramenti necessariam docuerunt, aliis nonnullis ducebantur argumentis, & quidem ad speciem multo gravioribus, quam illa sint, quæ ad suam causam defendendam afferebant Donatistæ. Insuper nunquam ab Ecclesiæ unitate se separarunt, quemadmodum se separarunt schismatici Donatistæ. Sed præstat brevem hujus erroris, qui latissime olim serpsit, multosque, ac magni no-

mi-

minis, magnæque sanctitatis Episcopos infecit, historiam texere.

70. Prima illius origo certo determinari non potest. Sunt qui eam repetunt a Tertulliano, qui in Libro *De Baptismo* cap. 15. de hæreticis inquiebat: *Non idem Deus est nobis, & illis, nec unus Christus, idest idem: ideoque nec Baptismus unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, sine dubio non habent*. Ex qua doctrina consequebatur, baptizatos ab hæreticis esse iterum baptizandos. Hinc qui fidem esse in ministro Sacramentorum necessariam contendebant, vulgo *Rebaptizantes* dici consueverunt, non quod in sola baptismi collatione fidem necessariam esse dicerent, idem enim censebant etiam de aliis Sacramentis; sed quod casus rebaptizandi frequentissimus esset; rarior autem casus Ordinatos ab hæreticis iterum ordinandi (*a*).

71. Communiter tamen prima *Rebaptismi* epocha desumitur ab Agrippino Episcopo Carthaginensi, a quo S. Augustinus Lib. II. *De Baptismo*, cap. 7. n. 12. dicit antiquam consuetudinem ex Apostolica traditione venientem *corrumpi cœpisse*; cui consonant Vincentius Lirinensis in *Commonitorio* I. cap. 9., & ipse Cyprianus, qui in epist. LXVIII. ad Jubajanum fatetur, se morem rebaptizandi hæreticos ab Agrippino prædecessore suo accepisse. Agrippinus autem in Concilio celebrato anno 215., vel 217. hunc errorem aut primo statuit, aut ante jam exortum confirmavit; cui tamen Concilio non omnes Episcopos Afros consensisse liquet ex Epist. S. Cypriani ad Quintum: tum etiam ex eo, quod postea ad eumdem errorem constabiliendum, & propagandum alias in Africa Synodos congregare, necesse fuerit. Hunc ipsum hæreticos rebaptizandi errorem fuisse in Orientali Ecclesia a duobus Conciliis apud Iconium, & Synnada celebratis constitutum, testatur Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 7. Dubium est tamen, an ex Africana Ecclesia ad Orientales, an potius contra ab Oriente ad Africam perversus hæreticos rebaptizandi mos commigraverit, contendentibus nonnullis, Cyprianum fuisse ab Asiaticis huic controversiæ implicatum.

72. Sed quidquid hac de re sit, illud certum est, Cyprianum, cum Synodum Carthaginensem anno 256. celebraret, a quibusdam Numidiæ Episcopis interrogatum, *an qui apud hæreticos, & schismaticos baptizati videntur, ad Ecclesiam Catholicam venientes baptizari debeant?* una cum Episcopis 32. respondisse, *neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse;* quod postea in alia Synodo frequentiore 71. Episcoporum iterum sancitum fuit. Hac autem de re Cyprianus perhonorifica duorum Episcoporum legatione certiorem fecit Stephanum Rom. Pontificem una cum epistola (LXXII.) scripta nomine totius Synodi, in cujus fine testabantur Episcopi, se *nec vim cuiquam facere, nec legem dare, quando habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus*. Quæ verba in aliis suis litteris Cyprianus sæpius adhibuit, ut ostenderet, quantum unitas, & pax Ecclesiastica sibi cordi esset. Sperabat tamen, posse suprema Rom. Pontificis auctoritate decretorium Synodo suæ pondus addere (*b*).

73. Verum Stephanus antiquæ consuetudinis Ecclesiæ Romanæ, quæ ab ejusdem fundatoribus Petro, & Paulo descendebat, tenacissimus, Africanorum Episcoporum decreta aperte reprobavit, quemadmodum antea reprobaverat simile decretum Heleni, Firmiliani, aliorumque Episcoporum Ciliciæ, & Cappadociæ. Ipsos etiam Cypriani Legatos in conspectum suum admittere recusavit, immo vetuit, ne a quoquam reciperentur. Epistolæ tamen Synodicæ S. Cypriani respondit; sed illius responsi nonnisi hoc breve fragmentum superest, quod legitur in epist. LXXIV. S. Cypriani ad Pompejum: *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam* (*c*).

74. Huic summi Hierarchæ decreto non eam præ-

(*a*) Clara sunt verba Jubajani ita in epist. ad Cyprianum scribentis: *Hæretico, sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare, nec quidquam sancte, nec spiritualiter gerere*. Notandum vero, nec Cyprianum, nec qui ejus sententiam sequebantur unquam fuisse usos voce *rebaptizandi;* baptismum enim iterari non posse, omnes fatebantur; sed contendebant, baptismum extra Ecclesiam datum nullum esse; adeoque venientes ab hæresi, non secus ac venientes a superstitione Judaica, vel Pagana esse baptizandos. *Sine causa*, inquiebat Adelphius in Concilio III. Carthagin., *quidam falso, & invidioso verbo impugnant veritatem, ut rebaptizare nos dicant, quando Ecclesia hæreticos non rebaptizet, sed baptizet*.

(*b*) Baronius ad an. 258. n. 16. putavit, memoratam duorum Episcoporum legationem non a Cypriano, sed a Synodo Iconiensi fuisse ad R. P. missam. Tourneminius autem in suis conjecturis *De supposititiis aliquibus S. Cypriani Operibus & Epistola Firmiliani &c.* insertis Ephem. Trevoltianis an. 1734. mense Decemb. apocryphas judicavit epistolas S. Cypriani ad Jubajanum, & ad Pompejum, necnon Synodum III. Carthaginensem, quibus conjecturis ansam fortasse dedit P. Raym. Missorio totam hanc controversiam ut imaginariam rejiciendi, ut videbimus infra.

(*c*) Quorum verborum hic sensus esse videtur, ut Tillemontius explicat. T. IV. art. 42., *Nihil in his, qui ab hæresi baptizati veniunt, renovetur, nisi impositio manuum, quod ex veteri traditione semper factum est*. Vel, ut vertit Duguetius, Dissert. XIV., *nihil aliud innovetur, nisi quod traditio innovandum docet, scilicet non baptismus, sed sola impositio manuum*. Sed brevius cum P. Coustant tom. I. epist. RR. PP. ea verba *quod traditum est* debent parenthesi ab aliis distingui hoc modo: *Nihil innovetur, nisi (quod traditum est) ut manus, &c.*, ut scilicet syntaxis accuratius servetur.

præstitit Cyprianus, quam debebat, obedientiam; immo contra Stephanum litteras amariores scripsit ad Pompejum, & tertium Concilium prioribus multo frequentius Carthagine coegit, novis argumentis suum errorem confirmans. Quanquam aliqui contendant, hoc tertium Concilium fuisse a Cypriano celebratum, antequam Stephani responsum habuisset; qua in re ipsum peccasse, non dissimulat ipse S. Augustinus; sed *illum nævum*, inquit Lib. I. *De Baptismo* cap. postremo, *in candore sanctæ animæ charitatis ubera contegebant*. Quam phrasim etiam repetit S. Doctor Epist. XCII. n. 40. Vel, ut inquit epist. CVIII. n. 9., *si aliquid habebat adhuc purgandum, gloriosa martyrii falce purgatum est* (a).

75. Multo acrius contra Stephanum invectus est Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus in Epist. ad Cyprianum (quæ est LXXV. inter Cyprianicas), ubi non solum laudat, & approbat Afrorum in errore pertinaciam, sed novas ipse addit rationes ad eumdem errorem confirmandum. Ipsum autem S. Pontificem irriverenti apostrophe redarguit, tanquam hominem *imperitum*, *animosum*, atque *iracundum*, cui illud adaptat Prov. XXIX. 22. *Vir iracundus provocat rixas*. *Lites enim*, subdit, *& dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi?* Ac demum ad mensuræ cumulum (quod aures catholicæ audire horrent) ipsum summum Ecclesiæ caput *Schismaticum* audet appellare, inquiens: *Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti! Excidisti enim teipsum: noli te fallere. Siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione ecclesiasticæ unitatis apostatam fecit*. Quæ durissima verba excidisse nollem viro multis titulis in Ecclesiastica historia commendato (b). Nunc autem *primo* operam dabimus ad catholicum dogma stabiliendum, & vindicandum; & postea nonnulla pertractabimus, quæ ad rebaptismi historiam pertinent; scilicet refellemus P. Raym. Missorium, qui eleganti, & erudita Dissertatione totam hanc rebaptismi controversiam commentitiam esse, persuadere voluit. *Deinde* Stephani fidem a quibusdam Romanæ sedis osoribus male accusatam tuebimur. *Postremo* quæstiunculas nonnullas ad historiam pertinentes breviter resolvemus.

PROPOSITIO

Ad validam Sacramentorum collationem non est necessaria recta fides in eorum Ministro.

76. Hoc Ecclesiæ Catholicæ dogma ut satis demonstratum haberi potest ex iis, quibus super n. 29. & seq. contra Donatistas evicimus, Baptismum, quemadmodum & alia Sacramenta, non a ministro, qui merum est instrumentum, sed a Jesu Christo Sacramentorum auctore, & causa principali, suam efficaciam desumere. Ita enim ratiocinatur S. Thomas 3. P. quæst. 64. art. 9. „ Quia „ minister in Sacramentis instrumentaliter opera„ tur, non agit in virtute propria, sed in virtu„ te Christi. Sicut autem pertinet ad propriam „ virtutem hominis charitas, ita & fides. Unde „ sicut non requiritur ad perfectionem Sacramen„ ti, quod minister sit in charitate, sed possunt „ etiam peccatores Sacramenta conferre, ita non „ requiritur ad perfectionem Sacramenti fides e„ jus, sed infidelis potest verum Sacramentum præ„ bere, dummodo cetera adsint, quæ sunt de ne„ cessitate Sacramenti ". Præstat tamen hoc ipsum dogma ex perpetua Ecclesiæ praxi, & traditione invicte confirmare.

77. Reipsa hoc solo traditionis argumento Stephanus Rom. Pontifex totam hanc controversiam finivit, respondens S. Cypriano, ejusque collegis, ut supra vidimus n. 73. *Si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam*. Ita observat S. Augustinus Lib. II. *De Baptismo* cap. 9. inquiens: *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem*. Post autem ex ipsius Cypriani verbis recte colligit Hipponensis Doctor, hanc fuisse ante Agrippinum *consuetudinem Ecclesiæ*. Cyprianus enim in Epist. ad Ju-

(a) In laud. epist. ad Pompejum, quæ inter Cyprianicas est LXXIV., ita de Stephano loquitur: „ Inter „ cetera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel „ sibi ipsi contraria, quæ imperite, atque improvide „ scripsit, etiam, aliud adjunxit, ut diceret: Si quis „ ergo a quacumque hæresi venerit ad nos &c. ... Quæ „ ista obstinatio est, quæve presumptio humanam tra„ ditionem divinæ dispositioni anteponere? Nec ani„ madvertere, indignari, & irasci Deum, quoties di„ vina præcepta solvit, & præterit humana traditio?" Cum ceteris, quæ sequuntur, amaro felle conscriptis.

(b) Eusebius Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 28. „ Inter „ Episcopos, *inquit*, qui præ ceteris insignes fuerunt, „ maxime eminebat Firmilianus Cæsareæ Cappadocum „ Episcopus. *Theodoretus autem Lib. II.* Hæreticarum „ fabularum cap. 8. Firmilianus, ait, Cæsareæ Cap„ padociæ Episcopus, vir illustris, & qui scientia u„ traque pollebat, tum externa, tum divina". Discipulus fuit Origenis, immo ab eo a Pagana superstitione ad Christi fidem conversus creditur. Certe cum eo magnam Firmiliano intercesisse necessitudinem, auctor est laud. mox Eusebius Lib. VI. c. 26. & 27., immo & Hieronymus in *Catalogo Viror. illustrium* cap. 54. Ejusdem nescio quos libros, qui modo desiderantur, laudat S. Basilius in Lib. *De Spiritu S.* cap. 29. Ejus nomen dicitur inscriptum Græcorum Martyrologiis; sed P. Jo. Sbaralea in opere, cui titulus *Germana S. Cypriani, aliorumque opinio de hæreticorum baptismo* cap. 1. id negat, ac Baronium, Nat. Alexandrum, & qui eos secuti sunt, deceptos fuisse contendit. Certe in *Menologio Græcorum*, quod Card. Annib. Albanus typis Urbinatibus anno 1727. tribus volum. in fol. edi curavit, nomen Firmiliani desideratur.

Jubajanum ita inquirebat: *Quid ergo fit de iis, qui in præteritum de hæresi in Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt?* Hæc autem interrogatio satis indicare videtur, ante Agrippinum fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ.

78. Et antea cap. 7. jam dixerat: „ Nondum „ erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata, „ sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat „ Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis, & hæ„ reticis corrigere, quod pravum est, non iterare „ quod datum est; sanare, quod vulneratum est, „ non curare, quod sanum est. Quam consuetu„ dinem credo ex apostolica traditione venientem, „ sicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eo„ rum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen „ quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non„ nisi ab ipsis tradita, & commendata credun„ tur &c."

79. Traditionem autem, quam S. Stephanus allegabat, veram, & apostolicam fuisse, non solum laudatus hactenus Augustinus asseruit, sed etiam Vincentius Lirinensis in *Commonitorio* I. cap. 9. inquiens: *Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus, & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas*. Universus quippe orbis catholicus Stephani decreto se pronus subjecit, Afrorum autem error damnatus, & eliminatus est.

80. S. Augustinus porro non erat sola Ecclesiæ consuetudine contentus, sed ad Rebaptizantium errorem refellendum alia etiam addebat solidissima argumenta. Sic in Lib. I. *De Baptismo* cap. 1. ex eo probat, hæreticos, & schismaticos posse valide conferre baptismum, quia baptismus, quem antequam ab Ecclesia discederent, receperunt, semper in eis perdurat, quo fit, ut si hujusmodi apostatæ ad Ecclesiam redeant, non rebaptizantur; „ Si autem, *inferebat*, haberi foris potest, etiam „ dari cur non potest?... Sacramentum enim Ba„ ptismi est, quod habet, qui baptizatur: & Sa„ cramentum dandi Baptismi est, quod habet, qui „ ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab unita„ te recesserit Sacramentum Baptismi non amittit; „ sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sa„ cramentum dandi Baptismum non amittit. *Et* „ *concludit*, *quod* sicut redeuntes, qui prius quam „ recederent, baptizati sunt, non rebaptizantur; „ ita redeuntes, qui prius quam recederent, or„ dinati sunt, non utique rursus ordinantur; sed „ aut administrant, quod administrabant, si hoc „ Ecclesiæ utilitas postulat; aut si non admini„ strant, Sacramentum ordinationis suæ tamen ge„ runt".

81. Et Libro II. *contra Gaudentium* cap. 10. ad demonstrandum, etiam apud schismaticos, & hæreticos baptismum retineri, quia hoc Sacramentum non est ministrorum, sed catholicæ Ecclesiæ, utitur hac similitudine: *Nam vasa Dominica, etiam apud alienigenas sancta permanserunt; unde rex, qui eis contumeliose uti ausus est, Deo irascente punitus est. Et arca testamenti ab hostibus capta nequaquam virtutem suæ sanctificationis amisit.* Hinc infert, multo magis Sacramenta suam virtutem non perdere, etiam quando ad hæreticos transeunt.

82. Hanc autem sententiam esse verum, & inviolabile nostræ Religionis dogma, constat ex multis Ecclesiæ definitionibus. Nam *primo*, ut dictum est n. 73., Rebaptizantium doctrina fuit a Summo Pontifice Stephano expresse reprobata. *Secundo* damnata pariter fuit in Concilio *plenario*, ut testis est S. Augustinus Lib. II. *De Baptismo* cap. 9., quamvis quodnam fuerit *plenarium* illud Concilium, non constat apud eruditos, ut videbimus postea. *Tertio* in Synodo Arelatensi I. celebrata anno 314. *Quarto* in Concilio Nicæno œcumenico anno 325. can. 8., quo decretum fuit, Catharos, si venerint ad Ecclesiam, recipiendos esse cum sola manuum impositione. *Quinto* a Siricio Papa circa finem Sæc. IV. in epist. ad Himerium, & initio Sæc. V. ab Innocentio I. in epist. ad Victricium can. 8. Denique mos rebaptizandi ubique tandem in Ecclesia universa obsolevit. Unde merito in Synodo Tridentina Sess. VII. can. 4. de Baptismo ita definitum fuit: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit*. Quæ definitio etiam ad alia Sacramenta referenda est, ut proinde certum dogma sit, fidem in ministro Sacramentorum non esse ad eorum valorem necessariam.

Solvuntur Rebaptizantium objectiones.

83. *Primo* multa agglomerabant utriusque fœderis testimonia, ut probarent, hæreticos, utpote extra Ecclesiam constitutos, non posse vera Ecclesiæ Sacramenta habere. Præcipua tantum referemus: omnia enim exscribere nimis molestum foret, & parum utile. Ex vet. test. objiciebant illud Cantic. IV. 12. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus .... puteus aquarum viventium:* quod ad Ecclesiam referunt sancti Patres. His verbis alia conjungebant, quæ de hæreticis dicta intelligebant, Jerem. II. 13. *Foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam*; tum alia ejusdem Prophetæ XV. 18. *Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium*; vel ut Donatistæ legebant, *Facta est mihi quasi aqua mendax non habens fidem*. Huc spectare putabant etiam illud monitum Prov. V. 15. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui .... Nec sint alieni participes tui*; quem locum ita legebant Donatistæ: *Fons aquæ sit tibi proprius, & nemo alienus communicet tibi*, apud S. Augustinum Lib. II. contra Cresconium cap. 14. Demum Eccli. XXXIV. 30. dicitur: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, qui proficit lavatio ejus?* Quo testi-

monio prænunciatam fuisse inanitatem Baptismi hæreticorum, Patres tertii Concilii Carthaginensis putarunt.

84. Ex novo etiam testamento objiciebant illud epist. primæ S. Petri III. 20. de arca Noe: *In qua pauci, idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma*. S. Cyprianus nomine arcæ Ecclesiam significari recte putabat; unde inferebat, omnes qui sunt extra hanc arcam, aquis diluvii infeliciter perire (*a*). Urgebant præterea verba Apostoli Pauli ad Ephesios IV. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*b*). *Tertio* ejusdem Apostoli verba ad Gal. III. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*: cum igitur isti sic baptizati nequeant Christum induere, sequitur eorum baptisma esse irritum.

85. Resp., hæc omnia S. Scripturæ loca fuisse a S. Augustino in ipsos rebaptizantes semper retorta. Si quid enim probant, probant etiam, nulla esse Sacramenta in ipsa Ecclesia Catholica a perversis, & sceleratis ministris collata, quæ tamen ut valida recipiebant Cyprianus, & qui cum eo sola hæreticorum Sacramenta respuebant. Sed præstat singula objecta loca germano sensu explicare cum eodem S. Patre Augustino.

86. *Hortus conclusus, fons signatus, & puteus aquarum viventium* a S. Augustino intelligitur quidem Ecclesia, sed in solis sanctis, ac justis, immo in iis solis, qui secundum æternam prædestinationem vocati sunt sancti; quorum aliqui *adhuc nequiter vivunt, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jacent*, & tamen in ineffabili præscientia Dei pertinent ad hortum conclusum. Ita S. Doctor Lib. V. *De Baptismo* cap. 27. Alibi tamen, nempe Lib. II. *cont. Cresconium* cap. 15. explicat *hortum conclusum, & fontem signatum* de illo baptismate, quo confertur non solum Sacramentum, sed etiam effectus Sacramenti, nempe gratia Sacramentalis. Hunc porro effectum Baptismi non consequuntur, nisi qui sunt in Ecclesia, immo illi soli, qui eum in Ecclesia cum debitis dispositionibus suscipiunt, loquendo scilicet de adultis: nam de infantibus alia ratio est. In iis autem, qui vel extra Ecclesiam, vel etiam intra Ecclesiam Baptismum recipiunt, ejusdem Baptismi effectus non habetur, nisi quando, *schismatis, vel hæresis deposito errore, correctis moribus, pia mente convertuntur*, ut idem S. Doctor loquitur.

87. Alterum ex Propheta Jeremia, & ex Proverbiis S. Augustinus in Lib. *De unitate Ecclesiæ* cap. 23. recte explicabat, non de aqua Baptismi, quæ aliena non est, cum sit Jesu Christi, sed de falsa hæreticorum doctrina, qui *alieni sunt*. *Non enim semper ubi aquam nominat Scriptura, hoc visibile Baptismi Sacramentum vult intelligi, sed aliquando ipsum, aliquando aliud*. Pergit ulterius S. Pater, & pariter hæc testimonia exponit, quatenus aqua Baptismi recepta ab hæreticis, vel etiam improbis catholicis non eis prodest ad vitam æternam. „ Hoc est ergo, *concludit*, donum Spiritus sancti proprium Sanctorum, „ unde nemo communicat alienus. Hoc deest omnibus malignis, & gehennæ filiis, etiamsi „ Christi baptismo baptizentur, sicut Simon fuerat baptizatus. Hoc deest etiam hæreticis: hoc „ accipiunt, cum correcti veniunt, & unitatis vinculum sinceriter amplectuntur. *Et Lib. III. De* „ *Baptismo cap.* 10. Non est autem, *inquit*, aqua „ profana, & adultera, super quam nomen Dei „ invocatur, etiamsi a profanis, & adulteris invocetur .... Baptismus vero Christi verbis evangelicis consecratur, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici, & „ immundi, quia ipsa ejus sanctitas pollui non „ potest, & Sacramento suo divina virtus assistit, „ sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium ".

88. Quod denique ex Ecclesiastico objiciebatur, a præsenti materia omnino est alienum. Ibi enim sermo est de ablutione legali, quæ juxta Legem Mosaicam Num. XIX. 11. illi præscripta erat, qui tetigerit cadaver hominis; & quæ vana erat, si post ablutionem iterum cadaver tetigisset.

89. Neque vero majorem vim faciunt, testimonia ex novo testam.; nam verba S. Petri explicantur a S. Augustino Lib. V. *De Baptismo* cap. postr. de paritate inter paucos salvatos in arca Noe, & paucos, qui salvantur per Baptismum; quia ad hujus arcæ mysterium non pertinent, *qui verbis solis, & non factis renuntiant, & in quibus non est conscientiæ bonæ interrogatio. Potest ergo fieri*, subdit S. Pater, *ut & quidam foris baptiza-*

(*a*) Quidam autem Donatistarum Episcopus frigide observabat, Arcam illam fuisse bituminatam intus, & foris; *intrinsecus* ne aquam emitteret suam, *extrinsecus autem*, ne admitteret alienam; cui vanæ observationi fuisse ab aliquibus acclamatum jure mirabatur S. Augustinus *De unitate Ecclesiæ* cap. 5.; facile enim advertere debuissent, fieri non posse, *ut extrinsecus admittat aquam compago lignorum, si non emittit intrinsecus*.

(*b*) Hæc Pauli verba ita eloquenter illustrabat Cæcilius a Birta in Concilio Carthaginensi (apud S. Augustinum Lib. VI. *De Baptismo* cap. 8.) „ Ego unum baptisma in Ecclesia sola scio, & extra Ecclesiam nullum. Hic erit unum, ubi spes vera est, & fides „ certa. Sic enim scriptum est: *Una fides, una spes,* „ *unum baptisma*. Non apud hæreticos ubi spes nulla „ est, & fides falsa, ubi omnia per mendacium aguntur, ubi exorcizat dæmoniacus, Sacramentum interrogat, cujus os, & verba cancer emittunt, fidem „ dat infidelis, veniam delictorum tribuit sceleratus, „ & in nomine Christi tingit antichristus, benedicit a „ Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus, pacem „ dat impacificus, Deum invocat blasphemus, sacerdotium administrat profanus, ponit altare sacrilegus ".

zati, per Dei præscientiam verius intus baptizati deputentur .... Et rursus quidam qui videbantur intus baptizati, per eamdem præscientiam Dei foris baptizati verius deputentur; male quippe utentes Baptismo per aquam moriuntur &c.

90. Argumentum ex unitate baptismatis, quam S. Paulus commendat Ephes. IV., S. Augustinus Lib. II. *contra litteras Petiliani* cap. 27. retorquebat contra Donatistas, qui insaniendo dicebant, duo esse baptismata, quia existimabant, *aliud habere justos*, *aliud iniquos*. Concludebat autem, baptisma esse *unum*, quia est Jesu Christi, qui unus est. Cui consonans S. Thomas Lect. II. in hunc locum observat, dici *unum baptisma*, *quia baptismata non differunt secundum baptizantes*, *quia a quocumque conferuntur*, *uniformem virtutem habent*, *quia qui baptizat interius*, *unus est*.

91. Postremum Apostoli Pauli ad Gal. III. sic diluit Augustinus Lib. V. *De Baptismo* cap. 24. inquiens: *Induunt homines Christum*, *aliquando usque ad Sacramenti perceptionem*, *aliquando & usque ad vitæ sanctificationem: atque illud primum & bonis & malis potest esse commune; hoc autem alterum proprium est bonorum*, *& piorum*.

92. Opponebant secundo loco aliqui Rebaptizantes antiquam Ecclesiæ traditionem, quam ab ipsis Apostolis incepisse gloriabantur (*a*). Nam *primo* in Canonibus vulgo *Apostolicis* can. 45., & 46. deponi jubetur Episcopus, vel Presbyter, *qui hæreticorum baptisma*, *vel sacrificium admiserit*. Idemque habetur in *Constitutionibus Apostolicis* Lib. VI. cap. 15. ubi definitur, contentos nos esse debere uno Baptismo solo; *non illo*, *quem infausti hæretici*, *sed quem irreprehensi Sacerdotes conferunt*. Immo in *Decreto* Gratiani plures inveniuntur canones, quibus irrita declarantur Sacramenta ab hæreticis collata. P. II. causâ I. qu. 1. hæc referuntur Innocentii verba: *Qui perfectionem spiritus*, *quam acceperunt*, *perdiderunt*, *non ejus dare plenitudinem possunt* (*quæ maxime operatur in Ordinationibus*) *quam per suam perfidiam perdiderunt*. Item q. 7. cap. 24. & seq. irritæ declarantur Ordinationes hæreticorum ex decreto Innocentii, & Damasi. *Tertio* Causa XXIV. quæst. 1. cap. 34. habetur decisio Pelagii II. quod schismatici, *quia spiritum non habent corporis Christi*, *Sacrificium habere non possunt*. *Quarto* Gregorius Magnus Lib. II. epist. 67. Bonosiacos iterum baptizari præcepit: quos tamen *in Trinitate* baptizasse declaravit Concilium II. Arelatense can. 12. Demum Gregorius VIII. in Concilio Rom. cap. 5. *infirmas*, *& irritas* dixit esse simoniacas Ordinationes.

93. Ulterius certum est, Anabaptismum in Africa obtinuisse a temporibus Tertulliani, in Oriente autem sub Dionysio Alexandrino. Primus enim, qui floruit Sæc. II. desinente, in Lib. *de Baptismo* cap. 15. aperte negat hæreticos habere Baptismum. Vid. sup. n. 70. Alter autem, nempe S. Dionysius, qui usque ad an. 264. Alexandrinam rexit Ecclesiam, ita ad Philemonem scribebat apud Eusebium Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 7.: *Illud didici*, *non ab Afris solis hunc morem* (rebaptizandi baptizatos ab hæreticis) *nunc primum invectum fuisse*, *sed & multo antea*, *superiorum Episcoporum temporibus*, *in Ecclesiis populosissimis*, *& in Conciliis fratrum apud Iconium*, *& Synnada*, *& apud alios plurimos idem sancitum fuisse*. Dionysio autem omnino consonat Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, ita ad Cyprianum scribens: *Nos veritati & consuetudinem jungimus*, *& consuetudini Romanorum consuetudinem*, *sed veritati opponimus*, *ab initio hoc tenentes*, *quod a Christo*, *& ab Apostolis traditum est*. *Nec meminimus*, *hoc apud nos aliquando cœpisse*, *cum semper isthic observatum sit*, *ut nonnisi unam Ecclesiam nossemus*, *& sanctum baptisma nonnisi Sanctæ Ecclesiæ computaremus*.

94. Resp., frusta Episcopos Orientales antiquam, & Apostolicam consuetudinem rebaptizandi hæreticos jactasse, quam tamen jactare non audebat Cyprianus cum suis Episcopis Afris sincere fassus, hunc morem sub Agrippino fuisse invectum. Canones autem objecti certe ab Apostolis conditi non fuere, prout communis est Criticorum opinio (*b*). At-

(*a*) Episcopi Africani videbantur potius inniti Scripturis sacris, quam consuetudini; unde Cyprianus ep. LXXIV. ad Pompejum: *Consuetudo*, inquiebat, *sive verius vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem*. Et in tertio Concilio Carthagin. illa vox audita est: *In Evangelio Dominus*, *Ego sum*, *inquit*, *veritas; non dixit: Ego sum consuetudo*. Firmilianus tamen Cæsareæ in Cappadocia Episcopus suo, & Orientalium Episcoporum nomine veterem rebaptizandi consuetudinem jactabat, quæ a Christo, & Apostolis ortum traheret. Ex eo autem decepti videntur, quod Ecclesia nonnullos hæreticos rebaptizare solebat, quia Baptismi formam corrumpebant. Hinc aliqui putarunt, regulam esse generalem omnes hæreticos rebaptizandi.

(*b*) Eos vere Apostolicos esse conatus est ostendere Franciscus Turrianus in *Defensione pro Canonibus Apostolicis*. Severinus autem Binius in Tom. I. *Concil.*, Sixtus Senensis Lib. II. *Biblioth. Sanctæ*, Card. Baronius ad an. 103., Card. Bellarminus *De Scriptor. Ecclesiast.*, Ant. Possevinus in *Apparatu*, ac nonnulli alii, nonnisi aliquos eorumdem canonum ut Apostolicos recipiunt. Sed magis arridet judicium doctissimi Gabr. Albaspinæi Episcopi Aurelianensis, qui in Lib. I. *Observationum Ecclesiastic.* cap. 15. censet, hos canones esse pervetustos, & simul ex diversis Conciliis ante magnam Synodum Nicænam collectos. Huic judicio subscribunt etiam Petrus de Marca in Lib. *De concordia Sacerdotii*, *& Imperii* cap. 2., Ellies Dupin Tom. I. *Biblioth. Eccles.*, & ex heterodoxis Guill. Beveregius, in *Codice canonum Ecclesiæ primitivæ vindicato*, *& illustrato*, Jo. Pearsonius in *Vindiciis Epistol. S. I-*

Atque Episcopi ipsi rebaptizantes, cum undique ad suum errorem defendendum argumenta conquisivissent, nunquam tamen illos canones attulerunt, qui decretorii plane fuissent. Natalis Alexander putat, illos duos canones objectos fuisse cusos in Concilio Iconiensi celebrato circa an. 231. Quidquid sit de auctoribus, & de tempore illorum canonum, certe Ecclesia nullam eorumdem rationem habuit, quando decreto Stephani Papæ inhærens Rebaptizantium errorem reprobavit.

95. Eademque est ratio *Constitutionum Apostolicarum*, quarum suppositio manifeste se prodit vel ex eo solo, quod dicantur factæ a duodecim Apostolicis, præsente Paulo, & septem Diaconis, cum certum sit, Diaconum Stephanum fuisse martyrio coronatum, priusquam Paulus a Christo vocaretur; tum etiam ex eo, quod additur, Jacobum filium Zebdæi adstitisse Concilio Jerosolymitano, quod diu post ejus martyrium celebratum fuit; tum demum, ut alia prætercam, ex eo quod inter libros, quos Apostoli legendos fidelibus proposuisse dicuntur, recenseatur etiam Evangelium S. Joannis, quod tamen nonnisi post Apostolorum obitum conscriptum fuisse creditur. Laudantur quidem *Constitutiones Apostolicæ* a S. Epiphanio *Hæresi* LXX. n. 10., tanquam liber *tametsi dubiæ apud nonnullos fidei, non tamen improbandæ*; sed ab eruditis observatum fuit magnum discrimen inter eas Constitutiones, quas S. Epiphanius refert, & eas, quas modo habemus (*a*).

96. Ad Decretum Gratiani respond., canones 1. & 2. loco commemoratos intelligendos esse de fructu Sacramentorum, qui nullus haberi potest extra Ecclesiam, Ordinationes etiam suo effectu carent, quantum ad Ordinum executionem, quamvis non careant quantum ad characterem.

97. Eodem fere modo intelligenda sunt verba Pelagii, scilicet non de substantia Sacrificii, sed de ejus fructu, qui nullus esse potest in iis *qui spiritum corporis Christi non habent*, quia a mystico ejus corpore separati sunt.

98. Gregorius Magnus putavit, Bonosiacos non baptizare *in nomine Trinitatis*, sicut & Cataphrygas; merito proinde eosdem rebaptizandos esse decrevit. Fortasse post Concilium II. Arelatense vitiaverant antiquam Baptismi formam.

99. Decretum Gregorii VII. de Ordinationibus simoniacis restringendum est ad Ordinum executionem, quæ jure ab Ecclesia prohibita fuit; non ad characterem, quem in ipsis imprimi semper putavit Ecclesia.

100. Aliorum autem, nempe Tertulliani, Dionysii, ac Firmiliani auctoritates hac in causa nullum habent pondus, utpote qui Rebaptizantium erroribus decepti, facile sibi persuaserunt, & aliis persuadere curabant, doctrinam, quam sequebantur, ex Apostolica traditione descendere. Tertullianus, Agrippino aut suppar, aut posterior, probabiliter ejusdem, ac Concilii ab eo celebrati auctoritate, in errorem pertractus fuit, quamvis non desint, qui Agrippinum fuisse a Tertulliano seductum suspicentur. Certe mirari subest, Cyprianum, qui Tertullianum, ut suum *Magistrum* venerabatur, nunquam fuisse ejusdem testimoniis usum. Quamobrem aliqui ejus doctrinam explicari posse putarunt de rebaptizandis tantum iis hæreticis, qui vitiata forma Evangelica initiati erant.

101. Dionysium autem Alexandriæ urbis Episcopum, *in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma consensisse de hæreticis rebaptizandis*, scribit S. Hieronymus *De viris illustribus* cap. 69.; cujus S. Doctoris testimonium eo gravius est, quo plures illius ævo legi poterant S. Dionysii epistolæ, quæ nunc desiderantur (*b*).

102.

gnatii, aliique. Vid. Nat. Alexander in Hist. Sæc. I. Dissert. XVIII., Fratres Ballerinii in Tom. III. editionis Operum S. Leonis ab ipsis curatæ, & Remigius Ceillier *De auctor. Ecclesiast.* Tom. III. cap. 32.

(*a*) Præferunt nomen S. Clementis R. P., & octo Libris continentur. Primo editæ fuere a Jo. Car. Bovio idiomate latino cum ampla præfatione, & scholiis quibusdam Venetiis an. 1563.; postea autem recusæ, & illustratæ a Franc. Turriano. Sed frustra uterque laboravit, cum neque Apostolis, neque Clementi Rom. Pont. eas tribui posse luculenter inter alios demonstraverit Jo. Bapt. Cotelerius in suo *Judicio* Tom. I. *Patrum Apostolicorum*. Easdem constitutiones ut apocryphas modo omnes fere critici rejiciunt, Baronius ad annum Christi 32., Bellarminus *De scriptor. Eccles.* in *Clemente*, Petronius *De Eucharistia* Lib. II. cap. 1., & alii multi, quos laudat, & sequitur Nat. Alexander Dissert. XIX. in Sæc. I., ubi indubiis argumentis ostendit, easdem Constitutiones fuisse veteribus Patribus toto quarto sæculo ignotas. Plures etiam in iis notantur errores, quos tamen ab hæreticis insertos aliqui suspicantur.

(*b*) Gaspar Juenin Dissert. II. *De Baptismo* quæst. 6. art. 3., Honoratus Tournely, aliique nonnulli recentiores S. Hieronymo, scriptori pene suppari, & qui integras Dionysii litteras sub oculis habuit, contradicere se posse putarunt ex paucis illis, quæ apud Eusebium supersunt, earumdem litterarum fragmentis: *primo*, quia in laud. epist. ad Philemonem testatur se ab Heracla prædecessore suo accepisse, *eos*, *qui ab hæreticis veniebant ..... post multas preces purgatos sine* novo baptismate ad communionem recipere. *Secundo*, quia scribens ad Xistum R. P. narrat, se noluisse rebaptizare hominem ab hæresi venientem, qui postquam diu communione Catholicorum fruitus esset, videns eorum baptisma, comperit admodum diversum esse ab eo, quo in hæresi ipse fuerat initiatus. *Tertio*, quia se pacis sequestrem præstitit cum Stephano R. P., ne Rebaptizantes sententia excommunicationis ab Ecclesiæ communione separaret. *Demum*, quia S. Basilius Can. 1. epist. ad Amphilochium miratur a Dionysio ratum habitum fuisse baptismum Pepuzenorum, *qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque baptizabant*.

Sed hæc argumenta satis solida non videntur ad infirmandum adeo apertum S. Hieronymi testimonium. Nam *primo* ex fragmento epist. Dionysii ad Philemonem aperte constat, sermonem ibi esse de apostatis,

102. Idemque potiore jure dicendum de Firmiliano, qui non aliud jactatæ suæ Apostolicæ traditionis documentum afferre potuit, quam nullam extare memoriam, quando cœperit Baptismus hæreticorum improbari. Quod argumentum esset quidem validissimum, si de consuetudine *universæ Ecclesiæ* ageretur, ut nos supra cum Augustino observavimus num. 78.; sed infirmum prorsus est, quando agitur de Ecclesiis particularibus, in quas potest ipse error insinuare, & diutissime perseverare.

103. Hic vero dissimulandum non est, præter laudatos mox Testullianum, & Dionysium esse nonnullos alios Patres, de quorum doctrina non sine causa dubitatur, an fuerit Rebaptizantibus consona. Sunt autem SS. Optatus, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus Jerosolymitanus; qui tamen omnes floruerunt, postquam hæc controversia non solum S. Stephani decreto, sed etiam plenario illo Concilio, quod S. Augustinus memorat, finita jam erat.

104. Et quidem Optatus Milevitanus Episcopus, qui circa annum 370. obiisse creditur, & fortiter contra Donatistas pugnavit, ut dogma catholicum tueretur, scilicet ad valorem Sacramentorum non requiri ministri sanctitatem, nonnullis visus est illis Episcopis consentire, qui cum Cypriano contendebant, saltem fidem requiri. Afferuntur ab istis accusatoribus quædam ipsius verba ex primo ejusdem Libro contra Parmenianum, ubi dicit, *falsa* esse hæreticorum baptismata, valida autem baptismata schismaticorum (*a*).

105. Hæc certe verba admodum obscura sunt: a vero tamen procul abesse videtur, tantum virum adhuc adhæsisse errori rebaptizantium, qui jam in Areletensi Concilio proscriptus fuerat anno 314. can. 8. his verbis: *De Afris ..... placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum circa Symbolum, & si perviderint, eum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, & accipiat Spiritum sanctum.* Hoc decretum fuisse in Africa communi consensione receptum, constat tum ex Concilio Carthaginensi sub Grato anno 349., tum etiam ex S. Augustino, qui sæpius testatus est, *nullam amplius esse de re quæstionem* (Lib. II. *Contra Epist. Parmeniani* cap. 13., & alibi). Hinc recte S. Hieronymus in Dialogo *adv. Luciferianos* num. 23. inquiebat: *Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (Cypriano) *statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum.* Jam vero his constitutis, sana ratio dictat, non posse, nec debere S. Optatum ex quibusdam obscuris verbis accusari illius erroris, qui ipsius ætate jam fuerat a tota Africa eliminatus.

106. Accusari deinde solet S. Athanasius, eo quod in Orat. II. *Contra Arianos* num. 42. Arianorum baptismum *vacuum & inutilem* esse dixerit, *etiamsi nomen Patris, & Filii, ut præcipit Scriptura, proferre assimulent; non enim qui dicit Domine, ille etiam dat, sed is tantum, qui cum nomine rectam quoque habet fidem.* Et rursus num. 43. de hæreticis loquens, *Inutilis est*, inquit, *aqua, quam donant, quippe cui desit pietas; ita ut quemcumque illi asperserint, impietate fœdetur potius, quam redimatur.*

107. Doctissimi tamen editores Benedictini S. Patrem excusant in not., quod forte ea tantum ratione *vacuum, & inutile* esse dixerit baptisma hæreticorum, quatenus nihil proficit ad pietatem, sive verum Dei cultum, qui in sola Catholica exhibetur Ecclesia. Notandum est etiam quod ibidem dicit, Arianos propter suam hæresim *in periculum venire amittendæ mysterii integritatis:* non ergo putavit, eorum baptisma *integrum* esse non posse, sed solum vitiari facile posse, vitiata forma evangelica. Præterea in Tomo, seu Epist. ad

seu de iis, qui in Ecclesia Catholica baptizati, *ad hæresim defecerant*, vel fuerant *ab Ecclesia ejecti;* & quibus proinde Dionysius reputabat iterato baptismate opus non esse, *quippe jam antea Spiritum sanctum acceperant*. At vero hoc ipsum Afri rebaptizantes in usu habebant. Alterum argumentum nimis probaret, nempe Dionysium fuisse lapsum in errorem oppositum, & ratum habuisse Baptismum *plenum blasphemiæ, & impietatis*, qualem se ab hæreticis accepisse homo ille testabatur. Videtur itaque Dionysius noluisse illum rebaptizare, quia putabat, *diuturnam cum catholicis communionem* ad eum purgandum sufficere; quod etiam sensisse Cyprianum, colligitur ex S. Augustino Lib. I. *De Baptismo* cap. 13. & seq. *Tertium* leve est; eccur enim Dionysius, utpote secundæ Sedis antistes, non poterat pacifica consilia Stephano suggerere, ne concordiam cum Rebaptizantibus scinderet, licet ipse unus esset ex eorumdem numero? *Postremum* argumentum iterum nimis probaret, nempe a S. Dionysio admissum fuisse baptismum Pupuzenorum, seu Montanistarum, vitiata forma collatum; quod de tanto viro *Canonum perito* ne suspicari quidem licet. Videtur itaque S. Basilius operam non omnino diligentem posuisse in perscrutanda Dionysii mente; ut cum epist. IX., olim XLI. scribit, ipsum fuisse Anomææ hæresis *satorem primum;* ac de Spiritu sancto voces emisisse minime dignas Spiritui, ab adorata illum Deitate sejungens. Quod si hæc clara omnino non sunt, tunc sana ratio dictare videtur, ut stemus testimonio S. Hieronymi, qui non diu post floruit, & qui omnia ea monumenta vidit, quæ nobis temporis edacitas invidit. Reipsa Hieronymo subscribunt Baronius ad an. 258. n. 48., Nat. Alexander Sæc. III. cap. 4. art. 6., & nonnulli alii graves scriptores.

(*a*) Verba hæc sunt: „ Vides ergo, frater Parmenia„ ne, hæreticos a domo veritatis extorres, solos ha„ bere varia, & falsa baptismata. Quibus inquinatus „ non posset abluere, immundus emundare, supplan„ tator erigere, perditus liberare, reus veniam tribue„ re, damnatus absolvere. Bene clausisti hortum hæ„ reticis ...... vobis vero schismaticis, quamvis in Ca„ tholica Ecclesia non sitis, hæc negari non possunt, „ quia nobiscum vera, & communia Sacramenta tra„ xistis &c.

ad Antiochenos, nihil amplius exigit ad recipiendos hæreticos, quam ut hæresim anathematizent, fidemque Nicænam amplectentur: de iterando autem baptismo nihil prorsus addit.

108. Major est difficultas in S. Basilio; hic enim in Epist. CLXXXVIII. ad Amphilochium can. 1. Tom. III. *Antiqui*, ait, *illud baptisma suscipiendum putaverunt*, *quod nihil a fide recedit*: & postquam hæreses, schismata, & parasynagogas, hoc est conventus, qui ab immorigeris Presbyteris, aut Episcopis fiunt, distinxisset, ita prosequitur: *Visum est ergo antiquis*, *hæreticorum quidem baptisma penitus rejicere*, *schismaticorum vero*, *ut adhuc in Ecclesia existentium*, *admittere*; *eos tandem*, *qui sunt in parasynagogis*, *justa pœnitentia emendatos rursus Ecclesiæ conjungere*. Quinam vero sint illi *antiqui*, quos citat, statim patefecit, subdens: *Antiquis visum est*, *Cypriano*, *dico*, *& nostro Firmiliano*, *&c.* Idem tradit in epist. CC. seu secunda Canon. ad eumdem Amphilochium can. 47., & alibi; ita ut non videatur posse hic magnus Ecclesiæ græcæ Doctor ab hoc errore excusari.

109. Cæterum prætereunda non est S. Basilii modestia, qua ita suæ opinioni adhærebat, ut adversæ non repugnaret; inquit enim in loco prius laudato: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis visum est*, *eorum baptisma*, *pluribus consulendi causa*, *suscipiendum esse*, *suscipiatur*. Alio autem in loco: *Nos*, inquit, *una ratione tales* (hæreticos) *rebaptizamus*. *Quod si apud vos prohibita est rebaptizatio*, *sicut & apud Romanos æconomiæ alicujus gratia*, *nostra tamen ratio vim obtineat*. Unde etiam optabat, Episcopos plures in unum convenire, ut controversia finiretur. Vid. Editores Maurini in Tomo III. ad hunc locum (*a*).

110. De S. Gregorio Nazianzeno etiam dubitatum fuit, quia in Orat. XL. num. 26. eos refellens, qui in receptione baptismi ministros exquirebant majoris dignitatis: „ Tibi, inquit, quivis „ ad purgationem satis idoneus est, modo inter „ probatos censeatur, ac non aperte condemnatus „ sit, atque ab Ecclesia alienus .... Quamvis enim „ alius alium vitæ probitate antecellat, eadem ba„ ptismi vis est, ac quivis tibi initiator sit, qui „ modo eadem fide informatus est ". Immo videtur in ea opinione fuisse, ut invalidum reputaret etiam baptismum a laicis collatum. Narrat enim in Orat. XIX. cum exorta maxima tempestate in vitæ periculum venisset, spiritalem baptismi aquam desiderasse, ac Deum obsecrasse pro brevi aliquo temporis spatio, ut posset baptismum suscipere: putavit igitur non posse a laicis, qui in eadem erant navi, se baptizari.

111. Sunt tamen, qui eximium hunc Patrem cognomento *Theologum* benigne interpretentur non de valida, sed tantum de licita Sacramentorum administratione, & susceptione, quæ certe apud hæreticos non est; sicuti etiam non invenitur inter ministros *non probatos*, a quibus S. Pater non vult, baptismum esse petendum. Quemadmodum autem dubitandum non est, a S. Gregorio non fuisse requisitam vitæ probitatem ad baptismi valorem, ita possumus conjectare, eumdem S. Gregorium noluisse exigere rectam ministri fidem. Credi similiter debet, eum noluisse in periculo naufragii a laicis baptismum petere, non quia ab ipsis collatus non valeret, sed quia non erat licitus, cum ordinarii hujus Sacramenti ministri soli sint Sacerdotes, & fortasse periculum naufragii non erat tantum, ut licite posset baptismus a laicis conferri.

112. Dubium denique oritur de sententia Cyrilli Jerosolymitani, immo totius illius Ecclesiæ, cujus nomine ajebat in *Protocatechesi*: *Non licet bis*, *aut ter hoc lavacro uti* ...... *unus enim Dominus*, *& una fides*, *& unum baptisma*. *Hæretici soli rebaptizantur*, *siquidem illud prius baptisma non erat*. Cum autem S. Pater indiscriminatim loquatur de omnibus hæreticis, restringi ejus dicta non possunt ad solos illos hæreticos, qui baptismi formam vitiabant: & rursus cum doceat, baptismum Catholicorum, manifeste innuit, se non putasse ideo istorum baptisma verum non fuisse, quia fructu suo caret; nam propter hanc rationem renovari aliquando deberet etiam baptisma Catholicorum, cum contingere possit, etiam apud nos hoc Sacramentum suo fructu carere.

113. Qui hunc insignem Jerosolymitanæ Ecclesiæ antistitem excusare volunt, dicunt eum non fuisse locutum, nisi de iis hæreticis, qui forma vitiata utebantur; illud enim adverbium ἐπειδὴ, quod latinus interpres vertit *siquidem*, alio sensu græcis non inusitato vertunt *ubi*, vel *quando*; quasi dicere voluerit: Hæretici soli rebaptizantur, *ubi*, vel *quando illud prius baptisma non erat*: *scilicet quando forma erat vitiata*. Vereor tamen, ne hæc explicatio subtilior videatur, quam vera (*b*).

114. Ceterum hæc nonnullorum Patrum, quamvis

(*a*) Putarunt aliqui, S. Basilium nomine *hæreticorum* eos intellexisse, qui baptismi formam corrumpebant, & quorum propterea baptisma erat iterandum; *schismaticorum* autem nomine eos, qui verbis evangelicis hoc Sacramentum conferebant, ac propterea cum ita suam sententiam defendebat, ut aliam non condemnaret, innuere tantum voluisse, posse anabaptismum probari, vel improbari, prout constabat, primum baptismum fuisse rite, vel illegitime collatum. Sed hæc Basilii interpretatio, utpote admodum contorta, quantum scio, suffragatores non invenit. Profecto cum Basilius citet exemplum Cypriani, & Firmiliani, videtur eorum sententiam sectari, qui certe nullam posuerunt distinctionem inter hæreticos servantes formam baptismi, & eam violantes, sed omnium baptisma respuebant.

(*b*) Fusius horum Patrum sententiam exponit Gaspar Juenin in *Comment. de Sacram.* Quæst. VI. art. 3. ubi Dionysium quidem Alexandrinum ab errore Rebap-

vis doctrina, & pietate insignium, dissensio veritati catholici dogmatis præjudicium afferre non debet, etiamsi *aperte* constaret (quod tamen ex superius dictis *aperte* non constat) eos in hunc errorem humana fragilitate incidisse. Quis enim non videat, Ecclesiæ judicium nonnullorum Patrum opinionibus esse anteponendum? Verumtamen, quia mirum esset, tot Summorum Pontificum, & Conciliorum decreta, quibus anabaptismum condemnatum diximus num. 82., a magis illis viris fuisse ignorata; ac multo magis mirum, ipsos nullam eorumdem rationem habuisse, quamvis hanc rem non ad inconcussa fidei dogmata, sed ad solam disciplinam spectare putassent; idcirco æquum censuimus quasdam ipsorum locutiones, utut minus accuratas, benigna interpretatione ad sanum, communemque sensum pertrahere, doctissimorum Theologorum vestigia prementes. Unum excipimus Basilium, quem etiam Nat. Alexander Dissert. XXIII. in Sæc. III. *deserendum* judicavit; nec alia ratione excusat, nisi quia damnationem rebaptismi in magna Synodo Nicæna factam nondum intellexerat; utpote quæ solum per quamdam consequentiam ex can. 8. deducebatur: unde optabat plures simul convenire Episcopos ad hanc controversiam dirimendam; quod certe non optasset, si eamdem jam finitam fuisse novisset.

115. Objiciebant postremo multas rationes, sed plerumque levissimas, & ineptas, quas tamen omnes S. Augustinus expendere, & refellere non est dedignatus. Potissimæ hæ sunt. *Primo* Martyrium, quod *baptismus sanguinis* est appellatus, nullius est valoris apud hæreticos, quia salus extra Ecclesiam obtineri nequit; ergo nec baptismus aquæ. *Secundo* Hæretici sunt extra Ecclesiam: immo ipsam Ecclesiam oppugnant: ergo non possunt per baptismum filios Ecclesiæ parere: si enim Christiani ipsi non sunt, nec possunt alios facere Christianos. *Tertio* hæretici non sunt membra Ecclesiæ: ergo nec possunt ejus esse ministri.

116. Resp. ad primam, latum esse discrimen, quia baptismus suam efficaciam habet a Christo Domino; ipse enim est, qui baptizat: martyrium autem intantum prodest, inquantum ab interna hominis charitate procedit, dicente Apostolo 1. Corinth. XIII. 3.: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

117. Alteram difficultatem diluit S. Augustinus Lib. V. *De Baptismo* cap. 24., *primo* ita retorquendo argumentum: *Si propterea filios Deo generare non potest hæresis per Christum, quia Christi sponsa non est, nec turba illa malorum intus constitutorum potest, quia & ipsa Christi sponsa non est; designatur enim Christi sponsa sine macula, & ruga*. Directe autem responderat Lib. I. cap. 10. observans, juxta morem veterum Patriarcharum duplicem esse posse generationem, alteram per sponsam, quomodo Abrahaam genuit Isaac, alteram per ancillas, quommodo Jacob plures genuit filios, qui patris hæreditatem sunt consecuti. Sic concludebat S. Pater, etiam per hæreticos posse Ecclesiam sibi filios generare, quatenus Sacramenta, quæ conferunt hæreticis, ad ipsam Ecclesiam pertinent, *& quidquid suum habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis, per hoc, quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non illæ*.

118. Tertia difficultas jam supra num. 15. præoccupata, & soluta fuit, observando, Christum esse, qui baptizat; quippe proinde quolibet instrumento ad eum conferendum uti potest, etiamsi ad Ecclesiam non pertineat. Vide etiam responsionem S. Thomæ simili difficultati num. 66.

CAPUT IV.

De veritate controversiæ circa valorem baptismi hæreticorum exorta.

119. Pater Raymundus Missorius ex inclyta Franciscanorum Conventualium Familia omnium primus probare conatus est, universam illam de Orientalium, atque Afrorum anabaptismo historiam, de qua hactenus disseruimus, fuisse ab Eusebio Cæsariensi confictam; confictas item a Donatistis famosas Firmiliani ad Cyprianum, tum Cypriani ad Pompejum Epistolas; confictum quoque tertium Carthaginense Concilium; ac denique suppositium esse celebre Stephani contra rebaptizantes decretum (*a*). Negari non potest, eruditissimum, juxta ac elegantissimum hunc scriptorem, undequaque collegisse quidquid ad suam causam tuendam facere poterat, irrito tamen conatu, quia causa mala erat; unde de eo illud repeti potest, quod Hector de se dicebat, apud Virgilium Æneidos Lib. II.

...... Si Pergama dextris
Defendi possent, certe hac defensa fuissent.

PRO-

ptizantium vindicat, sed alios, nempe Basilium, Athanasium, Optatum Milevitanum, & Cyrillum Jerosolymitanum eidem errori adhæsisse, nec umquam ab eo resipuisse, contendit. Eosdem tamen ab omni peccato absolvit, quod totam hanc controversiam non ad fidem, sed ad meram disciplinam pertinere putarent, quæ varia in variis locis salva fidei unitate esse potest; quamquam Cyprianum, & Firmilianum non omnino a culpa liberet, quod Stephano summo Ecclesiæ capiti irreverenter, & pertinaciter restiterint.

(*a*) Ita in *Dissert. Critica in epist. 1. ad Pompejum inter Cyprianicas* LXXIV. &c., quam Venetiis anno 1733. evulgavit in 8. Neminem tamen invenire potuit suæ sententiæ suffragatorem. Illum solide refutavit ejusdem Concellita P. Jo. Hier. Sbaralea in opere edito anno 1741., cui titulus est *Germana S. Cypriani, & Afrorum, necnon Firmiliani, & Orientalium opiniones de hæreticorum baptismate* Bononiæ 1741. in 4.

PROPOSITIO.

Nullius roboris sunt illa momenta, quibus Missorius probare conatus est, fictitiam esse celebrem illam rebaptismi controversiam medio circiter Sæc. IV. exortam.

120. Opus minime est, omnia illa testimonia hic repetere, quæ superiori Capite allata sunt ex Cypriani, & Firmiliani epistolis, ex Africanarum Synodorum decretis, & responsione Stephani R. P., ex historia Eusebii, ex Hieronymo, Basilio, & magno Augustino, & quæ ipsa solis luce clariora sunt ad probandum initium, progressum, & terminum hujus magnæ controversiæ, quæ inter doctissimos, & sanctissimos viros diu, multumque agitata fuit. Nihil enim istorum ignoravit eruditissimus adversarius, sed mira arte hæc omnia eludere nisus est. Nihil aliud proinde nobis agendum est, quam ea refellere, quæ ad labefactanda hæc firmissima documenta Missorius ingeniose commentus est.

121. Testibus tamen coævis, vel fere coævis supra allatis addi potest etiam Facundus Hermianensis non multo posterior; floruit enim in Africa Sæc. VI., qui in Libro X. *De tribus capitulis* Cyprianum dicit, *non solum privatim, ut ei visum est, verum etiam congregato Concilio definivisse, ut omnis hæreticus ad Ecclesiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatum Stephano Antistiti Romano restitisse, suamque sententiam quanta potuit humana argumentatione defendisse.* Quod repetit etiam in Libro contra Mocianum. Sed videamus, quid tot, tantisque monumentis vir subtilissimus objiciat.

122. Capite igitur *primo* suæ Dissertationis epistolam Firmiliani, quæ inter Cyprianicas est LXXV., ab aliquo petulantissimo Donatista confictam fuisse, his argumentis conjectat. *Primo* Paulus Manutius in Rom. editione eam Latino Latinio suasore omisit, ut omissa prius fuerat ab Erasmo, diligentissimo alioquin antiquitatis investigatore, in sua Froboniana editione Operum S. Cypriani, & ab aliis; Morellius omnium primus eamdem protulit. *Secundo* illa epistola tot conviciis, maledictis, ac calumniis in S. Pontificem Stephanum plena est, ut nihil amarulentius, aut flagitiosius a nequissimo hæretico expectari posset. Tantane vero rabie & furore excandescere potuisset Firmilianus Episcopus, sanctitate, & doctrina iis temporibus insignis, & tot evomere impia dicteria in apostolicæ S. Petri Sedis antistitem? Vide supra num. 75. *Tertio* non apparet causa, ob quam debuisset, aut potuisset Firmilianus hanc epistolam ad Cyprianum scribere, cum nullæ habeantur ejusdem Cypriani ad Firmilianum litteræ. Periisse vero has litteras, difficile creditur, cum non perierit responsum Firmiliani. *Quarto* hæc Firmiliani responsio certe fuisset græco, non latino idiomate exarata, cum tamen græcus, & originalis textus desideretur, neque compertum sit, quisnam eam latine verterit. Neque enim verisimile est, Cyprianum ipsum eam latine vertisse, & evulgasse, tum propter irreverentem contra summum Pontificem declamationem (*a*); tum etiam propter periculum schismatis, a quo S. Martyr alienissimus erat, ut constat ex ejusdem epistola ad Jubajanum, & ex sæpius repetito S. Augustini testimonio. Accedit *quinto* altum hujusce celebris epistolæ apud veteres silentium, cujus nulla prorsus mentio invenitur apud Dionysium Alexandrinum, qui pro ipso, & pro Heleno apud Rom. Pontificem intercessit; & apud Eusebium, qui alia hujus historiæ monumenta refert; & apud S. Augustinum, qui in suis libris contra Donatistas omnia fere sub Stephano, & Cypriano gesta commemorat: immo vel apud ipsos Patres III. Concilii Carthaginensis, quorum certe intererat suam sententiam tanti Pontificis auctoritate communire; & in quo mutuæ Cypriani, & Jubajani litteræ perlectæ sunt. Neque Stephanus R. P. adeo Cypriano, & Afris iratus, quidquam contra Firmilianum molitus legitur, ulturus profecto dignitatem suæ Sedis, si eam a Firmiliano tam graviter læsam novisset; quomodo autem id Romæ latere poterat, quod in Africa, & Cappadocia tantum strepitum excitaverat? Ex hoc silentio colligit Missorius, nonnisi post mortem S. Augustini fuisse hanc Firmiliani epistolam ab aliquo tenebrione Donatista confictam.

123. Resp. ad *primum*, genuinam esse Firmiliani epistolam ad Cyprianum, dubitare nos minime sinunt vetustissimi, & probatissimi Codices, quos citat Jo. Pearsonius Oxoniensis Episcopus in sua editione Cypriani, & sunt Anglicanus, Affligenensis, Blandinus, Marchianus, Dumensis, & Cauchiarus. Rigaltius addit alium codicem regium sub num. 305. Ipse autem Oxoniensis testatur, hanc epistolam a se repertam in septem aliis antiquissimis manuscriptis. Decem præterea consuluit editor Benedictinus. Hos codices opponimus editionibus Pauli Manutii, & Erasmi; quanquam cur o-

(a) Pulcherrima est illa Cypriani admonitio in epist. LXIX. (in edit. Oxon. LXVI.), ubi agens de reverentia debita summis Sacerdotibus affert Jesu Christi exemplum: „ cui cum dictum esset: Sic respondes Pontifici? Custodiens, & docens sacerdotalem honorem „ servari oportere, contra Pontificem nihil dixit; tum „ S. Pauli, cui cum dictum esset: Sic insilis in Sacerdotem Dei maledicendo? nihil contumeliose locutus sit adversus Sacerdotem ..... sed quamvis in falsis, & spoliatis Sacerdotibus umbram tamen ipsam „ inanem Sacerdotalis nominis cogitans dixerit: nesciebam, fratres, quia Pontifex est.

omissa fuerit in editione Manutiana, causam in se transfert Latinus Latinius ita scribens pag. 177. *Bibliothecæ sacræ: Ego Latinus omisi, non Manutius, cum majorum exempla secutus, tum hominis petulantiam detestatus*. Erasmus vero non hanc unam omisit epistolam, sed nonnulla alia Cypriani opuscula, quæ ab aliis edita sunt; quinimmo spuriam S. Martyris vitam a Pontio Diacono conscriptam exhibuit loco genuinæ, quam publici juris postea fecit Aloysius Lippomanus.

124. Ad *secundum* resp., infirmam esse illam conjecturam, quæ ducitur ex conviciis, & dicteriis contra S. Pontificem Stephanum, quæ videntur cum Firmiliani sanctitate componi non posse. Nihil equidem tanti viri meritis derogatum velim, sed homo erat, & nihil humani ab eo alienum fuisse putandum est. Similia enim nobis exempla vetus, & recens historia suppeditat, virorum sanctitate insignium, qui tamen studio partium in transversum acti debitæ erga proximum charitatis obliti sunt. Addi potest pro aliqua Firmiliani excusatione, eum, non minus ac Cyprianum, fuisse maximopere exacerbatum, tum quia Stephanus Legatos ex Africa missos inclementer tractavit, immo nec ad colloquium admisit nec ab aliquo in hospitium recipi passus est; tum etiam quia illis sententiam excommunicationis fuit comminatus; ac denique durioribus verbis eorum opinionem ut hæreticam condemnare visus est; at vero ut Hieronymus in Epist. LXI. ad Pammachium ajebat: *Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem*.

125. Haud me latet, Heterodoxos, & alios etiam Romanæ sedis osores, hac Firmiliani Epistola, quinimmo tota hac controversia, abuti ad Summi Pontificis supremam auctoritatem oppugnandam; sed immerito id eos facere, a nobis ostensum fuit Tomo I. Sane, cum ipsi Heterodoxi nobis consentiant in Baptismo hæreticorum recipiendo, consentire etiam debent, Cyprianum, Firmilianum, aliosque rebaptizantes turpiter errasse, & Rom. Pontifici catholici dogmatis assertori, ac vindici pertinaciter, atque irreverenter resistendo a culpa excusari non posse: non est ergo, cur eorum auctoritate obstinatam, & schismaticam suam inobedientiam excusare velint.

126. Ad *tertium*, non una, sed multæ esse potuerunt causæ epistolaris commercii inter duos insignes illius temporis Episcopos; sed illa præcipua, quod in eadem sententia de rebaptizandis hæreticis convenirent. Hoc indicat ipse Firmilianus, dum ait, se dicta Cypriani, *quasi sua propria suscipere*, & proinde *eadem retexere ad confirmandam veritatem, & quædam addere ad cumulandam probationem*. At ubinam prostant, sciscitatur molestus adversarius, hæ Cypriani litteræ ad Firmilianum? Nihil aliud respondere possumus, quam eas fuisse nobis a temporis edacitate sublatas, quemadmodum sublata fuerunt alia multa sacræ antiquitatis monumenta. Sed quare, denuo sciscitatur Missorius, servatæ sunt litteræ Firmiliani *responsivæ*, & non Cypriani *missivæ?* Sed quis harum rerum veram reddere possit rationem? Fortasse litteræ Cyprianicæ ad Firmilianum nihil aliud continebant, quam quod Cyprianus ipse ad Pompejum, Jubajanum, aliosque scripserat; unde non tanti erant momenti, quanti epistola Firmiliani. Sed id divinando potius, quam affirmando dicimus.

127. *Quartæ* objectioni eadem responsio adaptanda est. Quanquam enim græcum exemplar desideretur, & certo assignari nequeat latinus illius epistolæ interpres, non tamen nutat ejusdem Epistolæ certitudo. Exemplum habemus in Libris S. Irenæi, quos genuinos esse, nemo negaverit, quamvis primigenius eorum græcus textus desideretur, nec constet, quisnam fuerit eorum latinus interpres. Multi Cypriano ipsi tribuunt latinam Epistolæ Firmiliani versionem, ut omnibus eam legendi copia fieret; stylus enim Cyprianicus esse videtur. Certe mirum est, talem, ac tantum Episcopum eas litteras vulgasse, quæ dicteriis, atque injuriis erga summum Ecclesiæ caput refertæ erant, & quæ ad schisma excitandum aptissimæ videbantur, sed non propterea veritas facti neganda est. Potius enim Cyprianus voluit ea convicia palam fieri, quam tanti Præsulis patrocinium occultari; in quo si peccavit, erit cum S. Augustino repetendum, ea, quæ incaute vir Sanctus peccavit, fuisse martyrii falce amputata.

128. *Quintum* Missorii argumentum est pure negativum, & facile expeditur. Dionysii Alexandrini nonnisi pauca supersunt scripta; & fortasse in iis multis, quæ temporis injuria perierunt, Firmiliani, & magnæ hujus controversiæ aperta mentio habebatur. Et probabile est, duos istos insignium Ecclesiarum antistites sibi mutuo scripsisse non unam, sed plures Epistolas. Et hæc quantum spectat ad silentium Dionysii.

129. Quantum vero ad Eusebium, illi profecto admodum multa debemus venerandæ antiquitatis monumenta: sed multa etiam ab eo prætermissa fuisse, norunt eruditi; atque inter cetera libros Firmiliani *de fide*, *& religione*, quos S. Basilius commemorat in Lib. *De Spititu sancto* cap. 29. (*a*). Porro nec apud Eusebium, nec apud aliquem veterem scriptorem ullam invenimus factam mentionem infelicis illius Marciani Arelatensis Episcopi, qui Novatiano schismatico se conjunxit. Numquid propterea suspectam, vel plane suppositam di-

(*a*) Neque audiendus Erasmus, qui in Præfat. in Lib. *De Aristot.* pag. 120. primus huic Operi litem movit, ansamque aliis præbuit, suspicandi postrema capita post XV., adulterata fuisse. Erasmum merito reprehendit Is. Casaubonus Exercit. XVI. cap. 43. Vid. Rom. Ceillier. Tom. VII. pag. 196.

dicemus epistolam LXVII. S. Cypriani, qua contra hunc Ecclesiæ desertorem, opem S. Stephani R. P. implorabat? Id quidem olim ausus est Launojus, vir criticæ intemperantioris, sed paucos invenit suæ sententiæ suffragatores (*a*).

130. S. Augustinus autem, quamvis diu, multumque de baptismo hæreticorum contra Donatistas disputaverit, fatetur tamen Lib. II. *De Baptismo* cap. 4., *non omnia, quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ, litterisque mandari potuisse, aut omnia, quæ mandata sunt, se novisse*.

131. Patres demum Concilii III. Carthaginensis allegare epistolam Firmiliani non potuerunt, quia hæc nonnisi post eam Synodum in Africam pervenit, ut contra Lambertum ostendit Jo. Pearsonius Episcopus Cestriensis in *Annalibus Cyprianicis* ad ann. 256. nu. 10. & seq. Stephanus autem non multo post, scilicet anno 257. initio mensis Augusti martyrio coronatus est, cui successit Xystus, sub quo pax, & concordia restituta, aut saltem controversia sopita fuit, fortasse propter sævientem Valeriani persecutionem, in qua etiam Cyprianus martyrii gloriam consecutus est.

132. Quantum vero ad Donatistas pertinet, in quorum officina hanc Firmiliani Epistolam cusam fuisse suspicatur Missorius, mirabile certe foret, eosdem armis a se elaboratis usos non fuisse, si verum est, quod idem Missorius nobis objicit, Donatistas nunquam Firmiliani auctoritatem in causæ suæ defensionem allegasse. Sed nos silentium Donatistarum non multi facimus; neque enim Donatistis nota omnia fuerunt, quæ ipsis nondum natis in rebaptismi causa acta fuerant. Fortasse etiam ad hanc Firmiliani Epistolam digitum intendebat Cresconius Donatista, quando Catholicis objiciebat Cypriani, *& quorumdam Orientalium litteras*, ut videre est apud S. Augustinum initio Lib. III. contra Cresconium. Quod tamen nonnisi conjectando dicimus.

133. Inst. cum Missorio. Nulla apparet causa, ob quam Cyprianus ad Episcopum tam longe dissitum litteras per suum Diaconum Rogatianum mitteret. An ut post celebratum Concilium, Stephanique Decretum suppetias peteret? Sed præposteræ fuissent. An ut cum Firmiliano contra Stephanum fœdus iniret? Sed hoc non erat pacifici, ac mitissimi Cypriani, sed hominis turbulenti, ac plane Novatianensis. An ut Firmilianum consuleret? Post Concilium scilicet. An denique ut Firmiliani confirmatione Synodicæ sententiæ pondus adjiceret? Quid hæc præ Concilio XC. fere Episcoporum? Non apparet igitur qua spe, quoque consilio a Cypriano Rogatianus fuerit ad Firmilianum cum litteris missus.

134. Resp. quamvis nulla ex hujusmodi causis Cyprianum impulisset, ut ad Firmilianum tam longe dissitum litteras mitteret, non propterea concludi posse, nullum reipsa fuisse inter duos insignes istos Episcopos litterarum commercium. Sed a vero non longe abfuerimus, si dicamus, Cyprianum voluisse consulere de tota re celebrem ea ætate Asiæ Episcopum, non ut determinaret, quid esset definiendum, sed ut in definitionibus jam factis se, suosque Collegas confirmaret; præcipue postquam noverat, Rom. Pontificem Stephanum sibi aperte repugnare, immo & excommunicationem comminari.

135. Obj. *secundo* contra auctoritatem Eusebii, & Basilii; uterque enim magni hujus dissidii mentionem apertam fecit. At vero Eusebius primus hujus fabulæ inventor medullitus Arianus erat, immo *Arianæ factionis signifer*, ut eum vocat Hieronymus Lib. I. *Apologiæ adv. Ruffinum*. Volens itaque gratificari Paulianistis, quorum germen erat Ariana hæresis, quæ tunc temporis in Synodo Nicæna contra Paulinistarum baptisma acta sunt, ipse immerito ad omnium hæreticorum baptismum traduxit, ut omnia sus deque vertens, auctoritatem ejusdem Synodi minueret, quasi omnium hæreticorum baptismum reprobasset, quem tamen Summus Pontifex Stephanus una cum Occidentalibus validum esse decreverat: imminuta vero Synodi Nicænæ auctoritate triumphum canebant Ariani. In gratiam etiam Donatistarum, quibuscum Ariani fœdus inire tentaverant, teste S. Augustino Epist. XLV., potuit Eusebius hæc omnia configere. Gelasius Papa Historiam Eccles. Eusebii inter apocryphos libros recensuit, ut propterea non immerito ei fides denegetur. Auctoritatem vero S. Basilii in Epist. ad Amphilochium, quam supra n. 108. allegavimus, enervare conatur Missorius, dicendo, *primo* fuisse fortasse Eusebii auctoritate abreptum, atque deceptum: *secundo* multa in ea Epistola inveniri inepta, & secum pugnantia, ut manifestum indicium sint alicujus adulterationis.

136. Resp. ad *primum*, dubitari minime posse de Eusebii fide in hac controversia rebaptismi referenda, in qua si mentiri ausus fuisset, totus plane orbis reclamasset, cum vix dimidium sæculum ab eadem controversia pertransisset. Præcipue autem reclamassent Afri, qui florentissimæ suæ Ecclesiæ falsam anabaptismi notam inustam vidissent. Parique jure reclamassent Orientales, aliique populi. Deinde multa alia suppetunt hujus historiæ documenta, quibus ita corroboratur fides Eusebii, ut nullatenus possit in dubium vocari. Quando autem Gelasius historiam Eusebii inter libros apocryphos rejecit, ad ea certe respexit, quæ de Verbi

(*a*) Scilicet Jo. Gerbais *De Causis majoribus* cap. 8. art. 1., Jo. Fellum in sua editione S. Cypriani, & Casimirum Oudinum *De Scriptor. Eccles.* Tom. I. Sed hujus Epistolæ genuitatem vindicarunt inter alios Rigaltius, & Jo. Oxoniensis in suis editionibus Operum S. Cypriani.

bi divinitate duriora protulit; quamobrem in suspicionem Arianismi venit (vide quæ diximus Tom. III.); quanquam non video, quomodo ejus fides hac in parte suspecta reddi possit, etiamsi concederetur, eum Arianorum impietati adhæsisse. Ratiocinium enim, quo ad id probandum utitur Missorius, nimis subtile est, & longe petitum. Ceterum Gelasius ipse in eodem decreto Eusebii libros historicos *propter rerum notitiam singularem*, *quæ ad instructionem pertinent*, *non usquequaque renuendos* judicavit. S. etiam Hieronymus in Epist. ad Pammachium eamdem historiam plurimum laudavit. Immo Pelagius II. R. P. in sua secunda Epist. ad Episcopos Istriæ *Quid*, inquiebat, *in historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest?*

137. Ad *secundum*. Asseritur quidem, sed non probatur, S. Basilium ex Eusebio solo ea hausisse, quæ de rebaptismi controversia scripsit ad Amphilochium. Immo potius, cum Firmiliano in Cathedra Cæsariensi non post multos annos successerit, monumenta satis multa in promptu habere potuit eorum, quæ non longo temporis intervallo ibi contigerant, tum etiam eorum, quæ contigerant in Africa, propter commercium litterarum, quod Firmilianus cum Cypriano habuerat. Leviora autem sunt, quæ Missorius in hac Basilii Epistola invenit reprehensione digna, nec talia, ut ipsa Epistola aut supposita, aut saltem vitiata dici possit, contra omnium Criticorum judicium.

138. Dices. Eusebius suam ignorantiam in hac rebaptismi historia prodit, primam ejusdem originem tribuens Cypriano; inquit enim Lib. VII. c. 3. *Primum omnium Cyprianus*, *qui tunc temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam*, *nonnisi per baptismum ab errore prius emundatos admittendos esse censuit:* ignorabat ergo, quæ ante Cyprianum & in Africa, & in Asia acta fuerant, ut proinde nulla fides ei habenda sit.

139. Resp., nullatenus Eusebium ea ignorasse, quæ in Asia ab Orientalibus gesta fuerant, quandoquidem ea expresse retulit in laud. Lib. VII. suæ historiæ. Quando ergo dixit, Cyprianum omnium primum rebaptizasse hæreticos, voluit tantummodo indicare Cypriani dignitatem, & præcellentiam inter eos, qui rebaptizabant; vel etiam *primam* originem contentionis cum Stephano R. P. Nec videntur Henr. Valesius Eusebii mentem hoc in loco feliciter assecutus. Verba græca Eusebii hæc sunt: πρῶτος τῶν τότε Κυπριανὸς, τῆς κατὰ Καρχηδόνα παροικίας ποιμὴν, οὐδ' ἄλλως ἢ διὰ λουτροῦ πρότερον τῆς πλάνης ἐκκαθηρημένους προσίεται δεῖν ἡγεῖτο. Quæ sic vertit Christophorsonus: Cyprianus *primus eorum*, *qui tunc temporis florebant* (in Africa scilicet propter primam suæ sedis dignitatem) &c. cui versioni consentiunt Pearsonius in *Annal. Cyprianicis*, Pagius, & alii. Frustra vero repugnat Missorius quia Nicephorus Callixti, Eusebium de more exscribens, Lib. VI. suæ historiæ cap. 7. Cyprianum facit *primum* anabaptismi auctorem. Frustra inquam; quid enim vetat, Nicephorum, non minus quam Valesium male fuisse obscuriora, & æquivoca verba Eusebii interpretatum? Quamquam omnium optima mihi videtur interpretatio Jo. Sbaraleæ Dissert. II. Theor. 4. ad propos. 3., nempe cohærenter ad præcedentia verba, quibus Eusebius narraverat, non mediocrem natam esse tunc temporis de rebaptizandis hæreticis controversiam, subdere, Cyprianum *primum* eorum fuisse inter eos, qui *tunc* disputabant: reipsa enim Cyprianus primas habuit partes in controversia tunc exorta. Ceterum, etiamsi concederetur, Eusebium in hac circumstantia temporis errasse, non propterea sequitur, ipsum errasse etiam in tota rei substantia.

140. Obj. *tertio*. Monumenta, quæ S. Cyprianum in rebaptizantium numero reponunt, omnia suppositionis nota laborant. Nam *primo* S. Augustinus de ejus Epistolis dubitare se profitetur; Libro enim III. adv. Cresconium c. 33. inquit: *Cum enim persuadere conaretur*, *vel S. Cyprianus*, *vel quicumque illam scripsit Epistolam*, *hæreticos ad Ecclesiam venientes baptizari oportere &c.* Pariter idem S. Augustinus loquens de Concilio III. Carthaginensi Lib. I. contra Cresconium cap. 32. inquit: *Nam & vos profertis Concilium Cypriani*, *quod aut non est factum*, *aut a ceteris unitatis membris*, *a quibus ills non divisus est*, *merito separatum*. Quam dubitationem iterum insinuat Lib. II. cap. 31. inquiens: *Quamdiu aliter sapuit Cyprianus*, *si scripta ejus esse constat*, *quæ pro vobis proferenda arbitramini &c.* Qui multa? Non solum de scriptis, & Concilio Cypriani, sed plane de toto negotio se ancipitem S. Hipponensis Antistes ostendit Epist. XCIII. alias XLVIII. ad Vincentium Rogatistam, cui ita scribit cap. 10. *Quanquam non desint*, *qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant*, *sed sub ejus nomine a præsumptoribus*, *atque mendacibus fuisse confictum*, ubi etiam adducit exemplum eorum, *qui sub nomine Apostolorum multa confixerunt*. Et Epist. CVIII. ad Macrobium cap. 3. *Illud Concilium*, inquit, *vel illa scripta*, *si vere ipsius sunt*, *& non sicut aliqui putant*, *sub ejus nomine conscripta &c.* Quando igitur aliis in locis concedere videtur, S. Cyprianum fuisse errore rebaptizantium involutum. Epistolas hac de causa scripsisse, aut etiam Concilium coegisse, dicendum est, S. Doctorem fuisse *hypothetice* locutum, scilicet non in propria, sed in sententia Donatistarum, ut nempe illis conniveret. Unde postea sic concludit: *Cyprianus aut non sensit omnino*, *quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula veritatis*, *aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis*.

141. Resp., fuisse quidem S. Augustino dubitationem quamdam de errore Cypriani subortam, sed levissimam, & quæ historiæ certitudinem labefactare non potest; vel etiam S. Augustinum laudatis in locis non sua, sed aliorum dubia referre. U-

Utrumque ostendo; & quidem *primum*. Nam S. Pater non uno, vel altero, aut paucis in locis, sed plane innumeris Cyprianum agnoscit auctorem litterarum ad Pompejum, ad Stephanum, ad Quintum, ad Jubajanum, & ad quosdam alios collegas suos; nec ullum vel levissimum præbet dubitationis, aut hæsitantiæ argumentum. *Secundo* ubicumque S. Martyrem excusare aggreditur, non confugit ad Donatistarum fraudes, quibus innocenti hunc errorem imponere potuerunt, sed vel dicit, eum fuisse ad palinodiam paratum, si universalis Ecclesiæ judicium interfuisset, ut postea interfuit; vel eum excusat exemplo Aggrippini, & aliorum in Africa Episcoporum, qui ipsum in hac sententia præcesserunt; vel fortasse sententiam correxisse (ut in Epist. XCIII.); vel tandem martyrii falce fuisse illud totum amputatum, quod emendandum erat, & illa luce obumbrationem fugatam. Hæc omnia ostendunt, vel prorsus nullum, vel nonnisi levissimum hæsisse Augustino scrupulum de calumnia a Donatistis Cypriano affictam.

142. Sed præterea hunc qualemcumque scrupulum non sibi, sed aliis inhæsisse, aperte significat S. Doctor in laud. Epist. ad Vincentium, inquiens: *Quamquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant*; & postea subdit: *Nos autem duas ob res non negamus, illud sensisse Cyprianum &c.*, manifeste ostendens, non sibi, sed aliis natum fuisse dubium de veritate hujus controversiæ, se autem hoc dubium prorsus respuere. Et Lib. VI. *De Baptismo* cap. 15. de Epist. S. Cypriani ad Stephanum loquens, *Nam & ipsam*, inquit, *in isto cœtu Sacerdotum* (scilicet in Concilio III. Carthaginensi) *lectam esse dixit, quod factum omnino non dubito*. Et sane quis sibi persuadeat, potuisse Donatistas, utut veteratores pessimos, Epistolas S. Cypriani confingere, quæ essent Cyprianicis tam similes, quam ovum ovo, cum, ut ait idem Augustinus in laud. Epist. ad Vincentium, *stilus ejus habeat propriam faciem, qua possit agnosci?* Potuisse ulterius Concilium 90. Episcoporum comminisci, cum proprio uniuscujusque nomine? Ac denique etiam decretum Stephani R. P. fabricare, quod ipsorum jugulum petebat?

143. Instat tamen hic acrius Cypriani vindex. S. Augustinus sexcentis in locis Cyprianum opponit Donatistis, quinimo quatuor primis integris libris, quos de Baptismo contra ipsos edidit, semper auctoritate Cypriani se pugnasse, scribit Lib. II. contra Cresconium. Vel ergo dicendum est, S. Martyrem sibi perpetuo repugnare, quod de doctissimo illo viro absurdum est suspicari; vel ineptissime a S. Augustino fuisse ejus auctoritatem usurpatam, quod pariter esset tanto Doctore indignum; vel quod omnium verosimilius est, errorem rebaptizantium fuisse immerito S. Cypriano a Donatistis affictum.

144. Resp. *primo*, S. Augustinum Donatistis objecisse S. Cypriani moderationem, & charitatem, tum quia se ab Ecclesia non separavit, quemadmodum fecerunt schismatici Donatistæ; tum etiam quia paratus erat corrigi, si res in plenario Concilio eliquata, & definita fuisset, cui pertinaciter resistebant Donatistæ, qui propterea non solum schismatici, sed plane hæretici facti sunt; tum demum quia Cyprianus hæreticorum quidem, qui ab Ecclesia exierunt, non autem peccatorum, qui sunt in Ecclesia, baptismum improbat, ut Donatistæ improbabant. His de causis vere poterat S. Augustinus S. Cyprianum impiis Donatistis opponere. Opponebat etiam aliquando ejusdem S. Cypriani orthodoxa principia ipsius Cypriani errori, argumento, ut dici solet, ad hominem. Qui enim errant, ut certe Cyprianus errabat, facile sibi ipsis, suisque orthodoxis principiis repugnant.

145. Obj. *quarto* perpetuum S. Optati Milevitani de S. Cypriano silentium, cum tamen ipse septem integris libris de rebaptismo contra Parmenianum disputaverit. Hoc silentium manifeste indicat, a Donatistis non fuisse Cypriani auctoritatem objectam, qua utique abuti non praetermisissent, si revera eorum sententiæ S. Martyr fuisset patrocinatus. Pariter Pontius Diaconus, qui S. Cypriano indivulsus comes adhæsit, ejusque vitam, & passionem quamdiligentissime conscripsit, nihil prorsus de hac controversia memorat. Silet item de tribus Synodis, quas ad eam dirimendam Cyprianus Carthagine coegisse dicitur. Tandem in decretis variarum Synodorum, & in Legibus Imperatorum Constantii, Valentiniani, & Gratiani contra rebaptizantes nulla prorsus invenitur hujus tam celebris controversiæ mentio.

146. Resp., hæc omnia esse argumenta negativa, quibus ut aliquod pondus inesset, necesse foret ostendere, debuisse omnino in laudatis monumentis controversiæ Cyprianicæ mentionem fieri, quod præstari ab ingenioso adversario nequit. *Primo* Parmeniano, & Donatistis contra quos disputavit S. Optatus, non solum nullo emolumento, sed plane detrimento fuisset Cypriani auctoritatem afferre, utpote qui ipsis adversabatur aperte; tum in controversia baptismi ab impiis collati, quem Cyprianus admittebat, rejiciebant vero Donatistæ; tum maxime in schismate, a quo semper Cyprianus abhorruit. Ulterius controversia inter Optatum, & Parmenianum erat potissimum de Ordinatione Cæciliani, quam illegitimam, & irritam fuisse Donatistæ contendebant, utpote a Traditoribus factam; ut legitima autem & valida ab Optato, ceterisque Catholicis Episcopis habebatur. Vid. sup. n. 27. Præterea & Libri Parmeniani perierunt, & multa alia Optatus ipse prætermisit; unde nulla apud ipsum inveniatur mentio Legum Imperialium, & Concilii illius plenarii, quod S. Augustinus celebratum refert contra rebaptizantes. Disputavit equidem Optatus etiam de Baptismo, sed admodum obscure, ut de ejus mente omnino certi esse non possimus (Vide sup. n. 104.); sed sibi constituerat, hanc quæstionem, judice tantummodo Evange-

gelio esse resolvendam. Ita Lib. V. n. 3.; quamobrem mirum non est, si Sanctorum Patrum testimonia non allegaverit (a).

147. Facile item corruit argumentum ductum ex silentio Pontii Diaconi, qui non tam vitam, quam elogium S. Cypriani nobis reliquit. In eo autem non solum hæc anabaptismi controversia, quæ ad laudem Sancti Martyris certe non pertinebat, sed nonnulla alia omittuntur, quæ ejusdem decus, & famam augere poterant. Sic nihil habet de turbulento Novati, & Novatiani schismate, cui se Cyprianus fortiter opposuit: nihil de Felicissimi, Fortunatique persecutione, quam patienter toleravit, & feliciter superavit: nihil de duobus lapsis Episcopis Martiali, ac Basilide: nihil de baptismate Clinicorum, atque infantium: nihil denique de magna illa, & longa controversia circa lapsos, ac de Conciliis ad eam dirimendam celebratis. Quare merito idem Pontius dicere potuit: *Multa alia, & quidem magna prætereo, quæ temperandi voluminis ratio non patitur* (b). Sane magnus Augustinus Lib. V. *De Baptismo* cap. 25. ea, quæ Cyprianus hac in causa gessit, optasset oblivione sepeliri. *Jam illa*, inquit, *quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo .... & ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt*. Eadem forte de causa etiam Pontius siluit.

148. Idem dicatur de Legibus Imperatorum, quarum collectionem exhibuit Dupinius in sua editione Operum S. Optati pag. 215.; tum de *Actis Proconsularibus*, in quibus non hæc sola prætermissa sunt, sed & plurima alia, ut sententiæ latæ contra Donatistas in Conciliis Cirtensi, Romano, & Arelatensi.

149. Inst. Auctor anonymus libri *de rebaptismate*, quem publici juris fecit Nic. Rigaltius, quique probabiliter fuit Ursinus, aut alius Sæc. IV. scriptor, quæstionem de geminando baptismate *novam* vocat, *& post tot sæculorum tantam seriem tunc primum repente, ac sine ratione* excitatam; quod dicere nullatenus potuisset, si tot, tantæque Synodi, atque Episcoporum litteræ haud ita pridem extitissent, ad hæreticorum baptisma probandum, vel rejiciendum.

150. Resp., omissa controversia de tempore, quo prælaudatus auctor anonymus floruit, & an fuerit Ursinus ille Monachus, de quo Gennadius agit in Lib. *De viris illustr.* cap. 27., quæ omnia obscura, & implexa sunt, duntaxat adnoto, quæstionem ab anonymo pertractatam, non fuisse vere, & proprie de baptismo ab hæreticis collato, quæ certe *nova* non erat; sed de baptismo ab hæreticis in solo nomine Jesu Christi administrato, quæ profecto quæstio *recens* fuerat excitata. Id patet *primo* ex titulo, quem anonymus operi suo præfixit, *Non debere denuo baptizari, qui semel in nomine Domini Jesu Christi sunt tincti:* tum ex eo quod totus est in illo opusculo, ut probet, non esse iterato abluendos, qui tantummodo in nomine Domini Jesu Christi baptizati fuerant; unde etiam quasi sibi objiciens ait: *Nec existimet quis tractatui esse contrarium quod dixit Dominus: Ite, docete gentes, tingite in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

151. Obj. *quinto*. Supposititium esse demonstratur decretum Stephani, quod adversus Afros latum dicitur: *primo* quia illud Anastasius Bibliothecarius inter Stephani Constitutiones non recenset. *Secundo* quia non invenitur, neque in Actis supposititiis ipsius Stephani apud Baronium, & Surium, neque in veris, neque in veteri Breviario Romano, nec tandem in Chronico Damasi. *Tertio* quod hæreticorum baptismum ideo reiterandum non esse dicat, *cum ipsi hæretici proprie ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum;* quæ ratio est summo Ecclesiæ capite prorsus indigna, quasi Ecclesia catholica debeat ab hæreticis suæ disciplinæ normam mutuare. Falsa etiam est; Novatiani enim teste S. Cypriano Epist. LXXIII. omnes, quotquot ad ipsos transibant, nonnisi cum novo lavacro recipiebant. Quod etiam testatur S. Ambrosius Lib. I. *De pœnitentia* cap. 7.; & nonnulli alii memorantur hæretici rebaptizantes. Rejici itaque debet illud decretum, ut omnino supposititium, & tanto Pontifici immerito affictum.

152. Resp. ad *primum*, multa ab Anastasio omissa fuisse in Vitis Pontificum, de quibus saniores criticæ regulæ nos dubitare non sinunt. Nihil ille habet de Victoris, aut Zephyrini decretis circa modum admittendi mœchos, & fornicatores ad pœnitentiam. Nihil de iis, quæ Melchiades in Synodo Romana, & Sylvester in Arelatensi contra Donatistas statuerunt. Nihil de Zosimi *Tractoria* contra Pelagianos, & de Vigilii *Constituto* in causa trium Capitulorum, aliisque sexcentis, quæ tamen

tamen

(a) En ejus verba: *De hoc Sacramento* (baptismi) „ non leve certamen innatum est, & dubitatur, an „ post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis, licet: nos dicimus, non licet. Inter licet vestrum, & non licet nostrum natant, & remigant animæ populorum. Nemo vobis „ credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices. Si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas „ impeditur. De foris quærendus est judex. Si paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in „ terris de hac re nullum poterit reperiri judicium. „ De cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cælum, cum habeamus hic in Evangelio testimonium?

(b) Nescio quomodo B. Petrus Annatus in *Apparatu methodico ad Theologiam positivam* Lib. IV. art. 14. n. 10. hæc scribere potuerit: *Tria sub Stephano in Africa a Cypriano celebrata fuisse Concilia de baptizandis hæreticis, narrat Pontius in vita S. Cypriani:* harum enim Synodorum apud Pontium nec vola est, nec vestigium.

men vera esse propter Anastasii silentium nemo prudens negabit. Ceterum decretum Stephani memorat Eusebius Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 3.: memorat S. Augustinus Lib. V. *De Baptismo* cap. 23. num. 31., & Lib. *De unico Baptismo* cap. 14. n. 25.; memorat Vincentius Lirinensis, & postea omnes, quotquot consecuti sunt hujus controversiæ scriptores.

153. Ad *secundum*, sicut in Actis subdititiis plura falsa inveniuntur addita, ita solent aliqua vera omitti. Breviaria antiqua ex Anastasio bibliothecario, Actisque non sinceris, ut plurimum compilata erant; sed in novissimis post correctionem Clementis VIII. hæc leguntur in festo S. Stephani Papæ die 2. Augusti: „ Baptizatos ab hæreticis iterum baptizari vetuit, rescribens S. Cypriano „ verbis illis: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*." Neque multum refert silentium Chronici, quod *Damasi* vulgo appellatur, aut aliorum Catalogorum. His enim opponimus monumenta multo graviora, ut Eusebii, Facundi Hermianensis, Vincentii Lirinensis, & præcipue S. Augustini, quæ labefactare irrito labore conatus est Missorius, ut supra vidimus.

154. Ad *tertium* reponimus, Stephanum non allegasse consuetudinem hæreticorum de non rebaptizandis, qui ad eos ex aliis Communionibus veniebant, quasi ab ipsis normam vellet disciplinæ sumere pro Ecclesia Catholica, quod absonum foret, sed ut universalem Ecclesiæ traditionem ex eo etiam confirmaret, quod hæretici quoque eamdem servarent, quam certe consuetudinem non aliunde didicerant, quam ex catholica Ecclesia, unde exierant. Illa etiam propositio falsa non erat. Etsi enim demus, nonnullos hæreticos rebaptizasse, communiter tamen homines ad se venientes sine novo baptismate recipiebant (*a*).

155. Postremo Missorii objectio est contra Concilium III. Carthaginense, quod commentitium esse probare conatur *primo*, quia difficile creditu est, sub cœlo Africano potuisse 90. Episcopos æstivo tempore convenire: *secundo*, quia nulla huic Concilio apposita est diei, vel Consulum nota: *tertio*, quia aliqua pugna inter Episcoporum sententias apparet. Cyprianus enim a se decretum fuisse ait *semel*, *iterum*, *ac sæpe*, rebaptizandos hæreticos; contra vero Geminus a Furnis, & Junius a Neapoli nonnisi *semel* id decretum fuisse innuunt: *quod semel decrevimus*, *quod semel censuimus*. Horum etiam Patrum sententiæ pleræque nugatoriæ sunt, contortæ, & quædam, quæ risum moveant, & sint tam venerabili Consessu prorsus indignæ. *Quarto*, Concilium hoc non concurrit cum epocha Pontificatus Stephani. Stephanus enim, ut doctissimo Petavio placet Lib. XIII. *De doctrina temporum*, nonnisi brevi duorum annorum, & trium mensium spatio Pontificatum tenuit, ab anno scilicet 255. ad an. 257., quo Martyrio coronatus dicitur IV. nonas Augusti (*b*). Jam vero hoc biennium Cypriano minime suffecisse putat Missorius ad tria, vel quatuor Concilia celebranda, ad Stephanum certiorem de hac controversia faciendum, ad ipsius responsum expectandum, illudque in Synodo XC. Episcoporum examinandum, atque postea ad Firmilianum, aliosque Episcopos mittendum.

156. Resp., nihil horum omnium aliquod negotium facessivisse unquam vel Eusebio, vel Hieronymo, vel Basilio, vel magno Augustino, ceterisque omnibus Historicis, & Criticis, qui nunquam de hac controversia dubitarunt, usque ad Missiorum, qui primus ingeniose magis, & eleganter, quam vere, has difficultates excitavit. Ac *prima* quidem levissima est, & pugnat cum historia Synodorum Africanarum, quarum nonnullas in ferventioribus æstivis caloribus celebratas novimus, ut Milevitanam mense Augusto anno 402., Africanam sub Aurelio mense Septembri anno 403., & fortasse alias, quibus mensis appositus non fuit.

157. Non majoris est ponderis altera difficultas. Exempla enim suppetunt similis omissionis; nam Synodo Nicænæ, si fides est S. Athanasio in Lib. *De Synodis* num. 5., *non consulatum*, *vel mensem*, *vel diem præposuere*. Eadem omissio occurrit in Synodo Carthaginensi anno 349. sub Grato celebrata. S. Augustinus in Lib. ad Donatistas post Collationem cap. 15. harum omissionum causam repetit ab amanuensibus, quorum *aliqui dies*, *& Consules diligentia majore describunt*, *alii tanquam superfluum prætermittunt*; itaque breviter similem difficultatem Donatistarum exsufflavit.

158.

(*a*) Epiphanius Hæresi XLII. refert, Marcionitas, non semel, sed iterum, ac tertio baptismum iterasse; & *Hær.* LXXVI. idipsum testatur de Eunomianis, qui non solum Catholicos, sed etiam Arianos ipsos rebaptizabant. Valentinum duo baptismata admisisse dicit S. Hieronymus in cap. IV. Epist. ad Ephesios. Idem præstitisse Arianos, affirmat S. Augustinus *De hæres.* cap. 49. Idipsum de Wandalis Arianis confirmat Victor Vitensis *De persecutione Wandal.* Luciferianos reprehendit S. Hieronymus hac etiam de causa, quod baptizatos ab Arianis denuo rebaptizabant. Sed his paucis sectis opponi possunt ceteræ omnes, de quibus proinde Stephanus vere affirmabat, quod non rebaptizarent.

(*b*) P. Missorius, ne cogatur Stephani Pontificatum protrahere usque ad annum 257., ante quem persecutio Valeriani non sæviit, negat S. Stephanum Martyrio obiisse; atque ad elevandam fidem Martyrologiorum, *suspicatur*, errorem natum esse ex Menologiis Græcorum, in quibus ad diem 2. Augusti recolitur memoria S. Stephani Martyris; sed Florentinius ad Martyrologium S. Hieronymi bene notavit, illam commemorationem esse S. Stephani Protomartyris. Sed hæc suspicio non sufficit, ut Martyrium S. Stephani ad apocryphas traditiones amandemus. Vid. Emman. Schelestratius Dissert. II. cap. 7. Tom. I. *Antiq. Eccl.*, & Franc. Blanchinus in not. ad vitam S. Stephani Tom. II. Anastasii Bibliothec., ac Bollandistæ Tom. I. Augusti.

158. *Commentitia* est autem illa pugna, quam Missorius nimis grammaticaliter invenit inter Episcopos, quorum aliqui dixerunt, *semel* sancitum fuisse, hæreticos rebaptizare, cum tamen Cyprianus testetur, *semel*, *iterum*, *& tertio* id fuisse decretum. Neque enim Episcopi illud *semel* usurparunt pro numero, sed ut indicarent, in iis manendum, quæ *semel*, hoc est *jam* fuerant statuta. Nimis autem morosum est, velle omnium illorum Patrum sententias ad vivum resecare. Quid enim si concesserimus, aliquos illorum fuisse minus doctos, & acutos ratiocinatores? An propterea mutabit illius Concilii historia?

159. Postremum si penitius examinari deberet, nos in multas, atque implicatissimas chronologicas quæstiones induceret, unde nullus exitus reperiretur. Historici communiter tribuunt Stephano quatuor annos, & aliquot menses Pontificatus, nec chronologiam Petavianam recipiunt. Sed si etiam ad solum biennium ejus Pontificatus contrahatur, sufficiens tempus habebitur omnia ea perficiendi, quæ in controversia rebaptismi contigerunt. Africa enim non multum ab Italia distat, & notum est illud Plinii Lib. XV. *Hist.* cap. 6. referentis, ficus recentes triduana navigatione fuisse Carthagine in Urbem asportatas; quibus in Curiam allatis, ostendit Cato, quam prope Romanis mœniis adessent Pœni. Si itaque ponamus, controversiam illam enatam fuisse anno 255., eoque anno primam Synodum Carthaginensem a S. Cypriano fuisse celebratam, facile determinabimus anno sequenti 256. secundam Synodum, & duorum Legatorum missionem ad Stephanum, hujusque responsum; ac tandem celebrationem III. Synodi eodem anno ad Kalendas Septembris, post quam Diaconus Rogatianus ad Firmilianum in Cappadocia missus fuit. Stephanus autem anno 257. cum Martyrii palma ad cælum evolavit; & hæc controversia fuit post ejus mortem sopita.

CAPUT V.

Ostenditur, Stephanum R. P. damnando rebaptizantium errorem non approbasse baptismum ab hæreticis vitiata forma collatum (a).

160. Decreti S. Stephani verba hæc sunt, apud Cyprianum Epist. ad Pompejum. *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipsi hæretici proprie ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum*. At vero primo veluti obtutu apparet, sanctissimum Pontificem nihil aliud voluisse, quam sartam, tectamque servare veterem totius Ecclesiæ traditionem, quæ certe non fuit, nec esse poterat, ut ratum haberetur baptisma, sive ab hæreticis, sive etiam a Catholicis vitiata forma collatum. Id testatur Eusebius Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 2. & 3., inquiens: *Cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo purgari oporteret, quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum prædicationibus adhiberetur, primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensium regebat Ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore prius emundatos admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit*. Idipsum post Eusebium testati sunt Hieronymus in *Dialogo adv. Luciferianos*, & Vincentius Lirinensis in *Commonitorio* I. c. 9.

161. *Præterea* tota illa magna controversia inter Stephanum, & Cyprianum, aliosque rebaptizantes nunquam fuit, aut esse poterat, utrum valeret baptismus hæreticorum vitiata forma collatus. Baptismum enim sine debita materia, aut forma etiam a catholico, proboque ministro collatum irritum prorsus esse, nemo unquam dubitavit. Sed difficultatis cardo totus erat de fide ministri, an scilicet ad valorem Sacramenti non solum debita materia, & forma, sed etiam recta ministri fides requireretur. Stephanus ergo definiens fidem non requiri, nullo modo ita intelligi potest, ut etiam definierit, non requiri debitam formam, aut materiam.

162. *Tertio* id luculenter eruitur ex epistola Firmiliani ad Cyprianum, ubi hæc habet: *Illud quoque absurdum, quod non putant, quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. En ubi posita fuerit tota controversia, scilicet non de baptismi forma, sed de sola mi-

(a) Protestantes non pauci odio Romanorum Pontificum commenti sunt, Stephanum, quando Afrorum, atque Orientalium rebaptismum condemnavit, probasse omnium omnino hæreticorum baptismum, eorum quoque, qui formam in Evangelio præscriptam non servabant. Ita inter alios Ger. Jo. Vossius Disput. XIX. *De Baptismo* Thesi 47., Sam. Basnagius in *Annal. Politico-Ecclesiasticis* ad n. 256., alter Basnagius, nempe Jacobus, in *Hist. Eccl.* Guill. Cave in *Sæculo Novatiano*, Jo. Franc. Buddeus in *Institut. Theol. Dogmat.* Lib. V. cap. I. §. 21., Marcus Antonius de Dominis, Blondellus, & alii. Mirandum est, atque dolendum, etiam aliquos Catholicos, sed erga Apostolicam Petri Sedem minus bene affectos, in accusando Stephano hæreticis consentire. Ii sunt Ellies Dupinius in Tom. I. *novæ Bibliothecæ*, & Jo. Launojus in Epist. ad Jacobum Bevilaquam Tom. V. Operum P. II. Veruntamen contra hos paucos integra veluti phalanx citari potest Catholicorum; etiam Gallorum, qui Stephanum ab omni prorsus errore vindicarunt; ut Nat. Alexander Dissertatio XVI. in Sæc. III. Petrus Constantius Dissertatione subjecta Epistolis Sancti Stephani

ministri fide. Idque magis confirmatur ex historia, quam Firmilianus ibidem narrat, cujusdam mulieris a dæmone obsessæ, quæ ausa est baptizare usitata forma, *ut nil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur*. Interrogat autem Firmilianus, quid de hujusmodi baptismo dicendum, *quo nequissimus dæmon per mulierem baptizavit? Nunquid & hoc Stephanus, & qui illi consentiunt, comprobant?* En quomodo tota lis non de forma baptismi, sed de ejus ministro erat. Id ipsum fatetur Cyprianus Epist. LXXIV. ad Pompejum, videlicet a Stephano effectum baptismi fuisse *majestati nominis J. C. tributum*.

163. *Demum* sententiam Stephani fuisse ab Ecclesia tota retentam, & approbatam, testatur S. Augustinus Lib. II. *contra Gaudentium Donatistam* cap. 8., ubi asserit, Stephano adhæsisse *innumerabiles toto orbe collegas*, *qui ejusdem sententiæ participes erant*. Testatur id quoque S. Hieronymus in fine *Dial. contra Luciferianos*, referens, *a Julio*, *Marco*, *Sylvestro*, *& ceteris veteribus Episcopis*, *similiter* (hoc est sine novo baptismate) *in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos*. Testatur item Vincentius Lirinensis loco mox laud. dicens, *retentam fuisse antiquitatem*, *& novitatem explosam*. Id denique testatur præter alios Facundus Hermianensis Lib. X. *Defens. trium Capitulorum* cap. 3. inquiens: *Stephani potius*, *quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia*. Porro quis adeo desipiat, ut velit Ecclesiam totam errori adhæsisse? Non ergo Stephanus &c.

164. Haud me latet, Sam. Basnagium ad an. 255. num. 5. ausum fuisse, errorem, quem tribuit Stephano, etiam toti Ecclesiæ tribuere. Verum putida hæc calumnia est execratione potius, quam refutatione digna. Sane S. Hieronymus in Dialogo mox laud. notat, a Synodo Nicæna fuisse omnes hæreticos susceptos, *exceptis Pauli Samosateni discipulis*, certe non alia de causa, nisi quia baptismi formam vitiabant. Et S. Augustinus Lib. II. *De Baptismo* cap. 7. traditionem a Stephano rebaptizantibus objectam, vocat *saluberrimam consuetudinem*, quam *ex Apostolica traditione venire*, *putabat*.

Solvuntur objectiones.

165. Ob. *primo*. Stephanus ignorare non poterat, quosdam hæreticos suo tempore corrupisse formam baptismi: ergo si putasset, horum baptismum esse invalidum, debuisset uti distinctione, & Cypriani sententiam saltem ex parte probare; atqui universaliter ita pronunciavit: *Si quis a quacumque hæresi venerit &c.* ergo &c.

166. Resp., ex allatis superius firmissimis documentis ita esse verba Stephani explicanda, scilicet hæresim quamcumque baptismi ministro nihil obesse, quin validum conferat Sacramentum, dummodo tamen rite conferat, de quo nulla tunc erat quæstio; frustra Launojus voluisset hanc distinctionem in decreto Stephani expresse poni. Frustra inquam; nam materia ipsa, & circumstantiæ totius controversiæ eamdem distinctionem supponebant.

167, Dices. Cyprianus, qui integrum Stephani decretum viderat, hæc de eo habet Epist. LXXIV.: *A quacumque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit; idest omnium hæreticorum baptismata justa esse, & legitima judicavit; & cum singulæ hæreses singula baptismata, & diversa peccata habeant, hic cum omnium baptismo communicans, universorum delicta in sinum suum coacervata congessit*. Pergit Cyprianus dicens: *eo prorupisse Stephani obstinationem*, *ut etiam de Marcionis baptismo*, *item Valentini*, *& Apelletis*, *& ceterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat*, *filios Deo nasci; & illic in nomine Jesu Christi dicat*, *remissionem peccatorum dari*, *ubi blasphematur in Patrem*, *& in Dominum Deum Christum;* atqui hæc hæresum monstra baptismum non conferebant in nomine Trinitatis, quam blasphemabant: ergo &c. Neque Cypriani testimonium rejici potest, ut suspectum. Quis enim mentem Stephani melius assequi potuit, quam Cyprianus, qui ejusdem Pontificis litteras certe non perfunctorie legerat, sed accurate expenderat, & confutaverat?

168. Resp., hæc omnia fuisse a Cypriano opposita ex quadam, ut ipsi videbatur, recta consecutione. Putabat enim S. Martyr, ex doctrina Stephani necessario consequi, admittendum esse baptismum etiam Marcionis, Valentini, Apelletis, aliarumque similium pestium, a quibus nomen Jesu Christi, totiusque Trinitatis blasphemabatur; quasi scilicet non potuissent etiam isti hæretici formulam a Jesu Christo traditam usurpare, quamvis pessime de Trinitate sentirent. Porro S. Augustinus Lib. VI. *De Baptismo* cap. 25. scribit, *facilius inveniri hæreticos*, *qui omnino non baptizent*, *quam qui verbis evangelicis non baptizent* (*a*). Et S. Hieronymus in fine *Dial. adv. Luciferianos* testatur, a Synodo Nicæna *fuisse omnes hæreti-*

Tom. I. *Epist. Romanorum Pontificum*, Jac. Ben. Bossuet Tom. II. *Operum posthum.* Edit. Paris. 1753. pagina 536. seq., ubi Dupinii temeritatem pro meritis castigat, præcipue quod verba decreti Sancti Stephani, *a quacumque hæresi venerit ad nos*, ita gallice verterit: *De quelque manière que les hérétiques eussent été baptisés*; quæ manifesta est verborum Stephani corruptio.

(*a*) S. Irenæus Lib. I. cap. 21. refert suo tempore, innumera pene fuisse hæreticorum baptismata, aliqua *cum profanis dictionibus sacrata*, vel cum ignotis vocibus ad terrendos catechumenos; vel cum hac forma: *In nomine ignoti Patris omnium*, *in veritate matre omnium &c.* Idem repetit cap. 8.. Theodoretus Lib. I. *Hæretic. fabularum* cap. 12. accusat similiter Tascodrugetas Montanistarum soboles. Sed dicendum est, [illegible]

ticos susceptos, *exceptis Paulianistis*, quia isti formam baptismi depravabant. Quod si S. Cyprianus putavit, reipsa a Stephano baptismum evangelicis verbis non consecratum admissum fuisse, quamvis Stephani epistolam diligenter perlegerit, disputationis æstu abreptus, tota via erravit, atque ejusdem Stephani mentem non est assecutus (a).

169. Ob. *secundo*. S. Augustinus in Lib. *De unico Baptismo* contra Petilianum cap. 14. ait: *Duo erant*, *eminentissimarum Ecclesiarum*, *Romanæ scilicet*, *& Carthaginensis*, *Episcopi*, *Stephanus*, *& Cyprianus* ..... *quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat*, *& hoc facientibus graviter succensebat*. *Cyprianus autem in hæresi*, *vel schismate baptizatos*, *tanquam non habentes baptismum Christi*, *baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat*. Erant itaque, Augustino teste, utriusque sententiæ sibi e diametro oppositæ, ut quemadmodum Cyprianus omnium hæreticorum baptismum sine discrimine respuebat, ita Stephanus omnium sine ulla distinctione probaret.

170. Resp. id verum esse habita ratione solius Ministri, de quo solo disputabatur, non autem considerata forma, vel materia, de qua nulla erat controversia. Et si adversarii Augustinum audire velint, jam tota causa finita erit. Invenient enim, S. Doctorem non uno in loco Cypriani sententiam condemnasse, approbasse vero sententiam Stephani, quam plenarii Concilii auctoritate postea firmatam dicit.

171. Ob. *tertio*. Stephanum fuisse lapsum in errorem contrarium ei, quem defendebat Cyprianus, fatetur Benedictus XII. Nam in respons. ad objectiones Fraticellorum apud Eymericum in *Directorio Inquisitorum* P. II. quæst. 15. inquit: *Concilium Nicænum utramque opinionem Cypriani*, *& Stephani Papæ correxit*, *determinando*, *quod baptizati ab hæreticis non servantibus formam Ecclesiæ*, *venientes ad Ecclesiam baptizentur*, *ab aliis vero hæreticis baptizati non rebaptizentur*. Quid clarius?

172. Resp. nos gravioribus ductos momentis a Benedicti XII. assertione recedere, qui scripsit, nondum Pontificia dignitate auctus, sed anno 1330., cum tantummodo Cardinalitia purpura fulgeret. Quamobrem apud nostrum Abr. Bzovium in *Annalibus* responsiones illæ non præferunt titulum Benedicti XII., sed Jacobi Cardinalis Fornerii, quem potius errasse credimus, quam Rom. Pontificem Stephanum, qui hanc gravissimam quæstionem studiosissime ponderavit, & sua auctoritate diremit.

173. Objicit *quarto* Jo. Launojus, simul colligens quotquot invenire potuit Cypriani elogia. Ecclesia colit Cyprianum, ut Sanctum; ipsius nomen legitur in Canone Missæ, & in Sanctorum Litaniis. Plura illi ubique erecta sunt altaria, & nonnulla templa: nihil vero ex his tributum Stephano reperimus. Ergo cum Ecclesia pluris faciat Cyprianum, quam Stephanum, indicio est, plus hunc errasse, quam illum. Accedit auctoritas Gelasii Summi Pontificis, qui in Concilio Romano anno 494. *Opuscula beati Cypriani martyris*, *& Carthaginensis Episcopi*, sine ulla prorsus exceptione in eis opusculis Sanct. Patrum numeravit, *quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur* (b). Demum observatione dignum est, epistolas S. Cypriani fuisse diligenter custoditas; non ita vero decretum Stephani, quod perire ideo fortasse permissum est, quod intolerabili scateret errore &c.

174. Resp., etiam Stephanum coli in Ecclesia ut Sanctum, cujus festum celebratur IV. nonas Augusti. Quod si major est in Ecclesia celebritas Cypriani, non inde efficitur, ejus doctrinam puriorem fuisse doctrina S. Stephani. *Stephanum*, apposite inquiebat Vincentius Lirinensis, *reliquos omnes tantum fidei devotione vicisse*, *quantum loci auctoritate superabat*. Dolemus quidem jacturam decreti S. Stephani; sed ea non aliis causis tribuenda est, quam iis, quibus multa, & magni momenti antiqua Ecclesiæ monumenta perierunt; quod videre quilibet potest in erudito Opere P. Casti Innoc. Ansaldi *De Causis inopiæ veterum monumentorum*.

CAPUT VI.

Breviter resolvuntur nonnullæ quæstiones circa rebaptismi historiam.

Quæres *primo*, *an Stephanus putaverit*, *hanc rebaptismi controversiam pertinere ad fidem?*

175. **R**esp. *affirmative*. Si enim Stephanus existimasset, hic agi de sola disciplina, quæ varia in

baptismatum monstra Augustini ætate jam cessasse; ut proinde vere scribere potuerit, *facilius inveniri &c.*. Hæreses enim sui temporis nemo melius novit, quam Augustinus, qui omnes pene hæreticos confutavit.

(a) Quis non miretur hoc loco Sam. Basnagii singularem venerationem erga beatissimum Cyprianum, quia indignum facinus putat, tantum Ecclesiæ Patrem istius erroris insimulare, scilicet non bene fuisse mentem Stephani assecutum; cum postea num. 8. scribat, immo & probare conetur, Sanctum Augustinum, & Vincentium Lirinensem turpiter fuisse hallucinatos, quando dixerunt Ecclesiæ consuetudinem de non rebaptizandis hæreticis ab Apostolis dimanasse? Is scilicet, qui sanctos Patres quamsæpissime intolerabili impudentia pessumdat, nobis vehementer irascitur, dum S. Cyprianum, alias in sua sententia deceptum, errasse etiam in mente Stephani assequenda conjectamus.

(b) Eruditi hic non parcunt magno *Annalium ecclesiasticorum* parenti, dum ad an. 261. num. 46. opuscula Cypriani inter ea numerari scripsit, quæ Gelasius in apocryphorum classem rejecit, cum potius omnia sine ulla restrictione probata fuerint. *Quandoque bonus dormitat Homerus*.

in variis Ecclesiis, & temporibus salva fidei integritate esse potest, non adeo fortiter rebaptizantibus se se opposuisset; nec adeo severe cum Cypriano, Firmiliano, & tot aliis illustribus Africæ, atque Orientis Episcopis egisset, ut plane *abstinendos* putaret, quotquot suo decreto non paruissent. Quamobrem nec duos Africanos Episcopos a Cypriano adlegatos ad colloquium admittere voluit; immo & fidelibus omnibus vetuit, ne eos hospitio reciperent. Itane vero, si de sola ecclesiastica disciplina hic agi putasset?

176. Præterea, referente Firmiliano in fine suæ Epistolæ ad Cyprianum, Stephanus Cyprianum sibi resistentem appellavit *pseudo-Christum*, *pseudo-Apostolum*, *& dolosum operarium*; quæ infamiæ nomina iis, qui solam violant disciplinam, convenire nullatenus possunt. Et quamvis ego non procul absim a sententia magni Cardinalis Baronii, qui ad an. 258. negavit, hæc verba ex calamo Stephani excidisse, ne tamen putemus, ea fuisse a Firmiliano sine fundamento, & omnino conficta, dicendum erit, eadem ex toto contextu Epistolæ Stephani resultare, quod nempe ea Stephanus tribuerit Cypriano, quæ nonnisi *pseudo-Christis*, *pseudo-Apostolis*, *& dolosis operariis* convenire possunt, ut scilicet ipsam Christi, atque Apostolorum fidem subvertant.

177. Accedit etiam testimonium Vincentii Lirinensis, qui in sæpius memorato *Commonitorio* de Stephano, loquens, *Intelligebat*, inquit, *vir sanctus, & prudens, nihil aliud ratione pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem, non quam vellemus ducere, sed potius quam ille duceret, sequi oportere*.

178. Huic tamen nostræ assertioni obstare *primo* videntur illa S. Augustini verba Lib. II. *De Baptismo* cap. 9. dicentis, *solam consuetudinem* fuisse a Stephano oppositam inducere volentibus novitatem; *sola* autem *consuetudo* fidei dogmata non facit. *Præterea* scimus, Xystum, qui Stephano in Pontificatu Rom. successit, non coegisse Afros, & Orientales ad obtemperandum decreto Stephani, quem propterea Xystum Pontius in *vita S. Cypriani* vocat Sacerdotem *bonum*, & *pacificum*. Coegisset autem, si putasset, Stephanum emisisse decretum suum, ut dogmaticum.

179. Sed facile hæc duo diluuntur. Primum quidem, quia licet Stephanus *solam consuetudinem* Afrorum rationibus opponeret, eam tamen ab Apostolis ortam esse putabat. Clara sunt hæc S. Augustini verba Lib. V. *De Baptismo* cap. 23. *Apostoli nihil quidem præceperunt; sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est* (a). Jam vero hanc traditionem Apostolicam pertinere ad dogma, evidenter concluditur ex eo, quod Concilium Tridentinum Sess. VII. cap. 4. de Baptismo anathema dixerit iis, qui negant esse verum baptismum, *qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*. Jam vero id definiri non potuisset, nisi illa traditio pertinuisset ad fidei doctrinam. Xystus autem recte fuit dictus *Sacerdos pacificus*, quia lenius cum rebaptizantibus se gessit, ne res in apertum schisma rueret. Ceterum controversiam finire non potuit, cum vix integro anno Petri sedem occupaverit, glorioso martyrio sublatus.

Quæres *secundo*, *an Stephanus Afros, & Orientales rebaptizantes reipsa excommunicarit?*

180. Resp. Id affirmant scriptores non ignobiles, etiam Catholici, ut Tillemontius, Nic. Rigaltius, Constat. Roncaglia, Duguet, aliique: ut nihil dicam de heterodoxis duobus Basnagiis Jacobo, & Samuele, Jo. Laur. Moshemio, aliisque.

181. Verumtamen, sin minus undequaque certa, saltem probabilior, & communior videtur aliorum opinio, quod Stephanus comminatus quidem fuerit sententiam excommunicationis in refractarios rebaptizantes, eam tamen reipsa non vibraverit, sed intra minas hæserit, ad gravissimum schismatis malum vitandum.

182. Et quidem de Cypriano, & Afris id aperte constat. Nam auctores probatissimi, Eusebius Lib. VII. cap. 3. & 5., Vincentius Lirinensis *Commonit*. I. cap. 9.: Facundus Hermianensis *ad Mocianum*, &, qui primo loco erat nominandus, S. Augustinus, iratum quidem exhibent Rom. Pontificem contra Cyprianum, ejusque Collegas, ejusdemque comminationes referunt, nullibi tamen dicunt, reipsa excommunicationis fulmine eos a sua communione separasse. *Quamvis commotius*, inquit S. Augustinus Lib. V. *De Baptismo* cap. 25., (Stephanus, & Cyprianus), *sed tamen fraterne indignarentur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur*. Hanc unitatem servatam fuisse, testatur Cyprianus ipse in suis epistolis, quinimo Africani Episcopi in tertia Synodo congregati eamdem unitatem laudarunt. Demum Pontius Diaconus in vita S. Cypriani refert, eum paulo ante martyrium litteras a Xysto Stephani successore accepisse: quod probat aperte, pacem, & litterarum commercium inter Roma-

(a) Launojus impudenter ausus est contradicere magno Augustino, quod hanc consuetudinem ab Apostolica traditione descendere dixerit, eamque teneri per orbem terrarum; & ostendere conatus est, non solum in Africa, & in quibusdam Ecclesiis Orientalibus, sed in multis aliis Orbis partibus morem rebaptizandi hæreticos invaluisse, propter quædam obscuriora verba Clementis Alexandrini, Irenæi, & Justini Martyris, quæ in suam sententiam subtiliter magis, & acute, quam vere detorquet; sanæ rationi, & communi sensui contradicens dictanti, ut quæ obscura sunt, debeant ex perspicuis, & claris explicari, non contra.

manam Ecclesiam, & Africanas nunquam fuisse per excommunicationem disruptum.

183. Idem probatur de Firmiliano, aliisque Orientalibus Episcopis, qui in eadem erant navi cum Africanis, ut proinde dispar non debuerit esse eorum fortuna. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 5., quando anabaptismi controversia maxime fervebat, litteras ad Stephanum dedit, quibus gratulabatur, Novatiano schismate suppresso, Ecclesias, quæ prius erant discissæ, tandem ad unitatem esse reversas. *Scias*, inquit, *omnes Ecclesiarum ubique Antistites unum, idemque sentire, & ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exultare; Demetrianum scilicet Episcopum Antiochiæ... Helenum Tharsi, cunctasque Ciliciæ Ecclesias, Firmilianum denique cum universa Cappadocia.... Ac, ut uno verbo absolvam, omnes ubique terrarum lætitia gestiunt, Deoque gratias agunt, ob hanc concordiam, fraternamque charitatem.* Itane vero Dionysius gratulari potuisset de pace Ecclesiarum restituta, si vix extincto Novatiano schismate, alterum cum rebaptizantibus fuisset exortum?

184. Sed ulterius prosequitur Eusebius, narrans, Dionysium scripsisse epistolam ad Xystum ejus successorem, in qua de Stephano ita loquitur: *Antea quidem scripserat de Heleno, & de Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, Galatiam, cunctasque finitimas provincias constitutis, sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent.* Minatus itaque tantummodo fuit, se discessurum, reipsa tamen non discessit, Dionysii intercessione placatus. Concludamus cum S. Augustino, qui generaliter de omnibus inquit Lib. II. *De Baptismo* cap. 14. *Fuit aliquando de baptismo dubitatio. Qui diversa senserunt, in unitate manserunt: ea dubitatio procedente tempore sublata est.*

185. Potissima fundamenta adversariorum nituntur duabus epistolis Firmiliani, & Cypriani; quorum primus ita Pontificem alloquitur: *Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti. Excidisti enim te ipsum: noli te fallere; siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas, omnes a te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti.* Addit postea, Stephanum *pacem cum singulis vario discordiæ genere rupisse.* Alter vero in epist. LXXIV. ad Pompejum carpit S. Stephanum: *primo*, quod fuerit *unitatis oblitus*; deinde ita in eum declamat: *Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus christianorum, Sacerdotes Dei veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat?*

186. Resp. utriusque Episcopi verba exaggerate, & iracunde prolata non esse nimis ad vivum resecanda; & haud ægre intelligi posse de sola excommunicationis comminatione, cui tamen Stephanus nihil postea adjecit. Nimirum Firmilianus quasi factum supponit, quod Stephanus se facturum minabatur: unde quod Stephano dicit: *peccatum &c.*, perinde est, ac si voluerit dicere in futuro: *Magnum tibi exaggerabis peccatum, si te a tot gregibus scindas &c.* Ita cogimur verba Firmiliani interpretari, ne allata superius inconcussa argumenta deseramus. Ex conviciis, dicteriis, atque injuriis, quibus tota Firmiliani epistola redundat, plane cognoscimus, eum fuisse ita ira percitum, ut oblitus esset reverentiæ, quæ supremo Ecclesiæ capiti debetur; ut autem bene scripsit Tragicus in *Thieste*, *Iratus nihil, nisi monstra loquitur.*

187. Non ita vehemens fuit Cyprianus, qui licet Stephano subiratus, tamen ad unitatem ostendendam eum vocabat *Fratrem*, quo nomine non vocabantur *abstinendi*, seu excommunicati; & nihil frequentius inculcat, quam unitatis, pacis, & concordiæ necessitatem. *Nos autem*, inquiebat in epist. LXVIII. ad Jubajanum, *quantum in nobis est, propter hæreticos cum Collegis, & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus Divinam concordiam, & Dominicam pacem tenemus.* Quando autem dicit, Stephanum fuisse *unitatis oblitum*, loquitur *de unitate baptismatis*, quam violari putabat a Stephano approbante baptismum hæreticorum. Post autem cum Stephanum carpit, quod *Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putaverit*, indicat quidem excommunicationis minas, non autem ejusdem fulmen jam latum.

188. Dices. Ex Firmiliani epistola constat, Stephanum noluisse admittere ad colloquium Episcopos legatos Cypriani, immo prohibuisse, ne quis eosdem hospitio reciperet. Quid autem pejus fieri potuit hæreticis, vel excommunicatis? Scilicet secundum Joannis Evangelistæ præceptum Epist. II. vers. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.*

189. Resp., id totum œconomiæ cujusdam causa, & ad terrorem incutiendum a Stephano factum fuisse, ut omnibus palam fieret, quam intolerabilis esset rebaptizantium error; non quod reipsa Stephanus Afros excommunicasset. Quanquam non desint, qui cum Baronio putant, Legatos, de quibus loquitur Firmilianus, non fuisse ab Africanis, sed ab Orientalibus missos. P. Raym. Missorius not. 53. in Epist. Firmiliani contendebat, *si de Orientalibus non intelligatur*, *non esse locum huic legationi.* Ulterius hujus legationis ne verbum quidem fit in litteris Cyprianicis. Unde concludebat, *aut fuisse Orientales*, *aut nullos omnino Legatos fuisse.* Ceterum, sin minus certum, saltem admodum probabile est, quod amplissimus Cardinalis Ursius in sua historia conjectat, hæc omnia solum specie tenus fuisse a Stephano peracta; siquidem non legimus, Legatos Afros ab

ab infidelibus hospitium emendicasse. Rursus Legati redeuntes in Africam Stephani responsa secum detulerunt. Verisimile est igitur, a Dionysio Romano, & Philemone, quorum opera Dionysius Alexandrinus ad placandum Pontificis animum erga Orientales feliciter usus fuerat, obtentam fuisse, ut Legati, non quidem publice, & cum solitis honoris significationibus, sed privatim a Stephano reciperentur, & audirentur.

Quæres *tertio*, *an Cyprianus*, *& Firmilianus putaverint controversiam rebaptismi ad solam Ecclesiæ disciplinam*, *non vero ad dogmata fidei spectare?*

190. Resp., difficilem admodum esse hujus quæstionis solutionem, in qua Theologi in contrarias distrahuntur sententias: in eo tamen fere conveniunt, ut rebaptizantes putaverint, aut totam hanc magnam controversiam ad solam disciplinam pertinere; aut si pertinebat ad doctrinam fidei, liberum tamen unicuique esse in suo sensu abundare, donec Ecclesiæ suprema auctoritate expresse definiretur.

191. Primum his fere argumentis una cum Natali Alexandro Dissert. XII. in Sec. III. art. 4. evincitur. *Primo*, quia Cyprianus in Epist. ad Stephanum suo, & Synodi Africanæ nomine ita scribit: *Scimus*, *quosdam quod semel imbiberint*, *nolle deponere*, *nec propositum suum facile mutare*, *sed salvo inter collegas pacis*, *& concordiæ vinculo*, *quædam propria*, *quæ apud se semel sint usurpata*, *retinere*. *Qua in re nec nos vim cuiquam facimus*, *aut legem damus*, *cum habeat ut Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus*, *rationem actus sui Domino redditurus*. Hæc porro libertas esse non potest in controversiis fidei; ut enim inquit Tertullianus in Lib. *De velandis Virginibus*: *Regula fidei omnino una est*, *sola*, *immobilis*, *& irreformabilis*.

192. *Secundo* Cyprianus in Synodo Carthaginensi 87. Episcoporum plenam voluit esse unicuique libertatem proferendi, quod senserit, *cum habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis*, *& potestatis suæ arbitrium proprium*, *tamque judicari ab alio non possit*, *quam nec ipse potest alterum judicare*. *Sed expectemus*, subdit, *universi judicium Domini nostri Jesu Christi*, *qui unus*, *& solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione*, *& de actu nostro judicandi*. At vero in his, quæ sunt contra fidem, possunt utique Episcopi de suis collegis judicare.

193. *Tertio* S. Hieronymus in *Dial. adv. Luciferianos* affert contra eos exemplum S. Cypriani, qui argumenta, quibus hæreticos esse rebaptizandos, ex Scripturis probabat, *non cum anathemate eorum*, *qui se sequi noluerunt*, *edidit*; *siquidem in communione eorum permansit*, *qui sententiæ suæ contraierant*. Quæ omnia in eum non quadrant, qui sententiam, quam defendit, ad fidem pertinere existimat.

194. Idipsum asseri potest de Firmiliano, qui in celebri Epist. ad Cyprianum hæc inter alia habet: „ Circa celebrandos dies Paschæ, & circa
„ multa alia divinæ rei Sacramenta, videat quis
„ esse apud Romanos aliquas diversitates, nec ob-
„ servari illic omnia æqualiter, quæ Jerosolymis
„ observantur. Secundum quod in ceteris quoque
„ plurimis provinciis multa pro locorum, & ho-
„ minum diversitate variantur, nec tamen propter
„ hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace, atque unita-
„ te discessum est. Quod nunc facere Stephanus
„ ausus est, rumpens adversus vos pacem, quam
„ semper antecessores ejus vobiscum amore, &
„ honore mutuo custodierunt." Porro exemplum celebrationis Paschæ, & eorum multorum, quæ pro locorum, & hominum diversitate variantur, manifeste ostendit, putasse Firmilianum, etiam rebaptismum hæreticorum ad hanc eamdem classem rerum disciplinarium pertinere.

195. Addo, quibusdam aliis visum fuisse, consuetudinem rebaptizandi, vel non rebaptizandi hæreticos, non ad fidem, quæ invariabilis est, sed ad disciplinam pertinere, quæ justis de causis potest esse in diversis locis, aut temporibus diversa. S. Basilius in prima Epist. Canonica ad Amphilochium can. 1. *Recte admonuisti*, inquit, *uniuscujusque regionis morem sequi oportere*, *quod ii*, *qui tunc de illis statuerunt*, *in varias de ipsorum baptismate sententias abierint*. Et postquam opinionem Firmiliani, & Cypriani memoravit, ita concludit. *Sed quoniam nonnullis Asiaticis visum est*, *propter multorum œconomiam*, *& dispensationem*, *eorum baptisma suscipi*, *suscipiatur*. Id profecto indicat, judicasse Basilium, totam hanc rebaptismi materiam tanto fervore agitatam, solius esse ecclesiasticæ disciplinæ.

196. Sed alia præsto sunt momenta, quibus evinci videtur, insignes illos Episcopos hanc controversiam ad dogmata fidei retulisse. Nam *primo* ad probandum, hæreticos esse rebaptizandos, non ad solam consuetudinem confugiebant, sed simul coacervabant quotquot invenire poterant utriusque Testamenti loca, quibus evincerent suam sententiam esse in sacris litteris revelatam.

197. Ulterius adeo erat illis de suæ opinionis veritate persuasum, ut non dubitarent eam appellare *veritatem*, *& firmitatem catholicæ regulæ*, *veritatem fidei*, *sententiam fidei*, *& Ecclesiæ congruentem*, *a S. Spiritu revelatam &c*; contrariam vero S. Stephani opinionem vocabant *humanæ contentionis errorem*, *Evangelicæ auctoritati*, *atque Apostolicæ traditioni contrariam*, *errorem magnum*, *& veterem*, *cæcitatis*, *ignorantiæ*, *& superbiæ plenum*; quibus, & aliis similibus loquendi formulis aperte indicabant, se non pro variabili disciplina, sed pro inconcusso fidei dogmate pugnare.

198. Quia tamen nulla tunc erat definitio Ecclesiæ, ideo liberum esse unicuique arbitrabantur aliud sentire, ut ex eorum testimoniis supra al-

191. allatis liquido apparet. Immo hac ratione S. Augustinus errorem Cypriani excusare solebat, ut Lib. II. *De Baptismo* cap. 7. ubi affirmat, S. Cyprianum *sine dubio cessurum*, *si jam illo tempore quæstionis hujus veritatis eliquata*, *&* *declarata per plenarium Concilium solidaretur*. Et Lib. I. cap. 9. dixerat, *magnos viros*, *&* *magna charitate præditos patres Episcopos fluctuasse*, *&* *diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutasse*, *donec plenario totius orbis Concilio*, *quod saluberrime sentiebatur*, *etiam remotis dubitationibus firmaretur*.

199. Sed obvia se offert difficultas, quomodo sancti illi Episcopi, putantes, hanc controversiam ad doctrinam fidei spectare, decreto Stephani Romani Pontificis non se humiliter submiserint?

200. Illustrissimus Bossuetus in *Defens. Declar. Cler. Gallicani* P. II. Lib. XIV. cap. 5. & seq. (in edit. autem gallica Amstelod. 1745. Tom. III. Lib. IV. cap. 5. & seq.), & qui post eum *infallibilem* Rom. Pontificis auctoritatem in definiendis quæstionibus fidei impugnarunt, gravissimum ex hac Cypriani, Firmiliani, aliorumque resistentia decreto S. Stephani argumentum se trahere posse putarunt; utpote qui etiam post dogmaticam Stephani definitionem judicium plenarii Concilii, & Ecclesiæ universæ exspectabant, cui & Stephanus ipse fasces submittere teneretur.

201. Veruntamen facile fuit nostris hanc objectionem diluere, negando, decretum Stephani fuisse solemne, &, ut dici solet, *ex Cathedra* pronunciatum, quod proinde infallibile esset, & prorsus irreformabile. Id demonstravit amplissimus Card. Jos. August. Orsi in Tom. II. *De irreformabili R. P. in definiendis fidei controversiis judicio* cap. 4., ostendens decreto Stephani, omnes eas conditiones defuisse, quæ judicio Theologorum requiruntur, *ut Rom. Pontificis*, *immo & Conciliorum generalium definitiones hunc gradum summæ auctoritatis obtineant*, *cui absque nota*, *&* *infamia hæreticæ pravitatis obsisti*, *&* *contradici non possit* (*a*). Cap. autem 5. demonstrat, *decretum illud fuisse Rom. Pontificis*, *quidquam fieri jubentis*, *non autem aliquid definientis*, *quod catholica*, *divinaque fide ab omnibus crederetur*; *ac proinde fuisse illi debitam promtitate voluntatis obedientiam*, *sed non adhuc in obsequium fidei captivatæ mentis adsensum*; *quique pertinaciter restiterunt*, *inobedientiæ*, *non autem hæreseos crimen admittere potuisse*. Gravissimo huic Pontificiæ auctoritatis assertori consentit etiam doctissimus Petrus Ballerinius in Libro singulari *De vi*, *ac ratione primatus Roman. Pont.* cap. 13. num. 15., putans, hanc esse *veriorem* S. Cypriani excusationem, quod nempe *Stephani decretum referri potuerit ad materiam*, *non fidei*, *sed disciplinæ*, *vel opinionis nondum definitæ*; *in qua non perinde unitas cum Romana Ecclesia necessaria est*, *ut in dogmatibus*, *ac definitionibus fidei est penitus necessaria*. Fusius postea num. 53. declarat, pauca illa, quæ supersunt, decreti Stephani verba exhibere *non dogma aliquod ex fide catholica credendum*, *nec fidei definitionem proprie dictam*.

Quæres *quarto*, *an Cyprianus*, *Firmilianus*, *ceterique rebaptizantes errorem deposuerint?*

202. Resp., nullum suppetere certum hujus retractationis argumentum. Nam S. Augustinus Lib. II. *De Baptismo* cap. 4. loquens de S. Cypriani humilitate, *satis ostendit*, inquit, *facillime se correcturum fuisse sententiam suam*, *si quis ei demonstraret baptismum Christi sic dari posse ab eis*, *qui foras exierunt*.... *Et fortasse factum est*, *sed nescimus*; *neque enim omnia*, *quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt*, *memoriæ*, *litterisque mandari potuerunt*; *aut omnia*, *quæ mandata sunt*, *novimus*. Et epist. XCIII. cap. 10. ad Vincentium Rogatistam de eodem Cypriano ait: *Correxisse istam sententiam*, *non invenitur*: *non incongruenter tamen de tali viro existimatum est*, *quod correxerit*, *&* *fortasse suppressum sit ab eis*, *qui hoc errore nimium delectati sunt*, *&* *tanto velut patrocinio carere noluerunt*. Ita S. Augustinus, qui omnia diligentissime conquisivit, quæ ad abstergendam a S. Matryre hujus erroris labem juvare poterant.

203. Huc accedit, quod mos baptizandi hæreticos diu post S. Cypriani martyrium in Africa perduravit, ut aperte colligitur ex Actis Concilii Arelatensis I. celebrati anno 314., ubi can. 8. ita statuitur: „ De Afris, quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum circa Symbolum; & si perviderint, eum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur ". At vero si Cyprianus errorem suum deposuisset, curasset profecto, eum ab eorum cordibus avellere, in quibus potissimum ejus auctoritate insederat.

204. Sed multo minus probari potest, Firmilianum, & Orientales a præconcepta erratica opinione resiliisse. Nam Dionysius Alexandrinus ad Xystum Stephani successorem scribens, inquit: „ Vide quæso gravitatem negotii; revera enim in „ ma-

(*a*) Conditiones autem, seu *signa*, aliquod Pontificium decretum esse dogmaticum, sunt *primo*, quando hæc verba apponuntur: *Qui oppositum senserit*, *aut dixerit*, *anathema sit*. *Secundo* si hæc alia subnectantur; *Qui contrarium senserit*, *tamquam hæreticus habeatur*. *Tertio si* talis definitio, tanquam ab omnibus fidelibus acceptanda, & credenda, sicut dogma fidei, expresse proponatur. *Quarto* ad solemnem Sedis Apostolicæ definitionem Theologi exigunt, ut prævio maturo examine veritas in quæstione posita per Pontificem definiatur.

„ maximis, ut audio, Episcoporum conciliis de-
„ cretum est, ut qui ab hæreticis ad catholicam
„ Ecclesiam accedunt, primum cathecumeni fie-
„ rent, deinde veteris, & impuri fermenti sordi-
„ bus per baptismum purgarentur". Perstabant igitur in errore Orientales etiam post mortem Stephani, quando Xystus in Apostolica cathedra sedebat.

205. Habemus ulterius testem omni fide majorem S. Basilium, qui Firmiliano post centum circiter annos in Episcopatu Cæsariensi successit. Hic autem in sua Canonica Epist. ad Amphilochium can. 1. *Antiquis*, inquit, *visum est*, *Cypriano*, *& nostro Firmiliano eos omnes* (hæreticos) *uni calculo subjicere*. Vid. sup. n. 108. Non laudasset profecto Basilius Cypriani, & Firmiliani nomina ad tuendam rebaptizandi consuetudinem, si eos palinodiam cecinisse novisset.

206. Celebratissimus Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius ad an. 258. n. 47. oppositam sententiam, ut admodum piam, & sanctitati Cypriani, ac Firmiliani faventem, amplexus est, quia Dionysius Stephano scribens inquit: *Scias autem*, *Frater*, *cunctas per Orientem Ecclesias*, *quæ prius desciverant*, *nunc tandem ad unitatem reversas esse*.

207. Sed Baronio in Opere tam longo, & tam difficili nonnunquam somnus irrepsit, ut hoc in loco, ubi verba Dionysii, quæ unice spectant Novatianum schisma, transtulerit ad rebaptizantes. Eusebius, qui hæc verba Dionysii nobis servavit, nos monet, Dionysium indicare Stephano, omnes ubique Ecclesias *mollito jam persecutionis furore*, Novatiani turbulentam novitatem detestantes, inter se pacem inivisse. Nihil ergo Dionysius scripsit de rebaptizantium palinodia.

208. Majorem difficultatem ingerere prima fronte videntur, quæ ex Sanctis Augustino, & Hieronymo opponuntur. Primus enim Lib. III. contra Cresconium cap. 2. dicit, Orientales rescidisse judicium, *quo eis placuerat de ista baptismi quæstione Cypriano*, *atque illi Africano Concilio consentire oportere*. S. Hieronymus autem in *Dial. adv. Luciferianos* hæc habet: *Denique illi Episcopi*, *qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (Cypriano) *statuerant*, *ad antiquam consuetudinem revoluti*, *novum emisere decretum*.

209. Resp., utrumque S. Doctorem loqui de temporibus subsequentibus, quibus certum est, tam Orientales, quam Afros deposito errore ad communem, veramque Ecclesiæ sententiam rediisse. Nihil autem refert, quod Hieronymus dicat: *Illi ipsi Episcopi &c.*, hoc enim solum potest referri ad easdem Ecclesias, non autem ad easdem personas: aliter hoc Hieronymi testimonium cum omnibus ejusdem ætatis testimoniis pugnaret.

Quæres *quinto*, *quodnam sit illud plenarium Concilium*, *in quo dicit S. Augustinus fuisse hanc controversiam finitam?*

210. Resp. S. P. Augustinus Lib. II. *De Baptismo* cap. 9. dicit, in hac rebaptismi controversia tandem fuisse veritatem inventam, & ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perductam, post Cypriani quidem passionem, sed antequam ipse natus esset; idest inter annum 258., quo passus est Cyprianus, & annum 355., quo natus est Augustinus. Concilium ipsum S. Doctor minime nominavit, quia ea ætate omnibus notum erat; illius tamen epocham determinavit. Sed cum hoc centum pene annos complectatur, quo intervallo plura habita sunt Concilia, hinc variæ prodierunt eruditorum de hoc Concilio opiniones, quas potius indicare, quam examinare nobis in animo est.

211. Affirmare tamen sine hæsitatione possumus, eos oppido falli, qui Synodum ab Augustino designatam dicunt aut Alexandrinam, aut Constantinopolitanam, aut Capuanam: omnes enim post Augustini nativitatem celebratæ fuerunt; nimirum prima ann. 362. altera vero ann. 381., & Capuana ann. 389.

212. Disputatio igitur non potest esse, nisi aut de Synodo Arelatensi I. anno 314., pro qua acerrime pugnavit Jo. Launojus, aut de magna Synodo Nicæna anno 325. pro qua contra Launojum stabat noster P. Jo. Nicolai. Contentio acerrima fuit, & utraque ex parte prodierunt libri amarulentia, & mordacitate pleni. *Dixisses*, inquit Nat. Alexander, *de summa catholicæ fidei inter illos agi; cum tamen haud tanti res momenti viris*, *qui ex opinione præconcepta minime judicant*, *videatur*. Nos autem aliis permittemus, *bella geri nullos habitura triumphos*; præsertim quia post tot certamina hæc lis in eruditorum consessu adhuc sub judice est (*a*).

213. Qui Synodum *plenariam* ab Augustino allegatam putant esse Nicænam, fatentur, damnationem rebaptismi nullo expresso canone contineri; eam tamen colligunt ex duobus canonibus 8., & 19. simul collatis. In octavo enim recipiuntur Novatiani sine novo baptismate; in decimonono autem decernitur, Paulianistas esse baptizandos; unde consequens est, baptismum hæreticorum valere, si rite administretur, ut administrabatur a Novatianis; non valere autem, si aliquod essentiale vi-

(*a*) Qui plura desiderat, multos poterit scriptores consulere; & quidem pro Concilio Nicæno laud. P. Jo. Nicolai in sua *Dissert. œcumenicæ adv. Launojum*, Nat. Alexandrum Diss. XXIV. in Sæc. III., Gasparem Juenin in *Comment. Hist. & dogmat. De Sacramentis*. Quæst. VI. art. 3. §. 5. & P. Laur. Berti *De theolog. discipl.* Lib. XXXI. cap. 13. prop. 10., apud quem nomina etiam inveniet eorum, qui in hac controversia claruerunt. Pro Synodo autem Arelatensi præter commemoratum Jo. Launojum stant Sirmondus T. I. *Concil. Galliæ*, Duguet *Conference Eccles.* Dissert. XIV. §. 4., præter Sam. Basnagium ad an. 414. n. 15. aliosque heterodoxos.

vitietur. Qui vero stant pro Synodo Arelatensi, claram, & perspicuam afferunt hujus dogmatis definitionem in verbis illis: *De Afris &c.* Vid. sup. n. 203.; laborant autem vehementer, quomodo possit illa Synodus vocari *plenarium totius orbis Concilium*, vel *universum ex universo orbe Christiano Concilium*, quibus nominibus utitur S. Augustinus in Libris contra Donatistas; & præcipue Lib. VI. *De Baptismo* cap. 1. dicens: *Per pastores Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est*. Et cap. 2. *Baptismi veritas ex universæ Ecclesiæ sententia plenarii Concilii auctoritate roborata est*. Poteratne S. Doctor clarioribus verbis Concilium œcumenicum designare, quale certe non fuit Arelatense primum? Sed hæc viderint alii. Interim de his omnibus præter innumeros Historicos, & Theologos dignus est, qui consulatur recentior hujus ævi scriptor multis editis libris admodum clarus Jo. Marchetti in *Exercitat. Cyprianicis* Romæ 1787. in 8.

CAPUT VII.

Demonstratur adversus heterodoxos, in Ministro Sacramentorum esse omnino necessariam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

214. Cum Novatores, tam Calvini, quam Lutheri asseclæ, intrinsecam Sacramentorum efficaciam inficientur, totamque justificandi vim soli fidei tribuant, quæ per Sacramenta excitatur, nec aliud esse Sacramenta dicant, quam nostræ erga Deum pietatis signa, ac divinæ erga nos benevolentiæ sigilla, ut vidimus in super. Dissert. cap. 10., necessario in alium errorem delapsi sunt, ut nullam requiri docerent in eorum ministro intentionem; adeo ut Sacramenta etiam mimice, & lusorie collata valeant, quia etiam hoc modo possunt in suscipiente excitare fidem, quæ sola vim habet justificandi. Insuper cum ipsi velint, verba formæ in Sacramentis non esse *consecratoria*, sed mere *concionatoria* (Vid. sup. Dissert. num. 345. seq.), uti solent exemplo verbi evangelici, quod si prædicetur ab impio ministro sine ulla prorsus intentione, vel etiam mimice, & jocose, non tamen desinit esse verbum Dei, & qui ei assentitur, justificatur, *ita neque desinit esse Sacramentum, modo applicetur forma materiæ, etiamsi absque intentione recta applicetur, sed e contra cum perversa interiori, vel exteriori, vel etiam nulla*. Verba sunt Mart. Chemnitii in P. II. *Exam. Conc. Trident.* Loco I. Sect. 10. ubi impiam magistri sui Lutheri doctrinam fideliter sequitur, qui ita scripsit in *Assertione articulorum per Bullam Leones X. damnatorum: Si fides, ut dixi, exigitur in promissionis divinæ verbo, quod quocumque modo audiatur, si fide suscipitur, justificat, & quid mirum si joco prolatum, & creditum* (in Sacramento) *justificet* (a)?

215. Antequam vero in hanc gravissimam controversiam ingrediamur, breviter ex Moralistis recolendum est, quid, & quotuplex sit intentio. *Intentio*, definiente S. Thoma 1. 2. qu. 12. art. 1. ad 3., *nominat actum voluntatis, præsupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem*: unde nomine intentionis in Sacramentorum administratione intelligitur actus ille, quo quis deliberat materiam cum forma conjungere juxta ritum in Ecclesia præscriptum ad efficiendum Sacramentum. Hæc autem intentio triplex communiter distinguitur, *actualis*, *virtualis*, & *habitualis*. Prima est in eo, qui actu cogitat, & deliberat aliquid facere. *Virtualis*, quæ ex actuali fluit, & per aliquam temporis moram perdurare censetur, etiamsi contingat, actualem non adesse ex mentis evagatione, dummodo tamen per contrariam non tollatur. *Habitualis* demum est quædam prompta facilitas ad aliquid agendum ex habitu contracta; quæque etiam in dormientibus, ebriis, & amentibus esse potest, qui ea facile peragunt, quibus erant assueti. Omnes consentiunt, hanc postremam non sufficere; sufficere autem *virtualem*, nec actualem, quæ omnium est optima, esse necessariam (b).

216. His nonnulla alia adjungenda sunt, in quibus Theologi mire consentiunt. *Primo*, non esse in ministro Sacramentorum necessariam intentionem

(a) Eadem repetit in suo Libro *De Captivitate Babylonica*, ubi ait: *Non in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu sita est virtus baptismi, sicut legimus exemplum de quodam mimo per jocum baptizato .... cum soli fidei omnia, & nihil ritibus debeamus*. Nec alia est Calvini, ejusque gregalium doctrina, a qua recedere non possunt, nisi ab alio capitali errore recedant, unde iste recta consecutione dimanat, nempe justificationis gratiam non a Sacramentis ipsis, sed a fide, quæ per Sacramenta excitatur, esse repetendam. Quamobrem fidendum non est Lud. Le-Blanc Calvinistæ, dum in *Thesibus Sedanensibus* nihil aliud Calvinistas docere in hac materia professus est, quam quod a Catharino, ejusque sententiæ patronis in Catholica Ecclesia docetur.

(b) Alibi jam notavimus (Tomo VII.) intentionem *habitualem* olim a quibusdam Scholasticis, imo a duobus Scholarum Principibus Bonaventura, & Thoma, fuisse nominatam loco *virtualis*, ex adjunctis tamen verbi liquido eorum mentem apparere a communi doctrina minime dissonam. Sic Angelicus noster 3. P. qu. 64. art. 8. ad 3. dicit, sufficere *habitualem intentionem ad perfectionem Sacramenti*. Sed postea clare se explicat, ita subdens *puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum*. Quia tamen Sanctus Doctor alibi expresse distinxit intentionem *virtualem* ab *habituali*, ut in Quæst. Disput. *De charitate* art. 11. ad 3., & in hac ipsa 3. P. qu. 87. art. 1., aliqui merito suspicati sunt, mendum exscriptoris hic cubare, qui loco *virtualis* scripserit *habitualem*.

nem faciendi illud, quod facit Ecclesia Romana, quæ sola vera, & catholica est: alias esset in ministro necessaria vera fides, neque valeret baptismus ab hæreticis, & schismaticis collatus: hi enim certe non intendunt facere, quod facit Ecclesia Romana, a qua se separarunt. Non esse autem in ministro necessariam veram fidem, ostendimus supra cap. III.

217. *Secundo*, non esse necessariam intentionem producendi effectum Sacramenti, nempe gratiam, vel characterem: alias impius Pelagianus, qui Christi gratiam non admittit, vel Lutheranus, aut Calvinista, qui negat, characterem imprimi, baptismum non conferret.

218. *Tertio*. Neque etiam ad valorem Sacramenti riquiritur intentio finis recti; unde si quis Sacramenta turpis lucri, vanæ gloriæ, aut etiam hæresis propagandæ causa conferat, non propterea irrita erunt Sacramenta ex pravo fine sic collata. Horum ratio est, quia Sacramenta ex se efficacia sunt (quod in I. Dissert. cap. 10. ostensum fuit); adeoque sufficit, ministrum habere intentionem conferendi Sacramentum, quo rite collato jam effectus ex ipso opere operato consequitur. Unde Augustinus epist. XCVIII. ad Bonifacium inquiebat: „ Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam; „ sed quod eos putent hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis „ hac intentione offeruntur". Hæc omnia brevitatis studio ut certa supponimus, parum solliciti de quibusdam exiguis difficultatibus, quas nonnulli Scholastici moverunt.

219. His præhabitis, controversiam cum Novatoribus aggredimur pro defensione catholici dogmatis, quod antequam ii adversus Ecclesiam insurgerent, fuerat jam definitum, & ab omnibus creditum, scilicet ad validam Sacramentorum confectionem necessariam esse in ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ita ut Sacramenta mimice, & lusorio modo collata nullius roboris sint.

PROPOSITIO

Sacramenta mimice, & illusorie collata sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, nulla, & irrita sunt.

220. Dixi, hoc dogma fuisse in Ecclesia communiter receptum, immo & definitum, antequam Novatores Sæculi XVI. orirentur, quia *primo* Martinus V. in Concilio Constantiensi anno 1418. homines de Wiclefismo suspectos interrogari jussit, *an credant, quod malus sacerdos cum debita materia, & forma, & cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vere baptizet, & vere conferat alia Sacramenta*. Requirebatur ergo jam illo tempore præter materiam, & formam intentio ministri faciendi, quod facit Ecclesia, quam certe non habet, qui externus nostra Sacramenta subsannat. *Secundo* Eugenius IV. in suo Decreto pro Armenis 1439. post enumerata septem novæ legis Sacramenta, *Hæc omnia Sacramenta*, inquit, *tribus perficiuntur, videlicet rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*. Ita ante Lutherum credebat, atque omnibus credendum proponebat Ecclesia.

221. Postquam vero Lutherus communem Ecclesiæ fidem impugnare ausus est, Leo X. ad ipsius temeritatem compescendam an. 1520. hanc ejusdem propositionem damnavit: *Si Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen pœnitens credat, se esse absolutum, verissime est absolutus. Denuum* in Concilio Tridentino hoc dogma confirmatum fuit adversus Lutheranos, & Calvinistas Sess. VII. can. 11. his verbis: „ Si quis dixerit, in „ ministris, dum Sacramenta conficiunt, non re- „ quiri intentionem, saltem faciendi, quod facit „ Ecclesia, anathema sit. *Et Sess. XIV. can.* 9. „ Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem sa- „ cerdotis non esse actum judicialem, sed nudum „ ministerium pronunciandi, & declarandi remis- „ sa esse peccata confitenti, modo tantum credat, „ se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed „ joco absolvat ... anathema sit". Tridentinæ definitioni subscribunt etiam schismatici Græci. In Synodo enim Jerosolymitana habita a Dositheo Patriarcha anathema ei dictum est, qui asseruit, Episcopos, & Sacerdotes non debere *necessario* habere intentionem, *saltem generalem faciendi, quod facit Ecclesia*. Et in *Orthodoxa Confessione Ecclesiæ Orientalis* Quæst. CI. inter necessaria ad conficiendum *Mysterium*, seu Sacramentum, exigitur etiam *fixa, & deliberata ministri intentio:* unde apparet hac in re Orientis, & Occidentis consensus.

222. Jure autem meritoque id fuisse ab Ecclesia definitum prob. *primo* ex sacris litteris. Nam S. Paulus epist. prima ad Corinth. IV. 1. ministros Sacramentorum vocat *ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Rursus ipse Christus Joan. XX. 23. Apostolis amplam dedit peccata dimittendi, ac retinendi potestatem; ac demum Lucæ XXII. 19. iisdem Apostolis mandavit, ut quotiescumque panem Eucharisticum sumerent, & calicem biberent, *hoc facerent in suam commemorationem*. Jam vero dicant bona fide Protestantes, an jocose, lusorie, & irrisorie agentes possint appellari, & esse ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei? An censeantur vices Dei agere in ligandi, atque solvendi potestate, qui ridendo, subsannando, & histrionis personam assumendo aliquem absolvunt, vel ligant? An possint id facere in commemorationem Jesu Christi, qui mimice, & lusorie Sacramenta conferunt? Talesne sacros

suos

suos ministros instituit Christus, quibus nec profani sua negotia committerent? Et etjamsi cum Protestantibus diceremus, Sacramenta non esse nisi nostræ erga Deum pietatis signa, & divinæ erga nos benevolentiæ pignora, taliane Sacramenta ludicra, & irrisoria pro signis, & pignoribus habenda essent? Communis plane hominum sensus repugnat.

223. Accedit, fuisse veterem Ecclesiæ praxim, ut nulla reputarentur Sacramenta sine debita intentione collata. Id ostendit decisio Cornelii Papæ, qui una cum Synodo 65. Episcoporum, præter multos Presbyteros, & Diaconos, irritam declaravit Ordinationem Novatiani, qui *tres Episcopos temulentos, & crapula oppressos, adumbrata quadam, & inani manuum impositione, Episcopatum sibi tradere per vim coegit*. Id narrat Eusebius Lib. VI. *Hist. Eccles.* cap. 43. aliquot exhibens fragmenta epistolæ Synodalis a Cornelio ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Præsulem missæ. Quamvis Eusebius rerum Ecclesiæ Occidentalis non admodum peritus *Novatum* pro *Novatiano* scripserit. Firmilianum etiam Cæsareæ in Cappadocia Episcopum reputasse irritum baptisma a femina energumena collatum, vidimus sup. n. 162., nempe quia neque in temulentis Episcopis, neque in femina energumena talis esse credebatur rationis usus, unde intentio necessaria haberi posset.

224. Prob. demum nostra propositio hac efficaci S. Thomæ ratione 3. P. qu. 64. art. 8. „ Quando „ aliquid se habet ad multa, oportet, quod per „ aliquid determinetur ad unum, si illud effici „ debeat. Et vero, quæ in Sacramentis aguntur, „ possunt diversimode agi, sicut ablutio aquæ, quæ „ fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiem corporalem, & ad sanitatem corporalem, „ & ad ludum, & ad multa alia hujusmodi: & „ ideo oportet, quod determinetur ad unum, idest „ ad Sacramentalem effectum, per intentionem „ abluentis: & hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur; puta cum „ dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.*"

225. Idem Angelicus art. 10. quærit, utrum recta intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti? Ita vero respondet: „ Intentio ministri „ potest perverti dupliciter: uno modo respectu „ ipsius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid „ agere; & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. Alio modo potest perverti intentio ministri, quantum ad id, quod sequitur „ Sacramentum; puta si sacerdos intendat aliquam „ feminam baptizare, ut abutatur ea; vel si intendat conficere corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non dependet a posteriori, inde est, quod talis intentionis perversitas veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse „ minister ex tali intentione graviter peccat". *Et in resp. ad 2. iterum repetit, quod* intentio ludicra, vel jocosa excludit illam rectitudinem intentionis, per quam perficitur Sacramentum.

226. Obj. *primo* quædam exempla baptismatis jlocalariter administrati; quod tamen ut validum probatum fuit. Nam referente S. Augustino epist. CCXXVII. ad Alipium, Dioscorus quidam *Architheater* (vel ut melius legunt editores Maurini, *Archiater*) baptismum ficto animo susceperat; sed postea paralysi a Deo punitus, & in somnio admonitus, facti pœnitens sanitatem recuperavit: *sicque*, ait Augustinus, *omnis est ab eo deleta nugacitas;* non tamen repetitum fuit baptisma simulate, seu *nugaciter* receptum. *Secundo* celebris est conversio Genesii histrionis, qui in theatro mysteria Christianorum irridens baptizatus fuit, & mira Christi gratia ad fidem conversus, sanguinem pro ea fundere non dubitavit. *Tertio* multo celebrius est factum S. Athanasii, quod Sozomenus narrat Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 15., nempe eum admodum puerum ab aliis pueris sibi æqualibus fuisse per lusum Episcopum creatum, *& quosdam pueros, qui nondum mysteriis initiati erant, ab illo fuisse baptizatos*. Cum autem Alexander Episcopus Alexandrinus *omnia juxta ordinem ecclesiasticum exacte in illis servata esse deprehendisset, communicato consilio cum sacerdotibus, quos circa se habebat, censuit, non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel percipere meruissent*. Idipsum indicat etiam Socrates Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 15. innixus auctoritate Ruffini Lib. I. cap. 14. Nicephorus quoque in Lib. III. *Hist.* narrat, ab Episcopo Constantinopolitano fuisse approbatum baptismum a quibusdam pueris infanti Hebræo collatum.

227. Resp. ad *primum*. Si bene attendatur relatio S. Augustini, Dioscorus nec mimice, nec ficto animo baptismum suscepit. Cum enim ipsius filia gravissime ægrotaret, Dioscorus Deo vovit, si illa convalesceret, se religioni christianæ nomen daturum. Convaluit filia, sed Dioscorus quod promiserat, non præstabat; quamobrem fuit a Deo repentina cæcitate perculsus. Tunc justam Dei punitionem agnoscens iterum vovit, *se recepto lumine impleturum, quod voverat. Recepit, implevit;* nempe baptizatus est, non ficte, sed vere. *Symbolum tamen non tenuerat, aut fortasse tenere recusaverat, & se non potuisse excusaverat* (a). Sed cum postea in pœnam suæ inobedientiæ factus esset paralyticus, tandem resipuit, *sicque omnis est ab eo deleta nugacitas*. Quæ po-

(a) Redditio Symboli nihil erat aliud, quam ejusdem Symboli recitatio, tradebatur enim catechumenis Symbolum memoriæ mandandum; ab iisdem autem ante baptismum recitabatur. Vid. D. Jo. Chrysost. Trombelli *Tractatu de Sacram.* Tom. I. Dissert. VI. Sect. I. cap. 2.

postrema verba non significant, baptismum fuisse a Dioscoro *nugaciter*, aut *ficte* susceptum; sed significant, eum ita sincere fuisse religionem Christianam amplexatum, ut non amplius ei nugaciter insultaret, ut prius consueverat. Ita enim prosequitur Augustinus suam narrationem: *quæ* (nugacitas), *ut scis*, *multum decolorabat naturalem ejus benignitatem*, *eumque insultantem christianis faciebat valde sacrilegum*.

228. Ad *secundum* resp., etiam admissa veritate historiæ, de qua merito dubitatur, ut mox videbimus, quomodo nobis adversarii persuadebunt, illud baptismum fuisse validum? Quia, inquiunt. Genesius inter Sanctos commemoratur ad diem 25. Augusti. Ita sit: at non propter invalidum baptismum aquæ, sed potius propter baptismum sanguinis, quem sæviente Diocletiani persecutione fortiter dedit propter Christum. Verum illa historia merito a viris eruditis in dubium revocatur, immo aperte negatur; tum quia nullo innititur veterum scriptorum testimonio: primo enim apparuit in Martyrologio Adonis Viennensis Sæculo IX.; mirum autem est, factum tam insigne fuisse omnino prætermissum ab iis antiquis, qui crudelissimam Diocletiani persecutionem memorarunt; tum quia posteriores, a quibus illud memorabile factum habemus, valde in eo referendo dissentiunt. Ado Viennensis vult, Genesium fuisse in theatro baptizatum a sacerdote Christiano, quem Genesius ipse in theatrum clam introduxerat, ut baptismum ab eo reciperet; quod plane incredibile est. Surius autem, aliique a Baronio citati ad annum 302., dicunt, fuisse Genesium ab altero Mimo per jocum baptizatum, quod verisimilius est, sed tunc baptismus aquæ sine subsecuto martyrio fuisset inutilis. Vinc. Bellovacensis Lib. XII. *Speculi Histor.* cap. 104. refert, Genesium sacerdoti dixisse, *se gratiam Christi consequi cupere*, quia prius fuerat jam ab Angelo de Christiana religione edoctus. Ita variant, qui rem tam prodigiosam nobis persuadere volunt. Prudentissimis verbis hoc factum ita exponitur in Martyrologio Romano editionis auctæ, & castigatæ a Benedicto XIV.: „ Romæ S. Genesii martyris, qui primum sub gentilitate mimus, cum in theatro, spectante Diocletiano Imperatore, mysteriis Christianorum illuderet, a Deo inspiratus, repente conversus ad fidem, baptizatus est: mox Imperatoris jussu fustibus crudelissime cæsus &c. ..... martyrii palmam capitis obtruncatione promeruit: " videlicet dicitur quidem Genesius baptizatus, sed non in theatro, nec a mimo, neque in Christianæ religionis ludibrium.

229. Tertium S. Athanasii factum, ut commentitium, a Criticis emunctioris naris exploditur. Certe primo obtutu magno anachronismo laborare apparet: dicitur enim Athanasius *admodum puer*, cum Episcopi munia per ludum imitaretur. Jam vero Alexander, qui pueros ludentes observavit, thronum Alexandrinum conscenderit anno 313., vel 314., ut ex Eusebio Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 32. simul cum Gelasio Cyziceno in *Hist. Concilii Nicæni* collato eruitur. Aliunde compertum est, Athanasium anno 320. epistolæ Synodicæ ejusdem Alexandri tanquam Diaconum subscripsisse: non poterat ergo anno 314. *admodum puer esse*, quia more illius ævi Clerici ad Diaconatus ordinem ante annum vigesimum quintum non promovebantur. Rursus ex Chronotaxi Athanasiana apparet eum in Episcopatu Alexandrino successisse Alexandro anno 326. post celebratam magnam Synodum Nicænam. Si ergo anno 314. *admodum puer* erat, fuit ad dignitatem Episcopalem multo antea evectus, quam ferret antiqua disciplina, a qua annus trigesimus exigebatur. At vero hunc intempestivæ ipsius Ordinationis defectum ipsi objicere non prætermisissent ejusdem hostes infensissimi Ariani, qui nec manifestis calumniis pepercerunt, ut tanti viri famam denigrarent. Narrat ipse Athanasius in *Apologia*, sibi calumniose objectum fuisse, *quod a sex*, *aut septem Episcopis clanculum*, *& in loco obscuro fuerit Præsul ordinatus*. Quanto magis ipsi exprobrassent debitæ ætatis defectum? Nutat igitur hujusmodi historia, quam nec Sozomenus ut omnino certam tradere ausus est, dicens: *Atanasio adhuc impuberi istud accidisse fertur*: quia dubitantis phrasi usus est etiam Ruffinus, primus illius historiæ relator (*a*).

230. Verumtamen, si etiam daretur, certum omnino esse, quod Sozomenus, & Socrates post Ruffinum narrant, quid vetat, Athanasium in puerili lusu veram habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quamvis oblectamenti causa id totum perageret? Neque enim hæc duo pugnant, ut simul in Athanasii animo conjungi nequirent; sicut quando avarus minister cum intentione baptizandi conjungit spem lucri. Reipsa hanc intentionem non defuisse, colligere possumus ex ipsa Historicorum narratione, qui dicunt, Alexandrum, postquam rem totam examinasset, deprehendisse, *omnia juxta ordinem ecclesiasticum exacte servata fuisse*; ac propterea ex consilio Sacerdotum judicasse, eos pueros non esse rebaptizandos. Ita respondet S. Thomas in IV. Dist. VI. in fine expositionis textus dicens, non fuisse illos pueros rebaptizatos, quia inventum est, Athanasium habuisse

(*a*) Sam. Basnagius in *Annal. politico-ecclesiasticis* ad an. 326. num. 14. non indiligenter explodit hanc *fabulam lusorii baptismatis*, ut ipse loquitur; non expositurus profecto, si ea uti possent ipsius consodales ad Catholicum nostrum dogma impugnandum. Diligentissimus autem Tillemontius Tom. VI. suorum *Monumentorum* pag. 651. Papebrochium confutat, qui ut Ruffini narrationem defenderet (ad diem. 2. Maji) Episcopatum Alexandri retrahit usque ad annum 303. contra fidem Eusebii; vel factum Athanasii contigisse vult non sub Alexandro, sed sub Petro ejus prædecessore, contra fidem Ruffini, Socratis, & Sozomeni.

se intentionem baptizandi, *quod etiam patet ex hoc, quod non baptizavit, nisi cathecumenos*.

231. Postremum, quod Nicephorus refert de infante Hebræo a pueris baptizato, si verum est, debet sic explicari, ut Constantinopolitanus Antistes compererit, omnia in illo ludo rite servata fuisse, ut nec defuerit in pueris baptizantibus intentio faciendi, quod in Ecclesia fieri videbant, & sic baptismum ut validum approbaverit. Quamvis nil vetet, ut credamus, baptismus illi puero fuisse de novo collatum. Cum enim dicat Historicus, decrevisse Episcopum, ut in illo infante, *quod deesset juxta mysterii executionem, compleretur*, possumus utrumque intelligere, scilicet aut esse iterum baptizatum infantem, aut si recte baptizatus fuerat, ei administratam Confirmationem, quam pueri conferre non potuerunt.

232. Dices. Isaac Patriarcha certe non habuit intentionem benedicendi Jacob, sed potius Esau; ejus tamen benedictio valida fuit; unde dicebat Gensi XXVII. 33.: *Benedixi ei, & erit benedictus*: pari ergo ratione, immo etiam potiore, rata erunt Sacramenta, sine ulla intentione collata; quia *ipsis sua virtus assistit*, ut loquitur Augustinus, & intrinseca pollent efficacia. Sunt etiam quædam spirituales medicinæ, quæ sua virtute operantur, licet nulla adsit intentio ministri; sicuti operantur medicinæ corporales, etiamsi Medicus eas sine ulla intentione, & illusorie propinet.

233. Resp., Patriarcham Isaac vere habuisse intentionem benedicendi, serio benedictionem tribuisse, non joco, aut illusorie, ac propterea ratam, fixamque mansisse benedictionem, quæ rata, & fixa non mansisset, si jocu1ariter, aut mimice eam fuisset impertitus. Totus error fuit in persona; sed quoniam Isaac voluit benedicere præsentem, ideo hic error non potuit irritam reddere benedictionem. Sic Sacerdos putans se baptizare filium Petri, si ex errore alium baptizaret, baptismus esset sine dubio validus, non obstante errore personæ. Non desunt etiam, qui dicant, benedictionem illam non fuisse validam, nisi postquam Isaac eamdem nova voluntate confirmavit, dicens: *Benedixi ei, & erit benedictus*.

234. Sunt quidem Sacramenta ex se, & virtute propria efficacia, si rite administrentur; ad eorum tamen rectam administrationem præter materiam, & formam requiritur minister, qui humano modo, idest deliberate, agat, & actionem indifferentem sua intentione ad esse Sacramentale determinet. Neque similitudo medicinæ corporalis, qua uti solent Theologi ad Sacramentorum efficaciam explicandam, est adæquata, nisi Sacramentis perfectis adaptetur, quatenus constant materia, forma, & ministro idoneo, ac recte disposito.

235. Ob. *secundo*. S. Augustinus Tract. V. in Joan. num. 18. Tom. IV. hæc habet de baptismi ministro: *Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est, qui baptizat*. Et Lib. VII. *De baptismo* cap. 53. Tom. XII. inter varias quæstiones de ministro baptismi hanc etiam proponit, an valeat baptismus *in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur?* Et iterum quærit, an magis acceptandum sit baptisma *fallaciter* traditum, & acceptum, an illud, *quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat?* Alludens proculdubio ad baptismum Genesii supra num. 228. memoratum. Hanc autem quæstionem S. Pater non audet definire; unde concludit: „ Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre, & mimice, & jocu1ariter ageretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis summa devotione gemitibus implorandum esse censerem ". Ignorabatur ergo ætate Augustini dogma post 12. fere sæcula definitum de necessaria ministri intentione ad Sacramentorum valorem.

236. Resp. ad *primum* cum S. Thoma in IV. Dist. VI. quæst. 1. art. 3., nomine *ebriosi* ab Augustino eo loci non intelligi hominem actu ebrium, rationeque orbatum, in quo nulla potest esse intentio; sed qui soleat sæpius se vino ingurgitare, ut propterea sit indignus Sacramentorum minister. Id patet ex adjunctis *adulteri, & homicidæ*; & etiam ex scopo, qui erat contra Donatistas ostendendi, pravitatem ministri non officere veritati baptismi, quia *Christus est, qui baptizat*.

237. Haud ignoro, in canone *Dedit*. Dist. I. quæst. 1. verba Augustini sic referri: *Quos baptizat ebrius, baptizat Christus*. Sed mendose hac verba ex Augustino in antiquioribus editionibus exscripta fuere, in posterioribus autem emendata: ille itaque canon intelligi debet de *ebrioso*, non autem de eo, qui actu ebrius est, saltem si ebrietas si tanta, ut usum rationis impediat.

238. Alterum S. Augustini testimonium majorem involvit difficultatem, quæ non uno modo solvitur a Theologis. Sed si etiam admittatur, dubitasse Augustinum, an baptismus mimice, & jocu1ariter collatus valeret, atque adeo exoptasse, & postulasse *divinum judicium, per alicujus revelationis oraculum*, nempe ut ex contextu apparet, non per novam revelationem, ad quam miraculo opus esset, sed per plenarii alicujus Concilii definitionem, cui Deus assistit; si inquam id admittatur, an propterea hæc definitio plenarii Concilii post Augustinum fieri non potuit? Aut postquam semel, iterumque est facta, potest adhuc esse prudens de hac re ambigendi locus? Annon ipse Augustinus hoc Ecclesiæ oraculum plena animi consensione reciperet, atque ab aliis recipiendum esse præciperet? Sane non aliter actum fuit in celebri controversia de hæreticorum baptismate. Potuerunt non pauci Episcopi, doctrina, & sanctitate celebres, dogma catholicum aliquandiu ignorare; potuerunt impune de eo inter se disputare; potuerunt denique inculpate errare. Sed po-

postquam Romani Pontificis, & totius Ecclesiæ oraculum auditum est, omnis sublata fuit disputandi, & contradicendi libertas. Idem potuit contingere in hac quæstione, an valeret baptismus mimice, & illusorie collatus, quam S. Doctor pro singulari sua modestia indecisam reliquit, expectans, & implorans illud Ecclesiæ oraculum, quod tandem Deus concedere dignatus est. Quanquam verba S. Augustini diligentius examinando, mihi appareat, dubium illi natum fuisse de valore Sacramenti, attenta dumtaxat mirabili suscipientis conversione, & fide, propter quam dubitat S. Pater, an a communi regula in hujusmodi casibus extraordinariis discedere oporteret.

239. Neque vero quis urgeat, ibi Augustinum probare baptismum *fallaciter* datum, & acceptum. Non inquam; *fallaciæ* enim nomine non intelligit jocum, vel irrisionem Sacramenti, sed potius simulationem fidei, nempe fraudem eorum, qui se catholicos fingebant; seu, ut loquitur S. Pater, *cum & tradens, & accipiens fallaciter agunt in ipsa unitate catholica*. Unde concludit, quod si postea fallacia prodatur, *nemo repetit* baptisma, *sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur*. Vel etiam *fallaciæ*, & *simulationis* nomine intellexit Augustinus pravum recipientis finem, ut si Gentilis, vel Judæus lucri, vel ambitionis stimulis baptismum petat, & accipiat, cum intentione illud suscipiendi, quod in Ecclesia datur; quamvis nec Sacramentum credat, nec Sacramenti effectum (*a*).

240. Dices. Idem S. Augustinus Lib. III. *contra Cresconium* cap. 8. Sacramenta comparat semini, quod *operarium* quidem exigit, sed *qua mente operetur, qua laboret intentione*, non curatur.

241. Resp., Augustinum ibi non loqui de intentione ministri, sed solum de ejusdem fide, & sanctitate, quam Cresconius exigebat: & quia subtilis hic Donatista similitudine coloni utebatur, *qui nonnisi fidelis, & diligens quæritur*, unde inferebat, etiam *in Sacramento baptismi nonnisi fidelem, & justissimum operarium adhibendum;* S. Doctor eadem similitudine utens, reponebat, Sacramentorum effectum non dependere ab intentione ministri, quemadmodum ab intentione coloni non pendet fructus seminis, sed ab ipsius seminis virtute, & a fertilitate terræ. Cum hoc tamen stat, perfectionem Sacramenti etiam ab intentione ministri pendere.

242. Ob. *tertio*. S. Joannes Chrysostomus Homilia XCVI. in Jo. Tom. VIII. utens exemplo asinæ Balaam, *Si*, inquit, *bruti ore, & impura lingua propter improbos Judæos* (Deus) *operatus est, multo magis propter vos bene moratos, etiamsi sacerdotes admodum scelesti sint, sua omnia perficiet, & mittet Spiritum sanctum .... Neque Angelus, neque Archangelus in iis, quæ a Deo data sunt, aliquid efficere potest, sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus omnia administrant. Sacerdos vero linguam suam commodat, manum porrigit. Neque enim justum est, ut propter alterius improbitatem illi, qui fidem sunt amplexati, in symbolis salutis nostræ læderentur*. Nihil igitur a Sacramentorum ministris exigit Chrysostomus, quam linguam, qua forma proferatur, & manum, qua porrigatur materia; intentionem autem non modo reticet, sed plane excludit exemplo asinæ Balaam, in qua nulla esse poterat intentio. His similia habet Isidorus Pelusiota Lib. II. epist. 37.

243. Resp., S. Doctorem de necessitate intentionis eo loci non loqui, quia id ejus scopus non exigebat. Populum enim hortabatur ad debita reverentiæ officia sacerdotibus etiam malis exhibenda; quia etiam illi sunt ministri Dei, quorum lingua, & manu utitur Deus ad symbola salutis nobis exhibenda. Neque officit exemplum asinæ Balaam. Hoc enim cum aliqua restrictione accipiendum esse, ipsa sana ratio suadet, salva nempe proportione, quæ est, & esse debet inter ordinarios Dei ministros, ratione, & libertate utentes, & brutum animal, quo ad ostendendam suam omnipotentiam semel usus est Deus. Nec aliter sensit Isidorus Pelusiota, qui luculenter ibidem suam mentem aperit, dicens: *Is, qui initiatur, quantum ad salutaria symbola spectat, ex improba sacerdotis vita nullo damno afficitur*.

244. Ob. *quarto*. Innocentius IV. in cap. *Si quis puerum* in III. *Decretalium de Baptismo, & ejus effectibus* hæc habet: *Non est necessarium quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia, quæ baptizat, quis baptizatus, & unde sit, nec quod gerat in mente, facere quod facit Ecclesia; immo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est*.

245. Resp., Turrettinum, qui hoc argumento contra eos utitur, mala fide suppressisse verba sequentia ejusdem Innocentii: *Dummodo baptizare minister intendat;* quibus saltem externam ministri intentionem requirit, quæ non ludicre, & lusorie, sed serio totam rem peragat; quod satis est ad Catholicum dogma contra Hæreticos nostri ævi tuendum.

(*a*) Cardin. Norisius in *Vindiciis Augustinianis* cap. IV. §. 7. merito Antonin. Morainem (seu Jo. Martinonum) reprehendit, qui ut Augustini famam decurtaret, scripsit, eum *dubitasse, num baptismus sine intentione datus per jocum, & irrisorie validus sit, ac sensuisse expectandam esse revelationem, antequam talis rebaptizetur*. Ipse vero Norisius putat, Augustinum nomine *fallaciæ*, vel *simulationis* non intellexisse defectum intentionis faciendi, quod facit Ecclesia, sed defectum fidei, seu credulitatis de re, & effectu Sacramenti, qui est sanctificatio animæ per gratiæ infusionem, ut si quis Gentilis vellet baptizari ob lucrum, diceretur *fallaci animo* ad baptismum accedere.

dum. Adde tamen, ex toto contextu haud obscure apparere, doctissimum Innocentium non tantum externam, sed etiam internam aliquam intentionem admittere. Nam ad explicandam suam doctrinam ibidem proponit casum alicujus, qui Saracenum rogat, ut se baptizet. Porro Saracenus ignorat, quid sit Ecclesia, nec credit per immersionem corporis aliud fieri, quam ejus madefactionem, omnia tamen præstat, quæ ab Ecclesia in baptismo præstantur, quamvis non gerat in mente id facere, quod facit Ecclesia. Censet autem Innocentius, validum esse bapatisma sub his duabus conditionibus, *ut forma servetur*, *&* *baptizare intendat*. Ne igitur sapientissimum hunc Pontificem sibi contradicere velimus, ita hoc totum explicari oportebit, ut baptismus serio, & debite administretur exterius, deinde ut minister interius etiam baptizare intendat, quamvis non intendat facere quod facit Ecclesia, scilicet Sacramentum conferre, ejusque salutarem effectum producere, cum ipse ignoret, quid sit Ecclesia, quid Sacramentum, quis ejus effectus: & tantummodo edoctus sit de materia, forma, aliisque necessariis ad baptizandum. Hoc iterum colligitur ex aliis ejusdem Pontificis verbis quæst. 8., ubi exigit, quod minister voluerit, *non tantum balneare*, *vel carnes lavare*, *sed baptizare*. Ceterum hæc scripsit Innocentius, ut privatus Juris interpres, antequam ad Summum Pontificatum eveheretur; neque ipsius Commentarii partem constituunt juris Canonici.

246. Ob. *quinto*. Aliqui Episcopi in sacris Ordinationibus protestantur, se nullum excommunicatum velle ad sacros Ordines promovere; & tamen certum est, eos quoque, qui fortasse reperirentur excommunicationis vinculo irretiti, esse valide ordinatos, nec aliam incurrere pœnam, quam suspensionis.

247. Resp., hanc protestationem, esse tantum comminatoriam; & ideo etiam excommunicatos censeri valide ordinatos, quia Episcopus ignorans eos tali vinculo esse irretitos, ipsis materiam, & formam sacræ Ordinationis cum debita intentione applicat. Quod si hanc intentionem retineret, eorum Ordinatio esset nulla, quemadmodum declaravit Sixtus V. summus Pontifex die 24. Januarii anno 1586., referente Prospero Fagnano Lib. V. *Decretal.* P. I. cap. *Tuæ Litteræ*, Benedictus XIV. hac de re fuse agit in Tract. *De Sacrificio Missæ*, Sect. 2. §. 70., & resolvit, si Episcopus asserat, suam intentionem vere alligasse præmissæ protestationi, Ordinationem esse iterandam; si vero dubia, & incerta remaneat Episcopi intentio, eo quod non satis constet, qua mente eam protestationem emiserit, an illi revera suam aptaverit, intentionem, Ordinationem sub conditione esse repetendam (*a*).

248. Obj. *sexto* ex ratione. *Primo*. Homo in administratione Sacramentorum non est nisi instrumentum Dei, qui est causa principalis; sed in instrumento non requiritur aliqua intentio: ergo &c. *Præterea*, non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti, qui suscipit Sacramentum, semper anxius, & incertus erit, an vere Sacramentum susceperit; cumque aliqua Sacramenta sint ad salutem necessaria, homines sine sua culpa perpetua angustia, atque anxietate cruciabuntur. *Tertio*, cum tanta sit humanæ mentis imbecillitas, ut non possit semper ad ea, quæ agit, attendere, ministri etiam diligentiores aliquando debita carebunt intentione, & frustrabuntur Sacramenta. *Quarto*, ut Sanctus Augustinus dicit in Præfat. ad Psalm. XXI., *fides dirigit intentionem*; sed fides non est necessaria ad Sacramenti valorem: ergo nec intentio.

249. Respondet omnibus his difficultatibus Sanctus Thomas 3. P. qu. 64. art. 8. & 9. Et quidem ad 1. *Instrumentum*, inquit, *inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus; sed loco intentionis est motus*, *quo movetur a principali agente*. *Sed instrumentum animatum*, *sicut est minister*, *non solum movetur*, *sed etiam quodammodo movet se ipsum*, *inquantum sua voluntate movet membra ad operandum*: *&* *ideo requiritur ejus intentio*, *qua se subjiciat principali agenti*, *ut scilicet intendat facere*, *quod facit Christus*, *&* *Ecclesia*. . .

250. Dices. Quia homo annuntians verbum Dei non est nisi instrumentum, nulla in eo requiritur intentio: ergo pariter in dispensatione Sacramentorum &c.

251. Resp., latum esse discrimen, quia verbum Dei non conficitur, sed solum annuntiatur; Sacramenta autem a ministro conficiuntur; unde necessaria est intentio, ut materia, & forma determinentur ad esse Sacramentale, cum ex se sint indifferentia. Vid. sup. n. 224. (*b*).

252. Ad secundum, *dicendum*, inquit, *quod cir-*

(*a*) Ceterum idem sapientissimus Pontifex Lib. VIII. *De Synodo Diæces.* cap. 11., probat quidem eorum Episcoporum prudentiam, qui sub pœna excommunicationis præcipiunt, ne quisquam canonico impedimento irretitus ad Ordines suscipiendos accedere audeat; eos autem reprehendit, qui publice denuntiant, se intentionem non habere ordinandi irregulares, censuris innodatos, carentes legitimo patrimonio, &c. *Quamquam autem*, subdit, *præsumendum sit*, *unicum ejusmodi protestationum scopum esse*, *deterrere*, *qui aliquo ex enunciatis vitiis laborans*, *ad Ordines sacrilege suscipiendos se accingit .... nihilominus tamen*, *cum prædictam protestationem Ordinationi præmittit*, *innumeris scrupulis*, *&* *animi anxietatibus occasionem præbet*. Unde concludit, *præstari omnino*, *ut Episcopus a generali illa protestatione abstineat*. Idem antea docuerat Nat. Alexander *De Sacram. in genere* cap. 7. num. 3. Regula 1.

(*b*) Theologi Catholici inter se non omnino consentiunt in determinanda actione ministri. Aliqui enim, ut Cajetanus in 3. P. qu. 64. art. 1., & Dominicus Soto in IV. Dist. I. qu. 5. art. 1. quamdam esse volunt

circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro, quæ si desit, non perficitur Sacramentum: sed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum, supplet Christus, qui interius baptizat; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis, sed quantum ad effectum, qui est res, & Sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur, quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur, nisi per Sacramentum.

253. *Et ideo alii melius dicunt, quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum.* Quod si hæc omnia ad plenam animi tranquillitatem non sufficiant, meminisse oportet eorum, quæ diximus Tom. VI. P. II. cap. 4. scilicet neminem sine speciali Dei revelatione certum esse posse de sua justificatione; unde Apostolus nos monet Philipp. II. 12., ut *cum metu, & tremore nostram salutem operemur*. Sane si scrupulis indulgere velimus, poterit aliquis etiam dubitare, an in forma, vel materia aliquod vitium essentiale occurrerit; quod nonnunquam contigisse certis historiæ monumentis edocemur.

254. Ad 3. vero ita respondet: *Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem* (vel ut alii legunt, *virtualem* Vid. sup. n. 215. in not.), *quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; puta cum sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum. Quamvis studiose curare debeat Sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat: sed hoc non est totaliter positum in hominum potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Ps. XXXIX. Cor meum dereliquit me.*

255. Postremam difficultatem diluit Angelicus art. 9. ad 1. inquiens: „Potest contingere, quod a„liquis patiatur defectum fidei circa aliquid, & „non circa veritatem Sacramenti, quod exhibet; „puta si aliquis credat, juramentum esse in o„mni casu illicitum, & tamen credat, baptismum „efficaciam habere ad salutem: & sic talis infi„delitas non impedit intentionem conferendi Sa„cramentum. Si vero patiatur fidei defectum cir„ca ipsum Sacramentum, quod exhibet, licet cre„dat, per id, quod agitur exterius, nullum se„qui interiorem effectum, non tamen ignorat, „quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmo„di, quæ exterius aguntur, præbere Sacramen„tum: unde non obstante infidelitate potest inten„dere facere id, quod facit Ecclesia, licet æsti„met, id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad „Sacramentum, quia minister Sacramenti agit in „persona totius Ecclesiæ, ex cujus fide supple„tur id, quod deest fidei ministri “.

256. Dices. Defectus intentionis est peccatum ministri, quod ipsi soli nocere potest, non autem suscipienti Sacramentum; *neque enim justum est, ut propter alterius improbitatem illi, qui fidem sunt amplexati, in symbolis salutis nostræ læderentur*, inquit Chrysostomus supra n. 242. laudatus. Et S. Thomas 3. P. qu. 64. art. 10. ad 3. *Ex perversa intentione ministri*, inquit, *pervertitur id quod agit in Sacramentis, inquantum est opus ejus, non inquantum est opus Christi, cujus est minister*. Præterea in distributione Eucharistiæ nulla requiritur intentio: ergo neque in ejusdem consecratione.

257. Resp. ad 1., peccatum ministri omittentis intentionem nocere suscipienti, non quasi ejusdem peccati sit particeps, sed quatenus Sacramentum non recipit; eodem modo ac si minister debitam materiam, vel formam omitteret.

258. Ad 2. Quando Eucharistia distribuitur, Sacramentum est jam confectum, quamobrem nulla tunc requiritur intentio, quæ tamen necessaria est in ipsius Sacramenti confectione.

259. Dices postremo. Si homo vigilans proponat conferre Sacramentum, postea dormiens, aut ebrius, aut amens illud reipsa conferat, valide confert; nam eadem videtur ratio conferentis, ac suscipientis: sed potest valide conferri baptismus homini, qui illum petit, postea vero aut dormiens, aut ebrius, aut lethargo sopitus, aut amens sit: ergo etiam sine intentione, quæ in hujusmodi homine nulla esse potest, valet Sacramentum.

260. Resp. cum S. Thoma in IV. Dist. VI. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3., in baptizato ad recipiendum Sacramentum, & rem Sacramenti, *non requiri aliquid causans ex parte recipientis, sed solum impedimentum removens; quod quidem impedimentum nihil aliud est, quam voluntas contraria alteri prædictorum: & ideo in adultis, & in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu, requiritur & contritio, sive devotio ad percipiendam rem Sacramenti, & intentio, vel voluntas ad recipiendum Sacramentum. In pueris autem absque utroque percipitur & Sacramentum, & res* Sa-

in ministris virtutem operativam. Alii vero totam efficientiam Sacramento tribuunt, seu potius Deo, qui per Sacramenta in nobis justitiam operatur. In hac tamen sententia adhuc desideratur intentio ministri, qui ut instrumentum vivum, & liberum, formam applicat materiæ, ut fiat Sacramentum.

Sacramenti; & similiter est in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit, etsi non actu. Patet igitur ex hac Angelici doctrina communiter a Theologis recepta, diversam esse rationem dantis, ac recipientis Sacramenta: licet enim in recipiente non semper requiratur intentio, ea tamen semper requiritur in dante, ut ibidem quæstione. 1. hac ratione ostendit: *Ad effectum Sacramenti videmus multa concurrere, scilicet ministrum, formam verborum, & materiam; hæc autem non possunt colligari ad invicem, ut sint una causa, nisi per intentionem baptizantis, qui scilicet formam ad materiam applicat, suum vero ministerium ad utrumque, & totum hoc ad Sacramenti collationem; & ideo requiritur intentio baptizantis. Et similiter etiam in omnibus aliis Sacramentis requiritur intentio ministri cum debita materia, & forma, non solum ad effectum Sacramenti consequendum, sed ad Sacramenti perceptionem.*

CAPUT VIII.

Ostenditur, non valere Sacramentum etiam serio externe collatum, si ministro desit interna intentio faciendi quod facit Ecclesia.

261. Hactenus pro dogmate fidei nostræ contra hæreticos pugnavimus; nunc alia exoritur controversia, gravissima illa quidem: sed quæ salvo fidei vinculo inter catholicos jamdiu agitatur. Videlicet quale sit objectum illius intentionis, quam necessariam esse demonstravimus ad conficiendum Sacramentum? An sufficiat intentio ponendi serio materiam, & formam Sacramenti, ut nulla irrisio exterius appareat, an vero requiratur interior ministri intentio faciendi ritum sacrum, & Sacramentalem, prout intendit facere Ecclesia? Primum asseruit, omnique conatu evincere nisus est Ambr. Catharinus ex S. Dominici Instituto ad Episcopatum Minorensem, deinde ad Archiepiscopatum Compsanum assumptus, in Opusculo inscripto *De intentione ministri*, quod Romæ edidit an. 1552., cum adhuc celebraretur Synodus Tridentina, cui Catharinus ipse interfuit. Vult itaque Catharinus, ad Sacramentum valide administrandum sufficere, ut minister intentionem habeat serio perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhibetur, etiamsi intra se ritum illum, ut profanum, vel superstitiosum irrideat, dummodo tamen exterius nullo signo pravam suam voluntatem manifestet. Hinc a Catharini asseclis intentio ad Sacramentum perficiendum necessaria vocari solet *externa*, ratione scilicet objecti, quia spectat ritum externum celebrandum eo modo, quo ab Ecclesia celebratur; quæ tamen revera interior est ratione principii, cum sit deliberatus voluntatis actus. Ita loquitur Nat. Alexander Lib. II. *Theol. Dogm. & Moral.* cap. 7. art. 3. Reg. 1. Catharino pauci quidam præivisse dicuntur, nempe Petrus Cantor, Robertus Card. Pullus, Petrus Peludanus Patriarcha Jerosolym. & Sylvester Prieras S. Apost. Palatii Magister (hi duo erant ex S. Dominici Familia): sed ipsius sententiam postea multo plures amplexi sunt (*a*).

262. Hanc Catharini sententiam nonnulli Theologi acrius, quam oporteret, insectati sunt, quasi nihil differret a damnato Lutheranorum errore. Vener. Card. Bellarminus Lib. I. *De Sacramentis* cap. 25. non aliud vult esse inter Catharini, & Kemnitii, aliorumque hæreticorum sententiam discrimen, quam quod Catharinus in fine sui Opusculi se Apostolicæ Sedis, & Concilii judicio subjiciat; Kemnitius vero rideat utrumque. Idem fere censet Cardinalis Joannes De Lugo Disp. VIII. *de Sacram.* sect. 2. Honor. Tournely, aliique pauci.

263. „ Verum hujusmodi censores, ait Benedi-
„ ctus XIV. Lib. VII. *De Synodo Diœcesana* cap.
„ 4., Concilii Tridentini historiæ se prorsus jeju-
„ nos ostendunt. Etenim Sessio VII., ubi primo
„ impium hæreticorum dogma anathemate confos-
„ sum fuit, habita est die 3. Martii 1547., & lau-
„ datum Catharini Opusculum Romæ typis impres-
„ sum prodiit anno 1552., quin opusculi auctor
„ ea occasione in aliquam erroris suspicionem ve-
„ nerit. Quapropter Card. Pallavicinus, cui Tri-
„ dentini canones, & decreta, eorumque genuinus
„ sen-

(*a*) Catharini sententiam illustravit & defendit Jac. Hyac. Serry Ord. Præd. in Patavina Academia S. Theol. Professor admodum celebris in Opusculo cui titulus: *Vindiciæ Ambr. Catharini de necessaria in perficiendis Sacramentis intentione*, anno 1726. Hoc opusculum impugnavit P. Lambertus Gaud ejusdem Instituti in Avenionensi Academia Mor. Theologiæ Professor in *Dissert. Theol. Hist. Dogm. Scholast. & Morali De intentione in Sacramentorum ministro necessaria*. Huic Dissertationi occurrit laud. Professor Patavinus editis *Vindiciis vindiciarum Ambr. Catharini*, stylo, ut solebat, acriori suum adversarium oppugnans; qui tamen sibi non defuit, & secundam curavit suæ dissertationis editionem Avenione anno 1733. auctiorem, & emendatiorem; cui Serryus nihil, quod sciam, reposuit. Interim numerus asseclarum Ambr. Catharini, in Galliis præcipue, auctus est, ejusque sententiam ex Dominicana Familia adoptarunt Vinc. Contensonius Lib. IX. Dissert. II., Ren. Hyac. Drouven. *De re Sacramentaria*, & Nat. Alexander in *Theol. Dogmatica, & Morali*. Ex aliis autem Theologis potissimum numerantur Alphonsus Salmeronius, Gaspar Juenin, Jo. Marius Scribonius, Petrus de Marca Lib. *De sacrificio Missæ*, Jac. Sanbovius, ac nonnulli alii: immo si credimus Nic. l' Herminier, hæc sententia *communior* facta est. Sed ego affirmare non dubito, *communiorem* semper fuisse, & adhuc esse apud Theologos oppositam sententiam. Qui enim Catharinum sequuntur, facile numerari possunt, ut eosdem numerat Contensonius (quanquam laud. Lamb. Gaud nonnullos esse immerito nominatos non contemnendis argumentis contendit). Qui vero eidem repugnant, nec numerari possunt. Id nec diffitetur ipse Jac. Hyac. Serry, qui cap. 14. suarum *Vindic.* n. 2. nostram sententiam vocat *frequentiorem, & communiorem in scholis*.

,, sensus ignota profecto non erant, in ejusdem
,, Concilii Historia Lib. IX. cap. 6. n. 2. loquens
,, de sententia a Catharino in eodem Concilio pro-
,, pugnata hæc habet: *Equidem existimo Catha-*
,, *rini sententiam falsam esse, sed non ideo per*
,, *Tridentini canones diserte damnatam; qua-*
,, *propter fas illi fuit, affirmare, eam Concilio*
,, *non contradicere*. Et Lib. XII. cap. 10. expo-
,, nens decreta Pœnitentiæ Sacramentum spectan-
,, tia, a Concilii Patribus formata, n. 34. ait: *Ex*
,, *hisce postremis verbis conjicere potest quisquis*
,, *ea legerit, haud esse expunctam sententiam*
,, *Catharini, aliorumque Theologorum opinantium,*
,, *Sacramento, ut ratum sit, sufficere in ministro*
,, *voluntatem serio agendi, & obesse tantummodo*
,, *voluntatem jocandi, quam Sacramentum susci-*
,, *piens cognoscere possit*. Quamobrem melioris ju-
,, dicii Theologi Catharini opinionem ab hæresis
,, censura vindicant, latumque inter illam, ac Lu-
,, theri, & Calvini doctrinam discrimen intercede-
,, re demonstrant". Hactenus sapientissimus Pontifex cujus æquissimo judicio aliquid addere, supervacaneum existimamus (*a*).

264. Idem tamen doctissimus Pontifex, quanquam pro certo asserat, nullam usque adhuc emanasse expressam Apostolicæ Sedis definitionem, *communiorem*, tamen, & *tutiorem* esse dicit sententiam, quæ exigit in ministro intentionem vel actualem, vel virtualem faciendi non solum ritum externum, sed id, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia; quam sententiam una cum majori parte Thomistarum, immo & Theologorum etiam nos propugnabimus.

PROPOSITIO.

Ut vere conficiatur Sacramentum, non sufficit intentio serio ponendi materiam, & pronunciandi formam, sed requiritur interna intentio faciendi, quod facit Ecclesia, nempe rem sacram, & Sacramentalem.

265. Prob. Quanquam, ut mox cum Benedicto XIV. monuimus, nulla hac de re hactenus prodierit expressa Apostolicæ Sedis definitio, *grave tamen vulnus*, inquit idem Pontifex, opinioni Catharini inflictum fuit ab Alexandro VIII., qui die 7. Decembris anno 1690. hanc inter alias propositionem damnavit: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia*.

266. Porro, qui Catharini sententiam propugnant, non parum laborant, ut hoc Vaticanum fulmen declinent: nec aliud reponere solent, quam inde fuisse illam propositionem a Rom. Pontifice proscriptam, quia nimis generalis erat, & indefinita, ut facile posset ad damnatum jam Lutheri errorem pertrahi, quasi baptismus etiam joculariter, vel sine debitis circumstantiis loci, & temporis, aut per vim collatus validus censendus esset (*b*). Addit Jac. Hyac. Serry cap. 12. se Romæ tunc commorantem interrogasse nonnullos primæ notæ Præsules consultores, qui in sacro tribunali Judices sederant, num sententiam Catharini eo decreto proscribere voluissent, eosque semel & iterum id pernegasse.

267. At vero quanquam nemo prudenter dixerit, sententiam Catharini fuisse ab Alexandro *expresse* damnatam, cum eamdem videamus palam, & impune a non paucis, nec ignobilibus Theologis propugnari, contendimus tamen una cum Benedicto XIV. mox allegato, *grave vulnus* eidem sententiæ fuisse inflictum, adeo ut *minus tuta* sit reputanda; adeoque vel hoc solo titulo rejicienda, cum nemo ignoret, ex decreto Innocentii XI. die 2. Martii anno 1679., *illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*.

268. Accedit, quod quamvis sententia Catharini in Concilio Tridentino damnata dici non possit, quia eorum Patrum consilium erat unice impiam, & absurdam Lutheranorum hæresim hac in parte proscribere, nostra tamen sententia fit ejusdem Concilii decretis multo conformior. Nam *primo* exigitur a Concilio *intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia*. Habetne hanc intentionem, qui ritus Ecclesiæ, ut vanos, vel superstitiosos irridet, immo interius omnino statuit, nolle se facere, quod facit Ecclesia? Ulterius, Sess. XIV. cap. 6. decernitur, absolutionem Sacerdotis *non esse solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed esse ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice, sententia pronunciatur*. Quis autem negaverit, ad actum *judicialem* absolvendi requiri internam volitionem, qua Sacerdos intendat pœniten-

(*a*) Haud me fugit, nonnullos ex Protestantibus fuisse de Catharini patrocinio in hac controversia de intentione ministri gloriatos, ut de Ind. Le-Blanc supra notavimus ad n. 214. Id etiam asserebat Kemnitius, sed frustra. Neque enim Catharinus negavit unquam Sacramenti intrinsecam efficaciam, aut verba formulæ esse vere consecratoria, ut Protestantes negant; neque proinde docuit, ut ipsi docent, valere Sacramenta etiam scurriliter, & mimice collata. Æquior fuit hac in re Marcus Ant. de Dominis, qui quamvis in sua apostasia in errorem Lutheri lapsus fuerit, sincere tamen fassus est Lib. V. *De Republ. Eccles.* cap. 12., Catharinum esse a sua sententia valde remotum.

(*b*) Franc. Henno Theologus Belga hanc propositionem desumptam fuisse testatur ex Thesibus cujusdam Doctoris, qui non Lutheranorum, sed Catharini sententiam defendebat. Idem testatur quoque Henricus a S. Ignatio Lib. I. *De Sacrament.* cap. 11., unde aliqui inferunt, ipsissimam Catharini opinionem fuisse sacro ob id confixam. Sed repugnant, quæ supra n. 263. ex Benedicto XIV. attulimus.

tentis peccata remittere? Denique cum tam Concilium Tridentinum, quam Eugenius IV. præter materiam, formam, & ministrum, requirant etiam ejusdem ministri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, hoc postremum requisitum fuisset inutiliter expressum, si per hanc intentionem nihil intelligeretur aliud, quam externa appositio materiæ, & prolatio formæ, vel interna intentio materiam apponendi, & formam pronunciandi. Primum enim erat satis expressum, quin adderetur intentio; alterum autem, scilicet intentio apponendi materiam, & pronunciandi formam, erat supervacaneum; quia semel ac minister materia, & forma utatur, jam necessario involvitur intentio id faciendi. Notanda denique sunt illa Tridentini decreti verba, quibus nulla absolutio declaratur, *si Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit;* qui certe animus *vere absolvendi* illi ministro deest, qui externum ritum simulat, interiorem autem irrisionem abscondit.

169. Non me latet, quot, & quantas subtilitates adversarii invenerint, ut suam sententiam definitionibus Concilii Tridentini, aut Eugenii IV. minime contrariam esse, ostendant. Neque ego contendo, eamdem reipsa iis definitionibus aperte adversari; alias non posset in catholica Ecclesia defendi. Mihi satis est, nostram sententiam doctrinæ Ecclesiæ magis esse conformem, ut inde concludam, eamdem esse probabiliorem, & *tutiorem* atque adeo alteri præferendam. Et sane quis unquam negaverit, *tutius* esse externæ Sacramentorum administrationi internam etiam voluntatem adjungere, faciendi ritum sacrum, ut Ecclesia facere intendit?

270. Serryus fatetur, nostram sententiam esse tutiorem *in praxi;* at vero quæstionem quam agitamus, non *ad praxim*, sed ad *speculationem* pertinere dicit. Addit postea, in praxi Catharini sententiam minus periculosam esse, quia si minister sit improbus, vel prava intentione non utetur, sciens eam nullum præjudicium suscipienti Sacramentum inferre, vel si pro sua malitia utatur, nihil poterit innocenti nocere.

271. Sed facile est videre, quæstionem hanc ad praxim omnino pertinere. Quæritur enim, an qui sine intentione baptizatus fuerit, debeat rebaptizari? Et nos respondemus *debere*, quia id tutius est. Quæritur insuper, an malitia ministri possit innocenti nocere retinendo intentionem? Respondemus autem *posse;* adeoque si malitia detegatur, *tutius* esse Sacramentum iterato conferre. Improbus autem minister parum erit de una, vel altera opinione sollicitus, suæ malitiæ solummodo intentus.

272. Alii autem adversarii negant, id *tutius* esse propter periculum iterandi Sacramenta, quæ imprimunt characterem; ac propterea dicunt, nostrum argumentum ductum a *tutiori* ita non valere, sicut non valuisset simile argumentum Donatistarum: *Tutius est, ministrare Sacramenta cum recta fide, & cum sanctitate: ergo &c.*

273. Resp. Jam vidimus superius, ab optimo Pontifice Benedicto XIV. nostram sententiam fuisse appellatam *tutiorem*. Vidimus insuper n. 247. decisionem Sixti V., esse iterandam Ordinationem excommunicati, si Episcopus asserat, se non habuisse intentionem ordinandi eos, qui essent censuris ecclesiasticis innodati. Fictitium proinde est hoc periculum iterandi Sacramenta. Deinde ad evitandum iterationis sacrilegium, ubi res dubia est, solet adhiberi conditio (a).

274. His accedunt Rubricæ Missalis Romani, auctoritate Clementis VIII. probatæ, in quibus cap. 7. irrita declaratur consecratio, si quis habens coram se undecim hostias, *intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit;* cujus declarationis hæc affertur ratio, *quia requiritur intentio*, non utique sola externa, quæ in hoc casu non deest, sed interna, quæ deest. Neque vero audiendi sunt, qui Rubricas Missalis non magni facere videntur. *Primo* enim Rom. Pontificis nomen, auctoritatemque semper venerandam præseferunt. *Deinde* non agitur hic de privatis quibusdam cæremoniis, sed de ipsa consecratione, quam validam, aut invalidam esse statuitur, prout adest, vel deest, interna consecrandi intentio: quod maximi esse momenti, nemo non videt. Ex his autem omnibus recte concludi posse videtur, sententiam, quam defendimus, & *tutiorem* esse, & Ecclesiæ menti omnino conformem: quod sufficit, ut eam amplectamur, licet Ecclesia suos filios hactenus non adegerit, ad eam, tanquam inconcussum fidei dogma, sequendam.

275. His extrinsecis rationibus ea addere possumus, quæ superius n. 222. contra heterodoxos prolata sunt. Si enim, qui Sacramenta conficiunt, sunt *ministri Christi, & dispensatores mysteriorum*

(a) Placet exscribere verba Nat. Alexandri Theologi gravissimi. Postquam enim in Lib. II. *Theol. Dogmat. Mor.* cap. 7. art. 3. reg. 1. sententiam Catharini exposuisset, secundum quam non essent iteranda Sacramenta, collata a ministro juxta ritum Ecclesiæ, quamvis ipse postea dicat, se illa conferre noluisse, ita prosequitur. „ Cum tamen alii Theologi sententiam Catharini rejiciant, in eaque hypothesi iterandum censeant „ Sacramentum, saltem sub conditione, *quod id tutius sit nullique periculo obnoxium videatur*, consultius esse existimo, si quando casus emerserit, in Regula expressus, ut Sacerdotes in hac ambiguitate „ quæstionis, Episcopum interrogent, quid factu sit „ opus, Episcopus vero, si res moram patiatur, & „ necesse judicet, ut Sedem Apostolicam consulat, ad „ quam *Majores* Ecclesiæ causas, & difficiliores quæstiones, fidem, aut disciplinam spectantes, referendas esse constat ex sacris canonibus, & consuetudine semper in Ecclesia observata, ut confirmat Innocentius III. cap. *Majores* Extra *de Baptismo, & ejus effectu*. Secundum autem judicium, & responsum Rom. Pontificis iterandum erit *sub conditione*, „ vel sine conditione; aut non iterandum in hujusmodi hypothesi Sacramentum".

rum Dei, nonne oportet, eos sinceram habere, & proprie dictam intentionem faciendi illud, quod a Christo institutum est? Anne ille dicetur dispensator mysteriorum Dei, qui interne statuit, se nonnisi exterius velle hanc dispensationem simulare? Rursus quomodo ille censebitur exercere potestatem sibi a Domino collatam dimittendi, vel retinendi peccata, qui exterius quidem verba profert, eadem tamen interius inutilia esse credit, atque omni sensu carere vult? Quomodo de pane Eucharistico edens, & de calice bibens, hoc faciet in Jesu Christi commemorationem, qui intus in corde dicit, se nonnisi externa fictione id facere? Porro si exterius hanc suam simulationem manifestaret, non dubitant ipsi adversarii, irritum futurum Sacramentum; ecqur ergo non erit irritum, si hoc detestabile vitium in corde lateat? Vitium porro est semper idem, sive intus delitescat, sive exterius prodeat; actum enim externum nihil addere bonitatis, vel malitiæ actui interno, ex S. Thoma docuimus Tom. VII.

276. Rationes item supra n. 224. & seq. ex S. Thoma depromptæ non solum probant, ad Sacramenta conficienda necessariam esse intentionem externam, sed etiam internam. Si enim administratio Sacramentorum est actio humana, debet ex judicio rationis, & libera voluntatis determinatione procedere, quod sine interna intentione fieri nequit. Ulterius, cum actio illa externa ex se indifferens sit, & possit esse vel Sacramentalis, vel profana, ut patet in ablutione corporis, quid eam determinabit, ut sit Sacramentum, nisi intentio agentis? Quod enim aliqui dicunt, eam actionem determinari a circumstantiis loci, temporis, adstantium &c. leve est; potest enim contingere, ut quis puerum infidelem, vel Judæum vere baptizet, dum exterius simulat eum lavare causa munditiei, vel sanitatis. In hoc certe casu nonnisi ab interna baptizantis intentione pendebit, ut illa lotio sit Sacramentalis, vel profana. Præterea S. Thomas quando hanc rationem de necessitate determinandi ritum externum, ut sit Sacramentalis, & non profanus, attulit, non confugit ad circumstantias personæ, loci, temporis &c. sed *ad intentionem* Ministri.

277. Obj. *primo*. S. Thomas 3. P. quæst. 64. art. 8., ubi hanc ipsam rationem a nobis mox allegatam proponit, expresse asserit, intentionem, quæ necessaria est ad determinandam actionem, ut sit Sacramentalis, *exprimi in verbis*, *quæ per Sacramenta dicuntur*, *puta cum dicit: in nomine Patris &c.*

278. Resp., Angelicum non dicere, hanc intentionem, quæ est necessaria ad Sacramentum, *contineri* in verbis &c. sed *exprimi* in iis verbis, quatenus procedunt ex interna mentis intentione faciendi rem sacram. En integrum textum: „Ea, quæ „in Sacramentis aguntur, possunt diversimode a„gi. Sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, „potest ordinari & ad munditiem corporalem, & „ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad „multa alia hujusmodi: & ideo oportet, quod de„terminetur ad unum, *id est ad Sacramentalem* „*effectum per intentionem abluentis; & hæc in*„*tentio* (jam in corde formata) *exprimitur* (ex„terius) *per verba &c.*" Rursus in resp. ad 1. cum dixisset, ministrum esse instrumentum animatum, quod non solum movetur, sed quodammodo movet seipsum, hæc subdit: *Et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia.* Itane intendit, aut intendere potest impius ille minister, qui formam proferens *dat sine mente sonos?*

179. Instant hic acriter adversarii. S. Præceptor ibid. ad 2. respondens difficultati sibi objectæ, quod si intentio ministri requiratur ad Sacramentum, cum hæc sit occulta, nemo poterit esse de receptione Sacramenti securus, ita loquitur: *Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum.* Idem antea docuerat Angelicus in IV. Dist. VI. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 2., dicens: *In Baptismo, & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.* His S. Thomæ verbis maxime exsultant adversarii, & Contensonius putat, iisdem *rem totam esse confectam*, cum videantur esse *sole clariora* (*a*).

280. Resp., negari utique non posse, haud levem primo intuitu ex his locis ingeri difficultatem, quæ tamen evanescet, si *primo* alia Angelici Præceptoris verba considerentur, quibus necessitatem asserit internæ intentionis, ut *se subjiciat principali agenti*, *intendat facere*, *quod facit Christus*, *& Ecclesia:* quæ certe intentio illi deest, qui intus in corde proponit, se dumtaxat velle serio externum ritum ad alios decipiendos facere, nullatenus autem facere Sacramentum, quod Christus, & Ecclesia faciunt. Rursus magis etiam evanescet difficultas, si alia perpendantur ejusdem S. Doctoris verba, quæ in eodem articulo habet in resp. ad 3., ubi postquam dixisset, sufficere ad perfectionem Sacramenti intentionem virtualem, hæc addit: *Quamvis studiose curare debeat Sacramen-*

(*a*) P. Gabr. Vasquez Disput. CXXXVIII. in 4. P. nimia facilitate S. Thomam adversariis concedit, parum fortasse considerans quantum auctoritatis, & ponderis, eorum sententiæ accederet, si de S. Thomæ patrocinio, nobis etiam fatentibus, gloriari possent.

menti minister, *ut etiam actualem intentionem adhibeat: sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate*, *quia præter intentionem*, *cum homo vult multum intendere*, *incipit alia cogitare*, *secundum illud Ps. XXXIX. Cor meum dereliquit me*. Hæc profecto mire concordant cum interna intentione faciendi rem sacram, qualem faciunt Christus, & Ecclesia, nullatenus vero cum ea intentione conciliari queunt, quam credunt adversarii sufficere, ut minister velit ritum sacrum externe simulare. Ad id enim sufficeret etiam intentio *habitualis*, nec requireretur *virtualis*, ac multo minus *actualis*. Denique ne nimius sim, luculentissime apparet mens S. Præceptoris ex iis, quæ habet art. 10., ubi docet, duobus modis posse intentionem ministri perverti; *uno modo respectu ipsius Sacramenti*, *puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre*, *sed derisorie aliquid agere; & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti; præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. Alio modo &c.* Hæc plane decretoria sunt. Frustra enim accuratissimus S. Thomas adhibuisset illud adverbium *præcipue*, si loqueretur solum de extrinseca *derisione;* diceret enim, tolli veritatem Sacramenti, quando *extrinsece* confertur derisorie; & *præcipue*, quando illa derisoria intentio manifestatur; quæ mera esset battologia.

281. Cum itaque doctrina Angelici tam aperta sit, ut de ea prudenter dubitari nequeat, cohærenter explicari debent testimonia nobis objecta. Nimirum primo loco dicit, sufficere illam intentionem, quæ exprimitur per verba Ecclesiæ ad pacandos fidelium animos, ne dubiis, & anxietatibus torqueantur, eo quod cognoscere non possint internam ministri intentionem. Semel enim ac videant, omnia serio, ac rite peragi, & in verbis formæ exprimi intentionem Ecclesiæ, potest unusquisque, & debet acquiescere, cum prudenter credi possit, ac debeat ministro internam non deesse intentionem, *nisi contrarium exterius exprimatur*. Sicut quando hostia sacrosancta publicæ venerationi exponitur, nemo prudenter dubitare potest, an ea sit rite consecrata. Ita mentem S. Thomæ exponunt nobilissimi ejus interpretes Card. Cajetanus, Franc. Suarez, Eminentissimus Gotti, & Car. Renatus Billuart, qui plures alios citat.

282. Hæc interpretatio conformis est scopo ejusdem S. Doctoris eo loci, qui erat diluendi objectionem contra necessitatem intentionis ex eo ductam, quod cum hæc intentio nota non sit, non posset homo certus esse de Sacramenti susceptione. Non respondet autem, ut profecto Catharinus responderet, non requiri internam ministri intentionem, cum sufficiat externa Sacramenti administratio serio, & in debitis circumstantiis peracta. Sed respondet *primo* ex aliorum opinione, quod defectum intentionis ministri in pueris supplet Christus, qui interius baptizat, in adultis autem supplet fides, & devotio. Sed bene advertit, *hoc satis dici posse*, *quantum ad ultimum effectum*, *qui est justificatio a peccatis; sed quantum ad effectum*, *qui est res*, *& Sacramentum*, *scilicet quantum ad characterem*, *non videtur*, *quod per devotionem accedentis possit suppleri*, *quia character nunquam imprimitur*, *nisi per Sacramentum*. Perspicue hic vides, sine illa intentione, quæ nota non est, utpote interna, non perfici Sacramentum, nec imprimi characterem. Pergit postea solvere difficultatem alio modo, non negando requiri illam intentionem, quæ utpote interna, nota esse non potest; sed quia minister agit in persona Ecclesiæ, & in verbis formæ, quam profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, hoc sufficere debere, ut credatur, ministrum habuisse veram intentionem internam; adeoque haberi certitudinem saltem moralem de Sacramenti valore, *nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri*, *vel recipientis Sacramentum*.

283. Neque movere nos debet, quod contra hanc solutionem objicit Card. Jo. De Lugo Disp. VIII. *De Sacr.* sect. 4. num. 65., scilicet lopui S. Thomam de valore intrinseco Sacramenti, cum dicat, intentionem Ecclesiæ *sufficere ad perfectionem Sacramenti*. Facile enim hoc explicatur ad mentem S. Doctoris, scilicet sufficere verba, quæ profert minister, & quæ exprimunt intentionem Ecclesiæ, ut merito credamus perfectum esse Sacramentum, nisi contrarium minister ipse manifestet (*a*).

284. Aliquanto difficilior est explicatio verborum S. Thomæ ex Comment. in IV. *Sentent.* & aliqui non sine fundamento dicunt, S. Doctorem eo loci non suam, sed aliorum opinionem referre; & quamvis verba similia videatur adhibere in *Summa*, non sunt tamen prorsus eadem. Nam *primo* in objecto loco *Sententiarum* dixit, sufficere expressionem intentionis *per verba ab Ecclesia instituta;* quasi vero forma baptismi fuerit ab Ecclesia, & non ad ipso Christo instituta: accuratius autem in *Summa* dicit quidem, per verba exprimi intentionem Ecclesiæ, non autem dicit, *verba esse ab Ecclesia instituta*. Præterea in Lib. *Sentent.* sola illa memorata Sacramenta, *quæ habent in forma actum exercitum;* in *Summa* vero nullam ponit exceptionem. Domin. Soto in IV. Dist. I. quæst. 5. art. 8. refert, aliquos loco *mentalis* intentionis, quam dicit non requiri, legisse *specialem*, quæ utique non est necessaria.

285. Sed quidquid de hac re sit, adversarii non ne-

(*a*) Ipse autem Cardinalis aliam explicationem substituit, putans, S. Thomam solum excludere necessitatem intentionis internæ *expressæ*, *& explicitæ;* non autem *virtualis*, *& implicitæ*. Alii alias afferunt interpretationes. Sed nostra est scopo S. Thomæ magis conformis.

negabunt, si quid dubii emergat in doctrina S. Thomæ, ea quæ junior scripsit in *Lib. Sent.* explicanda esse ex iis, quæ senior postea tradidit in *Summa Theologica;* adeoque illa verba, quæ in objectione ex IV. Lib. *Sentent.* objecta sunt, eodem modo esse intelligenda, quo intelligenda esse diximus verba ex 3. P. quæst. 64. art. 8., quia in utroque loco S. Doctor eamdem difficultatem motam contra necessitatem intentionis resolvit.

286. Instat Catharini vindex, vocans nostram responsionem ludicrum interpretamentum, contextui e diametro repugnans, quia S. Doctor dicit, intentionem Ecclesiæ *sufficere ad perfectionem Sacramenti:* non dicit ad *securitatem recipientis*, ut nos explicamus, textum prorsus adulterantes. Insuper ibidem Angelicus eorum rejicit opinionem, qui dicunt, *quod requiritur mentalis intentio in ministro*; *quæ si desit, non perficitur Sacramentum:* non aliam ergo requirit intentionem ad perficiendum Sacramentum, quam quæ exprimitur per verba formæ.

287. Resp. *ad primum*, non esse falsam nostram interpretationem, quæ, ut nuper dictum est, colligitur manifeste ex scopo S. Præceptoris, qui erat ostendendi, homines esse posse saltem *moraliter* certos de susceptione Sacramenti, quamvis necessaria interna ministri intentio ipsis nota non sit; quia hæc exprimitur in verbis, quæ profert, nisi contrarium exterius manifestetur; unde dubitari non potest, pesfectum fuisse Sacramentum.

288. Neque obstat, quod titulus illius articuli sit de perfectione Sacramenti, non autem de ejusdem certitudine; thesim enim suam probavit S. Doctor in corpore articuli, expresse docens, ad perfectionem Sacramenti requiri intentionem, qua actio externa determinetur ad Sacramentalem effectum. In resp. autem ad 2. non probat suam thesim, sed diluit objectionem, quod posita necessitate intentionis, quæ in corde latet, nemo esset certus de susceptione Sacramenti; cui tamen objectioni nullus fuisset locus, si in articulo non fuisset demonstrata necessitas intentionis internæ.

289. Ad 2. resp., S. Thomam rejicere illam quorumdam opinionem, non quia exigerent mentalem intentionem, quam ipse quoque exigebat; sed quia ponebant illius intentionis defectum suppleri per fidem, & devotionem. Bene autem observat, fide, & devotione posse obtineri justificationem a peccatis, non autem characterem Sacramenti, *qui nunquam imprimitur, nisi per Sacramentum.*

290. Instat iterum Serryus. S. Thomas in IV. Dist. V. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. probat, bonitatem ministri non esse de substantia Sacramenti, *quia non omnino certa est, sed quandoque ignorata; ea autem, quæ sunt de substantia Sacramenti, oportet esse certa:* ergo pariter quia interna ministri intentio non est certa, sed quandoque ignorata, non erit de substantia Sacramenti.

291. Resp. *primo*, S. Thomam 3. P. quæst. 64. art. 5. hac ratione minime uti, ut probet probitatem ministri non esse necessariam ad perficienda Sacramenta (Vid. sup. num. 51. seq.); quod indicio est, eamdem rationem non fuisse ab eo validam existimatam. *Secundo* videtur Angelicus loqui de certitudine, quam habere debet minister ipse Sacramenti, non qui illud suscipit: at vero minister, sicut certus est de materia, & forma, ita etiam certus est de interna sua intentione, non autem de interna sua probitate; *nescit* enim *homo, an odio, vel amore dignus sit.* Sane si Doctor Angelicus loqueretur de certitudine, quam habere debet suscipiens Sacramentum, minus accurate diceret, quod probitas ministri non sit *omnino* certa, & *quandoque* ignorata; suscipiens enim Sacramentum & *omnino*, & *semper* ministri probitatem ignorat. Quod si tandem quis contentiosius urgeret, S. Thomam loqui etiam de suscipiente Sacramentum, responderem, suscipientem habere posse de interna ministri intentione aliquam certitudinem saltem moralem; quando enim eum videt exterius serio, & devote agentem, moraliter certus esse debet, eum interne velle id facere, quod facit Ecclesia. De probitate autem ministri nullam omnino certitudinem habere potest; tum quia permittit Deus, inter suos ministros aliquos esse hypocritas: tum quia ipse minister potest vincibili ignorantia decipi, falso credens se esse justum, cum sit peccator. Denique multo facilius est Sacramentorum ministros rectam intentionem, quam puram conscientiam habere, & nonnisi rarissime contingit, aliquos eo impietatis ruere, ut nolint Sacramenta vere conferre.

292. Dices cum Alph. Salmeronio Lib. I. in Epist. S. Pauli P. III. Disp. 2. Intentio interna, utpote invisibilis, non potest esse pars essentialis Sacramenti, quod definitur *signum visibile.*

293. Resp. *primo*, parum referre, an intentio dici debeat pars Sacramenti, aut, ut aliis placet, conditio necessario requisita. *Deinde*, quamvis intentio lateat in corde ministri, fit tamen visibilis per actus exteriores, quibus forma applicatur materiæ. Sic etiam contritio, quamvis invisibilis lateat in corde pœnitentis, fit tamen visibilis in exterioribus ejusdem pœnitentis actibus, & sic est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ.

294. Ob. *secundo*. Non minor in adultis requiritur intentio suscipiendi Sacramentum, quam in ministro illud conferendi; unde Doctor Angelicus 3. P. quæst. 68. art. 7. ad 2. diserte asserit, *quod si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus;* atqui tamen intentio solum extrinseca suscipientis sufficit ad Sacramenti perfectionem. Id prob. *primo* ex Hadriano I., qui Epist. VIII. Saxones, qui suppliciorum metu fuerunt ad baptismum suscipiendum adacti, Sacramentum vere suscepisse decernit, *etsi foris tantum, non intus consenserant.* *Secundo* Innocentius III. cap. *Majores*, extra *de Baptismo* ita definit: *Is, qui terroribus, atque suppliciis*

violenter attrahitur, *& ne detrimentum capiat*, *baptismi suscepit Sacramentum*, *talis* (*sicut & is*, *qui ficte ad baptismum accedit*) *characterem suscipit Christianitatis impressum*, *& ipse tanquam conditionaliter volens*, *licet absolute non velit*, *cogendus est ad observantiam fidei Christianæ*. Multo plura in hanc rem afferri possent.

295. Resp., ex doctrina S. Thomæ 1. 2. quæst. 6. art. 6., immo omnium Theologorum, quæ ex metu fiunt, simpliciter, & absolute voluntaria esse, involuntaria autem *secundum quid*, *& conditionale* (Vid. quæ diximus Tom. VII.); quamobrem qui metu suppliciorum fidem abnegarunt, gravissimi criminis rei habiti sunt. Minime autem repugnat, eos, qui metu mortis baptismum susceperunt, internam habuisse eum suscipiendi intentionem. Quod si interius omnino essent reluctati, solamque externam obedientiam præbuissent, dubium non est, eos non fuisse reipsa baptizatos. *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum*, *esset rebaptizandus*, inquit expresse S. Thomas 3. P. quæst. 68. art. 7. ad 2. Ecclesia nihilominus, quæ non judicat nisi de exterioribus actionibus, homines ita baptizatos ad profitendam, observandamque Religionem coegit; & hoc sensu intelligendæ sunt duæ allatæ decisiones Hadriani I. & Innocentii III., qui posterior clare hoc ipsum significat, dicens: *Cogendus est ad observantiam fidei Christianæ* (*a*).

296. Instat Serryus. S. Thomas non aliam in suscipiente baptismum requirit intentionem, quam externam. Nam in IV. Dist. VI. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. *Sciendum*, inquit, *quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi*, *quod Ecclesia confert*, *sed sufficit voluntas conditionata*, *sicut est in voluntariis mixtis*. *Et ideo si sit coactio sufficiens*, *ita quod principium fit ex toto extra*, *nil conferente vim passo*, *ut cum aliquis reclamans immergitur violenter*, *tunc talis nec Sacramentum suscipit*, *nec rem Sacramenti*. *Si autem fit coactio inducens*, *sicut minis*, *vel flagellis*, *ita quod baptizatus potius eligat baptismum suscipere*, *quam talia pati*, *tunc suscipit Sacramentum*, *sed non rem Sacramenti*. Satis igitur est, concludit Theologus Patavinus, judice Doctore Angelico, si Sacramentum serio forinsecus recipiatur, ut stet ratum, validumque, quoad characteris impressionem, tametsi secretior, & occulta recipiendi desit intentio, immo contraria non recipiendi voluntas animo delitescat. Quanto itaque magis id satis erit, ut valide conferatur? Minor quippe, aut certe non major in conferente, quam in adulto suscipiente desideratur intentio. Simile quid urget Serry ex S. Augustino Lib. VII. *De Bapt.* cap. 53., quod nos supra præoccupavimus num. 235. & seq.

297. Resp., ut supra, non obstante externa coactione *per minas*, *& flagella* posse aliquem habere internam voluntatem suscipiendi Sacramentum, prout administratur in Ecclesia, quamvis ejusdem Sacramenti effectum non credat; & propterea qui ita suscipit baptismum, Sacramentum recipit, sed non rem Sacramenti. Si vero suscipiens interius omnino reluctetur, tunc nec ipsum Sacramentum recipit defectu intentionis requisitæ. Ecclesia autem ex dispositionibus externis ipsum habet, ut vere baptizatum, donec ipse internam, & perversam animi sui intentionem ita manifestet, ut credi mereatur.

298. Idem porro dicendum de quodam Turca nomine Orchamo, qui post terribilem illam cladem Viennensem a milite Christiano captus, ut comminatam sibi mortem vitaret, se baptizari permisit; illudque baptisma ratum habitum fuit, quamvis Turca Mahumeticæ superstitioni interius minime renunciasset. Factum narrat Franc. Genettus Episcopus Vasionensis *Tract. de Baptismo* T. III.: ubi addit, quemdam Hebræum, ut uxori suæ ad Christianam fidem conversa gratificaretur, ficto animo baptismum suscepisse; qui tamen baptismus fuit validus reputatus. Videlicet in his, similibusque casibus Ecclesia exteriore ritu contenta, Sacramenta valida judicat, supponens interiorem non defuisse intentionem, quæ utique cum minis, blanditiis, terroribus, aliisque finibus conjungi potest. Quid enim repugnat, istos homines verum baptismi Sacramentum suscipere voluisse, & simul etiam superstitiones suas retinere? Quoties autem Ecclesia contrariam eos habuisse intentionem certo comperit, eorumdem baptismum nullum fuisse pronunciavit. Vid. sup. n. 273.

299. Ob. *tertio* celebrem S. Augustini textum Lib. VII. *De Baptismo* cap. 53., quo maxime abuti solent etiam Lutherani; quod scilicet S. Doctor aperte ut validum approbat baptismum *fallaciter*, *& simulate* datum, & acceptum; at vero putant, hanc fallaciam, vel simulationem nihil esse aliud, quam internæ sive in baptizante, sive in baptizato intentionis defectum; quem tamen Sacramenti veritati minime nocere docet S. Au-

(*a*) Quamquam hæc non videntur nimis urgenda; habemus enim ex antiquis monumentis duo exempla Ordinis sacri Presbyteratus, qui validus reputatus est, quanquam omnino invitis, & reluctantibus collatus. Primum est S. Epiphanii, qui Paulinianum fratrem S. Hieronymi per multos Diaconos apprehensum, oreque ipsius obstructo, ne reclamare posset, primo Diaconum, deinde Presbyterum ordinavit, ut ipse Epiphanius narrat in Epist. ad Joannem Jerosolymitanum. Alterum S. Floriani Patriarchæ Antiocheni, qui Monachum Macedonium, penitus ignorantem ritus Ordinationis, sacerdotio initiavit; quod ut ille rescivit, tanta ira percitus fuit, ut non solum conviciis Episcopum impetiverit, sed etiam baculo ipsi fuerit minatus. Sunt hæc exempla Sanctorum admiranda, non autem imitanda. Vid. Hallier *De Sacris Ordinat.* I. cap. 3.

Augustinus, & post Augustinum Innocentius III. cap. *Majores de Baptismo*, *& ejus effectibus* dicens: *Qui ficte ad baptismum accedit*, *characterem suscipit Christianitatis impressum*.

300. Nos autem supra num. 239. mentem S. Patris explicavimus, quod per fallaciam, & simulationem non intellexerit simulationem intentionis, vel internam irrisionem, sed potius simulationem fidei Catholicæ, a qua suscipientes interius alieni erant: hunc autem rectæ fidei defectum veritati baptismi non obesse.

301. Sed urget Serryus, hanc responsionem explodens. S. Pater hanc fallaciam, seu simulationem etiam *in hæresi* admisit: non ergo loquitur de simulatione fidei Catholicæ. Præterea idem S. Pater hanc simulationem supponit tam *in Ecclesia*, quam in ea, *quæ putatur Ecclesia*: non ergo loquitur de simulatione rectæ fidei.

302. Resp., hanc simulationem fidei fieri potuisse non solum in Ecclesia catholica, sed etiam in Hæresi, vel Schismate. Quid enim prohibet, Judæum ex gr., vel Gentilem lucri, vel ambitionis motivo petere vel a catholicis, vel ab hæreticis, & schismaticis baptismum, sicut petiit olim ab Apostolis Simon Magus; ut accepto postea Spiritu sancto posset virtutes operari? Referente autem Socrate Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 37., cum Judæus ficto animo baptismum a Paulo Novatianorum Episcopo petiisset, aqua in lavacro posita semel, & iterum effluxit, ut Judæi dolus patefieret. Quamvis autem hoc miraculum explodatur, non tamen explodi potest petitio baptismi a Judæo simulate ficta. (Vid. T. I.).

303. Illud addo, omnibus fatentibus, caput illud 53. S. Augustini valde obscurum esse; unde tot, ac tam diversæ prodierunt Theologorum illius interpretationes. Quomodo igitur sibi blandiuntur adversarii, posse ex illo trahi invictum, & perspicuum argumentum ad probandum, necessariam non esse ad veritatem Sacramenti internam ministri intentionem?

304. Urget præterea Serryus notissima S. Augustini, immo totius Ecclesiæ principia contra Donatistas, iniquam & maculosam baptizantis conscientiam, secretam licet, & occultam, non posse baptizato nocere; quia si ex recta baptizantis conscientia baptismi efficacia penderet, nullus esset de suo baptismo securus, Lib. I. Cont. litt. Petiliani cap. 1.

305. Sed superius num. 282. seq. simili argumento ex doctrina S. Thomæ deprompto jam reposuimus, nonnisi moralem certitudinem nostræ justificationis habere nos posse, hanc haberi etiam posita necessitate secretæ intentionis, quæ præsumi omnino debet in eo, qui serio, & rite Sacramenta administrat; non autem hanc moralem certitudinem haberi posse de sanctitate, aut fide ministri. Nam præterquam quod possunt aliqui esse hypocritæ, nemo aut minister, aut suscipiens Sacramentum potest eam securitatem habere suæ sanctitatis, quam habet suæ intentionis: hæc enim certitudo physica est, cui falsum subesse nequit; altera nonnisi moralis.

306. Ob. *quarto*. Nicolaus I. in Resp. ad consultat. Bulgarorum cap. 104., & Gregorius II. Epist. ad Bonifacium Episc. probarunt baptismum a Pagano, & a Judæo datum; quæ duorum Pontificum decreta referuntur etiam a S. Thoma 3. P. quæst. 67. art. 5.; at vero quis credat, Judæum, vel Paganum internam habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia? Neque laudati duo Pontifices examinandum putarunt, an Judæus, & Paganus hanc intentionem habuerint, sed solum an formam Ecclesiæ observaverint. Multo apertius loquitur Innocentius IV., cujus verba supra retulimus num. 244. probans baptismum a Saraceno collatum, *qui non gerat in mente facere*, *quod facit Ecclesia*; *immo si contrarium gereret in mente*, *scilicet non facere quod facit Ecclesia*.

307. Resp., Nicolaum Pontificem fuisse a Bulgaris consultum, non de necessitate intentionis in ministrando baptismum, sed de persona ministri; an scilicet homo non baptizatus, cujusmodi sunt Judæi, & Pagani, possit baptismum conferre. Respondet vero Pontifex *affirmative*, dummodo Ecclesiæ forma observetur. Idemque decrevit Gregorius II.

308. Sed quomodo, inquit adversarius, supponi potest, in hujusmodi profanis hominibus intentionem esse faciendi, quod facit Ecclesia? Veruntamen hoc impossibile non judicavit S. Thomas, qui 3. P. quæst. 67. art. 5. ad 2. hanc eamdem difficultatem expendens, *Ille*, inquit, *qui non est baptizatus*, *quamvis non pertineat ad Ecclesiam re*, *vel Sacramento*, *potest tamen ad eam pertinere intentione*, *& similitudine actus*, *inquantum scilicet intendit facere*, *quod facit Ecclesia*, *& formam Ecclesiæ servat in baptizando*, *& sic operatur ut minister Christi*, *qui virtutem suam non alligavit baptizatis*, *sicut nec etiam Sacramentis*. Porro non aliter contingere posse videtur, ut qui baptismum a Judæo, vel Pagano petat, nisi in periculo mortis constitutus, nullum habeat Christianum, a quo baptizetur. In tali autem casu omnino supponendum est, & qui baptismum petit, Paganum, vel Judæum docere de iis omnibus, quæ peragenda sunt, & Paganum, vel Judæum velle petentis voluntati omnino satisfacere, ut baptismum conferat eo modo, quo alter desiderat.

309. Innocentii mentem jam explicuimus supra n. 245., ubi observavimus, clarissimum hunc Juris Canonici commentatorem exigere præter materiam, & formam *intentionem baptizandi*, non autem *lavandi carnes*, *aut balneandi*, quamquam non exigat intentionem, *ut baptismus operetur*, *quidquid operari potest*.

310. Dices. Quid si ordinarius Sacramentorum minister atheus sit, solumque externum ritum se-

rio

rio exerceat quæstus gratia, ne cognita ipsius impietate beneficio privetur? Istene internam geret voluntatem faciendi, quod facit Ecclesia? Et tamen Sacramenta ab ipso collata valida erunt, ut in duobus casibus contingit. Nam *primo* quidam Massiliensis Parochus Lud. Gaufredus morti proximus fassus est, se magicis artibus infeliciter deditum, omnes, quos baptizabat infantes, diabolo devovisse. Doctores autem Sorbonici ad sedandos ingentes, qui suborti erant, tumultus, & scrupulos, declararunt, omnia illa baptismata fuisse valida, qui exterius serio, & rite collata fuerant. *Secundo* idem judicium memorati Doctores Sorbonici tulerunt de Ordinationibus Petri Lavardini Cenomanensis Episcopi, qui pariter in lecto mortis confessus fuerat, neminem unquam voluisse sacris Ordinibus consecrare, quamvis omnem exteriorem ritum palam adhibuerit, ne occulta ejus impietas detegeretur. Immo addidit, se nullam habuisse intentionem suscipiendi Episcopatum, ut refert Jac. Sambovius in *Solut. casuum conscientiæ* Tom. II. cap. 17.

311. Resp., ministrum atheum non posse quidem cum impietate sua conjungere intentionem particularem faciendi, quod facit Ecclesia, quam fictitiam esse existimat: posse tamen conjungere intentionem generalem faciendi hic & nunc, quod in Ecclesia ab aliis credita fieri novit. De infideli ministro hæc habet S. Thomas 3. P. quæst. 62. art. 9. ad 1.: *Licet credat per id, quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia Catholica intendit, per hujusmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum; unde non obstante infidelitate potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet æstimet, id nihil esse: & talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, ex cujus fide suppletur id, quod deest fidei ministri.* Hæc doctrina potest etiam ministro atheo adaptari.

312. Quantum vero ad historias objectas Lud. Gaufredi, & Petri Lavardini, quidquid de Sacramentis ab illis collatis judicaverint nonnulli Theologi Sorbonici particulares (nam Facultas ipsa Sorbonica nihil pronunciasse legitur) neminem arbitror mihi vitio versurum, si eorum judicio præferendam esse censeam doctrinam sapientissimi S. P. Benedicti XIV., qui Lib. VII. *De Synodo Diœcesan.* cap. 4. n. 9. docet, sententiam, *quæ exigit in ministro intentionem, vel actualem, vel virtualem faciendi non solum ritum externum, sed id, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, velut tutiorem, esse omnino servandam in praxi:* Et postea subdit: *Quare si constet, quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex eis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata non faciendi, quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum.* Quod ante Benedictum etiam docuerat gravissimus Gallus Theologus Nat. Alexander. Vid. sup. not. ad n. 271. Non itaque multum laborandum esse credo de eo, quod factum fuisse dicitur, sed potius quid in his casibus fieri debuisset, determinandum.

313. Præterea, si Professorem Avenionensem Ord. Præd. Lambertum Gaud in *Dissert. theol. hist. de Intentione in Sacramentorum ministro necessaria* audiamus pag. 232. sec. edit. an. 1733. *non dubia modo, sed a vero prorsus aliena sunt, quæ de Gaufredo, & Lavardino tanta fidentia dictitantur.* Certis enim documentis constat, Gaufredum, qui anno 1611. Aquis Sextiis vivus combustus est, nunquam fuisse in civitate Massiliensi Parochum, sed solum Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ ab aquis fluentibus Presbyterum beneficiarium per biennium, & aliquot menses. Ulterius auctor *Tragicarum Historiarum*, qui multa de hoc infelici Presbytero memoriæ mandavit, nihil prorsus habet de supposita ejusdem declaratione, quod infantes diabolo consecrare intenderit. Cum vero Gaufredus perditissimus homo fuerit, facile potuit etiam rumor spargi post ejus mortem, quod infantes, quos tamquam Parochi coadjutor baptizaverat, diabolo voverit; cui rumori nimis incerto fortasse aliqui Theologi minime adhærendum putarunt, ut baptismus iteraretur.

314. Decantata vero Lavardini declaratio, qui non Petrus, sed Philibertus Emmanuel vocabatur, nullis certis documentis fulcitur. Eam supposititiam esse sine dubio asseruit Nic. l' Herminier vir doctissimus, atque ejusdem Ecclesiæ Cenomanensis Canonicus, & Archidiaconus, ab iis, qui cum Lavardino vixerat, de hac re plenissime edoctus (apud Lamb. Gaud pag. 233.). Hinc apparet, quam vanus sit ex duobus illis factis adversariorum triumphus.

315. Obj. *ultimo* ex ratione (*a*). I. Ecclesia fuit semper sollicita de seria rituum externorum observatione, numquam vero de interna ministri intentione, de qua inquirere non prætermisisset, si eamdem necessariam existimasset. Et quidem cum minister vices, & personam Ecclesiæ sustineat, sufficit, ut exterius id totum faciat, quod ipsa Ecclesia præcipit. II. Christus Ecclesiam suam in-

(*a*) Haud difficile fuit subtilibus & acutis adversariis multa, & varia rationum momenta congerere, ut necessitatem internæ intentionis excluderent. Alphonsus Salmeronius Lib. I. in Epist. Pauli P. III. disp. 2. decem plane argumenta opponit. P. Marius Scribonius ex S. Francisci familia duodecim. P. Jac. Hayc. Serry sex. Quædam addiderunt Contensonius, Juenin, Druen, aliique recentiores. Nos præcipua tantummodo refutabimus, ne si omnia minute persequi velimus, ingenti quasi mole lectores obruamus.

instituit ad instar bene ordinatæ reipublicæ, in qua ut ministri debite suis fungantur officiis, sufficit eos graviter & serio exterius se gerere: nihil autem interest, si contrariam animo recondant intentionem. Sic Aman, quamvis interius omnino invitus, tamen honorando Mardochæum, mandatis Regis satisfecit. Id eo magis sufficiet in ministris Sacramentorum, quia hæc totam virtutem suam non a ministri intentione, sed a Christo institutore desumunt. III. Validum est Sacramentum, si minister non intendat conferre gratiam, aut characterem, quamvis hoc intendat Ecclesia: ergo etiam valebit, si minister non intendat facere rem sacram, sed profanam. IV. Verisimile non est, Christum Dominum, qui noluit Sacramentorum integritatem a fide, vel probitate ministri pendere, quia hæc latent, voluisse postea eamdem integritatem pendere ab intentione, quæ adhuc occultior est; eoque minus hoc verisimile est, quia ordo providentiæ postulabat, ut fideles omnia ad Sacramenti essentiam viderent, ne ministrorum fraude in re tam necessaria deciperentur. V. Posita necessitate intentionis occultæ, fieri posset, ut Ecclesia tota deficeret. Si enim non valide baptizatus, vel non valide ordinatus fieret Episcopus, aut Summus Pontifex, defectu characteris nullæ essent omnes Ordinationes ab eo factæ; & sic deinceps invalidæ quoque essent istorum Ordinationes, quousque tandem successio sacerdotum in Ecclesia deficeret. VI. Sacramenta cum ex opere operato suum producant effectum, sunt causæ necessariæ; in istis autem non requiritur aliqua intentio, sed sufficit applicatio formæ ad materiam: sic admoto igne materiæ combustibili, necessario prodit incendium. Eadem prorsus ratione, si minister materiæ debitam applicet formam, Sacramentum conficitur, licet ille nullam habeat ipsum conficiendi intentionem. VII. Quamvis interius homo constituat, nolle se facere rem sacram, si tamen exterius eam reipsa faciat, tunc prima voluntas superabitur a secunda, quæ est fortior, & prima non erit nisi mera velleitas; sicuti mera velleitas reputatur illa mercatoris, qui merces salvare vellet, quas tamen timore naufragii actu in mare projicit. VIII. Si aliquis exterius adoleret idolo, quamvis interius superstitiosum hunc cultum execraretur, haberetur tamen sacrilegæ idololatriæ reus: ergo pariter &c. IX. Juramentum externe factum valet, etiamsi interna jurandi intentio desit, juxta illud Euripidis a Vellio Lib. III. *De officiis* relatum: *Juravi lingua, mentem injuratam servo*: atque ita valet hoc externum juramentum, ut qui illud violat, *perjurus* habeatur. Idem dicendum de voto exterius emisso sine interna intentione se obligandi; tum etiam de matrimonio, in quo exterius duntaxat, non autem interior consensus conjugum habeatur: ergo pariter Sacramentum exterius rite celebratum &c. Demum sententia Catharíniana commodissima est ad scrupulos tollendos, qui in nostra sententia facile nascuntur, præsertim in tanta impiorum ministrorum turba; providetur insuper saluti tot infantium, qui sine baptismo in æternum peribunt, si in illo ministrando recta defuerit intentio. Hæc summatim collecta sunt brevitatis studio.

516. Resp. autem ad 1., falsissimum esse, quod Ecclesia non fuerit de interna ministri intentione sollicita. Quid enim sibi voluit, quando præter materiam, formam, & ministrum, declaravit necessariam quoque esse intentionem faciendi, quod ipsa facit? Vid. sup. *n.* 268.; Et quamvis controversiam hanc inter catholicos exortam expresse definire noluerit, quando tamen repertum est, defuisse internam ministri intentionem, totius judicavit Sacramenta iterum conferri. Vid. supra n. 513. Minister utique vices, & personam Ecclesiæ sustinet; sed hac etiam de causa, ut inquit S. Thomas 3. P. qu. 64. art. 3. ad 2., *requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia*. Quod certe non intendit, qui contrarium elicit voluntatis actum.

517. Ad 2. dico, magnum esse discrimen inter ministros Regis, & ministros Dei. Primi enim nonnisi ad opus externum perficiendum sunt destinati, ut Judices ad condemnandos reos, absolvendosque innocentes in foro tantum externo; nullatenus vero in foro interno: quamobrem mirum non est, si externa tantum actio serio peracta requiratur. Ministri autem Sacramentorum debent rem sacram facere, unde pendet hominum interna justificatio, & salus. Est ergo necesse, ut ministri se subjiciant Ecclesiæ, cujus personam gerunt, & illud intendant facere, quod Ecclesia facit, scilicet non rem profanam, sed sacram. Sane ministri Sacramenti pœnitentiæ potestate clavium sibi a Christo collata reos a peccatis interne absolvunt; quod non potest facere minister Regis: ejus enim potestas non se extendit ad absolvendos, sed tantum ad puniendos reos. Quomodo autem censebitur Sacerdos vere absolvere reum pœnitentem, si eum interius absolvere nolit? Præcipue si hoc Sacramentum privatim, & sine ulla solemnitate administretur, ut sæpius administrari solet; quo in casu nonnisi ab interna Sacerdotis intentione actio illa determinari potest, ut sit sacra, & Sacramentalis. Addo, aliquando teneri ministros reipublicæ suum etiam consensum internum præstare; quando scilicet deputantur ad aliquod officium propria prudentia, ac diligentia exercendum, ut apparet in Judicibus ad justitiam recte administrandam destinatis. Nemo enim dixerit, posse eos sententiæ extrinsecus prolatæ interius repugnare. Secus est, quando non assumuntur, nisi ad solam alicujus mandati executionem, ut quando Aman debuit invitus Mardochæo regios honores palam exhibere.

518. *Tertiam* difficultatem jam supra nu. 216. seq. præoccupavimus, observantes, sufficere in ministro intentionem conferendi Sacramentum: eo enim rite collato, jam sequitur effectus, nisi obex

po-

ponatur, quia Sacramenta agunt ex opere operato. Intentio autem ministri faciendi rem sacram, prout facit Ecclesia, *implicite* saltem includit etiam intentionem conferendi Sacramentum, ejusque effectum.

319. *Quarta* ratio futilis est: non enim hic quaeritur, quid Deus potuerit, sed quid voluerit a ministris Sacramentorum exigere, ut valide illa conferrent. Voluisse autem ad ea concurrere internam ipsorum intentionem, ut se subjiciant Ecclesiæ, & Christo, a nobis probatum est. Nihil autem impedit, ut intentio, quamvis occulta, & invisibilis, sit visibilis Sacramenti pars, ut supra diximus n. 295.

320. Ad *quintum* resp., si humanæ tantummodo prudentiæ innitamur, posse hoc ipsum maximum absurdum sequi, posito, quod ex malitia, aut ignorantia ministri aliqua pars formæ essentialis in Baptismo immutaretur, quin adstantes indocti, vel negligentes adverterent, quod fieri posse, nemo negaverit. Ulterius fere omnes consentiunt, intentionem internam requiri saltem in suscipiente Sacramenta. Quid ergo si aliquis quando Presbyter ordinatur, nullam haberet intentionem sacrum Ordinem recipiendi, immo contrariam gereret voluntatem, postea vero hic simulatus Presbyter fieret Episcopus, ac Summus Pontifex? Annon idem immineret Ecclesiæ periculum, quod nobis objiciunt?

321. At vero in his rebus non debemus nostræ prudentiæ inniti, sed divinæ providentiæ, quæ tantam Ecclesiæ perniciem nunquam permittet. Ubi enim essent illæ tam magnificæ promissiones: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam?* Matth. XVI. 48. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi?* Matth. XXVIII. 19., aliæque similes, quæ nos certissimos reddunt, Ecclesiam visibilem nunquam posse deficere; adeoque verum sacerdotium, verumque Sacramentorum ministerium in perpetuum duraturum.

322. *Sexta* ratio supponit id, quod est in quæstione, nempe ad Sacramenta conficienda non requiri nisi applicationem formæ ad materiam, sine ulla ministri intentione: quod falsum esse nos hucusque probavimus. Sacramenta igitur rite peracta causæ sunt necessariæ, & ex opere operato suum effectum producunt, nisi obex a suscipiente ponatur; non autem, quando vitium aliquod, vel ex parte materiæ, aut formæ, vel ex parte ministri occurrit.

323. Ad *sept.* resp., utramque esse veram voluntatem, nempe & illam, qua interius non vult facere, quod facit Ecclesia, & illam quoque, qua exterius vult serio totum ritum Ecclesiæ ponere. Neque vero istæ duæ voluntates sunt sibi contrariæ, ut una debeat aliam destruere: nam diversum respiciunt objectum. Prima totum illum ritum Sacramentalem respicit ut vanum, aut superstitiosum, & ideo non vult illum facere, prout facit Ecclesia. Altera respicit illum ritum, ut serio exterius faciendum, ne interna detegatur impietas. Utraque hæc voluntas est efficax, nec una ab altera expellitur.

324. Ad *octavam* nego, illum, qui idololatricam superstitionem externe tantum simulat, esse vere idololatram, sicuti vere Christianus non est, qui solum exterius actus nostræ religionis exercet. Est tamen talis simulator violatæ religionis reus; ac propterea qui in sævissimis Ecclesiæ persecutionibus Christi religionem ejurare simularunt, multis, & austerissimis pœnitentiis subjecti fuere. Vide, quæ diximus Tomo VII.

325. Ad *nonam* pariter nego, juramentum, sine animo jurandi emissum, esse vere & proprie juramentum, cum sit potius juramenti fictio, & simulatio externa. Ita censent plerique Theologi post S. Hieronymum, qui commentans illud Jeremiæ IV. 2. *Jurabis, dicit Dominus, in veritate, in judicio, & in justitia*, inquit: *Animadvertendum est, quod jusjurandum hos habet comites, scilicet veritatem, judicium, & justitiam. Si ista defuerint, nequaquam est juramentum, sed perjurium* (a). Sane juramentum promissorium supponit promissionem, quæ invocato divino Nomine confirmatur: ad promissionem autem, ut vera sit, non sufficiunt verba exterius prolata, sed requiritur etiam interna promittentis voluntas: ut enim inquit S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 1., *promissio procedit ex proposito faciendi, propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ*. Quemadmodum ergo exigitur mentis intentio, ac deliberatio voluntatis ad promissionem, ita etiam requiritur ad juramentum, quo promissio confirmatur. Quod adeo verum est, ut S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. docuerit, jurantem *sine dolo* non obligari, nisi secundum intentionem.

326. Secus vero est de *doloso* jurante, cujus juramentum, eodem S. Thoma docente, *servari debet secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur*; idque non propter juramenti obligationem, quod nullum est defectu intentionis, sed propter reverentiam divini Nominis. Quod ibi-

(a) Card. Cajetanus in Comment. ad 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 4., postquam multa hac de re subtiliter distinxisset, tandem sine hæsitatione pronunciat, quando juratur solo actu exteriore sine animo jurandi, *nullam esse obligationem ex juramento ad executionem in foro conscientiæ absolute, quia nullum est in veritate juramentum, sed in apparentia tantum*. Addit tamen laudatus Cardinalis, ex suppositione scandali, quod oriri posset, teneri sic jurantem in conscientia ad juramentum observandum. Idem docent Dom. Soto Lib. VIII. de justitia, & jure q. 1. art. 7., Franc. Sylvius in 2. 2. q. 89. art. 7. Car. Ren. Billuart Tom. IV. in 2. 2. Dissert. V. art. 1.

Ibidem ad 3. Angelicus docet etiam de juramento per vim extorto, quod certe nullum est. En verba S. Doctoris: *In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur ut impleat, quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare.* Nemo certe dixerit, juramentum vi extortum absque interna jurandi voluntate, ut supponimus, esse verum juramentum; sicuti adversarii non dicunt, Sacramenta per coactionem collata, vel recepta esse valida. Aliud tamen est de eo, qui habet quidem intentionem jurandi, sed non se obligandi, quia tunc est verum juramentum; & cum hoc juramentum involvat obligationem implendi, non potest dolose jurans hanc obligationem a juramento sejungere.

327. Neque vero quis objiciat propositiones ab Innocentio XI. recte damnatas, ut est illa n. 25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi*; tum alia n. 26. *Si quis ... juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Si ergo jurans cum mentali restrictione declaratur *perjurus*, manifeste sequitur, eum violasse verum juramentum, quamvis sine interna animi intentione factum.

328. Non inquam: illæ enim propositiones jure, meritoque damnatæ sunt, quia licitum esse dicebant juramentum solum exterius prolatum sine interiori voluntate jurandi, vel cum restrictionibus pure mentalibus; quæ certe doctrina, licet a non paucis laxioribus Casuistis adoptata, erat Apostolica condemnatione digna. Inepta vero est observatio ducta ex voce *perjurus*; ut enim docet noster S. Præceptor 2. 2. qu. 98. art. 1., *perjurium definitur esse mendacium juramento firmatum*; quod debet intelligi etiam de juramento exterius prolato sine interna animi intentione; nam in hoc quoque casu est mendacium Dei invocatione firmatum, unde ut vidimus sup. n. 325., Hieronymus tale mendacium vocat *non juramentum*, *sed perjurium*.

329. Quod de voto additum est, magis doctrinam nostram confirmat, certum est enim ad votum necessariam esse internam voventis intentionem, & voluntatem. *Ad votum*, inquit Angelicus 3. P. qu. 88. art. 1., *tria ex necessitate requiruntur, primo quidem deliberatio, secundo propositum voluntatis, tertio promissio, in qua perficitur ratio voti*; & art. 3. ad 3. *Obligatio voti ex propria voluntate, & intentione causatur.*

330. Res adhuc clarior est in matrimonio, de quo S. Thomas in IV. Dist. XXVII. q. 1. art. 2. quæst. 4. inquit: *Expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit*; & in resp. ad 2. *Si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium.* Similia habet Innocentius III. Lib. V. *Decretalium* cap. *Tua nos* extra *De sponsal. & matrimonio.* Quibus addenda sunt, quæ tradit S. Thomas in IV. Dist. XXVII. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4., ubi comparans baptismum cum matrimonio, *Sicut*, inquit, *se habet ablutio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum* (matrimonii). *Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus, ita expressio verborum sine interiore consensu matrimonium non facit.*

331. Acute Serryus reponit, aliud esse interiorem consensum unius conjugis in alterum, aliud intentionem faciendi, vel recipiendi Sacramentum: mutuum consensum esse formam, vel causam efficientem matrimonii, intentionem autem efficiendi, vel recipiendi Sacramentum non esse nisi conditionem, desideratam quidem, sed minime necessariam. Hujus autem discriminis hanc esse rationem, quia consensus mutuus habet pro objecto aliquod internum, atque mentale fidem scilicet mutuam, animorumque conjunctionem, intentio autem ministri objectum habet externum, scilicet ritum Sacramentalem serie perficiendum.

332. Verumtamen apud catholicos hæc exceptio locum non habet, qui norunt ex suo catechismo, se non profanum aliquem contractum inire, sed sacrum, a Christo Domino elevatum ad sublimem Sacramenti dignitatem. Quamobrem non solum mutuus consensus in iis est necessarius, qualis in ipsis Gentilium matrimoniis requiritur; sed etiam pius voluntatis actus perficiendi rem sacram, defectu cujus non dubito, hoc Sacramentum irritum futurum, ut de aliis Sacramentis hactenus probatum fuit.

333. Postrema ratio a sacris nostræ religionis mysteriis prorsus est ableganda: non enim quæ commodior videri potest, sed quæ verior, sacris litteris, & Ecclesiæ decretis, & praxi conformior est, explicatio præferri debet. Quanquam etiam in Cathariniano systemate & scrupulis, & periculis locus sit, si improbitas ministrorum eo deveniat, ut velit Sacramenta irrita reddere.

334. Scholion. Quanquam hactenus a nobis allata nostræ sententiæ fundamenta non omnino invicta viderentur, neque omnia adversariorum argumenta essent undequaque ac plenissime refutata, attamen ex principio reflexo sequendi tutiorem partem, præcipue ubi de valore agitur Sacramentorum (V. supra n. 267.) Catharini ana opinio erit prorsus rejicienda. Quæcumque enim sit ejus probabilitas, erit certe minor, aut saltem non major probabilitate nostræ sententiæ, quæ & intrinseco multarum, & gravium rationum pondere, & ex-

extrinseca doctissimorum Theologorum auctoritate fulcitur, quorum catalogum texere opus esset admodum prolixum.

DISSERTATIO III.

DE BAPTISMO.

Postquam disseruimus de Sacramentis in genere, doctrinæ ordo postulat, ut de iisdem singulis pertractemus. Ac primum ordiemur a Baptismo, qui est veluti janua, nobis ad cetera Sacramenta aditum aperiens, & ut loquitur S. Cyrillus Jerosolymitanus in *Protocatechesi*, *est captivitatis liberatio*, *peccatorum remissio*, *mors peccati*, *animæ regeneratio*, *vestimentum candidum*, *signaculum sanctum*, *& indelebile*, *currus ad cælum*, *deliciæ paradisi*, *regni cælestis conciliatio*, *charismaque adoptionis filiorum*. Eadem fere habet S. Basilius in *Exhort. ad baptismum*; quibus concinens Optatus Milevitanus Lib. V. adv. Parmenianum, *Baptisma*, inquit, *est vita virtutum*, *criminum mors*, *nativitas immortalis*, *cælestis regni comparatio*, *innocentiæ portus*, *peccatorum naufragium*; atque hujusmodi baptismi encomiis pleni sunt Sanctorum Patrum libri, præcipue autem pulcherrima S. Gregorii Nazianzeni oratio XL. *in Sanctum Baptisma* (*a*).

CAPUT I.

De nomine, ac definitione baptismi, ejusdemque triplici specie.

1. Baptismi nomen est græcum a verbo βαπτίζω, seu potius βάπτω, quod significat *mergo*, *tingo*, *demergo*; unde βάπτισμα, vel βαπτισμός, proprie denotat *immersionem*, vel *intinctionem*; atque hoc sensu sæpius occurrit tam apud sacros, quam profanos scriptores. Sed quandoque sumitur etiam pro *lotione*. Lib. IV. *Regum V.* 14. de Naaman dicitur: *Lavit in Jordane septies &c.* græce ἐβαπτίσατο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ἑπτάκις. Et Marci VII. 4. de Pharisæis: *Nisi baptizentur*, *non comedunt*; græce ἐὰν μὴ βαπτίσονται, οὐκ ἐσθίουσιν; & plura utriusque generis baptismata enumerantur a veteribus Patribus, præcipue autem a S. Joan. Damasceno Lib. IV. *De fide Orthodoxa*, quem tamen Damasceni locum Sanctus Thomas 3. P. qu. 66. artic. 2. ad 3. explicat de baptismatibus *figuralibus* (*b*).

2. Nos hic de solo baptismo Christi acturi sumus, quem Sancti Patres variis nominibus appellarunt, ut varios ejusdem effectus connotarent. Sic eum dixerunt esse *Sacramentum fidei*, quod illud suscipientes universam christianæ religionis fidem profitentur, ut S. Augustinus testatur epist. XCVIII. ad Bonifacium, unde etiam Patres Tridentini Sess. VI. cap. 7. eodem nomine usi sunt. Alii vero baptismum vocarunt *Sacramentum illuminationis*, quia fide, quam in baptismo profitemur, corda nostra illuminantur, unde & Apostolus Hebr. X. 32. dicebat, *Rememoramini autem pristinos dies*, *in quibus illuminati* (idest baptizati) *magnum certamen sustinuistis passionum*. Appellatus quoque fuit baptismus *lavacrum regenerationis*, *& renovationis Spiritus sancti*, ad Titum III. 5., vel *lavacrum aquæ in verbo vitæ*, Ephes. V. 26. Aliis quoque nominibus hoc Sacramentum fuisse a Patribus nuncupatum, præcipue a S. Gregorio Nazianzeno Orat. XL. n. 4., nemo ignorat: non tamen consentiendum Socinianis, nomine baptismi aliquando significari *doctrinam*, non verum Sacramentum (*c*). Et hæc sufficiant de nomine, nunc de re ipsa.

3.

(*a*) Hæc magnifica Baptismi elogia parum arrident Socinianis, quorum nomine Ostorodus miratur, & conqueritur, *tantopere*, *eaque cum vehementia pro integritate baptismi depugnari*, *ac si universam religionem christianam corruere oporteat*, *ubi error in hoc articulo commissus fuerit*.

(*b*) Octo baptismata veteres Patres distinxerunt. *Primum* Noachicum, nempe diluvium, quod *baptismum mundi* appellavit Tertullianus in lib. *De baptismo*. *Secundum* Mosaicum, quando mare rubrum pertransivit, de quo Paulus 1. Corinth. X. 2. *Omnes in Moyse baptizati sunt*, *in nube*, *& in mari*. *Tertium* baptisma erat legale, & quidem multiplex, unde Apostolus Hebr. IX. 10. dicit: *In variis baptismatibus*, significans lotiones Leviticas, quas fuisse a superstitiosis Pharisæis multiplicatas discimus ex Marci VII. 4. *Quartum* Sancti Joannis, quod a Sanctis Patribus græcis vocatum est εἰσαγωγικόν, a Tertulliano autem *præparationis*. *Quintum* baptisma Christi. *Sextum* baptisma per lacrymas, seu laboriosum, nempe pœnitentia. *Septimum* baptisma sanguinis, seu martyrium, de quo intelliguntur ea verba Christi Marci X. 38. *Potestis bibere calicem*, *quem ego bibo*, *aut baptismo*, *quo ego baptizor*, *baptizari?* *Octavum* baptisma est ignis infernalis. Hæc octo baptismata inveniuntur distincta etiam apud alios Patres græcos. S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIX. *in sancta lumina* n. 17. nonnisi quinque baptismorum genera distinguit, videlicet Moysis, Joannis, Christi Jesu, Martyrii, quod *ceteris augustius* vocat, *quia nullis postea sordibus contaminatur*, & baptismum *lacrymarum*, quem dicit *asperiorem* & *laborosiorem* esse, quam martyrium.

(*c*) Ostorodus in *Institut.* cap. 39. §. 4. contendit vocem *baptismi* quandoque significare *doctrinam*; unde colligit, *non protinus nominato Baptismo*, *intelligendum esse eum*, *qui fit aqua*. Eidem consentit Smalcius contra Franzium Disp. X. Sed vano conatu isti Sociniani quædam Scripturæ loca ad hanc significationem contra Hermeneuticæ regulas detorquent. Nemo copiosius omnia nomina Baptismo tributa enumeravit, quam Jos. Binghamus Vol. IV. *Originum*, *& antiquit. Christ.* Lib. XI. cap. 1., nec tamen usquam reperit, ipsum fuisse appellatum *doctrinam*. Videri etiam potest Laur. Selvaggio *Antiquit. Christian.* Lib. III. cap. 1.

3. Multæ circumferuntur baptismi definitiones (a), sed illa aptior, & commodior esse videtur, quam ex verbis Domini apud Joannem, & Apostoli ad Ephesios tradit Catechismus Romanus P. II. cap. 2. n. 5., ut nempe baptismus sit, „ *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo:* natura enim ex Adam filii iræ nascimur; „ per Baptismum vero in Christo filii misericordiæ renascimur ": Quæ definitio adeo clara est, ut explicatione non indigeat. *Sacramentum* enim est genus, *regeneratio* est differentia, quæ Baptismum a ceteris Sacramentis distinguit, cum in nullo alio proprie dicta *regeneratio* fiat; atque hæc differentia adhuc magis restringitur, cum adduntur materia, & forma hujus Sacramenti propriæ, nempe *aqua & verbum*, seu invocatio Trinitatis. Ceterum si aliæ afferantur Catholicorum definitiones, non sunt improbandæ.

4. Improbandæ omnino sunt, quæ a Protestantibus adinventæ fuerunt, ex perversis eorum principiis derivatæ. Nam *primo* Calvinus Lib. IV. Instit. cap. 15. §. 1. *Baptismus*, inquit, *est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur*. Jam vero cum Calvinus omnem Sacramentis deneget efficaciam, ut vidimus Dissert. 1. n. 332., toto hoc verborum circuitu nihil aliud vult esse Baptismum, quam nudum signum, seu, ut ipse loqui amat, sigillum, vel signaculum justitiæ a Deo per fidem receptæ. Soli enim fidei, non autem Sacramento vim tribuit justificandi; nec Baptismum aliquid plus nobis præstare putat, quam Circumcisio præstaret Hebræis, per quam a ceteris populis discernebantur. Mentem suam clarius aperit §. 2. negans, *ablutionem, & salutem nostram baptismatis aqua perfici*; & §. 22. *Non ideo*, inquit, *baptizantur liberi fidelium, ut filii Dei primum fiant, qui antea alieni fuerant ab Ecclesia, sed solemni potius signo ideo in Ecclesiam recipiuntur, qui jam ante promissionis beneficium ad corpus Christi pertinent* (b).

5. Eamdem Calvini hæresim antea professus fuerat Ulricus Zwinglius in sua *Confessione fidei* anno 1530. art. 7., ubi inter alia hæc habet: *Baptismus non aliter Ecclesiæ Christi signum est, quam exercitus aliquis signatur: non quod signum hoc conjungat Ecclesiæ, sed qui jam conjunctus est, publicam tesseram accipit.*

6. Calvinistæ, & Zwingliani facem prætulerunt Socinianis, quorum definitiones eo colliman, ut Baptismus nihil sit aliud, quam ritus exterior, quo homines, vel ex Judaismo, vel Gentilitate ad Christianam religionem accedentes profitentur, Christum pro suo Domino recognoscere (c). Socinianis utroque pollice subscribunt Quakeri, & Anabaptistæ, seu Mennonistæ, quos secutus est Ant. Van-Dale in *Hist. baptismatum, cum Hebraic. tum Christian.* addita Dissert. *super Aristæa.*

7. Neque ab hoc errore procul absunt Remonstrantes, in Socianismum valde propensi, unde haud immerito *Crypto-Sociniani* appellati fuere. Docent enim, *Baptismum ex parte Dei esse tantum quamdam gratiæ significationem, ex parte nostri solum publicam nominis Christiani professionem* (d).

8. Minus absurda primo intuitu videri potest Lu-

(a) Hugo a S. Victore Lib. III. *De Sacramentis* P. VI. cap. 11. Baptismum dicit esse *aquam diluendis criminibus sanctificatam per verbum Dei*. Quam definitionem merito reprehendit Angelicus 3. P. qu. 66. art. 1., ostendens, Sacramentum baptismi *non perfici in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ipsa ablutio.*

(b) Cum Calvinistæ pædobaptismum admittant, incredibile est, quantum laborent, ut explicent, qualis sit baptismi effectus in iis infantibus, in quibus nulla est, aut esse potest fides. Longum nimis foret, varias, sibique oppositas ipsorum enumerare sententias, ut fecit Herm. Witsius in Exercit. *De efficacia baptismi in infantibus*, contenta in Tomo altero ipsius *Miscellanearum sacrarum*. Observat autem, *primo* aliquos putare, non omnibus infantibus gratiam in Baptismo tribui, sed solum prædestinatis; cui sententiæ ipse Witsius adstipulatur contra Pareum, Forbesium, & alios. Deinde loquens de regeneratione „ nonnulli, *inquit*, „ eam diversis temporum articulis dispensari putant; „ aliquando ante, aliquando in, aliquando post baptismum. Alii Baptismo præstruunt. Alii in futuram „ regenerationem infantes baptizari docent, quod in „ præsenti illius non sint capaces. Multi denique in „ ipso baptismi actu, & momento infantibus regenerationem ordinarie a Deo conferri pugnant. *Ipse autem Witsius suam de efficacia baptismi sententiam ita „ proponit:* Cum Baptismus sit Sacramentum, & Sacramentum sit sigillum, & sigilli usus sit aliquid „ confirmare, ac certiorare, efficaciam baptismi in confirmatione, ac certioratione promissæ gratiæ consistere. Omnis vero illa efficacia moralis est, ut in „ scholis loquitur, ac toto genere distincta ab efficacitate reali, & physica ".

(c) Faustus Socinus in præfat. ad Disputationem *De Baptismo aquæ* Tom. I. Operum, totus est, ut baptismi necessitatem tollat, contendens nusquam in Evangelistarum, aut Apostolorum libris inveniri, omnibus in perpetuum, qui Christiani esse velint, præceptum fuisse: non tamen propterea eum abrogandum esse censet: *nihil enim prohibet*, inquit, *quo minus id fieri possit, quamvis ut fiat, præceptum non fuerit*. Præceptum vero baptizandi nihil aliud esse vult, quam præceptum prædicandi, & recipiendi doctrinam Christianam. Porro nihil absurdius dici posse, ostendemus, ubi de hujus Sacramenti necessitate agemus. Non tamen omnes Sociniani Magistro suo hac in parte subscribunt. Inter ceteros enim Wolzogenius in c. XXVI. 11. Matth. fatetur, baptismi ritum *præcepto Christi servandum in omnibus fidem in ipsum suscipientibus*. Idemque docent Wolckelius Lib. VI. *De vera religione* cap. 6., & Schilichtingius in epist. primam ad Corinthios. In definitione tamen baptismi a Socino tradita *De Baptismo* cap. 2., omnes ejus gregales conveniunt, ut constat ex Smalcio contra Franzium pag. 310., ex Ostorodo *Institut.* cap. 39., & ex catechismo Racoviensi pag. 195.

(d) Simon Episcopius, qui Theologiam Remonstran-

Lutheranorum definitio, quorum nomine Phil. Melancthon in *Locis commun.* Baptismum esse dicit *signum, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam*. Sed *primo* hæc definitio nimis vaga est, & potest etiam aliis Sacramentis adaptari. Præterea nomine *signi* Lutherani non denotant, nisi signum nudum, & omni efficacitate vacuum. Solent quidem Lutherani multa de Sacramentorum efficacia contra Calvinistas, & magnifica prædicare; sed nemo ignorat eorum πρῶτον ψεῦδος, justificationem nempe non a Sacramentis, sed a sola fide pendere. Quamobrem nunquam illam Concilii Tridentini phrasim, per Sacramenta conferri gratiam *ex opere operato*, admittere voluerunt. Immo Jo. Gerhardus T. IX. *Locorum theologic.* cap. 7. §. 121. contendens, Baptismum esse *medium* regenerationis, protestatur, se *longissime* ab opinione *operis operati* distare; quod tamen ipsi a Calvinistis non sine fundamento objectum fuerat (*a*).

9. Pauca addamus de trita illa & vulgata triplicis baptismatis divisione, scilicet in Baptismum aquæ, sanguinis, & desiderii, seu pœnitentiæ, de qua agit S. Thomas 3. P. quæst. 66. art. 11. inquiens: „ Præter Baptismum aquæ potest consequi „ aliquis Sacramenti effectum ex passione Christi; „ in quantum quis ei conformatur, pro Christo „ patiendo; unde dicitur Apoc. VII. 14. *Hi sunt*, „ *qui venerunt ex magna tribulatione*, *& laverunt stolas suas*, *& dealbaverunt eas in sanguine agni*. Eadem etiam ratione aliquis per „ virtutem Spiritus sancti consequitur effectum baptismi: non solum sine Baptimo aquæ, sed etiam sine Baptimo sanguinis, inquantum scilicet alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur „ ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis: unde etiam dicitur *baptismus pœnitentiæ*; & de hoc dicitur Isaiæ IV. „ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion*, „ *& sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, & spiritu ardoris*; " Quam suam doctrinam Angelicus postea confirmat auctoritate Sancti Augustini Lib. IV. *De Baptismo contra Donatistas* cap. 22. Videri etiam potest idem S. Pater Lib. I. *De anima* cap. 9.

10. Observat deinde Angelicus nonnisi Baptismum aquæ esse verum Sacramentum; alia vero duo convenire cum Baptismo aquæ, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis; & ideo hanc trium Baptismatum distinctionem non repugnare Apostolo dicenti Ephes. IV. 5.; *Una fides, unum baptisma*.

11. Et rursus art. 12. „ *Effusio*, inquit, *sanguinis* pro Christo, & operatio interior Spiritus „ sancti dicuntur baptismata, inquantum efficiunt „ effectum baptismi aquæ. Baptismus autem aquæ „ efficaciam habet a passione Christi, & a Spiritu sancto. Quæ quidem duæ causæ operantur „ in quolibet horum trium baptismatum; excellentissime tamen in baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in Baptismo aquæ, „ per quamdam figuralem repræsentationem; in „ baptismo autem flaminis, vel pœnitentiæ per „ quamdam affectionem; sed in baptismo sanguinis per imitationem operis.

12. Prosequitur Angelicus suum ratiocinium, dicens. „ Similiter etiam virtus Spiritus sancti operatur in baptismo aquæ per quamdam virtutem „ latentem: in baptismo autem pœnitentiæ per „ cordis commotionem, sed in baptismo sanguinis „ per potissimum dilectionis, & affectionis fervorem, secundum illud Jo. XV. 13. *Majorem hac* „ *dilectionem nemo habet*, *quam ut animam* „ *suam ponat quis pro amicis suis*. "

13. In resp. autem ad 2. bene notat, baptismum sanguinis non habere rationem baptismi, si sit sine charitate, secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. XIII. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. „ Ex quo patet, quod baptismus sanguinis „ includit baptismum flaminis, & non e converso. " Baptismum autem pœnitentiæ, seu flaminis sufficere nos docet exemplum Magdalenæ pœnitentis, de qua Poetæ Sedulii notissimum carmen Lib. III.

...... purgata recessit,
Per gemitum; propriique lavans in gurgite fletus,
Munda suis lacrymis redit, & detersa capillis.

14. Postquam de baptismi definitione, ac divisione egimus, doctrinæ ordo postulat, ut ejusdem baptismi primam, & divinam institutionem inquiramus; sed prius duo explicanda sunt, quæ ipsam in-

tium in unum corpus redegit, Tom. I. Baptismum dicit esse *tesseram*, *notam*, *signum*, vel *sigillum*, quo profitemur religionem christianam, quemadmodum Circumcisio signum erat Israelitis; unde infert, baptismi mandatum ad eos tantum pertinere, qui vel a paganismo ad christianam religionem transeunt, vel in christiana religione nati gravibus peccatis se obstrinxerunt. Jo. Clericus, cujus propensio in Socianismum nota est, in Tom. I. *Artis Crit.* P. II. Sec. 1. cap. 16. nihil mysterii in Baptismo latere vult, cum sit nudus, & simplex ritus ad denotandos fideles institutus.

(*a*) Cum enim passim doceret, Baptismum esse *efficax regenerationis medium*, etiam in infantibus, qui fidei incapaces sunt, non immerito ipsi objiciebatur, hanc regenerationem fieri per Baptismum *ex opere operato*. Nec satis videtur objectionem diluere respondendo: *Hanc fidem, & illi conjunctam regenerationem Spiritus sanctus per ipsum Baptismum in cordibus infantium operatur*. Sed hæc viderint ipsi Lutherani Nos absonas istas baptismi definitiones ex instituto refutabimus, quando hujus Sacramenti effectus explicabimus.

institutionem hujus Sacramenti præcesserunt, scilicet cessatio Circumcisionis, in cujus locum baptismus successit; & Baptismus Joannis, qui baptismi Christi prodromus fuit, & quo ipse Dominus noster tingi voluit.

CAPUT II.

Ostenditur, Circumcisionem fuisse præparationem, & figuram baptismi, adeoque cessare debuisse, ut baptismo Christi locum daret (*a*).

15. Sanctus Thomas 3. P. quæst. 70. art. 1. id ostendit *primo* ex Apostolo, qui ad Coloss. II. 11. inquit: *Circumcisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo.*

16. Probat idipsum postea hac ratione: „ Baptismus dicitur *Sacramentum fidei*, inquantum „ scilicet in baptismo fit quædam fidei professio, „ & per baptismum aggregatur homo congregatio„ ni fidelium. Eadem autem est fides nostra, & „ antiquorum Patrum, secundum illud Apostoli 2. „ Corinth. IV. 13.: *Habentes eumdem spiritum* „ *fidei, credimus*. Circumcisio autem erat quæ„ dam protestatio fidei, unde dicitur Rom. IV. 11., „ quod *Abraham accepit circumcisionem, tam*„ *quam signaculum fidei*: quando & per circum„ cisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. „ Unde manifestum est, quod circumcisio fuit præ„ paratoria ad baptismum, & præfigurativa ipsius, „ secundum quod antiquis patribus *omnia in fi*„ *guram futuri contingebant*, ut dicitur 1. Co„ rinth. X., sicut & fides eorum erat de futuro."

17. Abrogandam fuisse circumcisionem una cum aliis Sacramentis Mosaicis eruitur etiam aperte ex prophetia illa Jeremiæ XXXI. 31.: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, &c.* Hoc autem Jeremiæ vaticinium fuisse in novo Testamento adimpletum recte observavit S. Paulus Hebr. VIII. 8., ita concludens: *dicendo autem novum, veteravit prius*. Vid. dicta Tom. V. Dissert. 1. 2. (*b*).

18. Fuit postea abrogatio Circumcisionis omnino declarata & statuta in Concilio Jerosolymitano Act. XV. Cum enim quidam docerent, non posse Christianos salvari, nisi circumciderentur secundum legem Moysis, Apostoli celebre illud decretum emiserunt vers. 18. sequ.: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, fornicatione.* Paulus autem & sæpe, & luculenter loquitur de legalium, ac præcipue de circumcisionis abolitione; immo ad Gal. V. 2. *Ecce*, inquit, *ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

19. Ad hæc circumcisio erat instituta, ut populus, ex quo nasciturus erat Messias, a reliquis sejungeretur. Postquam igitur Messias advenit, qui *medium parietem maceriæ* solvere debebat, ut loquitur Apostolus Ephes. II. 14. & fieri *unum ovile, & unus pastor*, Joan. X. 16. nulla amplius erat causa servandi ritum circumcisionis.

20. Ob. *primo* Gen. XVII. 7. quando Deus Abraham circumcisionem dedit, protestatus est, se fœdus inire sempiternum: *Et statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno .... circumcidetur ex vobis omne masculinum &c.*

21. Resp., fœdus a Deo initum cum Abraham dupliciter spectari posse, & quatenus designabat gratiam conferendam per fidem venturi Messiæ, & quatenus erat externæ cæremoniæ alligatum. Primo modo durare debebat in æternum, etiam externa cæremonia cessante, quomodo fœdus Dei cum Sanctis etiam inquit S. Augustinus Epist. XXIII. num. 4., *sicut circumcisionem abstulit Domini primus adventus, sic baptismum auferet secundus adventus*. Si vero externa illa circumcisionis cæremonia solum attendatur, hæc durare debebat usque ad Christum, qui ad totam adimplendam legem circumcidi voluit. Vox autem illa עולם *holam* non semper veram æternitatem significat. Sic in eodem ipsissimo capite Genes. promisit Deus, se daturum semini Abraham terram Chanaan *possessionem æternam*, a qua tamen Judæi post mortem Christi expulsi sunt. Ita paucis hanc difficultatem expedit S. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 3. ad 1.: *Lex vetus dicitur esse in æternum, secundum moralia quidem simpliciter,* &

(*a*) Non soli Judæi pugnaciter contendunt, Sacramenta veteris legis, ac præcipue Circumcisionem, nunquam fuisse abolita, immo nec aboleri potuisse, sed iis quoque adhæserunt inter veteres hæreticos Nazaræi, & Ebionitæ, ut testantur Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, aliique. Eruditus P. Mich. Le-Quien Dissert. VII. in Damascenum §. 21. nos docet a Nazaræis fuisse ad Circumcisionem adstrictos solos proselytos ex Judæis, ab Ebionitis autem etiam proselytos ex gentilibus. Si autem credimus Petro Della-Valle in *Itinerario* P. I. cap. 32, Æthiopes Christiani etiam nunc suos infantes tam masculos, quam fœminas circumcidunt, & simul baptizant. Ant. Van-Dale in erudita sua *Historia baptismorum* negat, baptismum successisse circumcisioni, quia Mennonistarum erroribus præoccupatus hujus Sacramenti efficaciam non agnovit.

(*b*) Illustrissimus Petrus Dan. Huetius Lib. II. *Quæst. Alnet.*, postquam solita sua eruditionis copia omnes enumeraverit veterum, ac recentiorum Judæorum lotiones, atque illam præcipue, qua proselyti baptizabantur post circumcisionem, asserit, Talmudistas docere, *vere eum proselytum esse factum, qui baptismum sine circumcisione susceperit, & fore aliquando, ut supervacua sit Legis circumcisio, solusque adhibeatur baptismus*. Viderunt ergo Circumcisionem non esse in perpetuum duraturam.

& absolute ; secundum cæremonialia vero , quantum ad veritatem per ea figuratam .

22. Instab. Isaiæ LII. 1. dicitur de regno Christi, non futurum in illo *incircumcisum* , *& immundum*.

23. Resp. *primo* ibi sermonem esse de Jerusalem *civitate sancti* , quam consolatur Propheta , prædicens illi , non pertransiturum per eam *incircumcisum* , *& immundum* , idest Gentiles , qui antea eidem dominati fuerant . Sed si quis velit hoc Prophetæ oraculum mystice de regno Christi intelligere , tunc etiam nos mystice intelligemus circumcisionem non manufactam , sed spiritualem , non carnis , sed cordis .

24. Inst. iterum . Deus ore Ezechielis XLIV. 9. arcet ab ingressu sui *sanctuarii* omnem alienigenam *incircumcisum corde* , *& incircumcisum carne :* ergo exigit non solum circumcisionem spiritualem , sed etiam carnalem , ut proinde nondum sit abrogata .

25. Resp. Prophetam nomine *circumcisionis carnis* , sine qua nemo audebat ingredi sanctuarium Dei , intelligere non solum proprie dictam circumcisionem , quæ erat typus , & præparatio ad baptismum , sed etiam circumcisionem non manufactam , seu ipsum baptismum , sine quo nemo potest introire in sanctuarium Dei , seu in regnum cœlorum . Neque vero insolens est Prophetis ea , quæ pertinent ad Christi Ecclesiam , verbis enunciare in veteri testamento usitatis . Sic nomine Jerusalem persæpe intelligunt cœlestem patriam , nomine templi Ecclesiam , & nomine sacrificiorum incruentum corporis , & sanguinis Christi sacrificium , cujus illa typi erant , & figuræ .

26. Ob. *secundo* . Ex quo in adventu Messiæ cessaverint cæremoniæ Mosaicæ , non sequitur , abrogatam fuisse etiam circumcisionem , quia hæc , teste Jesu Christo Jo. VII. 22. *non est ex Moyse* , *sed ex Patribus* .

27. Resp. , fuisse quidem circumcisionem datam Abrahamo , sed ut signum protestativum fidei in venturum Messiam , adeoque post ejus adventum cessare debuisse . Audiatur S. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 3. ad 4. , ubi inquit: „ Fides Abraham „ erat commendata in hoc , quod credidit divinæ „ promissioni de futuro semine , in quo benedi- „ centur omnes gentes . Et ideo quamdiu hoc erat „ futurum , oportebat contestari fidem Abrahæ in „ circumcisione . Sed postquam jam hoc est per- „ fectum , oportet idem alio signo declarare , sci- „ licet baptismo , qui in hoc circumcisioni succe- „ dit . " Hoc idem notat Angelicus de Sabbato , quod fuerat primo institutum ad recolendum beneficium creationis , die septima absolutæ ; sed mutatum postea fuit in diem Dominicum , *in quo commemoratur nova creatura inchoata in resurrectionem Christi* .

28. Ob. *tertio* . Apostolus ad Roman. XV. 8. dicit, *Christum Jesum fuisse ministrum circumcisionis* . Ulterius idem S. Paulus Timotheum circumcidit , ut habetur in Act. Apostol. cap. XVI.

29. Resp. cum S. Thoma Lect. I. in hunc locum , Christum fuisse appellatum *Ministrum circumcisionis* , quia in propria persona suum Evangelium solis Judæis circumcisis prædicavit ; quo sensu idem Paulus ad Gal. II. 7. sibi creditum fuisse dicit Evangelium *præputii* , sicut & Petro *circumcisionis:* ubi nomine *præputii* intelliguntur Gentiles , nomine autem *circumcisionis* veniunt Judæi .

30. Alterum vero solvitur , observando , id Apostolum fecisse quadam prudenti œconomia *propter Judæos* , *qui erant in illis locis* , ne scilicet scandalizarentur , videntes ab eo in societatem prædicationis assumptum esse Timotheum incircumcisum , qui tamen saltem ex parte matris Judæus erat . Circumcisio autem fuit aliquamdiu tolerata in illis , qui convertebantur ex Judaismo , ut Synagoga cum quodam honore ad sepulchrum deduceretur . Unde & ipse Paulus 1. Corinth. IX. 20. dicit , se *factum fuisse Judæis* , *tamquam Judæum* , *ut Judæos lucraretur* , observando scilicet aliquas Mosaicæ legis cæremonias , quas abolitas esse , non dubitabat . Sic sibi caput totondit cum voto , postea se purificavit , abstinuit a cibis in lege vetitis &c. , ut patet Act. XVI. , XVIII. , XXI. , & XXIV. Vid. S. Thomas inferius n. 32. laudandus .

Quæres *primo* , *quando circumcisio cessaverit ?*

31. Resp. S. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 3. & 4. multa habet de tempore , quo circumcisio , aliæque cæremoniæ legales cessare debuerunt . Nobis autem satis fuerit ea referre , quibus art. 4. respondet difficultati sibi primo loco oppositæ , quod Apostoli post adventum Spiritus sancti in die Pentecostes adhuc observaverint legalia : nam Paulus circumcidit Timotheum , ut dicitur Act. XVI. Hanc vero difficultatem his verbis solvit Angelicus .

32. „ Circa hoc diversimode sensisse videntur Hieronymus , & Augustinus . Hieronymus enim (Epist. LXXV. inter Epistolas S. Augustini) distinxit duo tempora : unum tempus ante passionem Christi , in quo legalia non erant mortua , quasi non habentia vim obligatoriam , aut expiativam pro suo modo , nec etiam mortifera , quia non peccabant ea observantes . Statim autem post passionem Christi inceperunt esse non solum mortua , idest non habentia virtutem , & obligationem , sed etiam mortifera , ita scilicet , quod peccabant mortaliter , qui ea observabant . Unde dicebant , quod Apostoli nunquam legalia observaverunt post passionem secundum veritatem , sed solum quadam pia simulatione , ne scilicet scandalizarent Judæos , & eorum conversionem impedirent . Quæ quidem simulatio sic intelligenda est , non quidem ita , quod illos actus secundum rei veritatem non facerent , sed quia non faciebant , tamquam legis cæremonias observantes ; sicut si quis pelliculam virilis membri absinderet propter sanitatem , non causa legalis circumcisionis observandæ " .

33.

33. „ Sed quia indecens videtur, quod Apostoli ea occultarent propter scandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ, & doctrinæ, & quod simulatione uterentur in his, quæ pertinent ad salutem fidelium; ideo convenientius Augustinus Epist. XL. distinxit tria tempora: unum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua: aliud autem post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt mortua, & mortifera: tertium autem est tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur, non tamen fuerunt mortifera, qui illi, qui conversi erant ad Christum ex Judæis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. His autem, qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa, ut ea observarent. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Judæa genitus erat; Titum autem, qui ex gentilibus natus erat, circumcidere noluit.

34. Ideo autem noluit Spiritus Sanctus, ut statim inhiberetur his, qui ex Judæis convertebantur, observatio legalium, sicut inhibebatur his, qui ex gentilibus convertebantur, gentilitatis ritus, ut quædam differentia inter hos ritus ostenderetur. Nam gentilitatis ritus repudiabatur, tamquam omnino illicitus, & a Deo semper prohibitus; ritus autem legis cessabat, tanquam impletus per Christi passionem, utpote a Deo in figuram Christi institutus ". Utrumque illum S. Thomæ articulum legendum consulo.

35. Angelicæ huic doctrinæ ex magno Augustino derivatæ omnes consentiunt Theologi; sed alia difficultas exoritur, nempe si tempore medio inter Christi passionem, & Evangelii divulgationem circumcisio *mortua* erat, & nullius valoris, quamvis nondum *mortifera*, quid dicendum de iis Judæorum infantibus, qui cum sola circumcisione defuncti sunt? An in illis peccatum originale vi circumcisionis deletum est?

36. Respondet Guill. Estius in IV. Dist. III. §. 14., circumcisionem iis infantibus profuisse ad delendam originalem noxam. *Quod*, inquit, *non est contra tripartitam temporis distinctionem supra positam. Nam medio tempore mortua quidem fuere legalia, non tamen omnibus, sed iis, quibus novæ legis instituta manifestata prodesse jam poterant*. Quam suam sententiam Estius auctoritate S. Bernardi confirmat, rejiciens tamquam minus probabilem opinionem Scoti, putantis, iis parvulis suffecisse in remedium peccati originalis fidem parentum.

Quæres *secundo*, *an apud Hebræos præter circumcisionem baptismus quoque adhiberetur?*

37. Resp. Multas apud Hebræos fuisse usitatas ablutiones, discimus ex sacris litteris utriusque fœderis. Earum nonnullæ erant ex hominum arbitrio, præcipue vero Pharisæorum, de quibus habemus Marci VII. 3. seq., quod *nisi crebro laverint manus, non manducant; tenentes traditionem seniorum, & a foro, nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum*. Sed, ut bene advertit S. Thomas 3. P. quæst. 38. art. 1. ad 3., *baptismata illa erant inania, utpote ad solam munditiem carnis ordinata*.

38. Quædam tamen lotiones inveniuntur ex lege præscriptæ, ut quæ leguntur Exodi XIX. 10. XXIX. 4., Levitici VIII. 6., aliæque non paucæ, sive ad naturales corporis sordes abstergendas, sive ad culpas legales expiandas. Hæc autem Judæorum baptismata erant per totius corporis nudati immersionem, non autem per solam aspersionem.

39. Quamquam aliquæ etiam memorantur ablutiones per solam aspersionem, ut illa, quæ præcipitur Numer. XIX. 11. homini immundo propter contactum cadaveris: *Aspergetur ex hac aqua* (*lustrali*, cui cineres vaccæ rufæ infusæ erant) *die tertio, & septimo, & sic mundabitur*. Ac de variis, & multis Hebræorum lotionibus videndus Petrus Dan. Huetius in *Quæst. Alnetanis* Lib. II. cap. 20.

40. Sed multo celebrior etiam apud modernos Judæos est baptismus *Proselytorum*; unde quidam Heterodoxi originem nostri baptismi Christiani trahere ausi sunt, ut infra videbimus. *Proselyti* dicebantur, qui ex Pagana superstitione ad religionem Judaicam transibant. Duo autem distinguebantur eorum genera: alii enim erant solius *domicilii*, a quibus nihil aliud exigebatur, quam ut ab idololatricis superstitionibus abstinerent, & ut quædam præcepta Noachica observarent. Alii vero dicebantur *proselyti fœderis*, aut *justitiæ*, & isti se ad omnia præcepta legis obligabant; atque isti primum circumcidebantur, post autem, ubi dolor ex vulnere cessasset, baptismo totius corporis immersione lustrabantur, fœminis solo hoc baptismo initiatis, cum circumcisionis essent incapaces.

41. Hunc baptismum fuisse a Moyse institutum, & præceptum, contendunt multi Rabbini post Moysem Maimonidem apud Seldenum *De Synedriis* Lib. I. cap. 3.: quibus subscribunt Marshamus in *Canone chronico* Sæc. IX., Lightfootus in *Horis hebraicis* cap. 41. aliique nonnulli Rabbinicis doctrinis plus æquo addicti. Veruntamen sæpius provocati, ut aliquod hujus instituti, vel præcepti Mosaici vetus monumentum afferrent, nullum hactenus prolatum est. Immo nulla hujus baptismi mentio fit, quando Jethro, ejusque familia, Ruth Moabitides, Rahab Hiericuntina, Achior, aliique proselyti facti sunt. Quando etiam Hircanus tempore Machabæorum Idumæos ad circumcisionem adegit, ut Josephus narrat Lib. XIII. *Antiq. Jud.*

cap.

cap. 17., nihil prorsus habetur de eorum baptismate.

42. Hugo Grotius hoc vidit, & confessus est in cap. III. Matth. vers. 6.; sed aliam hujus ablutionis antiquorum originem se invenisse putavit in aquis diluvii, ut proinde baptismus proselytorum esset institutus vetustissimis Noe temporibus in memoriam illius universalis baptismatis, quo totius mundi sordes ablutæ fuere. Unde illud apud Græcos decantatum:

Θάλασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακὰ
Mortalium omnium abluit culpas mare.

Sed nec iste laboriosissimus remotæ antiquitatis indagator aliquod suæ opinionis fundamentum nobis exhibere potuit. Hinc eruditi concludunt, fuisse quidem proselytis Hebræorum baptisma collatum, sed non ex aliqua lege divina, aut Mosaica, aut etiam Noachica: immo nec semper, nec ubique. Qui plura de hac controversia scire cupit, evolvat doctissimi Calmet Dissert. *De Baptismo*, tum duas Dissertationes Jo. Reiskii, & Jo. Andr. Danz insertas Tomo XXII. *Thesauri Antiquit. Sacrar.* Blasii Ugolini, præter illos non paucos, quos citat Christoph. Matth. Psaffius in *Introduct. ad Hist. Theol. Litter.* Lib. III. pag. 36. e Protestantium cœtu scriptores.

CAPUT III.

De Baptismo Joannis.

43. Postquam diximus de Circumcisione, quatenus typus erat nostri baptismi, sequitur ut dicamus de Baptismo Joannis, qui eidem Christi Sacramento viam præparabat. Novatores, qui Sacramentis virtutem justificandi denegant, eam, soli fidei tribuentes, nullum agnoscere volunt inter Joannis, & Christi baptismum essentiale discrimen, quemadmodum nec Baptismum, nec alia Sacramenta, a Circumcisione, ac veteribus Sacramentis distare contendunt. Vid. sup. Dissert. 1. cap. 10. (*a*), contra quorum errorem sit

PROPOSITIO.

In eo potissimum differebat baptismus Joannis a Baptismo Christi, quod iste gratiam sanctificantem virtute sua confert, non autem illam conferebat baptismus Joannis.

44. Non immorabimur in demonstranda veritate primæ partis, quam abunde ostendimus Dissest. I. cap. X. Solum restat probanda altera pars de baptismo Joannis. Quæ quidem in se non videtur esse magni momenti, cum agatur de baptismo, qui jamdiu cessavit. Sed Novatores, eam necessariam reddiderunt, quia ut efficaciam nostro baptismo detraherent, conati sunt ostendere, eum aut nihil, aut valde parum a baptismo Joannis differre. Aliquos *exorituros, qui præ mentis inopia dicere auderent, nullum esse prorsus utriusque baptismatis discrimen, sed pari utrumque in pretio habendum*, quasi vaticinans olim timuit S. Cyrillus Alexandrinus Comment. in cap. III. Joannis ad vers. 22. Tom. IV.

45. Prob. autem disertissimis ejusdem S. Joannis Baptistæ verbis apud Jo. I. 33., quibus discrimen affert inter suum, & Jesu Christi baptismum, inquiens: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Quomodo poterat melius Christi Præcursor ostendere, quanto baptismus Christi esset suo excellentior, quam suum vocando, *baptismum aquæ*, alium vero *baptismum Spiritus sancti?* Ut nempe intelligeremus, in Christi baptismo veram Spiritus sancti gratiam conferri, non autem in baptismate Joannis. Quod idem adhuc expressius significavit apud Matth. III. 11., apud Marcum I. 8., & apud Lucam III. 16., ubi iis, qui putabant ipsum esse Christum, respondit dicens: *Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igne.* Ubi certe non ponitur discrimen solum inter personam Christi, &

(*a*) Id primo docuerat Ulricus Zwinglius in Lib. *De vera, & falsa religione* cap. *de Baptismo*. Hunc ejus errorem, ut multos alios, adoptavit Calvinus Lib. IV. *Instit.* cap. 15. §. 7., suisque asseclis propinavit, estque modo in Calviniana secta communis; eosque si audiamus, sola semper fides justificat; cum hoc tantum discrimine, quod circumcisi crederent in Messiam venturum; baptizati a Joanne in Messiam jam præsentem, sed nondum manifestatum; baptizati ab Apostolis in Messiam, qui opus redemptionis consummaverat. Lutherus a vera sententia non discessit; tria enim ponebat inter Christi, & Joannis baptismum discrimina: *primum*, quod baptismus Joannis non fuerit Sacramentum; *secundum*, quod peccata non remiserit; *tertium*, quod baptizati a Joanne debuerint rebaptizari. Sed Lutheranis non placuit hæc Magistri doctrina. Nam Phil. Melancthon in *Locis Commun.* editis anno 1558. titulo *De Baptismo* contendit, baptismum Joannis habuisse eosdem effectus, ac baptismum Christi, eaque retracrat, quæ antea cum magistro suo recte docuerat. Melancthonem secuti sunt Lutherani posteriores, ut Jo. Gerhardus Loco XXI. cap. 4. §. 44. seq., Mart. Chemnitius P. II. *Exam. Concilii Trid.*, Jo. Franc. Turrettinus in *Instit. Thel. elenct.* P. III., & non ita pridem Jo. Franc. Buddens Lib. V. *Theol. Dogm.* cap. 1. §. 2.; qui omnes aliquam excellentiam baptismo Christi supra baptismum Joannis tribuunt, quantum ad copiam donorum; quantum vero ad remissionem peccatorum, & justificationem, utrumque parem faciunt, quia in falso eorum systemate remissio peccatorum, & justificatio a sola fide pendent, ut sæpius observavimus.

& Joannis, ut post Calvinum aliqui Protestantes frustra commenti sunt, sed etiam inter ipsa duo baptismata, quorum alterum erat in aqua, Christi vero in aqua, & Spiritu sancto.

46. Hoc ipsum discrimen confirmat S. Thom. hac theologica ratione 3. P. quæst. 38. art. 3., inquiens: „ Tota doctrina, & operatio Joannis præparativa erat ad Christum, sicut ministri, & inferioris artificis est præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autem conferenda erat hominibus per Christum, secundum illud Jo. I. 17. *Gratia*, & *veritas per Jesum Christum facta est*. Et ideo baptismus Joannis gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam præparabat tripliciter: *uno* quidem modo per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Christi: *alio* modo assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi: *tertio* modo per pœnitentiam, præparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi ".

47. Prob. *secundo* nostra propositio ex eo quod aliqui baptizati a Joanne denuo fuerint ab Apostolis Christi baptismo expiati. Ut enim narratur Act. XIX., cum Paulus invenisset quosdam Ephesios, a Joanne baptizatos, illis ita locutus est: *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos &c.* Hunc locum decretorium plane esse putavit Augustinus Lib. V. *De Bapt. contra Donatistas* cap. 10. inquiens: *Si baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit baptismus Christi eis, quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis Christi baptismo voluit baptizari?* Præterea cum Act. II. 41. dicatur, S. Petro prædicante baptizatos fuisse homines ad tria millia, & postea ad quinque millia, facile creditus est fuisse inter eos plerosque jam baptizatos a Joanne, ad cujus baptismum omnis pene Judæa concurrebat, testibus Evangelistis, Matthæo, Marco, & Luca, unde & illi denuo baptizati sunt.

48. Accedit denique sanctorum Patrum auctoritas, quorum nonnisi pauca allegabimus testimonia, cum vel ipsi Protestantes nimia veritatis evidentia coacti sint fateri, eosdem sibi aperte repugnare. Origenes Tom. IV. in Joan. num. 17. *Notandum*, inquit, *quod Joannis baptismus Jesu baptismo inferior erat. Qui ergo in Actis baptizati erant in Joannis baptismo ..... denuo ab Apostolo baptizabantur, quia regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos fiebat &c.*

49. S. Jo. Chrisostomus Hom. X. in Matth. de baptismo Joannis inquit: *Remissionem hoc baptisma non habebat; sed hoc munus illius baptismatis erat, quod postea Christus instituit.*

50. Ex latinis Tertullianus in Lib. *De Baptismo* cap. 10. loquens de Baptismo Joannis, *divinum quidem eum fuisse*, dicit, *mandato tamen, non potestate; quod & Joannem a Domino missum legimus in hoc munus, ceterum humanum conditione; nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat*.

51. S. Hieronymus in Dial. adv. Luciferianos *Audi*, inquit, *quid Scripturæ doceant. Joannis baptisma non tam peccata dimisit, quam pœnitentiæ baptisma fuit in remissionem, idest in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura*. Et post aliqua: *Si autem Joannes, ut confessus est ipse, non baptizavit in spiritu, consequenter neque peccata dimisit, quia nulli hominum sine Spiritu sancto peccata dimittuntur*. Demum concludit, eum, qui *servi baptismo plus, quam habuit, tribuit, Dominicum* (baptismum) *destruere; cui amplius nihil relinquitur*.

52. Denique S. Augustinus, cujus quanta sit auctoritas, nemo ignorat, præter verba superius num. 47. allata, hæc alia habet in eodem loco cap. 9.: *Baptizatos a Paulo eos, qui jam baptismo Joannis baptizati fuissent, legimus in Actis Apostolorum, non ob aliud, nisi quia Joannis baptismus non fuit Christi baptismus, sed Joanni a Christo concessus; qui Joannis proprie diceretur ... Accepit autem hoc Joannes certæ dispensationis gratia, non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandam viam Domino, cujus eum esse præcursorem oportebat* (a).

53. Merito igitur Patres Tridentini Sess. VII. *de Baptismo* can. 1. ita definierunt: *Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit*. Ubi tamen notant cautiores Theologi, non fuisse hoc canone expresse definitum, per baptismum Joannis non potuisse peccata deleri, sed solum majorem esse vim baptismi Christi, quam fuerit baptismi Joannis. Ita censent Guill. Estius in IV. *Sent.* Dist. II. §. 4., Ren. Hyac Drouven *De re Sacram.* Lib. II. cap. 1. §. 4. Lud. Habert, & alii. Quamobrem non sunt tamquam hæretici condemnandi pauci quidam veteres, qui cum Petro Lombardo aliquam justificandi vim baptismo Joannis tribuerunt.

(a) Sine stomacho legi non possunt, quæ impudentissimus Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 15. §. 7. scribere ausus fuit: *Neminem perturbet*, inquit, *quod alterum* (baptisma) *ab altero discernere veteres contendant, quorum non tantus esse nobis debet calculus, ut Scripturæ certitudinem qualefaciat. Quis enim Chrysostomo potius auscultet, quam Lucæ? Nec recipienda est illa Augustini argutia, in spe dimissa fuisse peccata baptismo Ioannis, Christi baptismo reipsa dimitti.*

54. Præcipue cum ipse S. Augustinus ita nostram sententiam defenderit, ut oppositam tamquam hæreticam noluisse condemnare visus sit. Ita enim habet Lib. V. laud. *De Baptismo* cap. 10.: *Quamquam ita credam, baptizasse Joannem in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsa vero in Domini baptismo id fieret .... tamen ne quisque contendat, etiam in baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos jussit Paulus denuo baptizari per baptismum Christi, esse collatam, non ago pugnaciter.*

Solvuntur objectiones.

Ob. *primo* contra primam probat.. Illa verba Joannis, quæ apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum, & Lucam leguntur: *Ego quidem aqua baptizo vos &c.* non indicant aliquod discrimen essentiale inter baptismum Joannis, & Christi, sed accidentale tantummodo, scilicet quod in Christi baptismate majora futura essent, & visibilia Spiritus sancti dona, qualia fuerunt in die Pentecostes: hoc enim significat illud adjunctum: *In Spiritu sancto, & igne.* Quod clarius expressit Christus ipse Actor. I. 5. dicens Apostolis: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*, scilicet in proximo Pentecostes Festo.

56. Resp., nomine *Spiritus sancti, & ignis* apud tres laudatos Evangelistas non designari nisi invisibilem Spiritus sancti gratiam, quæ per Christi baptismum cordibus baptizatorum infunditur: quamvis alio in loco, scilicet Act. I. 5., & iterum Act. XI. 16., designentur visibilia Spiritus sancti dona, quæ Apostoli in die Pentecostes erant recepturi, quando scilicet *apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis.* Act. II. 3. Ratio hujus distinctionis *primo* desumitur ex Sanct. Patrum traditione supra allegata, quibus addi potest S. Jo. Chrysostomus, ita hunc locum interpretatus Hom. XI. in Matth., *Ignis additione vehementiam, & efficaciam gratiæ demonstrari.* *Secundo*, quia Joannes loquebatur ad turbas, quæ erant quidem baptizandæ in Spiritu sancto, non tamen sub visibili figura linguarum ignearum. Christus autem post suam resurrectionem alloquebatur Apostolos, & Discipulos, quibus solis sub figura ignearum linguarum dandus erat Spiritus sanctus. *Tertio* baptismus datus Apostolis in die Pentecostes poterat quidem appellari *in igne*, sed non *in aqua, & igne.* *Demum* quando Christus Joan. III. voluit necessitatem sui baptismi exprimere, nullam ignis mentionem fecit, sed tantum aquæ, & Spiritus sancti: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quo in loco cum etiam parvuli comprehendantur, nomine Spiritus sancti non potest designari nisi invisibilis gratia sanctificans, non autem visibilia Spiritus sancti dona, quorum infantes incapaces sunt (*a*).

57. Ob. *secundo* contra alteram probat. n. 58. Verba illa Act. XIX. vers. 5. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu* male a nobis accipiuntur, quasi baptizati a Joanne, fuerint ab Apostolis rebaptizati. Nam *primo* illa verba non sunt Lucæ narrantis, quid Paulus cum illis duodecim baptizatis a Joanne egerit, sed sunt ipsius Pauli, qui ibidem exponit, quomodo Joannes baptizare soleret, in hunc modum: *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His autem auditis* (seu potius, ut græcus textus habet οἱ δὲ ἀκούσαντες, *illi autem audientes*, scilicet discipuli Joannis) *baptizati sunt in nomine Domini Jesu*, quem Joannes prædicabat venturum. Unde sensus illius loci est: *Et audientes* (Joannem Baptistam) *baptizati sunt in nomine Domini*, nempe ab eodem Joanne. Alii dicunt, eos, qui a Paulo jussi sunt baptizari, non fuisse a Joanne ipso baptizatos *in nomine Domini*, sed potius a Joannis discipulis in nomine ipsius Joannis, adeoque non fuisse rebaptizatos, sed *simpliciter* baptizatos, cum prior baptismus inanis fuerit. Hæc posterior sententia fundamentum habet in Ambrosio *De Spiritu sancto* cap. 3. & Optato Milevitano Lib. V. contra Parmenianum (*b*).

58. Resp. ad primum, illam interpretationem, ut-

(*a*) Non tamen negamus, nomine *ignis* potuisse etiam indigitari miraculum apparitionis ignearum linguarum in die Pentecostes, ut aliqui Patres explicarunt. Catechismus Romanus P. II. cap. 2. n. 7. utramque explicationem admittit. Vid. erudita Dissertatio P. Casti Innoc. Ansaldi *De Baptismate in Spiritu sancto & igne*: Mediol. 1752., in qua novam hujus loci exegesim exhibuit, putans, nomine *Spiritus sancti, & ignis* juxta vulgatam eo tempore Judæorum intelligentiam non significari nisi gloriam miraculorum, quibus venturus Messias coruscare debebat.

(*b*) Si Gerardum Jo. Vossium audiamus in Dissert. VIII. *De Baptismo* thesi 33. prima hæc interpretatio est *admodum novella, quippe nata ipso jam nato*, auctore Phil. Marnixio, adoptata postea a Theodoro Beza, & a multis aliis sectæ Calvinisticæ, quibus volupe est, ab antiqua veterum Patrum Scripturæ interpretatione recedere. Quamobrem ipse non dubitat, illum Pauli sermonem esse ἀνυπόστατον, & partem Paulo, partem vero Lucæ esse tribuendam. Etiam Hugo Grotius Calvinista mollior, & Arminii assecla, fassus est, Latinum, Syrum, Arabum, & veteres omnes ante Marnixium agnovisse illa verba: *His auditis*, vel *audientes autem &c.* esse S. Lucæ historiographi Apostolorum. Nonnulli alii heterodoxi in eamdem sententiam citantur a *Criticis sacris*, & a Matthæo Poly in eorumdem Criticorum *Synopsi*. Altera interpretatio est Centuriatorum Magdeburgensium *Centuria* I. Lib. II. cap. 6., & Buleri in cap. III. Matthæi. Multas alias plane nugaces enumerat, & refellit Card. Bellarminus

tatur acutam, ipsa sua novitate refelli. Quotquot enim sano pollent ingenio, potius Augustino, aliisque Patribus, tum celebrioribus Interpretibus, ac Theologis adhærebunt, qui ex illo cap. XIX. Act. Apostol. collegerunt, baptizatos a Joanne iterum fuisse ab Apostolis baptismo Christi initiatos, & sanctificatos. Accedit, quod admissa illa interpretatione, tota narratio S. Lucæ erit perturbata, & confusa. Sic enim rem narrat S. Evangelista: Paulus interrogavit quosdam Discipulos Ephesios, an Spiritum sanctum accepissent? Respondent illi, se nec audivisse, si Spiritus sanctus sit. Tum Paulus eos rursum interrogat, in quo ergo *baptizati* sint? Reponunt, in baptismate Joannis. Erant ergo jam *baptizati*. Paulus autem iis explicat, quale fuerit baptisma Joannis, ut nempe eos edoceat, aliud ipsis necessarium esse baptisma, quo Spiritum sanctum recipiant. *Quibus auditis* (vel ut placet adversariis, *quæ audientes*) *baptizati sunt in nomine Domini Jesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos &c.* Quæ omnia recte fluunt, si dicamus, illos Discipulos fuisse novo baptismate tinctos. Non sic autem, si novos interpretes audiamus. Tunc enim ita coordinanda erit narratio S. Lucæ. Paulus interrogavit Discipulos: In quo ergo *baptizati* estis? Illi dicunt, baptismo Joannis. Paulus pergit: Joannes *baptizavit* vos baptismo pœnitentiæ, ut crederetis in Jesum; quibus auditis *baptizati* estis. At vero quid illa inanis *battologia*, seu repetitio *baptismi*? Nonne satis erat dixisse, Joannem baptizasse baptismo populum, ut crederent in eum, qui venturus erat post ipsum, hoc est in Jesum? Ut scilicet ostenderet, Joannis baptismum non fuisse nisi quamdam præparationem ad baptismum Christi, qui erat non in aqua solum, sed in aqua simul ac Spiritu sancto.

59. Ita hunc locum intellexit magnus Augustinus, immo & ante Augustinum Hieronymus, & Ambrosius. Primus quidem in Cap. II. Joelis Prophetæ dicens: *Qui baptizati erant baptismate Joannis ..... iterum baptizantur, & verum baptismum accipiunt*. S. Ambrosius autem Lib. I. *De Spiritu sancto* cap. 3. *Qui negaverunt*, ait, *se scire Spiritum sanctum, quamvis baptizatos se dicerent in Joannis baptismo, baptizati sunt postea*. Et ante utrumque Origenes Tomo VI. Commentar. in Joan. num. 17., hanc reddens iterati baptismi rationem, *quia regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos suos fiebat*. Vid. etiam S. Thomas 3. P. quæst. 38. art. 6.

60. Altera vero interpretatio prorsus commentitia est, nec ullum vel levissimum habet fundamentum in sacris litteris, ex quibus solis esse nostras explicationes depromendas Adversarii contendunt. Ibi enim dicitur, illos duodecim Discipulos fuisse baptizatos *in Joannis baptismate*, quale utique a Joanne dabatur, non autem alio baptismate vitiato, & corrupto. Insuper Paulus explicat, quale fuerit Joannis baptisma, scilicet *pœnitentiæ*, & præparatorium ad baptismum Christi: nec ibi vola est, aut vestigium, fuisse illos Ephesios a Joannis Discipulis male baptizatos.

61. Neque Adversarios juvat unius, aut alterius Patris singularis opinio, qui a communi aliorum sensu recesserunt in hujus loci explicatione. Quorum tamen sententia de vi, & efficacia baptismi Joannis nobis contraria non est, ut infra n. 77. & seq. videbimus.

62. Dices. In iisdem Actibus Apostolorum cap. XVIII. memoratur quidam Judæus nomine *Apollo, sciens tantum baptisma Joannis*, qui tamen *erat edoctus viam Domini, & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu*. Hæc profecto significant, eum per solum Joannis baptisma recepisse Spiritum sanctum, & gratia sanctificante fuisse instructum. Ulterius non legitur, eumdem fuisse denuo baptizatum.

63. Resp. Quantum ex circumstantiis colligi potest, Apollo erat tunc Catechumenus, & cum jam sufficienter edoctus esset viam Domini, & fervens spiritu, potuit Jesum in Synagogis prædicare. Quamvis vero expresse non dicatur, eum fuisse iterum baptismo Christi initiatum, non est tamen hac de re dubitandum, cum etiam aliis fuerit hoc Sacramentum collatum, ut legitur ibidem cap. XIX. Id quoque haud obscure insinuatur in eodem ipso cap. XVIII. cum de Apollo subditur: *Priscilla, & Aquila assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini;* proculdubio ei ostendentes Christi baptismatis necessitatem.

64. Ob. *tertio*. Marci I. 4. dicitur: *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum:* sed remissio peccatorum non fit sine infusione gratiæ sanctificantis; baptismus ergo Joannis eamdem habebat vim, & efficaciam, ac baptismus Christi, qui etiam in Symbolo Nicæno dicitur *in remissionem peccatorum*. Insuper Lucas capite I. narrans Angeli apparitionem factam Zachariæ, & prædictionem nascituri ei filii, dicit, eum venturum in spiritu, & virtute Eliæ, *parare Domino plebem perfectam*. Ut ergo hoc vaticinium adimpleretur, necesse erat, ejus baptismum esse ad remissionem peccatorum omnino efficacem.

65. Respondet S. Thomas 3. P. quæst. 38. art. 3. ad 1. „ quod illis verbis, ut Beda dicit, potest intelligi duplex baptismus: unus quidem, „ quem Joannes baptizando conferebat, qui dicitur *baptismus pœnitentiæ*, quia scilicet ille mi-

Lib. I. cap. 22. Ex hoc tamen apparet, quantum Novatores laborent in explicando textu tam perspicuo, ut eum cum suis erroribus concilient.

,, baptismus erat quoddam inductivum ad pœniten-,, tiam, & quasi quædam protestatio, qua profi-,, tebantur homines, se pœnitentiam acturos. A-,, lius autem est baptismus Christi, per quem pec-,, cata remittuntur, quem Joannes dare non po-,, terat, sed solum prædicabat dicens: *ille vos ba-,, ptizabit in Spiritu sancto*. Vel potest dici, quod ,, prædicabat baptismum pœnitentiæ, idest indu-,, centem ad pœnitentiam; quæ quidem pœniten-,, tia ducit homines in remissionem peccatorum." Sed hæc remissio peccatorum non obtinetur sine gratia, neque gratia est sine charitate, nec charitas sine Spiritus sancti in animam illapsu. Quamobrem cum Joannes non baptizaret in Spiritu sancto, ejus baptismo non poterant peccata *immediate* remitti, sed tantum *mediate*, quatenus ad Christi baptismum disponebat.

66. Dices. Ibidem apud Marcum vers. 5. additur: *Baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua*. Atque hæc eadem verba inveniuntur apud Matth. III. 6.: ut quid autem peccatorum confessio, si nulla erat in eo Baptismo vis eadem peccata remittendi?

67. Respondet idem Angelicus ad 2., *quod illa confessio non fiebat ad remissionem peccatorum, statim per baptismum Joannis exhibendam, sed consequendam per pœnitentiam consequentem, & per baptismum Christi, ad quem pœnitentia illa præparabat*. Ita etiam docent Patres, ut videre est apud S. Hieronymum supra num. 51. allegatum, & apud Tertullianum *De Baptismo* cap. 10.; ubi inquit de Joanne: *Quod prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enunciatum est: siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur &c.*

68. Dices iterum. Apostolus Ephes. V. 5. *unum* esse dicit *Baptismum*: non ergo baptisma Joannis erat a baptismate Christi diversum.

69. Resp., Apostolum loqui de baptismate Christi, quod certe nonnisi unum est; unde idem Apostolus 1. Corinth. I. 12. illos reprehendebat, qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cœphæ, ego autem Christi*, subdens: *Numquid divisus est Christus?* (*a*).

70. Ob. *quarto* cum Jo. Franc. Buddeo *Theol. Dogm.* Lib. V. cap. 1. §. 2. baptismus Joannis divinam habuit institutionem, non minus quam baptismus Christi, ut patet & Jo. I. 33., & Lucæ VII. 30. Insuper utriusque baptismi materia est eadem, nempe aqua. Forma etiam baptismi Joannis non videtur diversa: baptizabat enim in nomine Jesu Christi, qui venturus erat, & cujus doctrinam, tanquam ejusdem Christi Præcursor, annunciabat. Quod si dicatur, Joannem non baptizasse in nomine Trinitatis, hoc parum refert, quia etiam Apostolus Petrus Act. II. 38. jubebat, homines baptizari in nomine Jesu Christi, sine explicita trium Personarum mentione. Hanc tamen trium divinarum Personarum mentionem saltem implicitam factam fuisse a Joanne, colligere possumus ex ejusdem doctrina, quæ non alia erat, quam doctrina Christi.

71. Resp. Licet hæc omnia vera sint, observat tamen S. Thomas 3. P. quæst. 38. art. 2., fuisse magnum discrimen inter hæc duo baptismata, quantum ad effectum. *In baptismo Joannis*, inquit Angelicus, *duo possunt considerari, scilicet ritus baptizandi, & effectus baptismi. Ritus quidem baptizandi non fuit ab hominibus; sed a Deo, qui familiari Spiritus sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine, quia nihil in illo baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset. Unde non fuit a solo Deo, nisi inquantum Deus in homine operatur*.

72. Et ibidem in resp. ad 1. inquit: ,, Per Ba-,, ptismum novæ legis homines interius per Spi-,, ritum sanctum baptizantur, quod facit solus ,, Deus. Per baptismum autem Joannis solum cor-,, pus mundabatur aqua. Unde dicitur Matth. III. ,, 11.: *Ego baptizo vos in aqua ..... ille vos ba-,, ptizabit in Spiritu sancto*. Et ideo baptismus ,, Joannis denominatur a ministro, qui principa-,, lem effectum non agit, scilicet interiorem e-,, mundationem." Hanc doctrinam hausit S. Doctor a sanctis Patribus, quos supra laudavimus n. 48. seq.; & quibus addere possumus S. Gregorium Magnum, qui Hom. VII. in Evang. *Joannes*, inquit, *non in Spiritu, sed in aqua baptizat, quia peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non sanat*. Et Tertullianus *De Baptismo* cap. 10. Baptismum Joannis vocavit *humanum conditione: nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat*.

73. Quantum vero pertinet ad formam baptismi Joannis, nihil certi habetur; & fortasse ille nullis usus est determinatis verbis, non quasi Baptismus ille muta esset cæremonia, cum certum sit, Joannem prædicasse populis, qui baptizabuntur, pœnitentiam, & fidem in Messiam jam præsentem; sed quod certa non esset, ac constans verborum forma, ut postea in baptismo Christi factum est. Neque enim ex quo dicatur, Joannem baptizasse in eum, *qui venturus erat post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum*, sequitur, eum aliquam formam determinatam adhibuisse, sed solum voluisse per baptismum, & prædicationem suam populos præparere, ut Christo crederent, & adhærerent. Ceterum quidquid sit de invocatione ventu-

(*a*) Absurdum Donatistarum paradoxum memorat, & refellit S. Augustinus Lib. II. *Contra Litt. Petiliani* cap. 34. T. XII., *non alium baptismum fuisse Joannis, alium Christi, sed unum baptismum tribus gradibus consecratum, quorum trium graduum aquam Joannes, Spiritum Christus, ignem Paraclitus dedit*.

turi Messiæ, quam fuisse a Joanne adhibitam nonnulli Patres, & Theologi affirmarunt, certum tamen videtur, nullam fuisse ab eo factam sanctissimæ Trinitatis invocationem, quæ est forma baptismi Christi omnino necessaria (*a*).

74. Dices cum Vossio. Tam baptismus Joannis, quam Christi dabatur in remissionem peccatorum; quod constat ex nonnullis locis Scripturarum simul collatis. De illo enim expressa sunt verba Marci I. 4., & Lucæ III. 3.; de Christi autem baptismo dicitur Act. II. 8. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.*

75. Resp. Id omne verum esse, sed adhuc magnum remanere discrimen in eo, quod Christi baptismus virtute propria deleret peccata, unde lavacrum, vel Sacramentum *regenerationis* dicebatur; alter autem erat Baptismus *pœnitentiæ*, ad remissionem peccatorum disponens. Primus *ex opere operato*, alter *ex opere operantis* peccata remittebat: ut supra cum Sancto Thoma dictum est num. 71. seq.

76. Ob. *quinto* nonnulla veterum Patrum Græcorum testimonia. *Primo* Basilius Hom. I. *De Baptismo* cap. 2. ait: Baptismum Moysis *multis modis excelluit ille Joannis. Nulla prorsus facta dilatione per gratiam Dei, & Christi ipsius, simul atque accesserat quis, & peccata sua quantacumque, & qualiacumque fuissent, confessus fuerat, in Jordane flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem recipiebat. Secundo* ejus frater Gregorius Nyssenus *De laudibus Basilii* Tom. III. Joannem dicit *cum prædicatione pœnitentiæ, & aquæ circumspersione* multiplicia Judæorum *piacula eluisse. Tertio* multo luculentius vim baptismi Joannis prædicavit Cyrillus Jerosolymit. *Catechesi* III. inquiens de illis, qui baptizabantur a Joanne confitentes peccata sua: *Primum ostendebant vulnera, deinde medicamenta apponebat, & credentes liberabat ab igne æterno. Ac si velis hoc tibi probari, quod baptismus Joannis ab igne comminationis liberabat, audi ipsum dicentem: progenies viperarum, quis monstrabit vobis fugere a ventura ira?* Insignem hunc locum appellat Sam. Basnagius ad an. Domini 29. §. 16., eoque insigniorem, quod in auctoritate Scripturæ collocatur.

77. Neque desunt paria Latinorum testimonia. *Primo* enim Tertullianus *De Baptismo* cap. 4. *Nec quidquam refert*, inquit, *inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit. Secundo* Ambrosius *De Spiritu sancto* Lib. I. cap. 3. negat, eos, qui Act. XIX. memorantur, fuisse a Joanne baptizatos, *quia Joannes in remissionem peccatorum in adventum Jesu, non in suo baptizavit nomine; & ideo Spiritum nesciebat, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Jonnnes baptizare solebat, acceperant. Joannes enim, licet non baptizaret in Spiritu, tamen & Christum prædicabat, & Spiritum.* Quod iterum repetit in Comment. ad cap. 3. epist. ad Galatas. *Tertio* Optatus Milevitanus Lib. V. inquit: *Supra memorata millia hominum, qui in Deo crediderant, quamvis ignorarent Filium Dei, & Spiritum sanctum, regnum cælorum eis denegari non potuit. Inde vox Filii Dei dicentis, a diebus Joannis usque in hodiernum regnum Dei vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud, ideo dixit: vim patitur, quia adhuc baptizabat Joannes. Quarto* Prudentius in Hymno VII. *Cathemerinon* vers. 70. seq. ita de baptismate canit:

Sed tincta postquam membra defæcaverat,
Cælo refulgens influebat Spiritus.
Hoc ex lavacro labe dempta criminum
Ibant renati &c.

78. Resp., facile posse hæc omnia objecta aliquorum Patrum testimonia cum aliis conciliari, qui vel ipsis nostris Adversariis fatentibus aperte negant, baptismo Joannis fuisse remissa peccata. Nimirum intelligenda sunt de pœnitentiæ necessitate, quam Joannes prædicabat, & qua fideles disponebantur ad remissionem peccatorum per fidem in Jesum Christum, ac per verum ipsius baptismum obtinendam; non autem quod eam consequerentur per solum Joannis baptismum ex opere operato, sicuti obtinetur in baptismo Christi. Atque hac ratione explicari debent nonnulli alii Patres, quorum testimonia brevitatis causa omisimus. Interim quæ objecta sunt, facili negotio diluemus.

79. S. Basilius, cum dicit, eos, qui peccata sua confitentes in Jordanis flumine baptizabantur, *confestim, & sine dilatione* eorumdem peccatorum remissionem obtinuisse, nihil aliud voluit indigitare, nisi pœnitentiam prædicatam a Præcursore Joanne una cum peccatorum confessione, ac baptismo fuisse proximam præparationem, ac veluti ultimam dispositionem ad gratiam justificationis, quæ per fidem in Christum, ejusque bapti-

(*a*) Id quidem asseruerunt Centuriatores Magdeburgenses *Centuria* I. Lib. II. cap. 6.; tum Jo. Gerhardus *Loco* XXI. cap. I. §. 45.; sed temere, & nulla solida, sive sacræ Scripturæ, sive veterum monumentorum fulti auctoritate. Aliqua certa verborum forma Joannem usum fuisse, censuerunt Ambrosius Lib. I. *De Spiritu sancto* cap. 3., & Hieronymus in cap. II. Joelis: quos aliqui Scholastisi secuti sunt, ut Hugo de S. Victore Lib. II. *De Sacram.* P. V. cap. 6., & alii; qui tamen coacti sunt dicere, hanc formulam prætermissam fuisse, quando Joannes Christum baptizavit, quia absurdum fuisset, ipsum baptizari in nomine ejus, qui venturus erat. Neque etiam hæc formula opportuna erat, quando Christus jam se manifestaverat hominibus. Major Theologorum numerus nullam formam agnoscit in baptismate Joannis.

ptismum plene obtinebatur. Hanc & non aliam fuisse S. Basilii mentem, licet verba litteraliter accepta aliud sonare videantur, colligo *primo* ex ejus scopo, qui erat ostendendi ordinem inter tria baptismata Moysis, Joannis, & Christi, baptismum Joannis fuisse multo excellentiorem, quam baptismum Mosaicum. Utque hanc majorem excellentiam demonstret, dicit, homines confitentes peccata sua, & a Joanne baptizatos remissionem peccatorum obtinuisse, quæ in baptismo Mosaico obtineri non poterat. Sed postea progrediens ostendit, multo majorem excellentiam baptismi Christi, quem tanto superiorem fuisse dicit baptismo Joannis, *quantum sol stellis antecellit*: tanta vero non fuisset excellentia baptismi Christi supra Baptismum Joannis, si iste, non minus ac ille virtutem habuisset remittendi peccata. *Præterea* adhuc clarius explicat magnus Basilius discrimina inter utrumque baptismum, subdens, baptisma Joannis fuisse *baptisma pœnitentiæ*. baptisma autem Christi *baptisma adoptionis filiorum*; illud *habuisse vim introducendi*, *hoc perficiendi*: *illud fuisse secessum a peccatis*, *hoc conjunctionem cum Deo*. Denique in Lib. *De Spiritu sancto* cap. 15. iterum docet, hoc fuisse inter utrumque baptisma magnum discrimen, quod *Joannes baptizavit aqua ad pœnitentiam*, *Dominus autem noster Jesus Christus in Spiritu sancto*.

80. Facilior est explicatio verborum S. Gregorii Nysseni, qui dicit quidem per pœnitentiam, & baptismum Joannis fuisse piacula Judæorum dimissa, sed nihil addit, quo significetur, id factum fuisse virtute ejusdem baptismi, seu *ex opere operato*, & non potius ex ipsius pœnitentiæ operibus, quibus baptizati a S. Joanne ad remissionem peccatorum disponebantur, ut nos ex Scripturis sacris, atque ex apertis sanctorum Patrum testimoniis ostendimus.

81. In Cyrillo Jerosolymitano inaniter triumphat Basnagius. Nihil enim aliud docet, quam Joannem iis, qui ostendebant vulnera sua, per prædicationem pœnitentiæ, & per baptisma medicamenta apposuisse, eosque ab igne æterno liberasse; quod minime nos inficiamur, quatenus pœnitentia, & aquæ ablutio præparationes erant, & proximæ dispositiones ad gratiam sanctificantem per fidem, & baptismum Christi consequendam. Quod ipse Cyrillus ibidem haud obscure indicat, addens baptisma Joannis *solam* remissionem peccatorum contulisse; baptisma vero Christi Spiritus sancti dona conciliasse: quod accurate dicere non potuisset Cyrillus, si putasset, baptismate Joannis *ex opere operato* gratiam justificantem fuisse collatam; ut enim inquit S. Augustinus supra relatus num. 47. *Si baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit baptismus Christi eis, quos Paulus post baptismum Joannis, Christi baptismo baptizari voluit?*

82. Tertulliani sententiam de baptismate Joannis vidimus supra n. 50., ut nihil disertius in rem nostram desiderari possit. Quando autem dicit, nihil referre, quod aliquis in Tyberi, vel in Jordane baptizetur, non potest intelligi, nisi de materia baptismi, nempe aqua, quæ potest indifferenter adhiberi sive ex mari, sive ex hoc, vel alio flumine, aut fonte hauriatur. Id facile constat ex ejus scopo, qui erat ostendendi, non solum aquas Jordanis fuisse baptismo Christi sanctificatas; sed in illis, tamquam in genere, fuisse sanctificatas omnes aquarum species; adeoque *nullam distinctionem esse*, *mari quis an stagno*, *flumine an fonte*, *lacu an alveo diluatur*. Et nisi Africanus Doctor ita intelligatur, non solum sibi ipsi, sed etiam nostris Adversariis contradicet, qui aliquam baptismo Christi supra baptismum Joannis excellentiam concedunt.

83. Ambrosii locus objectus haud facile explicatur; tamen nostræ, communique aliorum Patrum sententiæ de essentiali discrimine inter duo baptismata Joannis, & Christi, minime opponitur. *Primo* enim diserte asserit, Joannem non baptizasse *in Spiritu*, quamvis & *Christum prædicaret*, *& Spiritum*; quod probat ex ipsis Baptistæ verbis Jo. I. *Ego vos aqua baptizo*: *veniet autem fortior me ...... ipse vos baptizabit Spiritu sancto*, & *igne*. *Deinde* negat quidem, in baptizatis a Joanne *iteratum* fuisse baptismum, vult tamen fuisse *novatum*, quia baptisma Joannis collatum sine nomine Trinitatis non erat *plenum baptismatis Sacramentum*. Addo quæ hic magnus Ecclesiæ latinæ Doctor habet in Psalm. XXXVI., ubi post allata discrimina inter utrumque baptisma ita concludit: *Baptismus ergo Joannis oculus suppliciorum est*, *Baptismus Christi oculus gratiarum*. Commentarius in epist. ad Gal. S. Ambrosii fœtus non est.

84. Ad Optatum Milevitanum resp., hujus Patris sententiam quidem esse peculiarem, & a communi aliorum doctrina alienam, nobis tamen minime contrariam: scilicet putavit Milevitanus Antistes, Christum noluisse baptizatos a Joanne iterum baptizari, *ne licentiam rebaptizandi daret*, non quod Joannis baptisma idem esset cum baptismate Christi, aut eamdem haberet efficaciam, quod Optatus ibidem aperte negat. En integrum ejus textum: „ Cum Joannes infinita millia hominum baptizaret, jam Christo præsente operabatur servus, & vocabat (alii malunt legere *vacabat*) Dominus, antequam baptizandi daret formam. Peractum est non modicum tempus; millia hominum in pœnitentia, & remissione tincta sunt peccatorum. Sed nemo tinctus fuerat in Trinitate: nemo adhuc noverat Christum; nemo audierat esse Spiritum sanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges baptismatis Filius Dei. Et dedit viam, qua iretur ad regna cælorum, dum præcipit dicens: *Ite docete* &c. Ex ea die oportuit fieri, quod mandatum est. *Ante tempus noluit emendare*, *quod operatum est*, *ne licentiam reba-*

„ *pti-*

„ *ptizandi daret; quamvis alterum fuerit baptisma Joannis, & alterum sit Christi: baptisma Joannis ante leges plenum voluit esse, quod non erat plenum .... Ergo ante præcepta baptisma Joannis, cum esset imperfectum, pro perfecto judicatum est ab eo, quem nemo judicat.*" Hac posita doctrina pergit ostendere, eos, qui ante leges Jesu Christi de Baptismo sub invocatione sanctæ Trinitatis baptizati sunt, *ad indulgentiam pertinuisse, quia præsens fuerat qui indulgentiam daret;* illos vero, qui apud Ephesum post leges Joannis baptismate baptizati leguntur, fuisse rebaptizatos, *quia jam introductum fuerat baptisma Domini, & exclusum fuerat servi.* Quidquid vero sit de hac Optati opinione, nobis satis est, eum agnovisse, baptisma Joannis non fuisse *ex se* plenum, sed *imperfectum*, idest virtute sua justificationis gratiam non contulisse, sed ex indulgentia Salvatoris: insuper non fuisse iteratum, quia Christus *noluit emendare, quod operatum fuerat, ne licentiam rebaptizandi daret.*

85. Postremum restat Prudentii testimonium, cui respondemus, licuisse illustri Poetæ illam munditiem, & regenerationem, ad quam proxime disponebat baptisma Joannis, quasi præsentem eleganti carmine depingere. Et hæc sufficiant pro defensione dogmatis Catholici, vel saltem sententiæ ab omnibus Theologis Catholicis receptæ. Nunc breviter aliquæ quæstiones resolvendæ sunt.

Quæres *primo*, *utrum baptizati a Joanne, debuerint postea baptismo Christi baptizari?*

86. Respondetur *affirmative: primo*, quia ipse Joannes quos baptizabat, iterum a Christo baptizandos esse monebat Matth. III. 11. *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est ..... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Deinde*, quia nimis clara est sententia Christi Domini Jo. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

87. Eadem est doctrina S. Thomæ 3. P. quæst. 38. art. 6., ubi *primo* id probat auctoritate magistri sui Augustini, qui Tract. V. in Joan. T. IV. de hac re minime dubitat, inquiens: *Qui baptizati sunt baptismate Joannis, oportebat, ut baptizarentur baptismate Christi.*

88. Deinde refert opinionem Magistri *sententiarum*, qui in Lib. IV. Dist. II. docuit, illos, qui baptizati sunt a Joanne, nescientes Spiritum sanctum esse, ac spem ponentes in ipsius baptismo, postea baptizatos fuisse baptismo Christi; illos vero, qui spem non posuerunt in baptismo Joannis, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credebant, non fuisse postea baptizatos, sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum sanctum recepisse. De hac autem Petri Lombardi opinione ita pronunciat Angelicus.

89. „ Hoc quidem verum est, quantum ad primam partem, quod multis auctoritatibus confirmatur; sed quantum ad secundam partem est „ *penitus irrationabile*, quod dicitur. *Primo* quidem, quia baptismus Joannis neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, sed erat solum in aqua, ut ipsemet dicit Matth. III. Unde baptizatis fides, vel spes, quam habebant in Christum, non poterat hunc defectum supplere. *Secundo*, quia quando in Sacramento omittitur aliquid, quod est de necessitate Sacramenti, non solum oportet suppleri, quod fuerat omissum, sed oportet totaliter innovari. Est autem de necessitate baptismi, quod fiat, non solum in aqua, sed etiam in Spiritu sancto, secundum illud Jo. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Unde illis, qui tantum in aqua baptizati erant baptismo Joannis, non solum erat supplendum, quod deerat (ut scilicet daretur eis Spiritus sanctus per impositionem manuum), sed erant iterato totaliter baptizandi in aqua, & Spiritu."

90. Difficultas tamen oritur ex eo, quod Apostoli non legantur iterum baptizati baptismo Christi: immo nec ipse Joannes, quamvis apud Matth. III. 14. baptizari a Christo petierit, inquiens: *Ego a te debeo baptizari.*

91. Hanc difficultatem sibi propositam ita diluit S. Augustinus Epist. CCLXV.: *Postquam Dominus Christus in Ecclesia sua .... sanctum Baptismum dedit, apertissime dixit: si quis non renatus fuerit &c., jam non debemus quærere, quando quisque fuerit baptizatus, sed quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum cælorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus, nisi forte quos angustia passionis invenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro Baptismo deputata est. Sed numquid hoc possumus de Apostolis dicere, qui usque adeo largum tempus habuerunt, quo baptizarentur, ut alios etiam baptizaverint? Sed non omnia, quæ facta sunt, etiam scripta inveniuntur; verumtamen facta esse ex ceteris documentis probantur.*

92. Joannem autem fuisse a Christo baptizatum S. Thomas ibidem ad 3. sine dubio affirmat, fretus auctoritate Chrysostomi, seu potius Auctoris Operis imperfecti Hom. IV. in Matth., quod colligitur ex iis Christi verbis apud Matth. III. 14. *Sine modo*, quasi diceret: *sine modo me a te baptizari, & postea te baptizabo, ut petis.* Ita etiam Hieronymus hæc verba commentatur, *ut ostenderet, Christum in aqua a Joanne, Joannem a Christo in Spiritu baptizandum.* Et mox addit: *Vel aliter: sine modo, ut qui servi formam assumpsi, expleam, & humilitatem ejus. Alioqui habeo & aliud baptisma, quo baptizandus sum. Tu me baptizas in aqua, ut ego te baptizem pro me in sanguine tuo.*

Quæres *secundo*, *an baptismus Joannis fuerit Sacramentum?*

93. Resp. *negative*, saltem si Sacramenti nomen

men proprie sumatur. Ita expresse S. Thomas 3. P. quæst. 38. art. 1. ad 1. inquiens: *Baptismus Joannis non erat per se Sacramentum, sed quasi quoddam Sacramentale, disponens ad baptismum Christi: & ideo aliqualiter pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysi:* Præterea omnis divisio Sacramentorum est inter Sacramenta veteris legis, & Sacramenta novæ legis; sed baptismus Joannis ad legem Mosaicam non pertinebat, nec *proprie*, sed *aliqualiter* tantum ad legem Christi, ut loquitur mox laudatus Angelicus; ergo &c.

94. Non tamen repugnaverim iis Thomistis, qui non obstante tam aperta S. Thomæ doctrina volunt, eatenus baptismum Joannis dici posse Sacramentum, quatenus hoc nomen generaliter sumitur ad significandum signum rei sacræ a Deo institutum. Atque hac ratione conciliatur cum S. Thoma ejus Magister Augustinus, qui de unico Baptismo contra litteras Petiliani cap. 7. Joannis baptismum videtur Sacramentis veteris legis accensere, inquiens: *Baptismus Joannis non erat baptismus Christi, sed tamen militans Christo, sicut Legis veteris Sacramenta præcursorio quodam, & præfiguratorio fungebatur officio.* Ita censent inter alios Guill. Estius in IV. *Sent.* Dist. II. §. 1. & Ren. Hyac. Drouven *De re Sacram.* Lib. II. c. 1. §. 4.

95. Qui postea inter se non conveniunt, an ille baptismus inter veteris legis, an vero inter novæ legis Sacramenta adnumerandus sit, quidam medium inter utramque legem esse definiunt. Cum veteribus enim id commune habuit, ut Christum venturum prænunciaret: cum novis autem præter ritum ablutionis etiam eamdem habet baptismi materiam; sed a novis postea longo intervallo distat, quantum ad efficaciam, ut dictum est.

Quæres *tertio*, *quisnam fuerit effectus baptismatis Joannis?*

96. Resp. Josephus Flavius Lib. XVIII. *antiquit Judaic. cap.* 5. alias 7. postquam Joannem Baptistam, ut *virum justissimum* collaudasset, dicit eum fuisse *lavacri cujusdam institutorem*; & deinde subdit: *Cum esset vir bonus, Judæosque ad virtutis studium excitaret, præcipiens, ut juste quidem inter se, erga Deum autem pie agentes ad lavacrum accederent; tunc enim demum acceptum Deo fore lavacrum ajebat, cum eo non ad expiationem criminum uterentur, sed ad corporis munditiem, ut mentibus jam ante per justitiam expurgatis, corporis quoque adderent puritatem.* Cujus testimonii mentionem facit Origenes Lib. I. *Contra Celsum* n. 47.; & post ipsum Eusebius Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 11. Ex quo Josephi loco patet, nec ipsos Judæos, qui turmatim ad baptismum Joannis undique concurrebant, existimasse, eodem peccata deleri. Sed id obiter.

97. S. Thomas 3. P. q. 33. art. 1. ad 3. hoc affert inter frequentissimas Pharisæorum lotiones, & Joannis baptismum discrimen, *quod baptismata illa Pharisæorum erant inania, utpote ad solam munditiem carnis ordinata; baptismus vero Joannis ordinabatur ad munditiem spiritualem: inducebat enim homines ad pœnitentiam.* Quamobrem baptisma illud infantibus non dabatur, sed solis adultis, postquam crimina sua cum dolore, & detestatione confessi erant (*a*).

Quæres *quarto*, *quamdiu baptisma Joannis duraverit?*

98. Resp., durasse usque ad ipsius captivitatem. Id enim testatur Jpsephus in loco sup. laud., hanc ejusdem captivitatis rationem afferens: „ Cumque „ multi ad eum undique confluerent... Hærodes „ veritus, ne tanta hominis auctoritas subditos ad „ defectionem impelleret, quippe qui nihil non „ acturi ex ejus consilio viderentur, satius esse „ duxit, priusquam novi aliquid oriretur, illum „ e medio tollere &c. Vinctus igitur ob hanc Hærodis suspicionem, & ad castellum Machæruntem perductus, ibidem cæsus est. "

99. Certe Joannem post baptismum Christo collatum adhuc baptizasse, manifeste colligitur ex Joann. III. 22. seq., ubi dicitur Jesum venisse in terram Judæ, ibique cum discipulis commoratum *baptizasse*, eodemque tempore Joannem baptizasse in Ænnon: *nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem.* Unde etiam S. Augustinus Tract. IV. in Joannem inquit: *Deinde jam missus in carcerem Joannes; & deinceps nemo baptizatus invenitur illo baptismate.* Quare autem baptizato Christo, non statim cessaverit Joannes a baptizando, hanc inter alias reddit rationem S. Thomas 3. P. quæst. 38. art. 5. ad 3., *quod baptismus Joannis præparatorius erat, non solum ad hoc, quod Christus baptizaretur, sed etiam ad hoc, quod alii ad Christi baptismum accederent, quod nondum fuit impletum, Christo baptizato* (*a*).

Quæres *quinto*, *cur Christus Dominus voluerit a Joanne baptizari?*

100.

(*a*) Nobilissimi sacr. litter. Interpretes, Estius, Maldonatus, Jansenius, aliique quos sequitur etiam Grotius, hic intelligunt confessionem criminum non generalem, sed distinctam singulorum, qualis postea ab Apostolis invecta fuit, & in Ecclesia Catholica religiose servatur.

(*a*) Si vera narrant Chardin in *Itinere Persico* Tom. I., & Tavernerius Tom. I. *suorum itinerum*, atque eruditissimus Jos. Sim. Assemani in *Bibliotheca* Tomo II. P. II. Dissert. *De Nestorianis Syriæ*, in Perside adhuc supersunt populi quidam appellati *Christiani S. Joannis*, qui singulis annis baptismum in fluminibus repetunt ad instar illius, quem S. Joannes populis conferebat, sed multis superstitionibus corruptum, præsertim vero in forma, quam hoc modo pronunciant: *In nomine Domini, primi, & novissimi, mundi, & paradisi, altissimi rerum omnium conditoris.* Vid. perdoctus Benedictinus C. Chardon in *Hist. Sacram.* Tom. I. cap. 1. Sed multo copiosius de istis Christianis S. Jo. Baptistæ agit P. Philippus a Ss. Tri-

100. Resp., certe id factum non esse, ut Christus pœnitentiam ageret, & mundaretur a peccatis, ut enim recte observat Optatus Lib. I., „ Christi caro ipso Jordane sanctior invenitur, ut magis aquam ipse descensu suo mundaverit, quam „ ipsa mundatus sit." Clarius Hieronymus adv. Luciferianos num. 6. „ Ipse Dominus noster Jesus „ Christus, qui non tam mundatus est lavacro, „ quam in lavacro suo universas aquas mundavit, „ statim ut caput extulit de fluento, Spiritum sanctum accepit, non quod unquam sine Spiritu „ sancto fuerit, quippe qui de Spiritu sancto in „ carne natus est, sed ut illud nobis monstraretur verum esse baptisma, quo Spiritus sanctus „ adveniat."

101. Alia etiam ratio suscepti a Christo baptismatis in Jordane hæc afferri solet, ut nempe se ostenderet totius legis observantissimum. Hac de causa etiam Circumcisioni se subjecit. Hanc rationem ipse Christus Joanni allegavit, quando, ut habetur Matth. III. 14. seq., *Joannes prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

CAPUT IV.

De institutione baptismi Christi.

102. Præter illas ablutiones admodum frequentes gentis Judaicæ, præcipue autem sectæ Pharisæorum, quarum in sacris litteris utriusque Testamenti fit mentio, certum est, etiam apud barbaras nationes consuetum fuisse inter religiosos cultus corporis lavacra adhibere, ut testes sunt Clemens Alexandrinus Lib. V. *Stromatum*, Tertullianus *De bapt.* cap. 4., & Hieronymus cap. XVI. Ezechielis, quod innuit etiam S. Augustinus Lib. VI. *De Baptismo* cap. 25. inquiens: *In multis idolorum sacrilegis sacris baptizari homines perhibentur.* Qua de re mirabili sua veterum, ac recentium Gentilium morum notitia disserit Pet. Dan. Huetius Lib. II. *Quæst. Alnet.* cap. 20. Hinc aliqui Religionis Christianæ contemptores ansam sumpserunt divinam nostri baptismi originem inficiandi, eumque vel a Judaico proselytorum baptismo, de quo supra n. 37. verba fecimus, vel a profanis Gentilium lotionibus ortum fuisse comminiscendi (a). Quanquam nihil, ut puto, detrimenti caperet Religio, etiamsi diceretur, baptismi Sacramentum fuisse a Christo Jesu institutum ad similitudinem baptismatis proselytorum apud Judæos usitati, ritu tamen ab omni superstitionis labe purgato, & invocatione totius sacrosanctæ Trinitatis sanctificato, quemadmodum supra Dissert. I. n. 589. de quibusdam ecclesiasticis cæremoniis diximus a Judæis, vel etiam a Gentilibus mutuatis (b).

103. Controversia autem inter Catholicos exorta est de tempore, quo Christus Dominus Saeramentum baptismi instituit. S. Thomas 3. P. quæst. 66. art. 2. auctoritate S. Augustini fretus putavit, primam baptismi institutionem tunc factam fuisse, quando Christus in Jordane baptizatus est. Inquit enim S. Hipponensis Antistes Serm. XXXVI. De tempore: „ Ex quo Salvator in aqua se mersit, „ ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque „ fontium venas mysterio baptismatis consecravit; „ & quisquis ibi in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluit, quam „ Christi unda purificat. Salvator autem ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiem acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret." Idem Angel. Doctor. quæst. 39. art. 1. probans, fuisse conveniens, ut Christus in Jordane beptizaretur, hanc affert ex S. Ambrosio in cap. III. Lucæ rationem: *Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, qui peccatum non cognovit, baptismatis vim haberent*; & ex Chrysostomo, seu potius ex auctore Operis imperfecti in Matth. Hom. IV., *ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis*. Ex hujusmodi verbis, aliisque similibus, quæ etiam apud alios Patres occurrunt, ita ratiocinatur Angelicus 3. P. q. 66. art. 2. „ Sacramenta ex sui institutione habent, quod conferant „ gratiam: unde tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus: „ unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum Sacramentum." Et hoc, ut dixi, de prima baptismi institutione.

104. Sed postea Angelicus distinguit obligationem utendi hoc Sacramento, eamque nonnisi post Christi passionem, & resurrectionem ortam esse do-

nitate Carmelita exalceatus in suo *Itinere Orientali* impresso Lugduni an. 1662. Lib. VI. c. 7.

(a) Hac de re diu, multumque inter Protestantes dimicatum est. Nomina autem eorum, qui in hac pugna inclaruerunt, solita sua litteraria eruditione recenset Christoph. Matth. Pfaffius in *Introduct. ad Inst. Theologiæ litterariam* Lib. III. pag. 361. sequ. Major tamen, & melior eorum pars baptismi nostri ritum nec a profanis Gentilium, nec a sacris, vel superstitiosis Judæorum lotionibus, sed unice a Servatoris nostri institutione repetit; quamquam aliqui minime inficientur, cum Joannis Baptismum, tum legales quasdam Judæorum ablutiones fuisse baptismi nostri figuras.

(b) Theologis se merito ridendum præbuit Jo. Floyer Medicus Anglus, dum in sua *Historia balneorum frigidorum* probare voluit, Ecclesiæ consuetudinem baptizandi infantes derivatam esse a profano Gentilium usu, immergendi infantes vix natos in balneis frigidis sanitatis ergo ad præcavendas nimirum nonnullas illius ætatis infirmitates; quasi vero Dominus, ac Redemptor noster baptismi Sacramentum pro solis infantibus, non autem etiam pro adultis instituerit, quos ab Ethnicismo, & Judaismo ad suam religionem vocabat.

docet: „ tum quia in Passione Christi terminata „ sunt figuralia Sacramenta, quibus succedit baptismus, & alia Sacramenta novæ legis: tum „ etiam quia per baptismum configuratur homo „ passioni, & resurrectioni Christi, inquantum „ moritur peccato, & incipit novam justitiæ vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati, & „ resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti, & resurrectioni Christi."

105. Accedit in hujus nostræ sententiæ confirmationem, quod baptizati a Discipulis Domini nullibi leguntur rebaptizati post ejusdem resurrectionem, quemadmodum rebaptizatos fuisse, qui a Joanne fuerant initiati, supra monuimus num. 47.; quod pro certo habuit S. Augustinus, quando Tract. V. in Jo. num. 18. inquiebat: *Dedit Judas* (*baptismum*), *& non baptizatum est post Judam: dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem; quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat*.

106. Huic Augustini, atque Angelici opinioni quorumdam Patrum testimonia opponi videntur, qui Sacramentum baptismi duntaxat post suam resurrectionem a Christo institutum fuisse, dicunt. Sic S. Leo Epist. XVI. ad universos Episcopos per Siciliam constitutos cap. 3. conveniens esse dicit, periculo mortis, aut aliis circumstantiis seclusis, baptismum die Paschatis conferri, quia *ipsa operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esset legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis*, quando nempe Apostolis Christus præcepit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

107. Verumtamen si integrum illud testimonium recitetur, apparebit, non infirmari, sed potius confirmari sententiam Augustini, & Thomæ. Ita enim prosequitur S. Pontifex de forma, & potestate baptizandi loquens: *de quo utique eos* (*Apostolos*) *etiam ante passionem potuisset instruere*, quia nempe jam Sacramentum institutum erat; *nisi proprie voluisset intelligi, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse*. En totum quod docet Angelicus; scilicet solum post Christi resurrectionem indictam fuisse hominibus necessitatem, se configurandi per baptismum morti, & resurrectioni Christi.

108. Sane Jo. III. 21. seq. habetur, Jesum & Discipulos ejus *baptizasse;* & rursum cap. IV. 1. seq. dicitur, quod *Jesus* quidem *non baptizaret, sed discipuli ejus*. Hoc autem utique fieri non potuisset, nondum instituto baptismo. Quamobrem ad conciliandos hos textus, & etiam sanctos Patres, dicendum erit, præceptum baptizandi a Christo datum Apostolis post suam resurrectionem esse intelligendum de baptizandis etiam gentibus, cum prius nonnisi Judæi baptizarentur.

109. Sed quantum ad hunc baptismum, quem Christi discipuli Judæis conferebant, contendunt adversæ sententiæ patroni, eum non fuisse verum Christi Sacramentum, sed ipsum baptismum Joannis, quem supra ostendimus num. 44. seq. fuisse a Christi baptismo diversum. Aliqui enim Patres aperte innuunt, verum Christi baptismum non incepisse nisi post diem Pentecostes. Ita sensit Tertullianus *de baptismo Christi* cap. 11., ac pro eadem sententia allegantur Ambrosius in postr. caput Lucæ, Chrysostomus Hom. XVIII. in cap. III. Joannis, & nonnulli alii; quorum opinio præcipue nititur iis verbis Jo. VII. 39. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Unde pronum est inferre, baptismum Christi, quo dabatur Spiritus sanctus, nonnisi post ejus glorificationem, seu resurrectionem, & ascensionem in cœlum fuisse collatum (*a*).

110. Resp., probabilius videri, baptismum a discipulis Christi datum, fuisse verum Sacramentum, & a baptismo Joannis omnino diversum. Nam *primo* Joannes ipse hoc inter suum, & baptismum Christi discrimen ponebat; quod ipse baptizaret in *aqua* tantum, Christus autem esset baptizaturus in *aqua, & Spiritu*. *Secundo*, ut supra monuimus num. 108., qui hoc baptismo initiati fuerant, non leguntur iterum post Christi ascensionem baptizati. *Demum*, quia sin minus undequaque certum, saltem admodum probabile est, & Joannem Baptistam, & Petrum, & alios Apostolos ipsius Christi manu fuisse baptizatos. Id de Joanne asserunt Hieronymus in cap. III. Matth., & Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIX. De aliis autem, quamquam id expresse in sacris litteris non habeatur, est tamen omnino credendum propter illa Christi verba Jo. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ex istis verbis S. Augustinus fuisse Apostolos baptizatos ita colligebat epist. CCLXV. ad Seleucianum num. 4.: Jam „ non debemus quærere, quando quisque fuerit „ baptizatus, sed quoscumque legimus in corpore „ Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum „ Cœlorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus, nisi forte quos angustia passionis invenit, „ & nolentes negare Christum, antequam baptizaren-

(*a*) Video, ab aliquibus allegari Melchiorem Canum, quasi ab hac opinione minime alienum Lib. VIII. *de locis Theol.* cap. 5.; sed qui eximium hunc Theologum attente legerit, facile comperiet, eum solum voluisse, hanc quæstionem minime ad dogmata fidei pertinere, pro quibus *etiam cum vitæ discrimine* pugnandum est, sed ad opiniones scholarum, pro quibus permittit, ut sit *pugna, si placet, sed incruenta*. Dicit quidem, Scholasticos dissidere in forma illius baptismi, qui ab Apostolis conferebatur. Nam Magister, & Adrianus existimant, Apostolos tunc etiam in nomine Trinitatis baptizasse, *quod ego*, inquit, *mihi persuadere non possum. Alii vero tradunt, eos baptizare in nomine Jesu Christi, id quod verisimilius est*. Sed hæc est alia quæstio, quam facile non est definire.

,, rentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Sed numquid possumus de ,, Apostolis hoc dicere, qui usque adeo largum ,, tempus habuerunt, quo baptizarentur, ut alios ,, etiam baptizaverint? Sed non omnia, quæ fa- ,, cta sunt, etiam scripta inveniuntur, verumta- ,, men facta esse ex ceteris documentis proban- ,, tur," & quæ sequuntur: pergit enim S. Doctor ostendere, Scripturarum silentium nihil nostræ sententiæ obesse.

111. Patres autem in objectione allata intelligi possunt de præcepto baptismi, quod non solum Judæos, sed etiam Gentiles obligandi vim accepit ex verbis illis Christi post resurrectionem suam: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Spiritus sanctus autem non fuit datus quidem *visibiliter*, ante diem Pentecostes, seu antequam Christus glorificaretur, dabatur tamen etiam antea *invisibiliter*. Ita S. Augustinus quæst. 62. inter LXXX., inquiens: ,, Spiritus sanctus latenter da- ,, batur ante Domini clarificationem: post manife- ,, stationem autem divinitatis ejus manifestius da- ,, tus est. Et hoc dictum est, *Spiritus auten non- ,, dum erat datus;* idest nondum sic apparuerat, ,, ut omnes eum datum esse faterentur. Sicut et- ,, iam Dominus nondum erat sic clarificatus inter ,, homines, sed tamen clarificatio ejus æterna nun- ,, quam defuit". Et de hac controversia satis: neque enim est tanti momenti, ut diutius oporteat in ea immorari (*a*). Nunc de baptismi materia.

CAPUT V.

De materia Baptismi.

112. Methodum sancti nostri Præceptoris sequentes, postquam egimus de hujus Sacramenti institutione, agemus de partibus ejusdem essentialibus, & primum de materia. Duplicem autem in baptismo materiam distinguunt Theologi, *proximam, & remotam*. Prima est aqua, altera vero ablutio corporis baptizandi. Contra primam vix non omni tempore pugnarunt Hæretici (*b*). Iis tamen semper resistit Ecclesia Catholica in suis dogmatibus ex divina revelatione haustis semper constans & invariabilis.

PROPOSITIO.

Fidei dogma est, remotam baptismi materiam esse aquam naturalem.

113. Prob. autem adeo luculenter ex sacris litteris, ut pene prodigium videatur, potuisse hoc ab aliquibus negari, aut in dubium verti. Nam Christus Dominus Jo. III. explicans Nicodemo, quomodo homo possit, & debeat spiritualiter renasci, inquit vers. 5.: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Hic o-

mnia

(*a*) Baptismum fuisse *primo* in Jordane institutum Theologi plerique, etiam extra scholam S. Thomæ fatentur. Sed aliqui putant, ejusdem baptismi usum serius incepisse, tunc nempe quando Dominus Discipulos misit ad prædicandum Judæis Evangelium Matth. X., quod docet etiam S. Thomas in IV. *sentent.* Dist. III. quæst. 2. art. 5. Sunt tamen alii, qui baptismum nonnisi post Christi resurrectionem fuisse institutum putant, quando nempe Apostolis præcepit: ut *docerent omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

(*b*) Multum hac in parte erratum est cum a veteribus, tum a recentioribus Hæreticis. Ex primis S. Augustinus *de Hæresibus* nominat *Seleucianos*, vel *Hermianos*, qui *baptismum in aqua non recipiebant*, quia ut explicat Philistratus *de Hæres.* num. 8., existimabant, animas hominum *de igne & spiritu esse;* ac proinde etiam baptismum Christi esse *in spiritu, & igne*. Cujusmodi autem esset hic baptismus *in spiritu, & igne* memoriæ proditum non invenitur; & Jul. Laur. Selvagio *Antiquit. Christian.* Lib. III. cap. 1. ostendit, deceptum fuisse doctissimum Pat. Laurent. Berti, qui hujus Herminianorum baptismum *ignitum* se invenisse putavit. *Secundo* nominantur *Manichæi*, & *Pauliniani*, ita dicti non a Paulo Samosatensi Antiocheno Episcopo, ut Balsamon perperam putavit, correctus a Justello in not. ad cap. 10. *Codicis Eccles.*, sed ab alio Paulo Manichæorum erroribus infecto. De his *Paulinianistis* fuse agit Euthymius Patriarcha Constantinopol. in *Panoplia* P. II. tit. 21.. Aquam enim baptismi toties in Evangelio commemoratam interpretabantur ipsum Christum, qui dixit: *Ego sum aqua viva*. Et quamquam nonnunquam liberos suos traderent Presbyteris *salutari baptismo* lustrandos, notat tamen idem Euthymius, hoc factum fuisse ad corporis solius, non autem ad animæ utilitatem. Recte proinde Card. Bellarminus, & post ipsum Vasquez, Juveninus, Drouven recensuerunt *Paulinianos* inter hæreticos respuentes aquam baptismi, & male Tournellius Bellarminum hac in re erroris accusavit. Vid. Augustinus *De Hæres.* n. 46., & auctor *Prædestinat.* a Sirmundo editus. Idem Tournellius postea incaute Bellarminum secutus est, dum ex fide Bernardi Lutzemburgensi, & Card. Jacobi de Vitriaco, aliorumque paucorum scripsit, Jacobitas, propagatos a Jacob Baradeo, seu Zanzalo, baptizare non in aqua, sed igne, imprimendo scilicet in fronte baptizati signum crucis cum ferro ignito. Jacobitas baptizare in aqua per trinam immersionem demonstravit Eusebius Renaudotius harum rerum peritissimus Tom. V. *Perpetuitatis fidei* Lib. II. cap. 4., quanquam postea soleant etiam signum crucis in frontem baptizatorum imprimere, aliis de causis; præcipue vero, ne Mahumetani ipsorum filios ad servitutem rapiant: horrent enim habere servos ita cruce signatos. Ceterum memoratus mox Renaudotius multa eruditione ostendit, omnes Christianos Orientales in aqua baptismum conferre. De Jacobitis Vid. Jos. Assemanus in *Biblioth. Orient.* Tom. II. Dissert. I. *De Monophysites*. Aliquos in baptismo fuisse usos oleo, nos docet Edm. Martene Lib. I. *De ritibus bapt.* artic. 14. Denique *Flagellantes*, qui Sæculo XIII. falsis & superstitiosis pœnitentiæ operibus Ecclesiam admodum turbarunt, loco baptismi aquæ baptismum sanguinis flagellis excussi prædicasse dicuntur.

mnia clara sunt, ablutio externa corporis per aquam, & interna nativitas per Spiritum sanctum. Adhuc clarius. Act. VIII. 36. seq., Eunuchus Candacis Reginæ a Philippo de nostræ religionis mysteriis jam edoctus, cum ventum esset ad quamdam aquam, dixit Philippo: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? ... Descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Rursus in iisdem Actibus Apost. cap. X. 47. cum Petrus vidisset; *cecidisse Spiritum sanctum super omnes, qui audiebant verbum*, dixit: *Numquid aquam quis prohibere potest; ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos baptizari*, &c. Denique, ne omnia congeramus, S. Paulus ad Eph. V. 25. *Christus*, ait, *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Et ubicumque sermo est de baptismo, non alia commemoratur ejus materia, quam aqua. Quod etiam apertis verbis vaticinatus est Propheta Ezechiel XXXVI. 25. prædicens: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*.

114. Longum autem esset, & inutile sanctorum Patrum verba exscribere, qui quotiescumque de baptismi materia loquendi occasionem habuerunt, non aliam commemorarunt, quam aquam. Sufficiant decantata illa S. Augustini verba Tract. XV. in Jo.: *Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus*. Aquam esse hujus Sacramenti materiam concordissime tenent omnes Communiones Græcæ, & Orientales: quod solita sua eruditione ostendit Eusebius Renaudotius Tom. V. *Perpetuitatis fidei* Lib. II. cap. 4. Idemque constat etiam ex responsione Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Theologos Wirtembergenses, quam supra pag. 52. commemoravimus. Quamobrem iidem Græci summopere detestati sunt absurdam Theodori Bezæ opinionem, quod defectu aquæ possit baptismus in vino, lacte, melle, vel alio quolibet liquore administrari, ut nobis fidem facit Meletius Syrigus apud mox laud. Renaudotium.

115. Jure igitur meritoque Patres Synodi Tridentinæ Sess. VII. Can. 2. de baptismo ita definierunt: „ Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque „ ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, „ ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit".

Solvuntur Calvinistarum, & Socinianorum objectiones.

116. Ob. *primo*. Quæcumque allata sunt ex sacris Codicibus testimonia, possunt, & debent intelligi, non de materiali ablutione aquæ, sed de spirituali Christi doctrina, quam Apostoli ubique prædicare debebant. Paulus enim 1. Cor. I. 17. affirmat, se non fuisse missum a Christo *baptizare*, sed *evangelizare*. Sic etiam nos sup. Dissert. I. n. 259. tropice explicuimus, quæ de ablutione pedum tam multa ex sacris litteris, & ex sanctis Patribus afferuntur.

117. Resp., nihil magis alienum a sensu Scripturarum fingi posse, quam nomine *baptismi* intelligi *doctrinam evangelicam*, cum utrumque aperte distinxerit Christus Dominus Matth. XXVIII. dicens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. In Socinianorum autem absurda interpretatione hæc verba significarent: *Docete* omnes gentes, *docentes* eos in nomine Patris; &c. quam putidissimam παλιλογίαν verbis Christi tribuere, non solum absurdum, sed plane blasphemum est. Ulterius baptismum esse a doctrina & fide distinctum, liquet ex baptismo Eunuchi supra n. 113. relato, qui prius de doctrina Evangelii instructus fuit, postea credidit, ac denique baptizatus est. Item Act. II. 41. *Qui receperunt sermonem ejus* (Petri), *baptizati sunt;* quibus in locis baptismus a doctrina apertissime secernitur.

118. Nec minus inepti sunt, qui aquam tam sæpe in baptismo memoratam metaphorice intelligendam volunt, quia Christus Jo. IV. seipsum dixit *aquam vivam*, & *fontem aquæ salientis in vitam æternam*, utique in sensu metaphorico. Inepti inquam sunt, si enim ita licet credere, metaphorice item intelligetur Jordanes, ubi baptizatus est Christus: metaphorice item intelligetur illa aqua, in qua Philippus Eunuchum baptizavit: metaphorice tot alia loca, in quibus baptismus aquæ expresse memoratur, & sic nihil erit in sacris litteris fixum, & determinatum, unde possimus nostræ fidei dogmata discere, & contra hæreticos vindicare.

119. Rursus, ex quo *ignis* metaphorice sumatur,

Quod spectat ad recentiores Hæreticos, Lutherus interrogatus, num deficiente aqua liceat baptizare in lacte, aut cervisia, paulatim dubitare visus est; deinde respondit, quidquid balnei nomine venit, aptam esse baptismi materiam. Ita in *Symposiacis*, seu *Colloquiis mensalibus* cap. 17. Calvinus aquam tam sæpe in sacris litteris memoratam, non *proprie*, sed *metaphorice* accipiendam esse vult, quem secutus fidus ejus discipulus Theod. Beza in altera epist. ad Thomam Tilium fidenter pronunciavit, aquæ nomine omnem liquorem intelligi, mendacissime subdens, *nec aliter de his rebus etiam superstitiosissimos scholasticos scriptores censuisse*. Pejus delirarunt Sociniani, qui non solum aquam, sed ipsum Sacramentum *metaphorice* explicant. Ad insanissimum hoc deliramentum defendendum duo non ita pridem in Anglia prodierunt pestilentissimi libri, quorum unus hunc præfixum habet titulum *Doctrina baptismatum ab antiquis, & recentibus corruptionibus expurgata* auctor Willelmo Dell; alter vero inscriptus est *Invitatio seria ad omnes, ut Spiritum Christi in seipsis agnoscant*, fœtus Beniamini Holme.

tur, ubi Christus dicitur baptizare *in Spiritu sancto, & igne*, non sequitur, etiam aquam esse metaphorice accipiendam. Ignem enim esse figurate accipiendum, vel ex eo solo constat, quod nulla unquam fuerit in Ecclesia consuetudo, ignem loco materiæ in baptismo adhibendi; contra vero & Joannes, & Discipuli Domini, & Apostoli, & omnes Ecclesiæ Pastores in aqua semper baptizarunt; quia verba Jesu Christi esse in naturali significatione intelligenda, crediderunt. Et sane si nomine aquæ Spiritus sanctus intelligi deberet, talis exsurgeret Christi locutio: Nisi quis renatus fuerit *ex aqua* (hoc est ex Spiritu sancto) *& Spiritu sancto* &c.; quo nihil dici posset insulsius (*a*).

120. Neque aliquod nobis negotium facessit, quod Paulus ait, se missum fuisse non *baptizare*, sed *evangelizare*: hoc enim significat, præcipuum munus ei impositum fuisse evangelizandi, non autem quasi non potuerit, aut non debuerit etiam baptizare, quando erat opus. Scimus enim ex eodem Cap. I. Epist. primæ ad Corinth. ipsum baptizasse Crispum, & Cajum, & totam Stephanæ domum.

121. Postremum de ablutione pedum valde dissimile est, vel ex hoc solo, quod baptismus aquæ semper & ubique ut verum Sacramentum, immo ut omnium Sacramentorum janua, collatus est; non sic autem ablutio pedum, ut demonstratum est suo loco.

122. Inst. *primo*. Joannes hoc posuit inter suum, & Christi baptisma discrimen, quod suum esset *in aqua*, Christi autem *in Spiritu, & igne*, sup. n. 45. non ergo aqua est materia baptismatis Christi.

123. Resp., levissimam hanc esse objectionem, quam S. Augustinus Tract. XV. in Jo. num. 4. jam præoccupaverat. Ex aliis enim Scripturæ locis, atque ex ipsa Christi, & Apostolorum praxi liquido apparet, aquam fuisse a Joanne subintellectam, quasi diceret: Ego quidem baptizo vos *aqua sola*, Christus autem post me venturus baptizabit vos non in aqua sola, sed etiam *in Spiritu & igne*. Sane Jesus Christus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* Vide sup. 113. Non itaque ponitur antithesis inter baptismum Christi, & baptismum Joannis in eo, quod iste fuerit materialis, & sensibilis in aqua, ille vero totus spiritualis; sed quod Christi baptisma conferat Spiritum sanctum, quem non conferebat baptisma Joannis. Unde S. Pater concludit: *Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus.*

124. Inst. *secundo*. Ex quo Christus dixerit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* non sequitur, aquam esse a Spiritu sancto distinctam; potest enim illa particula *&* sumi in sensu non *conjunctivo*, sed *expositivo*, quasi diceret: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua spirituali*. Hujus rei non pauca afferunt Sociniani exempla; atque illud potissimum, quod simile videtur apud Matth. III. 11., ubi Joannes de Christo dicit: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*; non quasi ignis sit a Spiritu sancto distinctus; sed sensus est: *Vos baptizabit igne Spiritus sancti*.

125. Resp., neminem inficiari, particulam & aliquando in sacris litteris habere vim expositivam; raro tamen id contingit; cum scilicet tota verborum series non plane cogit, ut illam in sensu expositivo sumamus. At vero fere semper illa particula est copulativa duorum prædicatorum, quæ sunt diversa. Sic autem sumendam esse in laud. loco Jo. III. 5. liquet manifestissime, quia multis aliis in locis aqua baptismi commemoratur, & quidem ita, ut per nullam Socinianam machinam possit ad sensum metaphoricum detorqueri. Cur ergo in eodem sensu vero & proprio hic intelligenda non erit? Maxime cum obviam, & naturalem illorum verborum intelligentiam antiquissimus, universalis, ac perpetuus Ecclesiæ usus confirmet, quæ a temporibus Apostolorum usque ad nostra semper aqua usa est, tanquam essentiali hujus Sacramenti materia?

126. Est autem pinguissimus illorum error, qui ad eludendam invictam hanc demonstrationem ex primæva Apostolorum praxi deductam, fingunt, Apostolos non contulisse verum baptismi Sacramentum, sed legalem nescio quam ablutionem, ut homines se ad verum baptismum spiritualem præpararent. Quid enim sibi volunt ea Petri verba Act. II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini*. Quid hæc alia Act. VIII. 12. *In nomine Domini Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres?* & alia sexcenta, quæ baptismum indicant, non legalem, aut Joannis, sed verum illud Sacramentum, quod Christus Dominus instituit, omnibusque dandum præcepit?

127. Inst. *tertio*. Christus ibidem Nicodemum objurgavit, quod cum esset *Magister in Israel*, hæc non intelligeret: atqui si voluisset nos docere, aquam materialem habere vim animam lavandi, purgandi, & sanctificandi, non potuisset Nicodemus reprehendi, quod tantum mysterium antea inauditum ignoraret: ergo, &c.

128. Resp., Nicodemum putasse, Christum Dominum fuisse locutum de carnali regeneratione; dicebat enim: *Quommodo potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?* Carnalem hanc

(*a*) A veteribus fuisse aquam naturalem in sensu litterali, non autem metaphorico sumptam fassus est Ger. Jo. Vossius Disput. *prodromа de Sacram.* num. 33. addens, nullam esse causam satis gravem, *cur damnatum eamus expositionem veterum, qui aquæ vocem proprie intelligunt: quam & recentiorum multi sequuntur, & hos inter maximus Bucerus:* Quanquam ipse co[illegible] pendet ut quemadmodum per Spiritum, & ignem, *spiritualem ignem*, ita per aquam & Spiritum *spiritualem aquam* intelligamus.

hanc intelligentiam jure reprehendit Salvator, & ipsum, ac nos docuit, hanc regenerationem esse totam spiritualem, quamvis per aquam materialem fiat. Porro reprehensibilis etiam erat Nicodemus, quod hanc regenerationem spiritualem tot figuris in veteri testamento significatam non statim intelligeret, cum esset Magister in Israel. Vid. S. Thomas in Catena aurea ad hunc locum; & S. Augustinus Tract. XI. in Joan. num. 6.

129. Ob. *secundo*. Falso asseritur, perpetuum, & invariatum semper fuisse Ecclesiæ usum, baptizandi in sola aqua naturali. Nam *primo* Jo. Moschus, cognomento *Eviratus*, in *Prato Spirituali* cap. 176., & Nicephorus Callixti Lib. III. *Histor.* cap. 37. narrant, Judæum quemdam in periculo mortis defectu aquæ fuisse arena superfusa baptizatum; cujus baptismi effectus fuit Judæi valetudo prodigiose recuperata. *Secundo* Stephanus III., vel ut alii volunt, II. baptismum collatum in vino approbavit, inquiens: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla ei adscribitur culpa: infantes sic permaneant in baptismo*. Simile responsum tribuitur quoque Siricio Rom. Pont., qui floruit ad finem Sæc. IV.

130. Resp., Judæum illum inscite, & invalide fuisse in arena baptizatum, ac propterea Moschus ipse subdit, eum cum postea convaluerit, novum in Jordane baptismum suscepisse; & Nicephorus pariter testatur, illum baptismum fuisse irritum judicatum, ac Judæum de novo aqua naturali tinctum. Quamobrem relata historia constantem Ecclesiæ usum baptizandi in aqua confirmat.

131. Decretum Stephani III., vel II. (ut Pagius vult contra Baronium), a gravibus Scriptoribus rejicitur ut supposititium, cum in nulla veteri Canonum collectione reperiatur, & primo fuerit a Sirmundo inventum in quodam Ms. Laudunesi, atque ab ipso editum Tom. II. *Concil. Galliæ*, in quo continentur *Responsa data a Papa Stephano in Carisiaca Villa Britaniaci Monasterii* gallice *De Britigny*. Certe præter alias suppositionis notas, illud observant viri eruditi, quod Pontifex interrogatus de unico infante, quem Presbyter in vino baptizaverat, *quod aquam non inveniebat*, respondeat in numero plurali: *Infantes sic permaneant*. Ulterius addat: *si aqua fuerit præsens*, cum quæstio supponat, aquam non potuisse inveniri.

132. Ab aliis responsum Stephani creditur corruptum, illudque sic legendum putat Nat. Alexander Sæc. VIII. cap. 1. art. 6.: *Nulla ei adscribitur culpa, si infantes sic permaneant in ipso baptismo*. Omnino enim incredibile videtur, doctum illum Pontificem, & antiquæ traditionis tenacissimum adeo turpiter errasse. Illa etiam lectio Nat. Alexandri mire consonat cum verbis subsequentibus, quibus ita pergit Pontifex: *Nam si aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur, quia contra canonum sententiam agere præsumpsit*: unde apparet, totam quæstionem fuisse, non de valore baptismi, sed de crimine Presbyteri, quod supposita carentia aquæ excusabile putavit Pontifex; inexcusabile vero, si aqua aderat. Ceterum si quis contentiosius velit, illud responsum incorruptum esse, & Stephano Rom. Pontifici tribuendum, duntaxat probabit, hunc Pontificem, ut privatum Doctorem errasse, non ut universalis Ecclesiæ caput, & Pastorem, cum responsa illa non fuerunt solemniter, & ex Cathedra prolata.

133. Siricii autem hac in re decretum merito ut supposititium rejicitur, cum nullum habeatur ejusdem fide dignum monumentum. Theodorus in *Pœnitentiali* Tom. I. pag. 159. illud responsum his verbis refert: ,, Presbyter; qui in vino baptizat, proxima necessitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa adscribitur; si vero aqua aderat, & necessitas satis non urgebat, hic communione privetur, & pœnitentiæ submittatur: infans vero ille, si in sancta Trinitate sit baptizatus, in eo baptismo permaneat." Vid. Ant. Augustinus *De emendatione Gratiani* Lib. I. Dial. 18., & nota ibid. apposita.

134. Ob. *ult.* Baptismus dicitur institutus in aqua propter analogiam inter ablutionem corporis, & animæ purgationem, seu, ut loquitur S. Thomas 3. P. quæst. 66. art. 3., *quia aqua sua humiditate lavat, conveniens erat ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum*; atqui externa corporis ablutio potest etiam vino, aut alio liquore peragi: ergo, &c.

135. Resp., non fuisse aquam institutam ut babaptismi materiam propter solam analogiam inter lavacrum corporis, & animæ, sed etiam aliis de causis, quarum una, & præcipua est, *quia ratione suæ communitatis, & abundantiæ est conveniens materia necessitati hujus Sacramenti: potest enim ubique facile haberi*. Ita S. Thomas loco cit. Ceterum tota ratio desumitur ex institutione Jesu Christi, qui voluit corpus lavari aqua, & non vino, lacte, aut alio liquore. Quanquam nec Adversarii inficiari possunt, aquam esse omnium liquorum ad sordes corporis abstergendas maxime idoneam. Vid. Catechismus Rom. P. II. cap. 2. n. 10. (*a*).

Quæres, *an aqua baptismi debeat esse consecrata?*

136.

(*a*) Petrus Carpentier in suo novo *Glossario*, vel supplemento ad *Glossarium* Du-Cange Tom. I. Pag. 457. ex fide Benedicti Abb. Petroburgensis in Gestis Hen. II. ad ann 1171. scribit, aliquando in Hibernia ad baptizandos filios divitum loco aquæ adhibitum fuisse lac. In Concilio Cashelensi in Hiberina eodem anno, vel sequenti jussu Henrici II. celebrato ad hujusmodi abusum tollendum Can. 2. statutum fuit, ut pueri deferentur in Ecclesiam, & ibi baptizarentur *in aqua munda sub trina immersione*.

136. Resp., minime dubitari, quamcumque aquam puram, & naturalem esse veram hujus Sacramenti materiam; ut enim inquiebat Tertullianus *De baptismo* cap. 4., *nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine, aut fonte, lacu, an alveo diluatur*. Vetustissimus tamen est usus; qui nunc etiam religiose servatur, baptismum, extra casum necessitatis, in aqua prius benedicta, & sanctificata, immo oleo, & chrismate perfusa, conferre. Unde Hæretici nostrorum temporum refelluntur, qui ausi sunt hunc Ecclesiæ Romanæ ritum, tanquam *superstitiosum*, immo tanquam *magicam incantationem* reprehendere. Recitemus verba Catechismi Romani P. II. cap. 2. num. 11., quibus Ecclesiæ nostræ doctrina ita exponitur: „ Illud vero animadvertendum „ est, quamvis aqua simplex, quæ nihil aliud „ admixtum habet, materia apta sit ad hoc Sa„ cramentum conficiendum, quoties scilicet ba„ ptismi ministrandi necessitas incidat, tamen ex „ Apostolorum traditione semper in Catholica Ec„ clesia observatum esse, ut cum solemnibus cæ„ remoniis baptismus conficitur, sacrum etiam „ chrisma addatur, quo baptismi effectum magis „ declarari, perspicuum est." Multa in hanc rem ex antiquis monumentis congessit diligentissimus Jo. Chrysost. Trombelli in Tom. I. Dissert. VI. Sect. IV.

CAPUT VI.

De proxima baptismi materia, seu ablutione.

137. *Aqua*, inquit Angelicus 3. P. quæst. 66. art. 7., *assumitur in Sacramento baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel effusionis*. Hinc orta est diversitas proximæ materiæ baptismi, scilicet per immersionem, per effusionem, vel etiam per simplicem aspersionem. „ Quamvis autem, prosequitur Angelicus, *tutius* „ sit baptizare *per modum immersionis* (quia „ hoc habet communior usus) potest tamen fie„ ri baptismus *per modum aspersionis*, vel etiam *per modum effusionis*, secundum illud E„ zech. XXXVI. 25. *Effundam super vos aquam* „ *mundam*: sicut beatus Laurentius legitur ba„ ptizasse; & hoc præcipue propter necessitatem, „ vel quia est magna multitudo baptizandorum, „ ut patet Act. II. & IV. ubi dicitur, quod cre„ diderunt una die tria millia, & alia die quin„ que millia. Quandoque autem potest imminere „ necessitas propter paucitatem aquæ, vel pro„ pter debilitatem ministri, qui non potest susten„ tare baptizandum, vel propter debilitatem ba„ ptizandi, cui posset imminere periculum mortis „ ex immersione. Et ideo dicendum, quod im„ mersio non est de necessitate baptismi" (a).

138. Rursus idem Angelicus art. 8. inquirens, an trina immersio sit de necessitate baptismi, primo adducit auctoritatem S. Gregorii, qui scribens Leandro Hispalensi Episcopo Lib. I. Epist. 41. inquit: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate, vel ter, vel semel immergere, quoniam, & in tribus immersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari*. Ex allata autem Gregorii auctoritate ita pergit ratiocinari. „ Sed diversis ex „ causis secundum ordinationem Ecclesiæ quan„ doque institutus est unus modus, quandoque a„ lius. Quia enim a principio nascentis Ecclesiæ „ quidam de Trinitate male sentiebant, Christum „ purum hominem esse æstimantes, nec dici Fi„ lium Dei, & Deum, nisi propter meritum e„ jus, quod præcipue fuit in morte, ideo non „ baptizabant in nomine Trinitatis, sed in com„ memoratione mortis Christi, & una immersio„ ne, quod reprobatum fuit in primitiva Eccle„ sia: unde in Canonibus Apostolicis (can. 49., „ & habetur cap. 79. *De Consecrat.* Dist. IV.): „ *Si quis Presbyter, aut Episcopus non trinam* „ *immersionem unius mysterii celebret, sed se*„ *mel mergat in baptismate, quod dari a qui*„ *busdam dicitur in morte Domini, deponatur:* „ *non enim nobis dixit Dominus, in morte mea* „ *baptizate, sed in nomine Patris, & Filii, &* „ *Spiritus sancti*."

139. „ Postmodum vero inolevit quorumdam „ schismaticorum, & hæreticorum error homines „ rebaptizantium... Et ideo in detestationem erro„ ris eorum fuit statutum in Concilio Toletano IV. „ (can. 6., & habetur cap. 85. *De consecrat.* „ Dist.

(a) Ex his Angelici verbis liquet, Sec. XIII., quo ille florebat communiorem adhuc fuisse in Ecclesia Occidentali usum baptizandi *per immersionem*; incepisse tamen alium usum baptizandi per aquæ infusionem, qui postea *communis* factus est, ad evitanda non levia incommoda, quæ in immersione occurrebant. Qua in re Ecclesia usa est potestate sibi a Christo tradita, immutandi ritus Sacramentorum, *salva tamen eorum substantia*. Vid. sup. Dissert. 1. n. 318., quamvis de hac mutatione nullum editum fuerit solemne decretum. Immo in Rituali Rom. jussu Pii V. præceptum retinendum modum, qui magis est in usu *pro Ecclesiarum consuetudine*. Scimus referente, oculato teste Cajetano Cenni Tom. I. *Antiqu. Eccl. Hispan.* Dissert. III. cap. 3., Benedictum XIII. nostræ familiæ singulare decus utrumque ritum immersionis, vel infusionis adhibuisse; cujus exemplum Joseph Aloysius de Andujar Episcopus Dertonensis ejusdem Instituti in solemnitate Paschali sequi solebat. In Ecclesia Mediolanensi sub ritu Ambrosiano adhuc viget immersionis usus; non tamen immergitur totum baptizandi corpus, sed tantummodo occiput, ut patet ex Rituali Ambrosiano. Consulatur eruditissimus Jo. Chrysost. Trombelli Tom. III. *De baptismo* pag. 252. seq., ubi magna Ritualium copia, etiam ineditorum, collegit, ut hujus disciplinæ mutationis epocham determinaret.

„ Dist. IV.), quod fieret una sola immersio, ubi „ legitur: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi immersionem*. Sed cessante tali causa, communiter observatur in baptismo „ trina immersio. Et ideo graviter peccaret aliter „ baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans; „ nihilominus tamen esset baptismus." Atque hæc Angelici nostri Præceptoris doctrina non solum Catholicis omnibus, sed etiam Protestantibus probatur, solis schismaticis Græcis refragantibus (*a*). Contra quos sit

PROPOSITIO.

Valida, & licita est administratio baptismi per solam aquæ infusionem, aut aspersionem.

140. **P**rob. *primo*, quia nullum extat Christi mandatum, ut baptismus conferatur per immersionem: neque illa vox *baptizo* aliud significat, quam ablutionem, quæ utique fieri potest etiam per infusionem, aut aspersionem. Immo Marci VII. 4., ubi describuntur baptismata Pharisæorum, quibus manus, calices, urceos, æramenta, & lectos purgabant, significari non videtur immersio, sed simplex lotio. Iterum Lucæ XI. 38. Pharisæus scandalum passus est, quod Christus accubuisset, *non baptizatus ante prandium:* quod certe baptisma per immersionem fieri non poterat.

141. Ulterius, ut S. Thomas supra num. 137. relatus bene observat, non est credibile, fuisse baptizata per immersionem illa tria millia hominum, & rursus quinque millia, quorum mentio est Act. II. & IV., præcipue cum nullum ibi fluvium fuisse legatur. Et quamvis nobis fingere velimus aliquot baptisteria ad usum purificationum Judaicarum jam parata; cum tamen baptismus per immersionem fieri soleret toto corpore nudato, quis credat tantam hominum multitudinem utriusque sexus, vestibus depositis, fuisse aquis immersam? Neque etiam tempus, locus, aliæque circumstantiæ permittebant, ut pudori feminarum consuleretur; quemadmodum postea in Ecclesia factum est, divisis feminis a viris, & Diaconissis deputatis, quæ feminarum decoris curam haberent. Accedit & illud, quod Act. XVI. narratur de Paulo, & Sila, qui custodem carceris, in quo detinebantur, cum omni domo ejus *continuo* baptizaverunt. Porro in his, ac similibus baptismis fuisse immersionem adhibitam, verosimile non est.

142. Accedit demum & veterum Patrum auctoritas, qui baptismum *Clinicis* sola aquæ aspersione, vel infusione collatum, ut verum, & legitimum probaruut. Nam S. Cyprianus interrogatus a Magno Episcopo (*b*), an Clinici, qui *aqua salutari loti non fuerant, sed perfusi*, legitime essent baptizati, ita respondit Epist. LXIX. (sed in editione Rigaltii LXXVI.) *Nos quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari, & debilitari posse beneficia divina... In Sacramentis salutaribus, necessitate cogente, & Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia. Nec quemquam movere debet, quod aspergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezechielem Prophetam loquatur, & dicat: Et aspergam super vos aquam mundam: &c.* & pergit nonnulla congerens vet. test. loca, quibus *aspersio* nominatur, concludens, *aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere*.

143. Neque audiendi sunt, qui dicunt, hæc dubitanter a Cypriano fuisse prolata, quia ibidem prius dixerat: *Qua in parte nemini verecundia, & modestia nostra præjudicat, quominus unusquisque quod putat, sentiat, & quod senserit, faciat.* Et rursus: *Si aliquis existimat eos* (Clinicos) *nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint... non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur.*

144. Non inquam hæc obsunt; quia singularem quidem S. Martyris modestiam indicant, quam in tota illa rebaptismi controversia semper ostendit, non autem aliquam ejusdem hæsitationem, cum de sua sententia se omnino securum ibidem profiteatur. Unde post ultima illa verba statim subdit: *Si autem baptizari non possunt, qui jam baptismo ecclesiastico sanctificati sunt, cur in fi-*

(*a*) Calvinus Lib. IV. *Instit.* cap. 15. *Mergaturne totus*, inquit, *qui tingitur, idque ter, an semel, an infusa tantum aqua aspergatur, minimum refert*. Sed Mich. Cerularius schismatis Ecclesiæ græcæ infelix restaurator, in epist. ad Petrum Antiochenum in Latinos propter unicam immersionem debacchatur. Gregorius Hieromonachus, atque Alexand. Ecclesiæ Primicerius, qui nomine sui Patriarchæ Concilio Florentino interfuit, acriter hac de re cum Latinis disputavit, si vera narrat Sylv. Sguropolus in ejusdem Concilii historia. Marcus postea Ephesius in sua *Epistola encyclica ad omnes Orbis Episcopos* nobis improperabat, quod *duo baptismata perageremus, alterum, quod trina immersione perficit baptizatum, alterum, quod aquæ infusione in summo vertice confertur*. Immo ille ipse Hieremias Patriarcha, qui Ecclesiam latinam contra Protestantes adeo strenue defenderat, sup. Diss. I. n. 221. in secunda respons. ad Wirtembergenses eam carpit, quod baptismum sine trina immersione conferat. Et Matth. Blastasius in suo *Nomocanone* iterum baptizandos præcipit, qui unica immersione fuerunt baptizati. Nos vero Græcos minime condemnamus, quod trina immersione utantur; hoc enim etiam in Ecclesia latina per 13. & amplius sæcula servatum fuit, & adhuc in Ecclesia Ambrosiana, aliisque nonnullis servatur, ut nota super. dictum est; sed solummodo hodiernum Romanæ Ecclesiæ morem tuebimur, baptismum conferendi per infusionem, vel aspersionem.

(*b*) Magnum titulo Episcopi insignivimus ex communi opinione, cui postea se opposuit doctissimus Jo-

fide sua, & Domini indulgentia scandalizentur? Quamquam fortasse dubium exortum non erat de substantia, & charactere Sacramenti, sed de ejus effectu, seu plenitudine gratiæ: quod indicant illa ejusdem Cypriani verba: *An consecuti sunt quidem gratiam Dominicam, sed breviore, & minore mensura muneris divini, ac Spiritus sancti, ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen ceteris adæquandi?* Cui dubio respondet illico Cyprianus: *Quinimmo Spiritus sanctus non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur.* Quam S. Cypriani sententiam tota semper Ecclesia tenuit, cum Clinicorum baptisma sola infusione, vel aspersione collatum semper ratihabitum fuerit, quamquam raro ad sacras Ordinationes Clinici admittebantur, non propter defectum baptismi, sed quia non immerito dubitabatur de eorum vera & perfecta conversione.

145. Ceterum non pauca suppetunt exempla baptismi sola infusione, vel aspersione collati. Unum memorat S. Thomas supra num. 137. S. Laurentii, qui Romanum professione militem, & alium quoque, Lucillum nomine, aqua super caput infusa baptizavit, ut ejusdem S. Martyris Acta testantur. (*a*) Acta quoque S. Bacchi junioris a nostro Combefisio vulgata dicunt, eum aqua superfusa fuisse baptizatum. Ex Actis pariter S. Liudgeri habemus ipsius exhortationem ad mulieres, ut morituros infantulos baptizarent *intinctos aqua*, *vel superinfusos*, cum invocatione sanctissimæ Trinitatis. Denique, ne in omnibus recensendis hujusmodi baptismis per infusionem, vel aspersionem collatis diutius immoremur, satis erit consulere doctissimum Mabillonium in *Musæo Italico*. Tom. II., ubi ostendit, jam a Sæc. VI. fuisse Romæ non raro observatum ritum baptizandi sine immersione.

146. Unicam vero immersionem, vel infusionem ad baptismi valorem sufficere discimus ex S. Gregorio Magno supra n. 138. a S. Thoma allegato; quam S. Pontificis Epistolam ut minime genuinam frustra repudiavit Alcuinus, eam enim laudarunt Isidorus in *Catalogo virorum illustrium*, Ildephonsus Episcopus Toletanus in suo Catalogo, ac præcipue Patres Concilii IV. Toletani anno 633., qui Isidoro Hispalensi Præside cap. 5. ita decreverunt: *Quia de utroque Sacramento, quod sit in sancto baptismo, a tanto viro* (scilicet Gregorio Papa) *reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur, propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem &c.* Gregorii responsum memorat Valafridus Strabo *De rebus eccles.* cap. 26. hæc addens Pontificis verba: *Quia in una fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa* (*b*).

147. Etiam Pelagius II. S. Gregorii prædecessor interrogatus de baptismo ab hæreticis Bonosiacis unica mersione collato, ita respondit (apud Ivonem in *Decreto* cap. 191.): *Si tamen manifesta confessione claruerit, quod Trinitatis nomine fuerint illi baptizati, sola reconciliationis gratia impensa, catholicæ fidei reconciliare curabis.*

148. Ob. *primo*. Apostolus Rom. VI. 3. hæc habet: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Sed hoc fit per immersionem: dicit enim Chrysostomus Hom. XXIV. in Jo. *Sicut in quodam sepulcro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, deinde novus rursus ascendit.* Et S. Leo Magnus in epist. ad Episcopos Siciliæ: *In baptismatis regula*, inquit, *& mors intervenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis ad instar de sepulcro.* Immersio ergo est de necessitate baptismi.

149. Resp. S. Thomas art. 7. ad 2., „ quod in immersione expressius repræsentatur figura sepulturæ Christi, & ideo hic modus baptizandi est communior, & laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi repræsentatur aliquo modo, licet non ita expresse: nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ supponitur, sicut Corpus Christi sub terra fuit positum." Testimonia vero allata Chrysostomi, & Leonis, ut multa alia ejusdem generis, quæ afferri possent, probant quidem communiorem usum in Ecclesia tunc fuisse baptizandi per trinam immersionem, qui ritus magis aperte significat Christi mortem, sepulturam, & resurrectionem; non tamen evincunt, id pertinere ad ejusdem Sacramenti essentiam, quandoquidem etiam per corporis aspersionem eadem significatio habetur.

150. Dices. Per aspersionem, aut infusionem non supponitur totum corpus aquæ, sed solum aliqua ejus pars: non ergo repræsentatur mors, & sepultura Christi, cujus totum corpus sub terra fuit.

151. Respondet S. Thom. ib. ad 3. „ quod principalis pars corporis, præcipue quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes „ sen-

annes Oxoniensis Episcopus in sua editione Operum Cypriani, quia Cyprianus vocat Magnum *filium*, non *fratrem*; levem tamen esse hanc rationem vidit & ipse Joannes, hæc subdens. *Nisi forte ita Filium vocet, ut Timotheum Paulus Apostolus in fide filium.*

(*a*) Apud Surium Tom. IV. Unde Valafridus Strabo *De rebus Ecclesiast.* cap. 26. *Notandum*, inquit, *non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo multos baptizatos fuisse, & adhuc posse ita baptizari, si necessitas sit, sicut in passione B. Laurentii quendam urceo allato legimus baptizatum.* Et subdit, hoc ipsum fieri consuevisse, cum provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur.

(*b*) Flaccus Albinus, seu Alcuinus Epist. LXV. (in

„ sensus & interiores, & exteriores. Et ideo si „ totum corpus aqua non possit perfundi, propter „ aquæ paucitatem, vel propter aliquam aliam „ causam, oportet caput perfundere, in quo ma- „ nifestatur principium animalis vitæ."

152. Ob. *secundo*. Trina immersio in baptismo ab Apostolica, immo ab ipsius Christi traditione descendit. Id testatur Tertullianus *De corona militis* cap. 3. Tertulliano consentit Hieronymus contra Luciferianos, inter traditiones, *quæ auctoritatem scriptæ legis usurpaverunt*, reponens trinam immersionem. Basilius etiam *De Spiritu sancto* cap. 27. trinam immersionem repetit *ex minime publicata, & arcana traditione*. Nonnullos alios Patres idem asserentes allegat Gratianus Dist. IV. *de consecrat.* can. 78. seq. His addi potest Chrysostomus, qui Hom. *De fide* inquit: *Omnibus mysteriis velut sigillum imponens Dominus, in tribus mersionibus aquæ unum baptisma Discipulis suis tradidit*. Id ipsum nos docet exemplum Jesu Christi, qui in Jordane per immersionem baptizatus creditur; quamvis Pictores, quibus, ut inquit Horatius, *quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*, eum stantem in flumine, & a Joanne aqua perfusum soleant repræsentare. Id tanquam certum supposuit Concilium Celichytense celebratum in Anglia anno 816. can. postremo, proponens exemplum Christi ad confirmandam trinam immersionem. Nefas ergo est ab hac Apostolica traditione recedere.

153. Resp., hanc traditionem non respicere sacrosancta nostræ Religionis dogmata, quæ nec loco, nec tempore variari possunt, sed disciplinam, quæ mutationi obnoxia est. Quamobrem, ut superius ostendimus n. 141. & seq., non semper, nec ubique, nec in omnibus circumstantiis trina immersio adhibita est. Immo, si credimus doctissimo Dominicano Jac. Goar in *Euchologio græcorum* nota 24. in baptismatis officium, ipsi Græci pueros non totaliter aquæ immergunt, ne aquæ copia obruantur, sed sedentes in baptisterio Sacerdos ter capite, & toto corpore abluit, & lustrat. Quæ consuetudo baptizandi homines non omnino, sed media tantum corporis parte aquæ immersos, etiam apparet ex vetustis figuris marmore, vel ære impressis, aut depictis, ut ostendunt Jos. Vicecomes in *Observ. Eccles. de baptismi ritibus* Lib. IV. cad. 10., Jo. Ciampinus *Vet. Monum.* P. II. Tom. V., & Jo. Mabillonius in *Musæo Italico* Tom. I. Unde apparet, caput, quod præcipua est hominis pars, fuisse aqua superinfusa baptizatum. Neque officit exemplum Christi Domini, quia *primo* ille baptismum Joannis suscepit, quem postea antiquari voluit: *deinde* quia suo exemplo solam ablutionem nobis proponere intendit, non autem determinare, eamdem per immersionem fieri oportere.

154. Inst. Antiqui Patres hanc traditionem ita ad substantiam baptismi pertinere putarunt, ut baptismum collatum sine trina mersione nullum esse crediderunt. Nam *primo* Canon XLIX. inter Apostolicos, qui refertur cap. 79. *De consecr.* Dist. IV., non solum mersionem in baptismo, sed plane ternam ita præcipit, ut contra inobedientes depositionis pœnam decernat. *Secundo* Concilium I. Constantinopolitanum cap. 7. *Eunomianos*, inquit, *qui in unam demersionem baptizantur .... primo quidem die Christianos facimus ..... & tunc eos baptizamus*. *Tertio* Pelagius II. in epist. ad Gaudentium Bonosiacos damnat, qui unica immersione baptizabant, *contra evangelicum præceptum*, quo admonemur, *in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum baptismum unicuique tribuere*. *Quarto* Cornelius Papa una cum Synodo Romana dubitavit, Novatianum in lecto per infusionem baptizatum vere baptismum sucepisse: inquit enim in sua epist. ad Gabium Antiochenum (apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 43.) *Si tamen hujusmodi baptismum suscepisse dicendus est*.

155. Resp. ad *primum*, canonem illum (*Apostolicum* dictum, non autem vere ab Apostolis confectum) eos ferire, qui formam baptismi vitiantes, baptizabant, non in nomine Trinitatis, sed *in morte Christi:* hæc enim statim subduntur: *Non enim dixit Dominus: in morte mea baptizate; sed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* „ Quia, inquit S. Thomas 3. P. quæst. „ 66. art. 8., a principio nascentis Ecclesiæ qui- „ dam de Trinitate male sentiebant". Vid sup. num. 138.

156. Ad *secundum* dico, canone illo (*a*) damnari Eunomianorum baptisma, ut irritum, non præcise propter omissionem trinæ immersionis, sed etiam, immo præcipue propter omissionem invocationis sanctissimæ Trinitatis, quam impii illi hæretici non admittebant. Ita nos docet Theodoretus Lib. IV. cap. 3. *Hæret. fabularum* inquiens: *Eunomius sancti baptismatis legem olim a Domino, & Apostolis traditam evertit, & contrariam aperte sanxit dicens, non oportere ter illum immergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem*. Epiphanius etiam *Hæresi* LXXVI. nos docet, Eunomianos baptizasse *in nomine Dei increati*,

nova ejus Operum edit. 1777.) ad Fratres Lugdunenses contra hanc Hispanorum novitatem vehementer excandunt, & Epistolam S. Gregorii ut *dubiam* rejecit, quia eam in Epistolari ejus Libro Roma sibi transmisso non invenerat. Unicam Hispanorum mersionem iterum improbat Alcuinus epist. XCVII. ad Paulinum.

(*a*) Qui non est Concilii Constantinopolitani generalis, sed alterius Concilii, ut enim probat Nat. Alexander Dissert. XXXVIII. in Sæc. IV., nonnisi tres Canones a II. generali Synodo editi fuere.

ti, in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, & a creato Filio procreati (a). Hac de causa Eunomianorum baptisma merito rejectum fuit.

157. Idem dicendum de Bonosiacis, quorum baptismum Pelagius iterandum præcipit, non propter solam omissionem trinæ immersionis, sed etiam quia præscriptam a Christo Domino formam temerabant. *Si revera*, inquit Pontifex, *hi de præfatis hæreticis ..... solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cujusdam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes sanctæ Trinitatis nomine baptizabis*. S. Thomas 3. P. quæst. 66. art. 8. ad 2. illa verba ejusdem Pelagii: *Evangelicum præceptum, ipso Domino Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina immersione factum baptismum unicuique tribuere* ita explicat ad 2.: „ „ Pelagius Papa intelligit trinam immersionem esse de mandato Christi in suo simili, in hoc scilicet, quod Christus præcepit baptizari *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Non tamen est similis ratio de forma, & de usu materiæ ".

158. Postremum de Novatiani baptismo facile expeditur, observando cum Henr. Valesio in Adnot. ad hunc locum Eusebii, non fuisse dubitatum de valore baptismi Novatiano collati: neque enim legitur, fuisse ipsum iterum baptizatum, quando in Presbyterum ordinatus fuit, sed de gratia hujus Sacramenti, quæ hominibus obicem ponentibus non confertur; semper enim dubitatum fuit de veris illorum dispositionibus, qui in periculo mortis baptismum efflagitabant: quamobrem non ita facile ad sacras Ordinationes admittebantur. Culpatus etiam fuit Novatianus, quia neque *postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit, quæ secundum regulam Ecclesiæ percipienda sunt, neque ab Episcopo consignatus est*. Vide dicta superius Dissert. 1. n. 600.

159. Ob. *ultimo*. In baptismo significari debet Trinitas personarum, & Christi sepultura, ac resurrectio: ergo debet in ipso adhiberi totalis immersio, & emersio qua præfiguratur sepultura, & resurrectio; & hæc esse debet trina ad significandam Trinitatem.

160. Respondet S. Thomas art. 8. ad 1., *quod significatio Trinitatis fit in baptismo per verba formæ; nec est de necessitate, quod significetur Trinitas per usum materiæ; sed hoc fit ad majorem expressionem. Similiter etiam mors Christi figuratur sufficienter in unica immersione. Triduum autem sepulturæ non est de necessitate salutis nostræ; quia etiamsi uno die fuisset sepultus, vel mortuus, suffecisset ad perficiendam nostram redemptionem ...... Et ideo patet, quod trina immersio nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi est de necessitate Sacramenti*.

CAPUT VII.

De Baptismi forma.

161. Sanctus Augustinus Lib. VI. *de Baptismo* cap. 25. T. IX. dicebat: *facilius inveniri hæreticos, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis* (Evangelicis) *baptizent*. Sed ut alibi (Diss. 2. n. 168.) notavimus, id debet restringi ad tempora S. Augustini. Ex antiquioribus enim monumentis constat, nimis multos fuisse hæreticos, qui evangelicam baptismi formam graviter vitiabant. Eorum plurimos excusare nisus est vir certe doctissimus, sed suis paradoxis opinionibus sæpe deceptus Jo. Harduinus; quem solide confutavit Jos. August. Orsi ex Prædicatorum Familia ad amplissimum Cardinalium collegium postea assumptus in P. ult. suæ Dissertationis Hist. *De Baptismo in nomine Jesu Christi*, ubi agit *de Hæreticis, qui baptismi formam olim adulterarunt* (b). Protestantes communiter usitatam in Ecclesia formulam in baptismo retinent; quanquam aliqui eorum eamdem

(a) Deceptus est Gaspar Juenin, dum in egregio suo *Commentario Historico, & dogmat. de Sacramentis* hæc S. Epiphanii verba ab Arcudio relata, *apud ipsum Epiphanium nequaquam reperiri*, scripsit.

(b) S. Irenæus Lib. I. *Contra hæreses* cap. 21. nonnullas refert corruptas Gnosticorum formulas; & hanc inter alias: *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium, in eo, qui in Jesum descendit in unione, & redemptione, & communione virtutum*. Recenset idem S. Pater horrenda quædam nomina ex hebraico idiomate detorta, quibus suos catechumenos deterrere solebant; scilicet *Basema, Camossi, Banrantea, Mystadia, Ruada, Gusta, Babuphor, Culachti*. Præterea ipse S. Augustinus loco cit. ex eo quod in Concilio Nicæno fuerit constitutum, Paulianos esse baptizandos, recte infert, *eos regulam baptismatis non tenere*; quod clarius exprimit Innocentius I. Epist. XVII. cap. 5. dicens, baptismum Paulianistarum fuisse in Concilio Nicæno rejectum, *quia in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti minime baptizant*. Cum tamen S. Athanasius in Orat. II. cont. Arianos num. 43. inter illos hæreticos, qui nomina Trinitatis pronunciabant, quanquam de ea recte non sentirent, recenseat etiam *Samosatensis discipulos*, oportebit dicere, non omnes in forma baptismi corrumpenda simul convenisse. *Tertio* Concilium Arelatense II. can. 16. Photinianos cum Paulianistis confundens, *secundum Patrum statuta baptizari*, jubet. *Quarto* Montanistas *aliquos* corrupisse formam baptismi, colligitur ex can. 8. Concilii Laodiceni, & ex S. Gregorio Papa Lib. II. Epist. 67., a quibus eorum baptisma rejectum fuit. Dixi *aliquos*: nam Tertullianus jam Montanista cont. Praxeam cap. 2. Evangelicam baptismi formam expresse exhibet. *Quinto* laud. S. Gregorius Bonosiacos, & Cataphryges, *cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizari* asserit. *Sexto* Eunomianos quosdam recenset S. Epiphanius, qui baptizabant *in nomine Dei increati*, &c. Vid. sup. n. 156. De iisdem narrat Sozomenus Lib.

dem minime necessariam esse existiment (*a*). Veritatem catholicam tuebitur sequens

PROPOSITIO

Vera, & omnino necessaria baptismi forma hæc est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

162. Prob. ex verbis ipsius Christi Domini, qui, ut habetur Matth. ult. 19., ita Discipulis suis mandavit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Quem locum male interpretantur, qui illud *in nomine* idem esse dicunt, ac *in jussu, mandato, atque auctoritate* Dei Patris, & Filii, ac Spiritus sancti. Male inquam; *primo* enim haud recta videretur locutio Christi, si ita intelligeretur: *Ego præcipio vobis, ut baptizetis omnes gentes, jussu, mandato, atque auctoritate Patris, Filii, & Spiritus sancti*, quasi ipse esset a Filio diversus: recte autem fit oratio, si ita verba Christi coordinentur: *Præcipio vobis, ut baptizetis omnes gentes, invocato, & expresso nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Deinde quid sibi volunt illa Pauli verba 1. Corinth. I. 13. *Numquid ..... in nomine Pauli baptizati estis?* nisi nos docere in collatione baptismi non fuisse invocatum nomen Pauli, sed nomen sacrosanctæ Trinitatis.

163. Sed hæc catholica veritas multo luculentius patebit ex traditione, & praxi Ecclesiæ. Nam Sanctus Augustinus primo loco nominandus, quia in hac materia illustranda plus omnibus laboravit, Lib. VI. *De Baptismo* cap. 25. *Certa*, inquit, *illa evangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent &c.* Et postea: *Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest*. Ac demum: *Ceterum quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus Symbolum constat, illic defuerint?* & concludit, *baptismum Christi, idest verbis evangelicis consecratum, ubique eumdem esse, nec hominum quorumlibet, & qualibet perversitate, violari*. Post tam aperta Augustini testimonia inutile esset, alios Ecclesiæ Patres advocare.

164. Verumtamen ad mensuræ cumulum duos addemus testes Afros. Tertullianus, qui *De Baptismo* cap. 13. *Lex tingendi*, ait, *imposita est, & forma præscripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Alter testis est S. Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum inquiens: *Dominus post resurrectionem suam discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent, instituit, & docuit, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: Ite &c. Insinuat Trinitatem, cujus Sacramento baptizarentur*. Et ibidem eos refutat, qui in solius Jesu Christi nomine baptizabant, quando ipse Christus, non in una persona gentes baptizari jubeat, sed *in plena, & adunata Trinitate*. Infinitus vero essem, si ceteros commemorare vellem. Ulterius omnes fere illi Ecclesiæ Doctores, qui hæreses Sabellianam, Arianam, vel Macedonianam impugnarunt, ad probandam divinarum Personarum distinctionem, & consubstantialitatem, potissimum forma baptismi usi sunt. Vid. Tom. III.

165. Praxis autem Ecclesiæ potissimum apparet ex antiquis Euchologiis, Sacramentariis, & Ritualibus, in quibus licet aliqua inveniatur differentia verborum, invocatio tamen distincta Trinitatis invariabiliter servata est; ut videri potest in veteri Missali Gothico edito ab Eminentissimo Card. Thomasio, in alio Gallicano apud Mabillonium in *Musæo Italico &c. &c.* Et quanquam cogimur fateri, hæc monumenta non esse ex primis Ecclesiæ sæculis deprompta, verisimile tamen non est, Ecclesiæ vetustissimam praxim in re tanti momenti fuisse mutatam. Nec obsunt aliquæ diversitates verborum, quia ad ipsam formæ substantiam minime pertinent. Sic in veteri Liturgia Gallicana dicitur: *Baptizo te credentem in nomine &c., ut habeas vitam æternam;* & in alio Gothico: *Baptizo te &c. in remissionem peccatorum, ut habeas vitam æternam*.

166. S. Thomas 3. P. quæst. 66. art. 5. hanc affert causam exprimendi formam baptismi; quia, inquit, baptismi est duplex causa „ una quidem „ principalis, a qua virtutem habet, quæ est sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius Sacramentum. „ Et ideo oportet in forma baptismi de utroque „ fie-

VI. cap. 26., quod *non in Trinitatem, sed in Christi mortem baptizari oportere*, docerent. De aliis Arianis vero inquit S. Hieronymus in *Dial. adv. Luciferianos*, eos baptizasse *in Patre solo vero Deo, & in Jesu Christo Salvatore creatura, & in Spiritu sancto utriusque servo*. De mutationibus in forma baptismi ab hæreticis factis multa erudite disserit Jos. Binghamus in *Originibus, sive antiquit. Eccles.* Lib. XI. cap. 3. Sed præstat consulere laud. mox Card. Orsium.

(*a*) Ulr. Zwinglius in Lib. *De vera, & falsa religione* cap. *De Baptismo* ait: *In nomine Dei baptizari est per fidem in Deum inseri;* atque alia addit quibus etsi non vetet verbis evangelicis uti, concludit tamen *non esse necessariam ullam verborum formam*. Lutherus *De captiv. Babylonica* docuerat, baptismum ab impio ministro *non in nomine Domini* collatum, esse validum. Sed hunc errorem postea emendavit; nam in Hom. I. de baptismo, *Si infantem*, ait, *intingeres aqua, neque adderes verba baptismi ..... non esset verus baptismus;* & modo Lutherani nobis hac in parte consentiunt. Calvinistæ, & Sociniani non videntur de forma baptismi admodum solliciti, cum credant, ipsum baptismum non esse necessarium, nisi ut divinarum promissionum sigillum. Sed de Baptismi necessitate inferius.

„ fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum „ dicitur, *Ego te baptizo*, causa autem principalis, cum dicitur, *In nomine Patris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus santi*. Unde hæc est conveniens „ forma baptismi: " *Ego te baptizo &c.*

167. Objicies *primo*. Ut sæpius dictum est Diss. 11. cap. 2., ideo baptismus valet a ministro improbo, schismatico, & hæretico collatus, quia Christus est baptismi causa principalis, secundum illud Jo. I. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem*, *&* *manentem*, *hic est*, *qui baptizat*, ergo convenientius esset dicere: *Christus te baptizat &c.*

168. Respondet S. Thomas hac quæst. 66. art. 5. ad. 1. „ quod actio attribuitur instrumento, sicut immediate agenti; attribuitur autem hujusmodi actio principali agenti, sicut in cujus virtute instrumentum agit. Et ideo in forma baptismi convenienter significatur minister, ut exercens actum baptismi, per hoc, quod dicitur, „ *Ego te baptizo:* sicut & ipse Dominus baptizandi actum attribuit ministris, dicens; *Baptizantes eos &c.* Causa autem principalis significatur, ut in cujus virtute Sacramentum agitur, per hoc, quod dicitur, *In nomine Patris* „ &c., non enim Christus baptizat sine Patre, & „ Spiritu sancto. "

169. Inst. *primo*. Græci loco illorum verborum, *Ego te baptizo* dicunt: *Baptizatur servus Dei in nomine Patris &c;* quibus verbis significatur, baptismum non conferri ab homine sed a Christo.

170. Respondet iterum Angelicus laud. art. 5. ad 1. „ Græcos non attribuere actum baptismi ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui „ virtutem baptismi baptizantibus attribuebant, „ dicentes (1. Corinth. 1. 12.) *Ego sum Pauli*, *&* *ego Cephæ*, & ideo dicunt, *Baptizetur* „ *servus Christi*, talis, in nomine Patris &c. Et „ quia exprimitur actus exercitus per ministrum „ cum invocatione Trinitatis, verum perficitur „ Sacramentum. " Quod etiam expresse declaravit Eugenius IV. in decreto *De Sacramentis* post absolutam Synodum Florentinam. Idemque postea confirmarunt Leo X. Constitutione edita 18. Maji 1521., & Clemens VII. 26. Martii 1526. (*a*).

171. Dices *secundo*. Saltem in nostra forma videtur supervacaneum illud pronomen *ego;* intelligitur enim in ipsa voce *Baptizo*.

172. Respondet Angelicus loco mox laud. hoc pronomen *Ego* non esse de substantia formæ, sed poni ad majorem expressionem intentionis. Quamobrem nec culpantur Græci qui pronomine omisso dicunt: *Baptizatur famulus Dei &c.* Ibidem vero ad 4. scite observat, non posse loco pronominis singularis *Ego* poni in numero plurali *Nos;* *quia plures simul non possunt unum baptizare*, *quia actus multiplicantur*, *secundum multiplicationem agentium*, *si perfecte ab unoquoque agatur*. Secus autem esset, si quis minister more Principum seipsum nominaret plurali numero *Nos te baptizamus;* quamvis abusus hic esset reprehendendus, non propterea baptismum irritum faceret.

173. „ Possunt tamen, subdit S. Doctor, si necessitas exigit, plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet, nisi unum baptismum, sed „ tunc oportebit dicere: *Ego baptizo vos*. Nec erit mutatio formæ; quia *Vos*, nihil aliud est, „ quam *te*, *&* *te* ... Similiter autem mutaretur, „ si diceretur, *Ego baptizo me*. Et ideo nullus „ potest baptizare seipsum, propter quod & Christus voluit baptizari a Joanne, ut dicitur Extra „ *de Baptismo*, *&* *ejus effectu* (*b*). "

174. Ob. *secundo*. S. Ambrosius, vel quilibet alius auctor Lib. *De Sacramentis* (Vid. Diss. 1. n. 285. in not.) Lib. II. cap. 7. totum describens baptizandi ritum, nullam facit mentionem formæ; ita enim habet: „ Interrogatus es, *Credis in Deum* „ *Patrem?* Dixisti: *Credo*, & mersisti, hoc est „ sepultus es. Iterum interrogatus es: *Credis in* „ *Dominum nostrum Jesum Christum*, *&* *in* „ *crucem ejus?* Dixisti: *Credo*, & mersisti ..... „ Tertio interrogatus es, *Credis in Spiritum sanctum?* Dixisti: *Credo:* tertio mersisti; ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio. "

175. Resp., quamvis illorum Librorum auctor laud. in loco non memoret formam baptismi, non propterea eamdem excludere, utpote quæ post confessionem suscipientis in ipsa ejusdem mersione fieri solebat. Immo in ipso eodem Lib. II. cap. 5. n. 14. jam dixerat: *Cœlestia verba*, *quæ Christi sunt*, *quod baptizemus in nomine Patris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus sancti*. Tum etiam in eodem cap. 7. n. 22. hæc leguntur: *In uno autem nomine baptizari nos jussit*, *hoc est in nomine Patris*,

(*a*) Non conveniunt omnes Theologi, an Græci dicant in forma baptismatis *Baptizetur* modo optativo, vel imperativo; an *Baptizatur* modo indicativo. S. Thomas, una cum veteribus legebat *Baptizetur* imperativo modo. Ita etiam Scotus. Eugenius IV. utrumque modum commemoravit, & approbavit. Attamen Petrus Arcudius in *Concordia Ecclesiæ Occidentalis*, *&* *Orientalis* cap. 8. omnino ostendit, Græcos pronunciare βαπτίζεται *Baptizatur* modo indicativo. Idipsum affirmat noster P. Jac. Goar in suo *Euchologio Græcorum* nota 20. in Baptismatis officium; quod etiam confirmavit auctoritate Simeonis Thessalonicensis. Haud dissimilem esse baptismi formam, qua utuntur communiones Orientales, solita sua monumentorum copia ostendit Eus. Renaudotius Tom. V. *Perpetuitatis fidei* Lib. II. cap. 5.

(*b*) Aliquis Judæus in periculo mortis seipsum baptizaverat, quia inter suos contribules existens neminem inveniebat, a quo baptizaretur. Porro interrogatus Innocentius III. respondit, nullum esse talem baptismum, potuisse nihilominus Judæum illum salvari propter *Sacramenti fidem*, *sed non propter fidei Sacramentum*.

tris, *& Filii*, *& Spiritus sancti*. Verus autem Ambrosius in Lib. *de Mysteriis* cap. 4. num. 21. *Tu autem*, inquit, *baptizatus es in nomine Trinitatis*, *confessus es Patrem .... confessus es Filium*, *confessus es Spiritum sanctum* (*a*).

Quæres, *an valeat baptismus collatus sine iis verbis:* Ego te baptizo; *cum sola invocatione Trinitatis?*

176. Hæc quæstio exorta est in Galliis sæc. XII. Cum enim quidam Laicus puerum periclitantem baptizasset in nomine Trinitatis, omissis tamen illis prioribus verbis: *Ego te baptizo*, Pontius Claromontanus Episcopus consuluit Mauritium Episcopum Parisiensem, & Stephanum Abbatem S. Genovefæ, qui postea infulam Tornacensem obtinuit, an baptismus ille fuisset validus? Respondit Mauritius *negative*. Stephanus vero *affirmative*; quia, inquiebat, qui Sacramentum baptismi instituit, tantummodo dixit Discipulis: *Ite*, *docete omnes gentes*, *baptizantes* &c., nullibi autem legitur iis præcepisse, ut dicerent: *Ego te baptizo in nomine &c.*; suamque sententiam nonnullis sanct. Patrum testimoniis communire sategit. Pro eadem allegantur etiam Præpositivus in P. IV. *Summæ*, ubi auctoritatem affert *Parisiensium*, Petrus Cantor in *Summa*, quæ Ms. asservatur in Bibliotheca S. Victoris, & alii pauci. Notat tamen diligentissimus Berti, falso inter eos numerari Hugonem Victorinum, & Petrum Lombardum.

177. Vicit demum sententia Mauritii, quam postea confirmavit Alexander III. in sua Decretali inserta inter Decretales Gregorii IX. quam citat S. Thomas 3. P. quæst. 66. art. 5. ad 2. his verbis: *Si quis puerum ter in aqua immerserit*, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti amen*, *& non dixerit*, *ego te baptizo in nomine Patris &c.*, *non est puer baptizatus*. Quam Alexandri definitionem confirmavit postea Alexander VIII. damnata hac propositione: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*, *præteritis illis: Ego te baptizo*. Vid. Emm. Gonzalez in notis ad decretum Alexandri III. Lib. III. Decret. tit. 42. cap. 1., ubi occasionem narrat, qua Alexander III. illam Decretalem emisit.

178. Neque obstant apparentes rationes, quibus Stephanus suam tuebatur opinionem, scilicet, Christum tantummodo Apostolis præcepisse, ut baptizarent, non autem ut dicerent: *Ego te baptizo*; quemadmodum quando eis præcepit, ut docerent, non eis indicare voluit, ut dicerent: *Ego vos doceo*. Tum etiam; sanctos Patres, quando agebatur de valore baptismi, de nulla alia re fuisse sollicitos, quam de invocatione sacrosanctæ Trinitatis.

179. Non inquam obstant hæ rationes; nam quantum ad primam: quamvis in verbis Christi Domini expressum non sit mandatum proferendi hanc formam: *Ego te baptizo*, eamdem tamen fuisse ab ipso Christo Domino præscriptam, ex aliis argumentis satis aperte colligitur. Neque valet exemplum adductum de præcepto docendi, aut alia ejusdem generis, quæ adduci possent; quia, ut bene observat Angelicus in IV. Dist. 3. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad. 4.: „ alii actus habent efficaciam ex suo exercitio tantum; sed actus baptizandi habet efficaciam ex forma verborum; & quia talis efficacia est Sacramentalis, idcirco oportet, quod verba formæ significando efficaciam, actum præbeant; & ideo oportet baptizantem actum suum verbo significare, quamvis in aliis actibus non reperiatur. *Accedit alia ratio ejusdem S. Thomæ in laud. art. 5. quæst. 66. ad 2.*, quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet, quod determinetur in verbis formæ, ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur, In nomine Patris &c.; quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. III. Et ideo si non exprimatur actus baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum." Unde etiam Catechismus Rom. P. II. cap. 2. num. 13. inquit: „ Ex illo autem verbo *Baptizantes*, Catholica Ecclesia divinitus edocta optime intellexit, in hujus Sacramenti forma actionem ministri exprimendam esse: quod quidem fit, cum dicitur: *Ego te baptizo*" (*b*).

180. Ideo vero sancti Patres solliciti tantummodo fuerunt de invocatione sanctissimæ Trinitatis, quia multæ tunc grassabantur hæreses huic mysterio infestæ, & quæ proinde hanc invocationem corrumpebant: nulla vero iis temporibus fuit de istis primis verbis formæ controversia.

CA-

(*a*) Huic nostræ explicationi, quæ est etiam doctissimorum PP. Maurinorum, qui egregiam S. Ambrosii editionem nobis dederunt, non subscribit eorum concellita Chardon in *Hist. Sacrament.* Lib. I. cap. 13., eamdem tamen solidis argumentis non convellit, quamvis antiquum Gelasianum Sacramentarium, a Thomasio editum, & antiquum Rituale Ms. ab Edm. Martene visum afferat, in quibus dicit, formam baptismi desiderari.

(*b*) Hæc ratio, quam communiter Theologi afferre solent, non probatur a P. Laur. Berti, qui inter eos eximium certe locum occupat, quia verbum exprimens actum non habetur in forma Confirmationis, qua utuntur Græci. Eodem argumento usus jam fuerat noster P. Pius Thomas Milante *Exercitat. Dogm.* XVII. *in Prop. proscriptas ab Alexandro VIII.*, ut ostenderet rationem S. Thomæ esse tantum *congruentialem*. Si autem argumentum depromptum ex Sacramento Confirmationis valeret, sequeretur, formam ejusdem Sacramenti non esse *congruentem*. Sed tota hæc argumentatio corruit in sententia eorum, qui formam Confirmationis reponunt in oratione manuum impositioni adjuncta, & verbis chrismatis unctioni respondentibus, de qua suo loco.

CAPUT VIII.

Ostenditur, necessariam esse in baptismo expressam trium divinarum Personarum invocationem (a).

181. Sanctus Thomas 3. P. quæst. 66. art. 6. ad id probandum utitur *primo* auctoritate Pelagii II., cujus in IV. *De consecrat.* recitantur hæc verba ex ejusdem Epist. ad Gaudentium: *Si hi qui in locis ditioni tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujuscumque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Huic addit Angelicus etiam testimonium Didymi in Lib. II. *De Spiritu sancto* (inter Opera S. Hieronymi Tom. II.) inquientis; *Qui ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus* (scilicet trium divinarum Personarum) *prætermittat, sine perfectione baptizabit.*

182. Sed multa alia addi possunt veterum Patrum similia testimonia. Nam Tertullianus *de Baptismo* cap. 13. *Lex*, inquit, *tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* S. Cyprianus in Epist. ad Jubajanum LXXIII. *Quomodo*, inquit, *dicunt quidam, modo in nomine Jesu Christi ubicumque, & quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jussit in plena, & adunata Trinitate?* Augustinus autem sæpe repetit, certa esse verba Evangelica, sine quibus baptismus non consecratur. Vid. sup. num. 163. Quæ sunt autem verba Evangelica, nisi illa, quibus tota exprimitur Sacrosancta Trinitas? Unde Lib. III. *de Baptismo* cap. 16. inquiebat: *Si Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Marcion baptismum conferebat, integrum erat Sacramentum.* Demum S. Fulgentius *de incarnat.*, *& gratia* cap. 11. *Mysterium*, inquit, *illud redemptionis nullo modo habetur, si Patris, & Filii, & Spiritus sancti nomen subtrahatur.*

183. Probat *secundo* Angelicus eamdem veritatem hac theologica ratione: „ Sacramenta habent efficaciam ex institutione Christi: & ideo si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod Sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam Sacramentis non alligavit. Christus autem instituit Sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis; & ideo quidquid deest ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. "

184. Ob. *primo*. Qui nominat unam personam, alias duas simul comprehendit, si tamen habeat fidem rectam: ergo servat formam baptismi, adeoque, &c.

185. Respondet S. Thomas, id non sufficere, „ quia sicut ad Sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis: unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi, fuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus sanctus in columba. "

186. His verbis, ut observat Dom. Scoto in IV. *Sent.* Dist. III. quæst. un. art. 6. S. Doctor respondet objectioni, quæ fieri solet ex auctoritate S. Ambrosii, qui in Lib. 1. *De Spiritu sancto* cap. 3. inquit: „ Si Patrem dicas, & Filium ejus, & Spiritum oris ejus pariter indicasti. Et si Spiritum dicas, & Deum Patrem, a quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti. Quare una persona prolata, si integra sit intus fides, plenum est Sacramentum. " Subdit autem laud. celeberrimus Hispanus Theologus: „ cum D. Thomas vidisset, sententiam Ambrosii per nullam glossam posse tuto defendi, „ prudenti modestia tacito ejus nomine, ejus rationem dissolvit. "

187. Veruntamen non dissimulavit Angelicus hanc Ambrosii auctoritatem, quia hæc alia ejusdem S. Antistitis verba sibi objecit, quæ habentur in eodem ipsissimo loco: *Si Christum dicas, & Patrem a quo unctus est, & ipsum, qui unctus est Filium, & Spiritum sanctum, quo unctus est, designasti.* Ita vero respondet Angelicus ad 2. *Ambrosius assignat rationem, quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in primitiva Ecclesia, quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur. Et ideo servabatur ad minus*

(a) Gerhardus Jo. Vossius Disput. II. *De Baptismo* thesi V., quamquam censeat, non esse in forma baptismi recedendum a communi usu nominandi distincte tres personas, vult tamen validum esse baptismum, etiamsi conferatur hoc modo: *Baptizo te in nomine Dei, vel Jesu Christi*, eamdemque dicit fuisse mentem multorum Patrum, & Scholasticorum. Reipsa multos allegat pro hac sententia Dom. Soto in IV. Dist. III. quæst. un. art. 6. præcipue autem Card. Cajetanum in 3. P. quæst. 66. art. 5., & Adrianum VI. in quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. suorum Comment. in IV. *Sent.*, quos ante Pontificatum conscripsit. S. Pius V. hunc errorem, ut nonnullos alios, ex Commentariis Cajetani expungi jussit. Petrus Lombardus in IV. Dist. III. eo inclinat, ut *verum baptisma dari possit in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti, si tamen ille, qui baptizat, fidem Trinitatis teneat.* Idemque sentit de eo, qui baptizat in nomine Christi; subdit tamen, *tutius esse* tres personas nominare. Mirum autem non est, hujus auctoritate, quæ olim magna erat, fuisse non paucos Scholasticos deceptos. Decipi tamen non potuit perspicacissimus S. Thomas.

nus integritate intelligibili forma, quam Christus tradidit in Evangelio.

188. Alii tamen Theologi, quibus non arridet S. Thomæ opinio, quod Apostoli ex divina dispensatione baptizaverint in solo nomine Jesu Christi, alias afferunt difficilis hujus Ambrosiani textus explicationes. Illa videtur verisimilior, S. Ambrosium docere tantum voluisse, ubicumque in sacris litteris operatio tribuitur alicui Personæ divinæ, alias etiam subintelligi, quamvis expresse non nominentur; unde inferebat, quamvis in Scripturis dicatur, aliquos fuisse *in nomine Christi*, vel *in Spiritu sancto* baptizatos, non propterea excludi alias divinas personas, in quarum nomine jussi sunt Apostoli baptizare. Certe si de forma baptismi locutus esset S. Ambrosius, sequeretur, illum approbasse baptismum sola invocatione Spiritus sancti collatum, quod absurdum a S. Ambrosio probatum fuisse, nemo dixerit. Sequeretur item, etiamnum valere baptismum collatum cum mentione unius personæ Trinitatis, quia manebit illa ratio, *Si Patrem dicas &c.* Sequeretur demum a S. Ambrosio fuisse reprobatum baptismum hæreticorum, etiam legitima forma administratum; inquit enim ibidem: *Quamvis & Patrem, & Filium, & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* His addantur ejusdem S. Antistitis verba a nobis allata Diss. I. cap. 10. n. 468., quibus asserit, Catechumenum non posse recipere remissionem peccatorum, *nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

189. Dices. Hæc eadem fuit doctrina S. Basilii, cujus studiosissimus erat S. Ambrosius. Nam in Lib. *De Spiritu sancto* cap. 12. inquit: *Siquidem Christi appellatio totius Trinitatis est professio; quippe quæ simul declarat & Deum, qui unxit, & Filium, qui unctus est, & Spiritum sanctum, qui est unctio.*

190. Resp., ex S. Basilio posse etiam mentem S. Ambrosii uberius explicari, qui ejusdem Sancti verba ipsa exscripsit. Basilius autem ibidem postquam memorasset quædam Scripturæ loca, in quibus solius Spiritus sancti mentio habetur, ita subdit: *Non ideo quis diceret, perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus sancti nomen invocatum est .... Sicuti enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ita & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Uterque igitur Sanctus necessariam esse putavit ad baptismi integritatem trium divinarum Personarum expressam, & distinctam invocationem.

191. Ob. *secundo.* Nicolaus I. in *Resp. ad consulta Bulgarorum* interrogatus de baptismo collato a quodam Judæo, vel Pagano ita respondit: *Profecto si in nomine sanctissimæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe, idemque est, ut S. exponit Ambrosius) constat, eos non esse denuo baptizandos.* Hæc Nicolai verba inserta sunt Juri Canonico Dist. IV. *De Consecrat.* cap. *A quodam.* Item S. Bernardus Epist. 340. modo 403. approbavit baptismum his verbis a rustico quodam collatum: *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ, & veræ Crucis.* Et postea addit: *Legimus sane in Actibus Apostolorum, non modo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, verum & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos.*

192. Resp. ad *primum* cum Melch. Cano Lib. VI. *de loc. theol.* cap. 8. ad 7., Nicolaum non definivisse hanc controversiam; *non enim illi proposita fuerat quæstio, an baptismus in nomine Christi collatus esset validus, sed an baptizatus a Pagano, vel Judæo verum baptismi Sacramentum suscepisset. Obiter autem, & in transcursu cum huic quæstioni propositæ responderet, de suo non interrogatus adjecit, baptisma in nomine Christi conferri. Qua in re falli sine dubio potuit: immo falsus est &c.* Ab hac igitur privata Nicolai opinione recedere cogimur, cum habeamus contrariam definitionem Pelagii II. sup. n. 181. allatam, aliamque similem Zachariæ Pontificis relatam eadem Dist. IV. cap. *In Synodo*, qua approbavit hoc decretum Synodi Anglicanæ: *Si quis unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posse.*

193. Fortasse Nicolai mentem melius assecutus est Vinc. Contensonius, qui incredibile reputans, tantum Pontificem, etiam ut privatum Doctorem, baptismi essentialem formam ignorasse, & in re tam perspicua a fidelibus Christi interrogatum tantopere cespitasse, respondet, Nicolaum eodem modo exponendum esse, quo Ambrosium, ad quem se refert, interpretandum. (Vid. num. 188.) scilicet approbasse baptismum a Judæo collatum, non more Judaico, sed in nomine Christi, hoc est qualem Christus instituit cum expressa sanctissimæ Trinitatis invocatione.

194. Ad *secundum* respondent aliqui, hanc epistolam esse supposititiam, aut saltem dubiam. Verumtamen si etiam S. Bernardi sit, licebit nobis a prolata ipsius opinione recedere, ne a communi aliorum doctrina recedamus. Privatam vero fuisse suam hanc opinionem fatetur ipse Bernardus initio ejusdem epistolæ dicens: *Breviter vobis de proposita quæstione respondemus, sine præjudicio tamen sanius sapientis.*

Quæres *primo*, *utrum valeat baptismus collatus in nomine Trinitatis, sine distinctione personarum?*

195. Resp., ita olim visum fuisse Card. Cajetano in Comment. ad 3. P. quæst. 66. art. 5. (quamvis modo hæc sententia jussu Pii V. erasa sit), cujus hæc erat potissima ratio, quod nihil plus significatur, dicendo, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, quam dicendo, *In nomine sanctissimæ Trinitatis.* Aliqui Scholastici idem senserunt, ut Petrus Lombardus qui Parisinæ

præ-

præfuit Ecclesiæ post medium Sæc. XII., & Libros *Sententiarum* scripsit.

196. Verumtamen si hujusmodi ratiocinio locus detur, etiam dici poterit, valere baptismum *in nomine Dei*, quia Deus est unus, & trinus; etiam *in nomine Spiritus sancti*, quia Spiritus sanctus necessario importat cognitionem Patris, & Filii, a quibus procedit. Multoque magis valebit baptismus mutatis nominibus Patris, Filii, & Spiritus sancti, & substitutis aliis nominibus *innascibilis*, & *genitoris*, *verbi*, *imaginis*, vel *geniti*; tum *doni*, & *amoris procedentis*; quod tamen negat S. Thomas 3. P. quæst. 66. art. 5. ad 7. inquiens: *Ad significandum tres Personas in forma baptismatis assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari Personæ in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur Sacramentum.* Dicendum est igitur, minime licere verba illa mutare, quæ Christus ipse apertissime suis Discipulis præscripsit; & quibus Ecclesia hactenus usa fuit. Unde Dominicus Soto gravissimus Theologus ita concludebat: „ De baptismate in nomine Trinitatis nullatenus arbitror hæsitandum, sed negandum prorsus validum esse. Quare ego sic baptizatum, non sub conditione, ut in re dubia, sed absolute tanquam non baptizatum baptizarem. " In IV. *Sent.* Dist. 3. quæst. un. art. 6.

197. Si tamen in prolatione trium Personarum corruptio accidentalis haberetur, vel ex defectu linguæ, vel ex imperitia sermonis, irritum non fieret Sacramentum. Unde apud Gratianum Dist. IV. *De consecr.* cap. *Retulerunt* habetur decretum Zachariæ Papæ ad Bonifacium, quo approbavit baptismum a quodam imperito his verbis datum: „ Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta. Si tamen, *subdit Pontifex*, ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis: infringendo linguam, ea verba dixisset, " Sed quæ mutationes censendæ sint substantiales, quænam accidentales, uberius disquirere solent Theologiæ Moralis Tractatores.

Quæres *secundo*, *an fuerit aliquando in primitiva Ecclesia collatum baptisma in solo nomine Jesu Christi, omissa expressa, & distincta personarum Trinitatis mentione?*

198. S. Thomas in laud. sæpius quæst. 66. art. 6. postquam docuisset, necessariam esse invocationem Trinitatis *sensibilibus verbis*, objicit sibi, Act. VIII. 12. dici, quod *in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres* (quod sæpius in iisdem Actibus reperitur; nec ullibi indicantur, Apostolos baptizasse *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*) Ita autem respondet: „ ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis, & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus sanctus dabatur in baptismo. " In corpore articuli jam dixerat, si prætermittatur aliquod eorum, quæ Christus instituit, Sacramentum efficacia carere, *nisi ex speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam sacramentis non alligavit.* Hanc Angelici Præceptoris sententiam multi, gravesque Theologi amplexi sunt, ut ejusdem Angelici præceptor Albertus Magnus, S. Bonaventura, Jo. D. Scotus (*a*), quem Scotistæ sequuntur, aliique tam veteres, quam recentiores. Eamdemque non ita pridem illustravit Jos. Aug. Orsi, qui postea in amplissimum S. R. E. Cardinalium senatum cooptatus fuit, in *Dissert. Hist. de baptismo in nomine Jesu Cristi collato* Mediol. 1733. in 4.; quam deinde confirmavit in *Vindiciis Dissert. de bapt. in nomine J. C. a Sorbonico Doctore* (P. Drouven) *objectis*. Florentiæ 1735. in 4.

199. Attamen non unus Drouven huic opinioni contradixit, sed nonnulli alii fideles alioquin S. Thomæ Discipuli, ut Melchior Canus Lib. VI. *De loc. theol.* cap. 8. ad 7. Vinc. Contenson. in *Theol. mentis, & cordis* Lib. VI. Dissert. 3. cap. 1., Dom. Soto in IV. *Sentent.* Dist. 3. quæst. un. art. 6. (qui tamen addit, probabile sibi videri, Apostolos nomen Jesu Christi formulæ baptismi admiscuisse, dicentes: *In nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus sancti*), Hyac. Serry Disp. II. *De sacrament.* Præl. IV., & alii contendentes, Angelicum Præceptorem, non absolute id de Apostolis asseruisse; sed facta *hypothesi*, quod Apostoli baptizaverint in solo nomine Jesu Christi, docere, id ab iis fieri non potuisse, nisi ex dispensatione divina, quæ ipsis per revelationem innotuerit. Unde in IV. Dist. 3. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 3., dicit, Apostolos hoc facere non potuisse, *nisi ex familiari consilio Spiritus sancti.* Unde infert, quod *hoc etiam Ecclesia nunc posset, si speciale præceptum a Spiritu sancto haberet, non autem propria auctoritate ... & modo non esset baptismus, si quis in Christi nomine baptizaret &c.*

200. Ita mentem S. Thomæ explicant non modo laud. Drouvenius, sed etiam Nat. Alexander Dissert. XIII. in Sæc. III., & in *Theol. Dogmat. Morali* Lib. II. cap. 1. art. 3. & Jo. Vinc. Patuzzi in *Ethica Christiana* Tract. X. P. II. cap. 6. Sic etiam hypothetice loquitur Catechismus Rom. P. II. cap. 2. n. 15. inquiens: *Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, cum Apostoli in nomine tantum Domini Jesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus sancti afflatu*

eos

(*a*) Qui in IV. Dist. III. quæst. 2. *Non audeo dicere*, inquit, *quod baptizatus hodie in nomine Christi esset baptizatus, sed nec audeo dicere, quod non esset baptizatus, quia non lego, ubi fuerit ea dispensatio revocata. In hoc ergo casu reputo dubium, an talis sit baptizatus.* Attamen P. Ant. Hiquæus in Comment. Scotum in negativam sententiam, quæ est communior, magis inclinatum fuisse, contendit.

eos fecisse nobis exploratum esse debet, ut initio nascentis Ecclesiæ Jesu Christi nomine, prædicatio illustrior fieret, divinaque, & immensa ejus potestas magis celebraretur. Post autem num. 16. aliam sententiam insinuat, scilicet dici Apostolos baptizasse in nomine Christi, ut significetur, ipsos contulisse baptismum, *non qui a Joanne, sed qui a Christo Domino traditus esset; tametsi a communi, & usitata forma, quæ distincta trium Personarum nomina continet, Apostoli non discederent.*

201. Eminentissimus Card. Vincentius Gotti Tract. *de Baptismo* quæst. I. Dub. 7. §. 4. utramque sententiam *probabilem* reputat; primam quidem S. Thomæ, quia conformior est multis sacræ Apostolorum historiæ locis *litteraliter* intellectis; alteram vero, quia magis consonat verbis Christi, qui Apostolis jussit baptizare *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Nec tamen putat, se a S. Thomæ mente recedere, quia dum dicit, non valere baptismum in solius Christi nomine collatum, loquitur *absolute;* dum autem asserit, Apostolos ex dispensatione divina baptizasse in solius Christi nomine, loquitur *hypothetice*. Ipsius vestigia pressit Car. Ren. Billuart in Tract. *de Baptismo* Dissert. I. art. 4. §. 3. utriusque partis momenta expendens, & nihil concludens.

CAPUT IX.

De baptismi præcepto, & necessitate.

202. Mirandum certe est, post tam multa, & perspicua sacrarum Scripturarum testimonia, quibus origo, institutio, materia, forma, & necessitas baptismi declaratur, & post tam constantem Ecclesiæ ab ipsis Apostolis usque ad nos derivatum baptizandi usum, inventos fuisse, & adhuc inveniri, qui in re tanti momenti, & tam aperte a veritate longissime recesserint. Eos, qui de institutione, materia, & forma errarunt, capitibus superioribus confutavimus. Sequitur modo, ut summam hujus Sacramenti obligationem contra veteres, novosque hæreticos vindicemus (*b*).

203. Sed *primo* in memoriam revocanda est communis Theologorum doctrina, duplicem esse baptismi suscipiendi necessitatem, alteram *præcepti*, qua soli adulti adstringuntur, & gravis culpæ rei fiunt, qui eam *voluntarie* violant: alteram *medii*, seu *finis*, qua obligantur etiam infantes, qui incapaces sunt præcepti, ut sine Baptismo salutem consequi nullatenus possint. Id uberius declarabit sequens

PROPOSITIO.

Baptismus omnibus hominibus necessarius est ad salutem consequendam, necessitate medii, *seu* finis; *adultis vero etiam* necessitate præcepti.

204. Prob. *prima* pars luculentissimis sacr. litterarum verbis. Nam Jo. III. 5. Christus ipse Nicodemo dixit: *Amen amen dico tibi, nisi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Porro hæc Jesu Christi verba de omnimoda baptismi necessitate semper intellexit Ecclesia, ut testis est S. Fulgentius *De fide ad Petrum* cap. 3. inquiens: „ Ex „ ipso tempore, quo Salvator noster dixit: *Si quis* „ *renatus non fuerit* &c., absque Sacramento ba- „ pti-

(*a*) Eos, qui materiam, vel formam baptismi aut vitiantes, aut prorsus rejicientes baptismum ipsum consequenter tollebant, recensuimus in not. ad num. 112., & in not. ad num. 161. Sed alii fuerunt, qui aperte nullam baptismi necessitatem esse blasphemabant. Tales fuisse Cainitas notavimus ex Tertulliano supra Theodoretus Lib. I. *Hæret. fabularum* memorat quosdam hæreticos *Ascrodutas*, qui ut cetera Sacramenta, ita & baptismum rejiciebant. Massaliani, vel Messaliani, de quibus verba fecimus Tom. IV. ad delendum peccatum originale frustra baptismum suscipi, docebant, nisi juges ad Deum funderentur orationes, dicti propterea Εὐχῆται, seu *Orantes*. Pelagiani potius effectum, quam necessitatem baptismi negabant; ipsum enim esse necessarium confitebantur, non ad delendum peccatum originale, sed ut pateret ingressus ad regnum cœlorum; excipiendus tamen est Vinc. Victor, qui teste S. Augustino Lib. III. *De anima* cap. 15. docebat, parvulos sine baptismo decedentes ire *modo* non in regnum cœlorum, sed in paradisum, *postea vero in resurrectione mortuorum etiam ad regni cœlorum beatitudinem pervenire*.

Multo pejus hac in parte errarunt Novatores: posito enim perverso illo principio justificationis gratiam nonnisi per fidem obtineri, sequebatur, inutile esse baptismi Sacramentum, vel totam ejus utilitatem, aut necessitatem eo redigi, ut habeamus aliquod signaculum, vel sigillum divinarum promissionum. Vid. eorum definitiones baptismi supra n. 4. & seq. allatæ. Hinc Jo. Wiclefus eorum prodromus baptismi necessitatem absolute negavit, docens *sine baptismo aquæ infantes ipsos salvari posse*, ut testis est Thomas Valdensis Tom. II. *De Sacram.* cap. 69. quam impiam doctrinam secutus est Ulr. Zwinglius *De vera, & falsa religione*, ubi de baptismo. Calvinus quidem aliquando visus est, divinum baptismi præceptum agnoscere; sed Lib. IV. *Institut.* cap. 16. aperte asserit, *non arceri a regno cælorum infantes, quos e præsenti vita migrare contigit* (Vid. supra n. 4.) & postea n. 20. hæc addere non est veritus: *Quantum damni invexerit dogma illud male expositum, baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt*. Longius progressi Sociniani præceptum fuisse a Christo baptismum pertinaciter negant. Quod si hoc fuisse a Christo mandatum aliquando concedunt, dicunt, hoc mandatum non respicere nisi Judæos, qui legalibus istis ablutionibus assueti jam erant. Ita Socinus in Disput. *De Baptismo*, quem secuti sunt Smalcius, Volkelius Ostodrodus &c. Nec procul absunt ab hoc errore Remonstrantes, quos esse in Socinianismum proclives, alibi jam notavimus. Vid. sup. not. ad n. 7.

„ ptismatis nec regnum cælorum potest quisquam „ accipere, nec vitam æternam. " Gennadius item *De Ecclesiast. dogmat.* cap. 74. inter firmissima Ecclesiæ dogmata hoc reponit, inquiens: *Baptizatis tantum iter salutis esse credimus* (a). Et S. Ambrosius Lib. II. *De Abraham* cap. 11. expendens memorata verba: *Nisi quis renatus fuerit &c. Utique*, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate*. Et facile nobis esset longam latinorum, græcorumque Patrum seriem hic texere, qui ex laudatis Christi verbis indeclinabilem baptismi necessitatem collegerunt.

205. Nec alia unquam fuit Ecclesiæ græcæ, atque Communionum Orientalium doctrina: semper enim relata Christi verba de omnimoda baptismi necessitate ad salutem intellexerunt (b). Atque hanc perpetuam universæ Ecclesiæ traditionem secuti Patres Tridentini Sess. VII. can. 5. de Baptismo ita definierunt: *Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

206. Prob. secunda pars ex clarissimis, ac solemnissimis verbis Christi Domini Matth. XXVIII. 19. ita Apostolis præcipientis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos* &c.; & Marci XVI. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Hoc autem præceptum esse universale, & perpetuum, non autem temporarium, ut perperam contendunt Neophotiniani, ex ipsis allatis verbis liquet; & probari etiam potest ex eo, quod eodem modo dicitur necessarius baptismus ad salutem, quo necessaria est fides in Evangelium Jesu Christi, sed ipsis fatentibus adversariis est omnibus adultis, & erit semper præcepta, & necessaria: ergo etiam Baptismus.

207. Neque valet illa Vossii observatio, Christum non dixisse: *Qui non crediderit, & baptizatus non fuerit, condemnabitur*. Non inquam valet; fuisset enim supervacanea illa additio, qui enim credituri non erant, certe baptismum non suscipiebant.

208. S. Thomas 3. P. quæst. 68. art. 1. addit hanc validissimam theologicam rationem. „ Ad „ illud homines tenentur, sine quo salutem con„ sequi non possunt: manifestum est autem, quod „ nullus potest salutem consequi, nisi per Chri„ stum; unde & Apostolus dicit Roman. V. 18.: „ *Sicut per unius delictum in omnes homines in* „ *condemnationem, sic & per unius justitiam* „ *in omnes homines in justificationem vitæ*. Ad „ hoc autem datur baptismus, ut aliquis per ipsum „ regeneratus incorporetur Christo, factus mem„ brum ipsius, unde dicitur Gal. III. 27. *Qui*„ *cumque in Christo baptizati estis, Christum* „ *induistis*. Unde manifestum est, quod omnes „ ad baptismum tenentur, & sine eo non potest „ esse salus hominibus. "

209. Objicit *primo* Calvinus. Illa Christi verba Jo. III. *Nisi quis renatus fuerit* &c. non sunt intelligenda materialiter de aqua, sed de gratia Spiritus sancti, quæ utique necessaria est ad salutem, quæ tamen sine Baptismo haberi potest per fidem justificantem. Id probat Calvinus ex verbis Jo. Baptistæ apud Lucam III. 16. de Christo dicentis: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*, ubi ignis nonnisi metaphorice accipi potest; unde etiam aquæ baptismus metaphorice est intelligendus (b). Ulterius ipse Christus in seq. versic. Jo. III. solius Spiritus mentionem facit: vers. 6. *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est*; & vers. 8. *Omnis, qui natus est ex Spiritu*.

210. Resp., veram aquam fuisse ibi a Christo significatam, ut ostendimus supra num. 113. seq. tam ex aliis parallelis Scripturæ locis, quam ex constanti sanct. Patrum doctrina, ac perpetuo Ecclesiæ usu. Quid etiam intelligatur nomine *ignis*, explicatum est n. 56., scilicet vehementia charitatis Spiritus sancti; vel ut aliis placet, visibilia ejusdem Spiritus S. dona, quæ non solis Apostolis, sed aliis etiam fidelibus in primitiva Ecclesia data fuisse legimus. Nec obsunt verba sequentia, quæ nihil aliud indicant, quam effectum baptismi, scilicet nativitatem spiritualem, quæ tribuitur quidem aquæ, tanquam instrumento, Spiritui autem sancto, ut causæ principali.

211. Inst. *primo*. Jo. VI. 54. dixit Christus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; atqui ex istis verbis nemo colligit omnimo-

(a) Non video, qua de causa Tournellius Fulgentium, & Gennadium hac in parte *deserendos* esse velit. Non eos deseruit S. Thomas, sed si quid durius in eorum verbis erat, benigne explicavit 3. P. quæst. 68. art. 2. ad 2., scilicet quod votum baptismi non absolvat a reatu pœnæ, sicut absolvit Baptismi Sacramentum, & martyrium; & ideo morientes cum solo baptismi voto salvos quidem esse, sed *quasi per ignem*, ut inquit Apostolus 1. Corinth. III. 5.

(b) Consulendus Eus. Renaudotius Tom. V. *Perpetuit. Fidei* Lib. II. cap. 1. & seq., ubi solita sua eruditionis copia authenticis monumentis id probat *primo* de Ecclesia græca, quæ Calvinistica Cyrilli dogmata etiam in hac materia condemnavit; *deinde* de omnibus pene populosissimis Communionibus Orientalibus, quæ cum in multis articulis tam a nobis, quam a Græcis dissentiant, nobiscum tamen, & cum Græcis conveniunt in confitenda baptismi necessitate.

(c) Calvinum in falsa hujus loci interpretatione præcesserat Ulr. Zwinglius in Lib. *De bapt.* T. II. aquam exponens *de agitatione Christi, & de consolatione fidei*. Secuti autem sunt Petrus Martyr in *Loc. Commun.* class. 4. cap. 9. sect. 26., Bulsingerus in Jo., Vorstius in *Anti-Bellarmino* T. III. ad *Thesim* 1. & 5., Piscator in Schol. ad hunc loc., Theod. Beza, & alii; quo factum est, ut in *Confess.* Helveticis, & Gallicis, ubi de Baptismo, hæc verba, tanquam ad Baptismum non spectantia, omitterentur.

modam necessitatem sumendi Eucharistiam: hanc enim non esse parvulis necessariam fatetur Synodus Trid. Sess. XXI. cap. 4.: ergo pariter ex aliis similibus Joann. III. *Nisi quis renatus fuerit* &c. omnimoda non eruitur baptismi necessitas.

212. Resp. cum S. Thoma 3. P. quæst. 65. art. 4. ad 2., *illud verbum Domini* Jo. VI. *esse intelligendum de spirituali manducatione*, *& non de sola Sacramentali*, *ut Augustinus exponit Tract. XXVI. in Joan.* Et certe hujusmodi manducatio spiritualis, quæ est *in Christo manere*, *& illum manentem in se habere*, omnibus omnino est necessaria, non minus quam baptismus. Quod si ea verba intelligantur de Eucharistiæ Sacramento, tunc dicendum est, illa pertinere ad adultos, quos ibi alloquebatur Christus dicens: *nisi manducaveritis*, & qui Eucharistici cibi sumendi capaces sunt: verba autem ejusdem Salvatoris Jo. III. ad omnes homines sine exceptione pertinere; ac propterea generaliter, & majori expressione prolata sunt: *Nisi quis &c.* Præterea in his, aliisque similibus attendi debet Sanct. Patrum doctrina, ac perpetuus Ecclesiæ usus, ex quibus, velint, nolint Heterodoxi, germanum Scripturarum sensum haurire oportet.

213. Inst. *secundo*. Verba illa: *Nisi quis renatus fuerit &c.* non continent, nisi præceptum positivum, a cujus observatione excusat ignorantia, vel impotentia. Id tradit S. Augustinus Lib. IV. *de Bapt.* cap. 22. utens exemplo latronis, qui sola fide salvatus est. „ Quantum, *inquit*, valeat etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus, corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. *Et addit:* Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit".

214. Resp., hanc doctrinam veram esse, quando baptismus aquæ baptismi voto, vel martyrio suppletur. Verumtamen ibidem S. Pater tantam agnoscit baptismi aquæ necessitatem, ut doceat, ab ipsis etiam suscipi oportere, qui per charitatem amici Dei facti jam sunt, ut illi *in quibus donum Spiritus sancti* eminebat: qui *baptizati sunt tamen*, *& in hoc facto apostolica extat auctoritas*. De parvulis autem, qui certe impotentia excusari deberent, si hæc posset aliquos excusare, ita loquebatur Augustinus in epist. CLXVI. ad Hieronymum cap. 7.: „ Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.".

215. Inst. *tertio*. Non est credibile, Servatorem nostrum iis verbis voluisse reddere viam æternæ salutis difficiliorem, quam fuerit in veteri lege: sed tunc poterant homines salvari sine Baptismo; ergo &c.

216. Respondet S. Thomas 3. P. quæst. 68. art. 1. ad 1. „ Nunquam homines potuisse salvari, „ etiam ante Christi adventum, nisi fierent mem„ bra Christi; quia, ut dicitur Act. IV. 12., *non* „ *est aliud nomen datum hominibus*, *in quo o-* „ *porteat nos salvos fieri*. Sed ante adventum „ Christi homines Christo incorporabantur per fi„ dem futuri adventus, cujus fidei signaculum e„ rat circumcisio, ut Apostolus dicit Roman. IV. „ Ante vero quam circumcisio institueretur, sola „ fide, ut Gregorius dicit (Vid. sup. Diss. I. n. „ 59.), cum sacrificiorum oblatione, quibus suam „ fidem antiqui Patres profitebantur, homines Chri„ sto incorporabantur. Post adventum etiam Chri„ sti homines per fidem Christo incorporantur, „ secundum illud Ephes. III. 17. *Habitare Chri-* „ *stum per fidem in cordibus nostris*. Sed alio „ signo manifestatur fides rei jam præsentis, quam „ demonstraretur, quando erat futura; sicut etiam „ aliis verbis significatur præsens, præteritum, „ & futurum. Et ideo licet ipsum Sacramentum „ baptismi non semper fuerit necessarium ad sa„ lutem, fides tamen, cujus baptismus Sacra„ mentum est, semper necessaria fuit." Ceterum nemo sanæ mentis negaverit, baptismum esse multo faciliorem, quam circumcisionem, quæ nonnisi a peritis, & non sine sanguinis effusione, atque etiam aliquando non sine periculo mortis fieri poterat.

217. Objicit *secundo* idem Calvinus. Fœdus sempiternum a Deo initum cum Abraham Gen. XVII. 7., ut esset ejus Deus, & seminis ejus, adhuc viget in filiis Christianorum, dicente Apostolo Roman. IV. 11. Abraham accepisse signum circumcisionis *signaculum justitiæ*, *& fidei*, *quæ est in præputio*, *ut sit pater omnium credentium per præputium* &c.; & ad Gal. III. 7. *Qui ex fide sunt*, *ii sunt filii Abrahæ*. Et adhuc clarius S. Petrus Act. II. 39. inquiebat: *Vobis enim est repromissio*, *& filiis vestris*. Filiis igitur Christianorum non est necessarius baptismus ad justitiam consequendam, sed sufficit fides parentum, ut in veteri testamento fides parentum sufficiebat filiis incircumcisis. His addit Calvinus ea Apostoli verba 1. Corinth. VII. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem: alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt*. Quæ iis conformia sunt, quæ idem Apostolus habet Roman. VI. 16. *Si radix sancta*, *etiam rami*.

218. Resp. ad *primum*, fœdus initum a Deo cum patre nostro Abraham adhuc durare, sed conditiones fœderis esse mutatas: in veteri enim testamento requirebatur fides in venturum Messiam, in novo necessaria est fides in Messiam, qui jam advenit. In veteri testamento requirebatur pro signaculo fidei circumcisio; in novo circumcisioni suffectus est baptismus (Vid. dicta n. 15. & seq.). Demum in vet. test. defectu circumcisionis sufficiebat ad salutem parvulorum fides parentum; in novo autem voluit divinus noster

ster Legislator, ut fidei adjungeretur baptismus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, Marci XVI. Hoc patet ex Evangelio, hoc tradidere sancti Patres, hoc demum perpetuo usu servavit Ecclesia, & hoc nobis sufficere debet. Ita olim respondebat Tertullianus *scelestissimis* Cainitis dicentibus, „ baptismum non esse necessarium, quibus fides satis est, *inquiens cap.* 13. De baptismo: Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem, & resurrectionem ejus .... Postea lex tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite, inquit, docete &c. Huic legi collata definitio illa: Nisi quis renatus &c. Obstrinxit fidem ab baptismi necessitatem; itaque omnes exinde credentes tingebantur."

219. Locus Apostoli non adeo facilis visus est sacris Interpretibus, unde varias nobis dederunt illius expositiones. Illud tamen animadvertendum est, non posse ea verba de vera, & proprie dicta sanctitate intelligi: quis enim intelligat, virum *infidelem* esse vere, & proprie *sanctificatum* cohabitando cum muliere fideli? Quomodo sanctus, qui in infidelitatis tenebris, & in umbra mortis sedet? Manifestum est igitur, Apostolum de vera, ac proprie dicta sanctitate non loqui; & sic quod dixit, filios *sanctos* esse, non significare, filios parentum nasci ita sanctificatos, ut nova baptismi generatione non indigeant; cum e contra apertissime doceat sine ulla exceptione nos nasci *filios iræ*. Præclare S. Augustinus Lib. III. *De peccat. meritis, & remission.* cap. 12. „ Nec conjuges infideles, ait, quantumlibet sanctis & justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur ... Nec parvuli de quibuslibet sanctis, justique procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.

220. S. Thomas Lect. II. in hunc locum dupliciter verba Apostoli exponit: *primo* dici conjugem infidelem, *sanctificari* per fidelem, *quia aliquando contingit, quod unus per alium convertatur ad fidem, & sic sanctificatur: & hoc jam forte contigerat, sicut Sisinnius per Theodoram Romæ tempore Clementis conversus est*. Affert etiam exemplum Sanctæ Cæciliæ, quæ virum suum convertit ad fidem. *Deinde* aliam tradit expositionem, scilicet quod *nullam immunditiem contrahat fidelis ex cohabitatione, vel ex commixtione cum infideli, sed servat veram pudicitiam secundum Augustinum:* unde Apostolus hortatur conjugem fidelem; ne discedat ab infideli, dummodo iste consentiat, simul habitare sine contumelia Salvatoris nostri. Similiter exponit Angelicus postrema verba: *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*; quia nempe si conjus fidelis ab infideli discederet, & alteri conjungeretur, filii, qui nascerentur, essent immundi, seu spurii; si autem ambo conjuges simul maneant, filii sunt *sancti*, idest *mundi, quia de legitimis conjugiis nati*. Hanc Paulini textus expositionem ante S. Thomam tradiderat Augustinus Lib. I. *De serm. Domini in monte* cap. 16. & Lib. III. *De pecc. mer. & remiss.* cap. 12.

221. Dices. Saltem qui ad vitam æternam sunt prædestinati, nascuntur jam sanctificati. De Jacob enim, qui omnium prædestinatorum typus fuit, Paulus dicit Rom. IX. 11. sequ., quod antequam nasceretur, esset jam a Deo *dilectus*. quæ Dei dilectio sine gratia sanctificante esse non potest.

222. Resp., hoc argumentum, si quid probaret, probaret etiam, prædestinatos nullum contrahere peccatum originale, cum ab æterno sint a Deo dilecti, & dilectio Dei non possit simul esse cum peccato; cum tamen ipse Calvinus Lib. IV. *Instit.* cap. 16., ut contra Anabaptistas parvulos baptizandos esse evincat, utitur potissimum hoc argumento, quod *illi mortui sint in Adam*, nec possint vivificari, nisi in Christo (*a*). Addo, hinc etiam consequi, homines prædestinatos nunquam posse a gratia sanctificante excidere; quem intolerabilem Calvinistarum errorem invitis argumentis confutavimus Tom. VI. P. II. cap. 5.

223. Dicendum est itaque, æternam prædestinatorum dilectionem in eo esse sitam, quod Deus iisdem efficacia auxilia ab æterno præparavit, quibus a peccato originis certissime liberarentur; sicut eos liberabit ab aliis lethalibus culpis, in quas eos labi permiserit. Sic Deus ab æterno dilexit latronem, cui in ipso mortis articulo efficacem conversionis gratiam, & finalem perseverantiam concessit. Et sic etiam diligit multos infidelium filios, quos minime sanctificatos nasci & ipsi Calviniani fatentur; quos tamen misericors Deus ad fidem, & baptismum perducere æterna prædestinatione decrevit.

224. Obj. *tertio*. Ex veteris Ecclesiæ praxi non apparet summa illa, quam nos prædicamus, baptismi necessitas. Nam *primo* nota est illa consuetudo, quasi generalis, differendi baptismum usque ad adultam ætatem, immo ad senium, & mortem cum periculo moriendi sine illo sacro lavacro. Eusebius Lib. IV. *De vita Constantini* cap. 62. testis est, hunc primum Christianum Imperatorem baptismum nonnisi postremo vitæ suæ anno recepisse; idque ab ejus filio Constantio, aliisque multis factum est. Additur ea Ecclesiæ praxis, immo expressum S. Leonis decretum Epist. IV. cap. 5., ut solemniter baptismus non conferretur, nisi diebus Paschatis, & Pentecostes: non est autem verisimilis hæc veterum negligentia, si tantam esse existimassent illius necessitatem. *Secundo*, notum pa-

(a) Nostri Controversistæ scite notarunt apertam Calvini repugnantiam, qui primum inutili conatu baptismi necessitatem tollere ausus est, postea contra Mich. Servetum, aliosque Anabaptistas disputans in ipsis argumentis, quæ antea refutaverat, contra eos uti debuit, ut infantes baptizandos esse evinceret. Id mirandum non est, quia falsa systemata sibi cohærere non possunt.

pariter est, aliquos diu in Catechumenatu gratiam baptismi expectare debuisse; pro iis tamen, si in eo statu morerentur, orare consuevit Ecclesia, & sacrificia offerre, bene ominans de eorum salute; & hac in re digna lectu est Oratio S. Ambrosii in funere Valentiniani junioris, qui obiit sine baptismo occisus ab Arbogaste. *Tertio*, fuisse de eorum salute bene speratum, qui in unitate Ecclesiæ sine baptismo obibant, nobis indicat S. Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum, ubi suæ, & Afrorum doctrinæ de rebaptizandis hæreticis illud opponit: *Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt?* Respondet autem: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos, qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare*. Hinc etiam doctrinam anabaptismi ad puram disciplinam spectare creditum fuit, & posse utramque consuetudinem baptizandi, vel non baptizandi hæreticos salvo fidei, & charitatis vinculo servari. Vid. sup. Diss. II. n. 141. *Demum*, non pauci Catholici Theologi id ipsum docuerunt, innixi potissimum iis S. Augustini verbis (allegatis a Petro Lombardo in IV. Dist. IV.) dicentis Lib. IV. *De bapt.* cap. 22. *Baptismi vicem.... impleri invisibiliter, cum ministerium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit*.

225. Resp. ad *primum*, perniciosum illum differendi baptismum abusum fuisse semper a Sanctis Patribus, & Pastoribus Ecclesiæ improbatum, ut videri potest apud Chrysostomum Hom. XIII. in epist. ad Hebr. apud S. Gregorium Nyssenum in Orat. *adversus eos, qui differunt baptisma*, apud alterum Gregorium, scilicet Nazianzenum Orat. XL. *de baptismo*, apud Cyrillum Jerosolymitanum Catech. III. &c. &c.; unde apparet, Ecclesiam semper agnovisse summam baptismi necessitatem ad consequendam salutem. Nec obest, inveniri, pios etiam viros baptismum diu distulisse; ut enim inquit Benedictus XIV. Lib. XII. *De Synodo Diœces.* cap. 6. n. 7. *ex peculiaribus factis hujusmodi nec exemplum, nec forma desumi debet, quamvis reprehendenda generaliter non sint, ubi agatur de probis viris, aut sanctitate illustribus* (*a*).

226. Quod additur de Constantini Imperatoris baptismo, non omnino certum est: adhuc enim supersunt viri eruditi, qui cum Baronio, Blanchinio, Cano, aliisque Eusebii fidem suspectam habent, cum alii historici vetera monumenta, & nonnullæ rationes valde graves nobis persuadeant, hunc Augustum religione, ac pietate commendatum, statim post suam conversionem fuisse Catechumenum factum, ac postea a Sylvestro Rom. Pontifice baptizatum. Vid. laud. Blanchinius in not. 34. ad Tom. II. Anastasii Bibliothecarii, & P. Mamachius *Orig. & Antiqu. Christian.* T. II. pag. 232. Verumtamen si etiam subscribamus recentioribus, qui Eusebium secuti asserunt Constantinum fuisse Nicomediæ baptizatum, cum Jerosolymam pergeret, ut devotionis ergo in Jordane baptizaretur, id minime evinceret, agnitam non fuisse summam baptismi necessitatem ad salutem consequendam; quamvis pius ille Imperator eum suscipere tamdiu distulerit.

227. Ecclesia quidem aliquando consuevit certis anni diebus solemniore ritu baptismum conferre, ita tamen ut necessitate urgente quocumque tempore, quocumque loco, immo a quibuslibet ministris illum conferri permitteret; ut colligitur ex epist. S. Cypriani ad Fidum, ex Siricio in epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum, & Innocentio I. epist. ad Victricium, aliisque ecclesiasticis monumentis. Notanda hæc Siricii verba: „ Ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, „ si negato desiderantibus fonte salutari, exiens „ unusquisque de sæculo, & regnum perdat, & „ vitam. *Tum hæc alia Leonis Magni in Decr. IV. cap.* 6. Sic ad has duas festivitates (*Paschæ, & Pentecostes*) incolumium, & in pacis secu„ ritate degentium libera vota differimus, ut in „ mortis periculo, in obsidionis discrimine, in „ persecutionis angustiis, in timore naufragii nul„ lo tempore hoc veræ salutis singulare remedium „ cuique denegemus ".

228. Ad *secundum* observandum est, variam fuisse in variis casibus disciplinam circa catechumenos mortuos absque baptismo. Concilium Bracarense II. can. 18. vetuit, *oblationis commemorationem, & psallendi officium pro iis impendi*, quemadmodum vetuerat can. 16. idipsum pro suicidis. Nonnulli Patres eadem severitate utendum censuerunt, ut S. Leo Magnus epist. CVIII. ad Theodorum Forojuliensem cap. 3. (*b*), & Gelasius I. in Concilio Rom., quem utrumque laudat Vigi-

(*a*) Multæ afferuntur hujus perniciosi abusus causæ. Aliqui putabant, satius esse differre baptismi susceptionem, quam periculo se exponere ab ejus gratia excidendi; unde provectiorem ætatem expectabant, in qua passiones minus turbulentæ esse solent. Aliquibus negotium facessebat severior illa, quæ tunc vigebat, Canonum pœnitentialium disciplina, cui non baptizati obnoxii non erant. Tandem nonnulli pietatis inconsultæ causa id faciebant, ut ad tantum Sacramentum recipiendum quo diutius, eo etiam melius se prepararent. Tertullianus *De bapt.* cap. 18., aliquando utile esse baptismum differre putavit. Vid. S. Thomas 3. P. q. 68. art. 3. His addendum, ex veteri Ecclesiæ usu Catechumenis in graviora peccata lapsis dilatam fuisse baptismi gratiam, ut ostendit Jos. Binghamus *Orig. & Antiquit. Christ.* Lib. X. cap. 2. §. 17.

(*b*) Ubi quid de pœnitentium statu habeat, Ecclesiastica regula exponens, inquit: „ Si aliquis eorum .... „ quocumque interceptus obstaculo a munere indulgen„ tiæ præsentis exciderit & priusquam ad constituta „ remedia perveniat, temporalem vitam humana con„ ditione finierit; quod manens in corpore non rece„ pit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse „ est, nos eorum, qui sic obierunt, merita, actusque

gilius Papa in sua Constitut. *De tribus Capitulis*. Sed alii in contrariam partem abjerunt, bene de eorum salute ominantes; ut S. Ambrosius in Oratione funebri Valentiniani junioris, qui cum esset catechumenus, & baptismum de manibus ejusdem S. Ambrosii recipere cuperet, fraudibus, & insidiis Arbogastis occisus fuit. Porro hæc sibi contraria non sunt. Primi enim loquuntur de iis catechumenis, qui culpabili negligentia baptismum recipere non satagebant, vel suis perversis moribus eo se indignos reddebant. Alii vero de iis, qui ardenti desiderio illius obtinendi flagrabant, sed vel Catechumenatus legibus, vel aliis de causis impediti sine hoc lavacro decedebant; & quos S. Augustinus cum martyribus comparabat, inquiens Lib. IV. *de bapt.* cap. 22.: ,, Etiam atque ,, etiam considerans invenio, non tantum passio- ,, nem pro nomine Christi id, quod ex baptismo ,, deerat, supplere, sed etiam fidem, conversio- ,, nemque cordis, si forte ad celebrandum myste- ,, rium baptismi in angustiis temporum succurri ,, non potest. Neque enim latro ille pro nomine ,, Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum ,, suorum: nec quia credidit, passus est; sed dum ,, patitur, credidit ".

229. Ad *tertium*, jam supra Diss. II. c. 3. observavimus incohærentiam S. Cypriani, aliorumque rebaptizantium, qui modo hanc gravissimam controversiam ad solam mutabilem disciplinam, modo ad inconcussa fidei dogmata pertinere docebant. Interim tamen principium firmissimum erat apud ipsos, baptismum esse ad salutem omnino necessarium; & tota illius disputationis moles in eo erat, an baptismum ab hæreticis datus esset verus. Qui verum esse negabant, tinctos ab hæreticis iterum baptizabant: non tamen appellari volebant vere, & proprie *Rebaptizantes*, ut Diss. II. c. 3. notavimus; quia credebant se baptizare homines non baptizatos.

230. Ad postr. dico, communi omnium catholicorum sententia baptismum esse ad salutem omnibus necessarium, sed ut diximus supra num. 9., tria distincta fuerunt baptismi genera; quorum primus, & qui solus characterem imprimit, est baptismus aquæ; alii duo *sanguinis*, & *voti*, seu *desiderii*, etiam ad salutem sufficiunt, quando primus haberi nullatenus potest. Atque hoc sensu accipienda sunt objecta S. Augustini verba; qui non sine causa illam phrasim adhibuit, *baptismi vicem suppleri &c.*, ut intelligamus, martyrium, & pœnitentiam non justificare, nisi quando baptismi Sacramentum haberi nequit. Sed quia in pueris rationis usu carentibus non potest esse aliquod baptismi desiderium, ac votum, ideo ipsis non alius suffragari potest baptismus, nisi aquæ, aut sanguinis, quando nempe occiduntur in odium fidei Christianæ. Quod si aliqui Theologi inutili eosdem pueros salvandi studio alia excogitarunt media, ab universo fere Doctorum cœtu aut confutati, aut saltem deserti fuere. Præsertim postquam Synodus Trid. Sess. VI. cap. 4. definivit, justificationem *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non posse*. Sed de hac re agemus inferius.

231. Inst. Nimis durum, ac divinæ bonitati indignum videtur, omnimodam statuisse baptismi necessitatem, qua posita perire debent innumeri infantes, qui vel fatali naturalium causarum serie, vel incuria, aut ignorantia parentum, sine ulla sua culpa ad hoc Sacramentum pervenire non possunt.

232. Resp., hanc difficultatem in Pelagianorum officina procusam fuisse sæpius S. Augustino, ejusque discipulis objectam, atque ab illis non aliter solutam, quam confugiendo cum S. Paulo ad inscrutabilia judicia Dei, qui Dominus est, & ex cujus gratuita misericordia venit, ut multi, etiam ex infidelibus, aut impiis parentibus nati, per baptismi lavacrum regenerati salventur; ex ejusdem autem justitia, ut innumeri alii a massa perditionis non liberentur, & in æternum pereant.

233. Obj. *quarto* contra universalem Ecclesiæ consuetudinem baptizandi. Thomas a Jesu celebris in Oriente religionis præco Lib. VII. suor. itinerum cap. 5. loquens de Cophtis, refert ab ipsis nonnisi post 30. dies, & nonnisi a Presbyteris baptizari infantes, nec eos curare, si absque baptismo moriantur, sicuti fieri solet apud Calvinistas, qui potius infantem sine baptismo mori permittunt, quam ipsum a laico baptizari. Idem fere testatur in *Descriptione Ægypti* Jo. Mich. Wanslebius, qui Romæ ejurata Lutheranorum secta Familiæ Dominicanæ nomen dedit, & plures annos in Ægypto commemoratus est, addens, se vidisse in Ægypto unctiones fieri super infantes mortuos, quibus baptismus suppleri credebatur. Quod etiam in quibusdam eorum canonibus contineri fatetur ipse Renaudotius. Ulterius Zagazabo Presbyter, qui ex Æthyopia in Lusitaniam venit, in suis colloquiis cum Damiano de Goez testatus est, in illa Ecclesia communem esse opinionem, infantes sanctificari in utero matris per Sacramentum Eucharistiæ a matre receptum, ut nulla proinde esset baptismi necessitas.

234. Respondet Eusebius Renaudotius, qui summa, & incredibili diligentia Ecclesiarum Orientalium ritus, consuetudines, & constitutiones examinavit, constantem in iis esse opinionem de absoluta baptismi necessitate; & magna severitate eos sacerdotes, vel parentes puniri, quorum negligentia infantes sine baptismo pereunt. Non multam propterea dicit mereri fidem Thomam a Jesu, Wansle-

,, discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium sup- ,, plere non potuit, suæ justitiæ reservaverit &c.

lebium, aliosque Missionarios, aut itineratores, qui contrarium asseruerunt, seu quod illarum nationum praxim haud perfecte cognoverint, seu quod nonnullos abusus, qui in aliquas peculiares Ecclesias vitio ministrorum irrepserunt, pro universali praxi, & consuetudine acceperint. Sic quod ex fide Zagazabo narrat Damianus a Goez, matres Eucharistiæ Sacramentum sumere, ut pueri in earum utero sanctificentur, potuit esse quorumdam error ex anomala pietate proveniens, nullatenus iis Ecclesiis tribuendus; quarum recta, & orthodoxa in hoc dogmate fides constat ex Patriarchalibus constitutionibus, & antiquis canonum collectionibus, quas a quibusdam novis collectionibus caute distinguendas monet, quæ nonnisi privatorum quorumdam monita continent. Affert ulterius laud. Renaudotius testimonia luculentissima præcipuorum scriptorum, qui in illis communionibus floruerunt, ut sunt duo celebres fratres Ebnassalli, & Ferge-allah Echmimi, qui in Thebaide ante duos illos fratres plures canones accurate collegit, & in cap. V. baptismi necessitatem evincit ex iis Christi verbis: *Nisi qui renatus fuerit &c.* Et decretorium plane argumentum suppeditat illa Synodalis constitutio a Cyrillo Alexandrino Patriarcha edita anno 1240., ubi post declaratam summam baptismi necessitatem ex laud. verbis *Nisi quis renatus fuerit &c.*, statuitur, solemnem baptizandi ritum admodum prolixum, aut abbreviandum esse, aut etiam prorsus omittendum, quando periculum mortis infanti baptizando imminet.

235. Objiciunt Sociniani contra alteram nostræ propositionis partem, contendentes, nullum a Christo impositum fuisse baptismi præceptum, quia permulti fuere veri Christiani nullo baptismate tincti; ut Apollo, de quo Act. XVIII., S. Joannes Baptista, Discipuli 70., quingenti illi fratres, quibus visum fuisse Christum, postquam resurrexit a mortuis, scribit S. Paulus 1. Cor. XV. 6., immo ipsi Apostoli, & Sanctissima Virgo Maria nullibi baptizari leguntur: quod certe non contigisset, si Christus verum omnibus dedisset baptismum suscipiendi præceptum.

236. Hanc difficultatem jam diluerat S. Augustinus epist. CCLXX. ad Seleucianum inquiens: „ Postquam Dominus Christus in Ecclesia sua Sacramentum novi testamenti pro circumcisione carnis sanctum baptismum dedit, & apertissime dixit: *Si quis non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, jam non debemus quærere, quando quisque fuerit baptizatus, sed quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum cœlorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus, nisi forte quos angustia passionis invenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Sed numquid hoc possumus de Apostolis dicere, qui usque adeo largum tempus habuerunt, quo baptizarentur, ut alios etiam baptizaverint? Sed non omnia, quæ facta sunt, etiam scripta inveniuntur; veruntamen facta esse ex ceteris documentis probantur. Scriptum est, quando baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptum non est, quando baptizati sint alii Apostoli; veruntamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus. Quemadmodum scriptum est, quando baptizatæ sint plebes Ecclesiarum in Jerusalem, & Samaria; quando autem baptizatæ sint aliæ plebes gentium, quibus Apostoli epistolas miserunt, non est utique scriptum, & tamen etiam ipsas baptizatas, utique minime dubitamus propter illam Domini sententiam: *Nisi qui renatus fuerit &c.*" Hanc Magistri sui doctrinam attulit Angelicus 3. p. qu. 38. art. 6. ad 2., ut ostenderet, Apostolos fuisse baptizatos baptismate Christi. In resp. autem ad 3. idipsum asserit de Joanne fretus auctoritate Chrysostomi, & Hieronymi. Hoc totum antea tradiderant Tertullianus *de baptismo* cap. 12., & Clemens Alex. Lib. V. *Hypotyposeon* apud Jo. Moschum in *Prato Spirit.* cap. 176.

237. Quantum spectat ad Apollo memoratum Act. XVIII., sup. n. 63. respondimus, ipsum jam baptizatum baptismate Joannis fuisse, postea denuo baptizatum baptismo Christi.

238. De Beatissima Virgine Maria placet ea afferre, quæ prudentissime habet Dominicus Soto in IV. Dist. V. qu. unica art. 2. inquiens: „ Profecto cum de Deipara cælorum regina id semper asserendum sit, quod salvis sacris eloquiis ad cumulum honoris ejus conducit, credendum est, fuisse baptizatam.... Neque vero si sententiam illam teneas, quod fuerit in gratia genita, ab omnique culpa præservata, ejus excellentissimæ sanctitati derogat, immo ad honorem ejus apponitur, quod charactere Sacramenti, quod Christus instituerat, fieret Christiana; quandoquidem quidquid gratiæ recepit, in virtute passionis Christi obtinuit, cujus Sacramentum baptismus est". Non erat autem baptismus ille *in remissionem peccatorum*, ut est in peccatoribus, sed ut visibili Christi Ecclesiæ uniretur.

239. Porro hæc omnia confirmantur ex eo, quod etiam illi, qui ante baptismum gratiam justificantem intensione charitatis, immo & visibilia Spiritus sancti dona consecuti erant, præcepto tamen baptismi se subdere debuerunt. Sic Cornelius Centurio, *vir justus, ac timens Deus*, & alii auditores Petri, super quos *cecidit Spiritus sanctus*, eodem Petro jubente baptizati sunt, ut refertur Act. cap. X.

Quæres *primo*, *quo tempore cœperit baptismi suscipiendi obligatio?*

240. Diximus supra cap. IV. cum sanctis Ecclesiæ Doctoribus Augustino, & Thoma, primam baptismi institutionem esse repetendam a Christi baptismate in Jordane; obligationem tamen utendi

hoc

hoc Sacramento non incepisse nisi post Christi passionem, & resurrectionem. Nunc autem addendum, id intelligi oportere post solemnem Evangelii promulgationem. Nam Synodus Tridentina Sess. VI., cap. 4. loquens de translatione hominis *ab eo statu, in quo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum*, hæc subdit: *Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest*. Reipsa in illa prima concione, quam post receptum Spiritum sanctum Petrus habuit ad Judæos Act. II., & qua ad tria millia Christi fidem susceperunt, omnes baptizari voluit.

Quæres *secundo, utrum in suscipiente baptismum requiratur intentio?*

241. Recolenda sunt, quæ diximus Dissertatione II. cap. 6. de intentione Ministri. Quantum vero ad suscipientes, Sanctus Thomas 3. P. q. 68. art. 7. ita respondet in argum. *Sed contra: Secundum ritum Ecclesiæ baptizandi profitentur, se petere ab Ecclesia baptismum; per quod profitentur suam intentionem de susceptione Sacramenti.*

242. In corpore autem articuli ita prosequitur:
,, Per baptismum aliquis moritur veteri vitæ pec-
,, cati, & incipit quamdam vitæ novitatem, se-
,, cundum illud Roman. VI. 4. *consepulti sumus*
,, *Christo per baptismum in mortem, ut quomo-*
,, *do Christus surrexit a mortuis per gloriam*
,, *Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*
,, Et ideo, sicut ad hoc, quod homo moriatur
,, veteri vitæ, requiritur secundum Augustinum in
,, habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum
,, veteris vitæ pœniteat; ita requiritur voluntas,
,, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium
,, est ipsa susceptio Sacramenti. Et ideo ex parte
,, baptizati requiritur voluntas, sive intentio susci-
,, piendi Sacramentum. *Et in resp. ad* 2. Si in
,, adulto, inquit, deesset intentio suscipiendi Sa-
,, cramentum, esset rebaptizandus. Si tamen hoc
,, non constaret, esset dicendum: *Si non es ba-*
,, *ptizatus, ego te baptizo* ".

Quæres *tertio, utrum fides requiratur ex parte baptizati?*

243. Respondet Angelicus cit. quæst. art. 8. negative cum S. Gregorio Papa dicente Lib. IX. epist. 61.: ,, Ab antiqua patrum institutione didici-
,, mus, ut qui apud hæresim, in Trinitatis no-
,, mine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam
,, redeunt, aut unctione chrismatis, aut imposi-
,, tione manus, aut sola professione fidei, ad si-
,, num matris Ecclesiæ revocentur ".

244. Postea in corp. art. ita suo more profunde ratiocinatur: ,, Duo efficiuntur in anima per ba-
,, ptismum, scilicet character, & gratia. Dupli-
,, citer ergo aliquid ex necessitate requiritur ad
,, baptismum: uno modo, sine quo gratia haberi
,, non potest, quæ est ultimus effectus Sacramen-
,, ti: & hoc modo recta fides ex necessitate requi-
,, ritur ad baptismum, quia sicut dicitur Roman.
,, III. 22. *Justitia Dei est per fidem Jesu Christi*.
,, Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad ba-
,, ptismum, sine quo character baptismi imprimi
,, non potest: & sic recta fides baptizati non re-
,, quiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec
,, recta fides baptizantis, dummodo adsint cetera,
,, quæ sunt de necessitate Sacramenti: non enim
,, Sacramentum perficitur per justitiam hominis
,, dantis, vel suscipientis baptismum, sed per vir-
,, tutem Dei ".

245. Objicit autem sibi Ecclesiæ ritum, quo baptizandi interrogantur de fide. Sed respondet:
,, quod Ecclesia intendit homines baptizare, ut
,, emundentur a peccato, secundum illud Isaiæ
,, XXVII. 9. *Hic est omnis fructus, ut aufera-*
,, *tur peccatum*. Et ideo, quantum est de se,
,, non intendit dare baptismum, nisi habentibus
,, rectam fidem, sine qua non est remissio pecca-
,, torum: & propter hoc interrogat accedentes ad
,, baptismum, an credant? Si tamen sine recta fi-
,, de aliquis baptismum suscipiat extra Ecclesiam,
,, non percipit illum ad suam salutem. Unde Au-
,, gustinus dicit Lib. IV. *De baptismo contra Do-*
,, *nat.: Ecclesia paradiso comparata indicat no-*
,, *bis, posse quidem baptismum ejus homines e-*
,, *tiam foris accipere, sed salutem beatitudinis*
,, *extra eam neminem percipere, vel tenere* ".

CAPUT X.

De baptismo parvulorum.

246. Parvulos ante usum rationis valide baptizari posse, negarunt Sæc. XII. Hieracitæ, Waldenses, Petrobusiani, Henriciani, aliique obscuri nominis hæretici. Sed hunc errorem multo celebriorem reddiderunt aliqui Novatores Sæc. XVI. qui propterea *Anabaptistæ* dicti sunt, quia baptismum pueris datum iisdem adultis jam factis iterum conferebant (*a*). Quam perniciosus sit hic error, facile apparet ex his, quæ cap. super. di-

xi-

(*a*) Ut innuimus Tom. I. e Lutheranorum secta prodierunt Anabaptistæ, duce Pelargo, seu Nic. Storckio anno 1521. cui postea se conjunxerunt Mart. Cellarius, Thomas Munzerus, Marcus Stubner, aliique fanatici, & turbulentissimi homines, qui totam pene Germaniam, Bataviam, Helvetiam, & potissimum Westphaliam cædibus, rapinis, omnisque generis malis repleverunt, ut necesse fuerit eosdem armis coercere, eorumque perduelles duces variis suppliciis de medio tollere. Multi erant eorum errores, non solum contra Ecclesiæ doctrinam, sed etiam contra debitam Principibus, & Magistratibus obedientiam, quos recenset Nat. Alexander in *Hist. Eccl.* Sæc. XVI. cap. 2. art. 11. Sed quantum ad rem nostram, obsoletam jam, & vetustate sepultam anabaptismi hæresim suscitarunt, docentes, baptismum infantibus collatum es-

ximus de summa baptismi ad salutem æternam necessitate. Quamobrem ad eum convellendum omnis danda est opera. Sit itaque

PROPOSITIO.

Pueri ante usum rationis possunt, & debent baptizari.

247. Quanquam in sacris litteris nullum sit expressum mandatum de pueris baptizandis, cum tamen eædem sacræ litteræ nos doceant, parvulos indigere baptismo ad peccatum originale delendum, consequenter videtur, eos etiam baptizari oportere. Ita enim ratiocinatur S. Thomas 3. P. quæst. 68. art. 9.: „ Sicut dicit Apostolus Rom. „ V. 17., *si unius delicto mors regnavit per u-* „ *num*, sicilicet per Adam, *multo magis abun-* „ *dantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ* „ *accipientes, in vita regnabunt per unum Chri-* „ *stum*. Pueri autem ex peccato Adæ peccatum „ originale contrahunt ..... unde multo magis pue- „ ri possunt per Christum gratiam accipere, ut „ regnent in vita æterna. Ipse autem Dominus „ dicit Jo. III. 5., quod *nisi quis renatus fuerit*, „ *&c.* Unde necessarium fuit, parvulos baptiza- „ ri, ut sicut per Adam damnationem incurre- „ runt nascendo, ita per Christum salutem conse- „ quantur renascendo ".

248. Præterea, ut bene observat Catechismus Romanus P. II. cap. 2. §. 32., credendum est, noluisse Christum Dominum baptismi Sacramentum, & gratiam pueris denegari, de quibus dicebat Matth. XIX. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnun cœlorum:* quos comiter amplexabatur, super quos manus imponebat, & quos benedicebat, Marci X. 16. *Et complexus eos* (parvulos), *& imponens manus super illos, benedicebat eos.*

249. Neque audiendi sunt morosi quidam cavillatores, qui *primo*, ex quo Christus dixerit, *sinite parvulos venire ad me*, argumentantur cum Tertulliano, eos jam grandiusculos fuisse, ut per se ambulare jam possent. *Deinde* observandum dicunt, Christum eos quidem comiter amplexatum fuisse, non autem baptizasse.

250. Resp. enim ad *primum*, Evangelistas ea voce uti, qua parvuli ante usum rationis significari solent. Marcus enim eos vocat παιδία, & Lucas βρέφη; *venire* autem ad Christum non debet intelligi de corporali, sed de spirituali accessu, pro quo Ecclesia illis *accomodat aliorum pedes*, ut loquitur S. Augustinus Serm. CLXXVI. scilicet fidem offerentium. Hinc etiam ibidem dicitur, hos pueros fuisse Christo *oblatos*, vel *ad eum allatos*. Alterum etiam leve est. Nondum enim tunc lata, & promulgata erat generalis illa baptismi lex, & pueri illi erant jam per Circumcisionem a noxa originali purgati; quod de nostris infantibus modo dici nequit.

251. Deinde cum legimus 1. Corinth. I. 16. totam Stephanæ domum a Paulo baptizatam esse, satis probabile est, pueros etiam in ea fuisse salutari fonte ablutos. Neque obstat, quod idem Paulus cap. XVI. 15. de domo Stephanæ non nominat nisi Fortunatum, & Achaicum, *qui ordinaverunt seipsos in ministerium sanctorum*. Nihil enim impedit, quod præter istos duos jam adultos, alii non fuerint parvuli baptizati.

252. Legimus pariter Act. XVI. 15., baptizatam a Paulo Lydam, & *domum ejus;* & vers. 33. fuisse ab eodem Paulo baptizatum custodem carceris, & *omnem domum ejus*. Annon verisimile per se est, in istis familiis, quas Paulum baptizasse Scriptura memorat, fuisse aliquos pueros, vel puellas, nondum rationis compotes? Non contendimus quidem, hæc sacrarum Scripturarum oracula esse omnino invicta; sed integram plane demonstrationem

se irritum, unde eos, semel ac adultam attigissent ætatem, rebaptizant. Cum primis istis scelestissimis Anabaptistarum antesignanis vario mortis genere sublatis, deleri non potuit eorumdem pestifera secta; quæ tamen brevi in multas sectiones subdivisa fuit, quarum plane 14. aliqui numerant, diversis nominibus nuncupatas. Præcipua dicta est *Mennonitarum* a Mennone Simonis apostata infami, qui anno 1536. Anabaptistarum principem se fecit, & totam Frisiam percurrens, deinde Hollandiam, Gheldriam, & usque in Livoniam penetrans magnum proselytarum numerum collegit; & cum ab immani suorum prædecessorum ferocia recessisset, potuit facile suos errores impune propagare, ac vitam tranquille finire, iis nempe temporibus, quibus, excusso Ecclesiæ Catholicæ jugo, amplissima omnibus novitatibus porta aperta erat. Hujus sectæ *historiam* dedit Hermanus Schyn in 8. Amstelod. 1729., & postea *pleniorem* edidit *Deductionem historiæ Mennonitarum;* cui tamen plena fides habenda non est, cum ipse fuerit unus ex insignioribus hujus sectæ Doctoribus. Sic fidem non meretur, quando cap. 11. suæ *Deductionis* scribit, anabaptismum plane exolevisse, & neminem *juxta mandatum Christi baptizatum* apud ipsos rebaptizari. Dolose id dictum est ad fucum faciendum: pronum est enim ipsis dicere, pueros non esse baptizatos *juxta mandatum Christi*, quia, ut ipsi arbitrantur, Christus mandavit, homines de fide Christiana *doceri*, antequam baptizentur. Impius etiam Mich. Servetus infantes baptizari posse negavit in opusculo *De regeneratione* multis frivolis futilibusque argumentis; quem acerrime confutavit implacabilis ejus hostis Calvinus.

Sociniani baptismum parvulis collatum profane irrident. *Infantes*, inquit Smalcius contra Franzium pag. 321., *recentes natos discipulos Christi fieri, tam est credibile, quam psitacos, & reliquas aves*. Slichtingius autem *de Trinitate contra Meisnerum* pag. 847. pædobaptismum vocat *errorem gravem, præsertim si ad salutem necessarius statuatur*. Arminiani hac etiam in parte Socinianos sequuntur, ut videri potest apud Sim. Episcopium, Steph. Curcellæum, & potissimum apud Limborchium Lib. V. *Theol. Christ. cap.* 68.

nem facit non minus antiqua, & universalis, quam pia Ecclesiæ consuetudo baptizandi parvulos, quæ nonnisi ab Apostolis descendere potest (*a*).

253. Hanc traditionem baptizandi infantes *apostolicam* esse testatur S. Augustinus Lib. X. *De Genesi ad litteram* cap. 23. T. III.; & Serm. CLXXVI. *De verbis Apostoli* T. V. de parvulis loquens, qui ad Ecclesiam portantur, *ut alio pro eis confitente salventur*, nempe per baptismum. *Hoc*, inquit, *Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit*. Et multo ante Augustinum Origenes Lib. V. in epist. ad Rom. cap. 6. *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dari*.

254. Porro facile esset veterum Patrum testimonia coacervare, quibus vetustissima hæc consuetudo parvulos baptizandi confirmatur, sed illustriora tantum dabimus. S. Irenæus, qui extremo primo sæculo natus creditur, fuitque Polycarpi, qui Apostolum Joannem audivit, discipulus, Lib. II. *adv. Hær.* cap. 39. *Christus*, inquit, *omnes venit per seipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores*.

255. S. Cyprianus medio sæculo III. Concilium habuit Carthaginense, in quo Fidi Episcopi Africani opinionem rejecit, putantis, infantes nonnisi octava post nativitatem die juxta legem Circumcisionis baptizari oportere. *Porro*, ajebat suo, & collegarum nomine, *si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, quum postea crediderint, remissio peccatorum datur, & a baptismo, atque a gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit?* Vid. ejus epist. ad Fidum LIX., vel LXIV., & S. Augustinus, qui hujus Synodi 66. Episcoporum definitionem refert Lib. IV. ad Bonifacium cap. 8. T. X.; tum epist. CLXVI. nu. 23., ubi dicit, a S. Cypriano non fuisse *novum* decretum conditum, sed *Ecclesiæ fidem firmissimam servatam*. Hæc satis sint ad ostendendam apostolicam, & universalem consuetudinem Ecclesiæ baptizandi infantes (*b*).

256. His, aliisque sacræ antiquitatis firmissimis monumentis innixi Patres Tridentini Sess. VII. can. 13. ita sapienter decreverunt: „ Si quis dixerit, „ parvulos, eo quod actum credendi non habent, „ suscepto baptismo inter fideles computandos non „ esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti „ eorum baptisma, quam eos non actu proprio „ credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit “. Quod antea fuerat in nonnullis Conciliis, ac Rom. Pontificum Decretalibus constitutum. Can. autem 14. ita nova quædam, & temeraria sententia damnatur: „ Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, „ interrogandos esse, an ratum habere velint, quod „ patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab „ Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema „ sit (*c*) ".

257.

(*a*) Ger. Jo. Vossius Disput. XVII. *De baptismo* Pontificios arguit *miræ inconstantiæ*, quod, quando agitur de probando pædobaptismo, ad sacras litteras confugiant: cum vero traditionum necessitatem contra Protestantes evincere volunt, inter ea dogmata, quæ in sacris litteris desiderantur, & per solam traditionem ἄγραφον tenentur, recensent potissimum baptismum puerorum. Verum hanc inconstantiæ accusationem nos facile vitamus, qui pædobaptismum solum *probabiliter, & consequenter* ex sacris litteris eruimus, *invicte* autem ex traditione demonstramus, ad quam ipsi Lutherani, & Calviniani volentes nolentes confugere coacti sunt contra Anabaptistas.

(*b*) Frustra repugnant Claudius Salmasius sub nomine Simplicii Verini in epist. ad Justum Pacium, & qui eum citat, Jo. Gaspar Svicerus T. II. *Thesauri Eccles.* p. 1136. asserentes *primis sæculis neminem baptismum accepisse, nisi qui in fide instructus & doctrina Christi, testari posset, se credere*. Hos præcessit Walafridus Strabo Ord. S. Ben. egregius alioquin, & orthodoxus Sæc. IX. scriptor, incaute pronuncians in Lib. De Div. Officiis *cap.* 26.: „ primis temporibus illis solummodo „ baptismi gratiam dari solitam, qui & corporis, & „ mentis integritate ad hoc pervenerant, ut scire, & „ intelligere possent, quid emolumenti in baptismo consequendum, quid confitendum, atque credendum, „ quid postremo in renatis in Christo esset servandum ". Eumdem errorem secutus est Lud. Vives in Annot. ad cap. 27. Lib. I. *De Civit. Dei*; quam adnotationem utpote tanto viro indignam suppresserunt Lovanienses in sua Edit. Opp. S. Augustini.

(*c*) Hoc canone perstricta videtur Erasmi temeritas, qui in Præfat. Paraphrasis in Matth. Tom. VII. ita scripsit: „ *Quin & illud mihi videtur* ad christianam pietatem non mediocriter conducturum, si pueri baptizati, quum jam ad pubertatem pervenerint, jubeantur hujusmodi concionibus adesse, in quibus illis „ dilucide declaretur, quid in se contineat professio „ baptismi. *Hactenus bene. Sed vult postea*, ut interrogentur, ratum ne habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo. Si respondeant, se ratum habere, tum publice renovetur ea „ professio, &c. *Quod si id ratum habere nolint, tunc dicit*, omnia tentanda esse, ne quis resiliat a prima „ fide. Quod si non potest obtineri, fortassis expediet, „ illum non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscat: nec aliam interim vocari pœnam, nisi ut „ ab Eucharistia sumenda reliquisque Sacramentis arceatur “. Inepte prorsus ratiocinatur Erasmus; quasi vero Christianam religionem profiteri, vel non profiteri res sit indifferens, & non potius res ad salutem omnino necessaria, ad quam proinde possunt parentes suos filios obligare, etiam antequam usum rationis consequantur, *ut a pueritia nutriti in his, quæ sunt Christianæ vitæ, firmius in ea perseverent*, ut ait S. Thomas in hoc art. 9.

257. Obj. *primo*. Nullibi in sacris litteris aperte dicitur, baptizandos esse infantes; ergo &c.

258. Resp., hoc argumento Anabaptistas efficaciter pugnare contra Protestantes, qui nulla alia admittere volunt dogmata, quam quæ in sacris litteris perspicue, & aperte continentur; non autem contra nos, qui aliam firmissimam agnoscimus fidei morumque regulam, nempe universalem, & constantem Ecclesiæ traditionem.

259. Inst. *primo*. Sacræ litteræ *aperte* excludunt pueros a Sacramento baptismi. Nam clara sunt Christi verba Matth. ult., & Marci ult. præcipientis, ut primo doceantur Gentes, ac postea baptizentur; atque dicentis, nonnisi eos salvandos esse, qui *crediderint*, & baptizati fuerint. Cum ergo infantes doctrinæ, ac fidei incapaces sint, etiam baptismi incapaces censeri debent. Accedunt verba B. Petri Act. II. 28. *Pœnitentiam agite*, *&* *baptizetur unusquisque vestrum;* quæ nonnisi ad adultos pertinere possunt.

260. Resp., citata in objectione verba spectare quidem adultos, ad quos mittebantur Apostoli, & qui doctrinæ fidei, ac pœnitentiæ capaces sunt; non tamen excludere infantes, quos etiam baptizandos esse ex aliis Scripturæ locis, potissimum vero ex vetustissima, generalique Ecclesiæ consuetudine demonstratum est. Doctrina autem, & fides in baptismo requisitæ supplentur ab Ecclesia, in cujus utero infantes regenerantur. Pœnitentia vero est de peccatis actualibus, quorum infantes rei non sunt; non de peccato originali, quod naturali generatione ex Adamo contrahimus, & quod pœnitentia non deletur.

261. Inst. *secundo*. Baptismus vocatur *Sacramentum fidei* a S. Augustino epist. XCVIII., fides autem, ut inquit ibid. S. Doctor, *in credentium voluntate consistit*. Rursus, ad Sacramentum rite suscipiendum requiritur intentio, quæ in pueris rationis usu carentibus esse nequit.

262. Respondet S. Thomas 3. P. q. 68. art. 9. ad 1., hæc omnia in pueris suppleri per fidem, & intentionem parentum, aut saltem Ecclesiæ, in cujus nomine baptizantur: „ Regeneratio spiritualis, inquit, quæ fit per baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali quantum ad hoc, quod sicut pueri in maternis uteris constituti, non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiæ constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Unde Augustinus Lib. I. *De peccat. meritis*, *&* *remiss.* cap. 25. *Mater Ecclesia maternum os parvulis præbet, ut sacris mysteriis imbuantur; quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem*. Et cap. 19. *Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam pœnitentes non habeantur, cum per eorumdem verba gestantium, diabolo, & huic sæculo abrenuntiare monstrentur?* Et eadem ratione possunt dici *intendentes*, non per actum propriæ intentionis, cum ipsi quandoque contranitantur, & plorent, sed per actum eorum, a quibus offeruntur".

263. Inst. *tertio*. Utcumque hæc dici possunt de filiis fidelium, non tamen de filiis infidelium; voluntas enim eorumdem parentum contraria est.

264. Respondet Angelicus ibid. ad 2. „ non impediri eorum salutem, si parentes sint infideles quia sicut August. dicit epist. XCVIII. ad Bonifacium, *offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus* (*quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt*) *quam ab universa societate sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, & quorum sancta, atque individua charitate ad communicationem Sancti Spiritus adjunguntur*. Infidelitas autem propriorum parentum, etiamsi eos post baptismum Dæmoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet... Fides autem unius, immo totius Ecclesiæ parvulo prodest per operationem Spiritus sancti, qui unit Ecclesiam, & bona unius alteri communicat".

265. Inst. *quarto*. Fides est ad salutem omnino necessaria, dicente Christo Jo. III. 14. seq. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam .... Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. Et Paulus Hebr. XI. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Et nihil frequentius apud istum Apostolum, quam homines justificari *per fidem*.

266. Resp. hæc omnia vera esse, ac propterea nec infantes salvari *sine fide*, sed non *fide propria actuali*, cujus incapaces sunt (*a*), verum fide Ecclesiæ, quæ ipsis communicatur. Hæc est so-

(*a*) Ex quo Lutherani, & Calvinistæ soli fidei actuali justificationem tribuendam docuerint, nata dicitur Anabaptistarum secta, quæ inde concludebat, baptizari non posse infantes, qui fidei actualis capaces non sunt. Ut huic malo occurreret Calvinus, somniavit, infantes *exigua* quadam *scintilla fidei irradiari*. V. sup. Diss. II. n. 348. Solebat etiam ab hac difficultate se liberare confugiens ad *opera Dei, quæ nostro captui non subjacent*. Lutherus quoque, ut Card. Bellarminus Lib. I. *De baptismo* cap. 10. ex quibusdam ejusdem testimoniis infert, aliquam fidem actualem in pueris baptizatis admittebat, sed ab hac Magistri absurditate ejus asseclæ recesserunt, adeo ut Campegius Vitringa Lib. II. *Observat. Sacr.* cap. 6. §. 24. asserere non dubitaverit, illam sententiam *sibi semper tam visam esse ineptam, ut nulla magis*, & affert Petri Cunei effatum Lib. III. *De Rep.*

solidissima Doctoris Angelici doctrina, qui 3. P. qu. 69. art. 6. postquam docuisset, pueris in baptismo infundi gratiam, & virtutes, objicit sibi, hæc non posse infundi sine fide, quæ in illis pueris non est. Respondet autem ad 3. allegans auctoritatem S. Augustini Serm. X. *De verbis Apostoli*, nunc CLXXVI. dicentis de parvulis: *Accommodat illi mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur*. „ Et ita, inquit Angelicus, „ pueri credunt, non per actum proprium, sed „ per fidem Ecclesiæ, quæ eis communicatur; & „ hujus fidei virtute conferuntur eis gratia, & vir- „ tutes"; inter quas est etiam fides habitualis, quemadmodum idem S. Doctor probaverat in corpore articuli.

267. His addi meretur alterum S. Augustini testimonium ex Serm. CCXCIV. olim XIV. *de Verb. Apost.*, ubi postquam dixisset, *neminem dubitare, baptizandos esse parvulos*, cap. 13. ita interrogat Pelagianum, contra quem disputat: „ Ubi „ ponis parvulos baptizatos? Profecto in numero „ credentium; nam ideo & consuetudine Ecclesiæ „ antiqua, canonica, fundatissima, parvuli bapti- „ zati fideles vocantur. Et si de his quærimus, „ iste infans Christianus est? Respondetur, Chri- „ stianus. Catechumenus, an fidelis? Fidelis; u- „ tique a fide, a credendo. Inter credentes igitur „ baptizatos parvulos numerabis; nec judicare ul- „ lo modo aliter audebis, si non vis esse apertus „ hæreticus (a)".

268. Inst. *quinto*. Parvulis obesse non potest parentum infidelitas, si diabolo sacrificiis sacrilegis immolentur: ergo nec iis prodesse potest parentum fides, dum baptizantur.

269. Reg. neg. cons.; quia ut inquit S. Augustinus epist. XCVIII. ad Bonifacium, *non sic communicatur culpa per alterius voluntatem, quemadmodum communicatur gratia per sancti Spiritus unitatem*. Ceterum tota ratio, ob quam dicimus, fidem offerentium, aut Ecclesiæ infantibus prodesse, ab ipsa baptismi institutione desumenda est, qua Christus voluit per baptismum infantibus quoque providere, etiamsi non possint propria voluntate credere. Unde has omnes Anabaptistarum argutias breviter possumus retundere illis Augustini verbis Lib. I. *De peccat. meritis, & remis.* cap. 27.: *In infantibus credere est baptizari, non credere autem non baptizari*. Quamobrem merito Synodus Trident., ut sup. n. 256. observavimus, eos damnavit, qui dixerint, *parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismate inter fideles computandos non esse*.

270. Interea opportunum ducimus, hic monere, cum dicitur, parvulis prodesse alienam fidem in susceptione baptismi, sermonem esse tantum de fide actuali, non autem de habituali. Hanc enim ipsis infundi una cum gratia sanctificante, & virtutibus, certissimum est, & a Clemente V. in Concilio Viennensi anno 1311. definitum. Audiatur Angelicus Præceptor 3. P. q. 69. art. 6. ubi postquam refutavit illorum opinionem, quod pueris in baptismo non dantur gratia, & virtutes, sed imprimitur eis character Christi, cujus vi, ac efficacia, cum ad perfectam ætatem venerint, consequuntur gratiam, & virtutes: ita subit: „ Cau- „ sa autem erroris fuit, quia nescierunt distin- „ guere inter habitum, & actum: & sic videntes „ pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt, „ eos post baptismum nullatenus virtutem habe- „ re. Sed ista impotentia operandi non accidit „ pueris ex defectu habituum, sed ex impedimen- „ to corporali; sicuti etiam dormientes, quamvis „ habeant habitus virtutum, impediuntur tamen „ ab actibus propter somnum".

271. Inst. *sexto*. In prima epist. Petri III. 21. dicitur: *Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*. Sed pueri non possunt interrogare seipsos, nec ab aliis interrogari: ergo &c.

272. Resp. S. Thomas 3. P. q. 68. art. 9. ad 3. „ quod sicut puer, cum baptizatur, non per se- „ ipsum, sed per alios credit, ita non per sei- „ psum, sed per alios interrogatur; & interroga- „ ti confitentur fidem Ecclesiæ in persona pueri, „ qui huic fidei aggregatur per fidei Sacramen- „ tum.

Hebr. cap. 9., *hoc tam esse fatuum, ut flagris castigari dignum sit*. Valde tamen isti laborant, ut justificationem puerorum cum falso suo principio de fide justificante concilient, ut vidimus sup. loco citato.

(a) Bonifacius Episcopus hanc difficultatem proposuerat S. Augustino, aliis verbis, quæ admodum placent Anabaptistis, inquiens; „ Si constituam ante te par- „ vulum, & interrogem, utrum cum creverit, futurus „ sit castus, vel fur non sit futurus, sine dubio re- „ spondebis: nescio: & utrum in eadem parvulus æ- „ tate constitutus cogitet aliquid boni, vel mali, di- „ ces: nescio. Si itaque de moribus ejus futuris nihil „ audes certi promittere, & de ejus præsenti cognitione, „ quod est illud, quod quando ad baptismum offeruntur, „ pro eis parentes, tanquam fidedictores, respondent, „ & dicunt, illos facere, quod ætas cogitare non pot- „ est, aut si potest, occultum est? *Et quæ sequuntur similia. Quibus molestis interrogationibus respondebat S. Doctor Epist. XCVIII., recte parentes asserere infantem credere, quia* nihil est aliud credere, quam „ fidem habere: ac per hoc, cum respondetur, par- „ vulum credere, qui fidei nondum habet affectum, „ respondetur, fidem habere, propter fidei Sacramen- „ tum... Itaque parvulum etsi nondum fides illa, quæ „ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius „ fidei Sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere „ respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsa „ mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum perci- „ piendo. *Et tandem concludit, hanc responsionem*, „ quantum attinet ad minus capaces, & contentiosos, „ non satis esse; quantum autem ad pacatos, & in- „ telligentes, plus forte, quam satis".

„ tum. Conscientiam autem bonam consequitur „ puer etiam in seipso, non quidem actu, sed ha„ bitu per gratiam sanctificantem".

273. Obj. *secundo* nonnulla veterum testimonia, quibus pædobaptismus improbatur. *Primo* Concilium Neo-Cæsariense can. 6. decrevit, baptizata matre, non censeri baptizatam etiam prolem, quam gestat in utero, *quia proprium cujusque institutum, & propositum in confessione ostendi debet;* eademque ratio affertur in jure Canon. Dist. IV. *De consecrat.* his verbis: *Nihil participat in hoc mater infantis, qui nascitur; propterea quod uniuscujusque propria voluntas in confessione monstratur:* hæc autem ratio probat, pueros, quorum *proprium institutum, propositum, & voluntas* ostendi non potest, baptizari non posse. *Secundo* Tertullianus *De baptismo* cap. 18. explicans ea Christi verba de pueris: *Nolite illos prohibere ad me venire: Veniant ergo*, inquit, *dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant, docentur, fiant Christiani, dum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in sæcularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem &c. Tertio* S. Gregorius Nazianzenus Orat. XL. in S. *Lavacrum* optabat, saltem triennium expectari; *nam ea ætate* pueri *& mysticas res audire, & respondere possunt. Quarto* S. Hieronymus Comment. in Matthæum, *Non potest fieri*, inquit, *ut corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei receperit veritatem. Demum* Christus Dominus, Salvator, & Magister noster suo exemplo nos docuit, adultam expectandam esse ætatem ad baptismum suscipiendum.

274. Resp., si Patrum auctoritate finienda sit hæc controversia, eorumdem doctrina, & perpetua consuetudine esse Anabaptistas apertissime condemnatos, ut supra ostensum est.

275. Concilium Neo-Cæsariense recte statuit, baptizata matre, non censeri baptizatam prolem, quam in utero gestat, non tantum propter rationem ibi allegatam, sed etiam quia ex Christi institutione baptismus nonnisi ex utero matris egressis administrari potest; unde qui nati corporaliter sunt, dicuntur *renasci*, & *regenerari* spiritualiter. Atque ex Ecclesiæ vetustissima praxi, prodest quidem infantibus *natis* fides parentum ad baptismum suscipiendum, non autem iis, qui in uteris maternis delitescunt.

276. Tertullianus vero ex peculiari sua opinione cupiebat differri baptismum; interim tamen fatebatur, contrariam esse Ecclesiæ consuetudinem, quam immutandam esse immerito contendebat (*a*).

277. S. Gregorius Nazianzenus eadem Orat. n. 17. baptismum omni ætati etiam infantili necessarium esse docet, inquiens: *Infans tibi est. Ne occasionem improbitas arripiat, ab infantia sanctificetur: ἐκ βρέφους ἁγιασθήτω; ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur.* Et n. 28. pueros baptizandos esse docet, *si quod periculum urgeat; præstat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo, & initiatione abscedere;* cujus doctrinæ rationem petit a circumcisione *die octavo* peragi solita. Post autem suam opinionem ita proponit: *De reliquis ita censeo, ut triennio expectato, aut aliquanto breviori, vel longiori temporis spatio* hoc Sacramentum percipiant. Quam singularem hujus Patris opinionem Ecclesia minime amplexata est; quia exiguæ illi utilitati, quam ex dilatione baptismi proponebat Nazianzenus, multa opponebantur incommoda.

278. S. Hieronymus manifeste loquitur de Gentilibus adultis, qui indubie prius catechumeni fieri debent, & de fide Christiana apprime doceri, antequam salutari lavacro regenerentur. De infantibus aliter sentit, quos statim baptizandos esse in Dial. III. contra Pelagianos apertissime docet.

279. Exemplum Christi multis de causis refellit laud. mox S. Gregorius Nazianzenus n. 29., atque ostendit, multa egisse Christum, in quibus noluit nos ipsum imitari: ut cum per quadraginta dies ab omni cibo abstinuit; cum in cœnaculo, & post cœnam Paschatis mysterium discipulis tradidit; nos tamen illud in templis, & jejuni sumimus. *Quid igitur mirum*, concludit, *eum, quamvis salutis nostræ causa baptismum susceperit, temporis tamen ratione a nobis differre?* Vid. S. Thomas 3. P. q. 39. art. 3. ad 1.

280. Ob. *tertio* ex ratione. *Primo* Infantes incapaces fidei, sunt infideles; sed infidelibus dandus non est baptismus; ergo &c. *Secundo* Parvulis non confertur Eucharistia, non obstante illa Christi comminatione Joan. VI. *Nisi manducaveritis*, &c. ergo neque conferri debet baptismus, non obstante simili illa Christi comminatione Jo. III. *Nisi quis renatus fuerit &c. Tertio* si usus dandi parvulis Eucharistiam jamdiu obsolevit, cur etiam aboleri non potuit pædobaptismus, licet ejus usus fuerit antiquissimus? *Quarto* Sacramenta sunt ordinata ad commemorandam Christi passionem, ex qua trahunt suam efficaciam; hæc aut commemoratio in baptismo parvulorum locum non habet. *Quinto* Infantes possunt quidem aqua tingi, quæ externa tantummodo est Sacramenti pars, non tamen interna animæ ablutione, quæ sine voluntate haberi nequit. Apostolus autem Hebr. X. 22. utrumque postulat, dicens: *Aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda* (*b*).

281. Sed hæ, aliæque similes difficultates nullius

(*a*) Jac. Pamelius putavit, verba Tertulliani esse intelligenda tantummodo de filiis infidelium, non facile baptizandis propter periculum; ne postea a parentibus pervertantur.

(*b*) Cardinalis Bellarminus Lib. I. *De baptismo* cap. 10. proponit triginta sex similia argumenta ab Anabaptistis objecta. Calvinus etiam Lib. IV. *Instit.* cap. 16. ex solo Mich. Serveto viginti difficultates sibi objicit,

lius plane momenti sunt. Et *prima* dissolvitur, observando, infantes dici posse infideles *negative*, quia nihil audierunt, nec audire possunt de fide; non autem *positive*, quasi fidei resistant. Fiunt postea fideles, recipiendo baptismum, ut supra cum S. Augustino n. 266. explicatum est.

282. *Secunda* jam supra n. 212. cum S. Thoma diluta fuit, ostendendo illa verba, *Nisi manducaveritis*, esse intelligenda spiritualiter de gratia sanctificante, quæ omnibus ad salutem est necessaria; vel si accipiantur de ipso Eucharistiæ Sacramento, esse ad solos adultos referenda.

283. Ad III. dico, usum porrigendi parvulis cibum Eucharisticum ideo obsolevisse, quia Ecclesia a Spiritu sancto edocta scivit, illum non esse necessarium: sed aboleri non potest baptismus parvulorum, quia sine illo salutem obtinere non possunt (*a*).

284. *Quarta* objectio falso nititur fundamento, quasi baptisma puerorum sit diversum a baptismate adultorum, cum sit unum, idemque Sacramentum, quo commemoratur Christi passio, mors, & resurrectio; & parvuli non minus quam adulti dicuntur, & sunt reipsa *in Christi morte baptizati*, *& consepulti cum illo per baptismum in mortem*, ut inquit Apostolus Rom. VI. 4.

285. Postrema difficultas jam sæpius sublata est, quando innixi universali, ac perpetua traditione Ecclesiæ ostendimus fidei, voluntati, & intentioni puerorum supplere fidem, voluntatem, atque intentionem offerentium; unde & ipsi parvuli dici possunt *aspersi corda a conscientia mala*, *& abluti corpus aqua munda*. Quanquam Apostolus eo loci adultos alloquatur, qui debent accedere ad Christum *cum vero corde in plenitudine fidei*.

Quæres *primo*, *utrum pueri Judæorum*, *vel aliorum infidelium*, *invitis eorum parentibus*, *baptizandi sint?*

286. S. Thomas 3. P. quæst. 68. art. 10. ita respondet: „ Pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam quantum ad ea, quæ sunt juris divini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse: & ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut, & matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt, & induci ad suscipiendum baptismum."

287. „ Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt. Unde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum. Et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueris invitis parentibus baptizarentur: sicuti etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur."

288. Idem antea docuerat Angelicus 2. 2. qu. 10. art. 12. præcipue innixus Ecclesiæ consuetudini, inquiens: „ Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet, unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii (atque idem est de filiis gentilium) *invitis parentibus baptizarentur*; *quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi*, *ut Constantinus*, *Theodosius*, *quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi*, *ut Sylvester Constantino*, *& Ambrosius Theodosio*, *qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare*, *si hoc esset consonum rationi*. *Et ideo periculosum videtur*, *hanc assertionem de novo inducere*, *ut præter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam*, *Judæorum filii invitis parentibus baptizentur*. Atque huic Magistri nostri sententiæ suffragantur omnes pene Theologi, quorum plurima nomina collegit Card. Sanctorius in *Rituali Sacramentorum* pag. 20.. & seq. Immo teste Card. Albizi *De inconstantia in fide* cap. 11. n. 52. S. Thomæ sententia in tribunalibus prævalet. Dixi *pene omnes Theologi*: refregantur enim Scotistæ una cum magistro suo, & paucis aliis; quos damnare non debuisset Synodus Pistoriensis, tanquam *Ecclesiæ* inobedientes, dum Sess. IV. *n.* 11. generaliter pronunciat, *Ecclesiam omnino vetare* baptismum pueris Judæorum, & Infidelium sine parentum consensu conferre. Nullum enim, quod sciam, hactenus prodivit hac de re *Ecclesiæ* decretum (*b*).

289. Omnes insuper consentiunt, aliquando licere pueros infidelium sine parentum consensu baptizare. Nat. Alexander in *Theol. dogmatica*, *& mo-*

& diluere conatur, quanquam aliquanto parum feliciter, cum falsis suis principiis pertinaciter inhæreat; quæ, ut sæpius diximus, cum pædobaptismo conciliari non possunt.

(*a*) Synodus Trid. Sess. XXI. cap. 4. postquam statuit: „ parvulos usu rationis carentes nulla obligari „ necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ commu- „ nionem, *hæc addit*: Neque ideo tamen damnanda „ est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis a- „ liquando servavit. Ut enim sanctissimi illi patres sui „ facti probabilem causam pro illius temporis ratione „ habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id „ fecisse, sine controversia credendum est.

(*b*) Contra hanc suam, & communem sententiam nonnulla objicit S. Thomas in locis laud., quæ facile diluit. Alia multa, & subtilia postea addiderunt acuti Scotistæ, quibus hac in parte adhærere videtur Estius in IV. Dist. VI. §. 2. Jo. Launojus occasione arrepta famosæ illius, & inurbanæ disputationis, quam habuit cum P. Jo. Nicolai de plenario Concilio, in quo error rebaptizantium proscriptus fuit, demonstrare conatus est, *eamdem non fuisse olim in omnibus Eccle-*

morali Lib. II. cap. 7. septem proponit regulas, seu exceptiones, in quibus pueri infidelium invitis parentibus baptizari possunt. Alii alias addunt; sed legendus imprimis sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. in epistola *De baptismo Judæorum* inserta Tom. II. Bullarii num. 28., ubi postquam doctrinam S. Thomæ approbavit, aliquos casus *practicos* proponit, in quibus servanda, vel non servanda est regula, quæ prohibet infantes Hebræorum invitis parentibus baptizari.

Quæres *secundo*, *an baptismus collatus pueris infidelium invitis parentibus sit validus?*

290. Resp., esse validum ex communi utriusque Scholæ Thomisticæ, & Scotisticæ, immo aliorum etiam Theologorum consensu, uno ferme dissentiente Durando in IV. *Sentent.* Dist. IV. quæst. 7. art. 13., Benedictus XIV. in epist. sup. laud. aliquas in hanc rem affert decisiones Congregationis S. Officii, quibus acriter quidem reprehenduntur, qui Hebræorum filios invitis, vel insciis eorum parentibus baptizare ausi sunt; interim tamen baptismus collatus ut validus probatus fuit, ac decretum, ut illi pueri a suis parentibus sejuncti apud Christianos educarentur. Bonifacius autem VIII. in cap. *Contra de hæreticis* in VI. decrevit, tales pueros sic baptizatos, si postquam adoleverint, ad superstitionem Judaicam redierint, esse tanquam hæreticos puniendos.

Quæres *tertio*, *utrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi?*

291. Negat Angelicus 3. P. quæst. 68. art. 11., *primo* ex auctoritate S. Augustini, cujus est illud quasi axioma in epist. CCLXXXVII. ad Dardanum, & alibi: *Nemo renascitur, nisi primo nascatur;* sed per baptismum homines dicuntur *renasci*, juxta illud Jo. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit &c.*

292. Deinde addit hanc validissimam rationem:
„ De necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum baptismus sit quædam ablutio. Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua, nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc esse non potest; tum quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris: tum quia corpus pueri animati jam est formatum, & per consequens a corpore matris distinctum: & ideo baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris existentem ".

293. Idem tamen Angelicus Doctor in resp. ad 4., exponens, quid factu opus sit, si aliqua pars pueri egrediatur ex utero matris, ut contigit in partu Thamar Gen. XXXVIII. 27., inquit: „ Expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente, & non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicuti in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: si non es baptizatus, ego te baptizo ".

294. Hanc S. Thomæ doctrinam doctissimus Pontifex Lambertinus *De Synodo Diœces.* Lib. VII. cap. 5. omnino comprobat, citans etiam Rituale Romanum tit. *de baptiz. parvulis*. Sed postea aliam proponit quæstionem, an reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contingit, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus, saltem per siphunculum, tingi possit. Allatis vero diversis Theologorum opinionibus, concludit, *tutius* esse ultimum controversiæ judicium a Sede Apostolica expectare; interim vero *ad Parochos pertinere*, *obstetrices instruere*, *ut cum casus evenerit*, *in quo infantem*, *nulla adhuc sui parte editum*, *mox decessurum prudenter timeant*, *illum baptizent sub conditione*, *sub qua pariter erit iterum baptizandus*, *si periculum evadat*, *& foras prodeat*. Vid. quæ diximus T. VI. P. I. Diss. V. in not. ad n. 331.

295. Commemoranda huc venit, non tamen probanda eorum opinio, qui cum Card. Cajetano Comment. in hunc art. S. Thomæ dixerunt, parvulos fidelium Christianorum, quibus per baptismum subveniri haud potest, *non tantum ex privilegio Dei singulari*, *sed ex lege communi*, *& ordinaria salvari posse votis*, *ac precibus parentum*. Primus benignæ hujus opinionis auctor dicitur Jo. Gerson Academiæ Parisiensis Cancellarius in Serm. *De nativit. B. M. V.;* cui postea Gabr. Biel, aliique pauci ex catholicis consenserunt. S. Pius V. hanc opinionem ex laud. Comment. expungi jussit, Cajetano ipso minime invito, quia, ut notat Dom. Soto, eamdem *sub correctione*, *& sine pertinacia* proposuerat.

296. Neque huic opinioni ullo modo favet S. Tho-

siis baptizandi Judæos & infideles disciplinam, Tom. II. P. II. operum; & multa affert exempla Principum, qui Judæos, & infideles, ad suscipiendum baptismum, probante Ecclesia, coegerunt. S. Thomam autem, æque ac Scotum reprehendere audet, quasi primus nonnisi Gratiani decreto in hac controversia usus fuerit; Scotus vero, & ejus sectatores *id totum volat.cis rationibus, & argutiis definierint*. Sibi, ac suæ causæ non defuit Nicolajus, ac duas edidit Dissertationes anno 1668. *De Baptismi antiquo usu*, in quarum altera, quæ est *De Judæis*, *aut quibuscumque Infidelibus ad baptismum non cogendis*, omnia a Launojo allata exempla erudite refellit, ostendens ea vel falso allegari, vel nunquam fuisse ab Ecclesia probata.

Thomas 3. P. quæst. 68. art. 11. ad 1., qui ex *solo privilegio gratiæ* infantes in utero sanctificari posse docet, inquiens: „ Pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant: unde non possunt subjici actioni humanæ, ut per eorum ministerium Sacramenta recipiant ad salutem; possunt tamen subjici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiæ sanctificationem consequantur, sicut patet de sanctificatis in utero ".

Quæres *quarto, utrum furiosi, & amentes debeant baptizari?*

297. S. Thomas 3. P. quæst. 68. art. 12. quatuor distinguit infelicium horum hominum genera. Nam *primo* quidam sunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus proinde nullus est rationis usus, & tales baptizandos esse docet, ut baptizantur pueri.

298. Alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt; & tales sunt judicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia, & amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant; alioquin si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi.

299. Qui in amentia habent lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt, si tunc baptizari voluerunt, baptizari possunt, & debent, etiam si in amentiam relabantur, si tamen periculum mortis timeatur; alioquin melius est, ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ut *devotius* suscipiant Sacramentum.

300. Quidem demum sunt, qui etsi non omnino sanæ mentis existant, ratione tamen adeo utuntur, ut possint de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem; & isti baptizari possunt, quia non sunt *inviti*. Ita iisdem fere verbis Angelicus.

301. Dormientes vero addit S. Doctor ad 3., non esse baptizandos, nisi periculum mortis immineat; tunc enim baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum.

Quæres *quinto, an baptizandi sint sub conditione infantes recens nati, qui mortui videntur?*

302. Resolutioni hujus quæstionis præmittenda est doctrina Pauli Zacchiæ Rom. celeberrimi olim Proto-Medici generalis totius Status Ecclesiastici Lib. IV. *Quæstionum Medico-legalium* Tit. I. quæst. 11. n. 39. seq., *tres præcipue morbos esse, in quibus solet homo aliquando absque ullo sensu, & motu permanere, & mortuo simillimus apparere; hos esse apoplexiam, syncopem, atque uteri suffocationem*. Nonnulla postea refert exempla suffocatorum vel in aqua, vel laqueo, vel carbonum fumo, vel ex aliis causis, qui aliquando post duos, vel tres dies ad vitam redierunt. Jam vero infantes in utero matris ex suffocatione aliquando moriuntur, vel strangulati per nervum umbilicalem, vel alio quodam infortunio suffocati; qui proinde quamvis mortui videantur, mortui tamen reipsa non sunt.

303. In hujusmodi casibus si quod dubium emerserit, consulendi sunt meliores artis periti, tempus congruum expectandum, omniaque media adhibenda; & si aliqua probabilia signa vitæ adhuc superstitis apparuerint, non dudito, quin pueri illi baptizandi sint, saltem sub conditione, si vivi sint.

Quæres *sexto, quid agendum sit cum iis infantibus, qui certo mortui sunt, miraculose tamen ad intercessionem alicujus Sancti reviviscere creduntur.*

304. Resp., minime dubitandum esse, talia miracula fieri posse, immo aliquando facta esse. Sufficiat auctoritas S. Augustini, qui Serm. CCCXXIV. exemplum affert cujusdam mulieris, quæ *infantem lactentem amisit, adhuc Catechumenum, & impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum ad memoriam beati martyris Stephani, & cœpit ab illo exigere filium, & dicere .... Redde filium meum &c. Hæc & talia cum precaretur lacrymis quodammodo non petentibus, sed ut dixi, exigentibus, revixit filius ejus ..... Continuo tulit illud ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus Sacramentis, assumptus est.*

305. Sed hujusmodi miracula trahi in exemplum non debent, ut inconsulto ab aliquibus factum esse refert Pontifex immortalis memoriæ Benedictus XIV. *De Syn. Diœces.* Lib. VII. cap. 6.; scilicet in quibusdam locis consuevisse, cadavera puerorum sine baptismate defunctorum collocari ante imagines quasdam prodigiis celebratas, & ibi si post multas piorum hominum preces contigerit, aliquod vitæ signum in eis animadverti, baptizari sub conditione, *si vivus es*; ac postea in loco sacro sepeliri. Subdit postea sapientissimus Pontifex, id fuisse in pluribus Synodis vetitum; ac multos Theologos citat, a quibus hæc anomala pietas fuit merito improbata.

306. „ Fundamentum, prosequitur Pontifex,
„ quo prædictæ Synodales Constitutiones innituntur, in eo potissimum constituitur, quod nimis
„ ambigua sunt signa, ex quibus ejusmodi infantium resurrectio erui, contenditur; quodque levis plerumque fidei, & auctoritatis sunt testes,
„ qui de iisdem testimonium perhibent; cum certis reviviscentiæ signis habeantur aut pallidi coloris in rubicundum mutatio, aut membrorum,
„ quæ antea rigebant, flexibilitas, aut sanguis e
„ naribus fluens, aut aliqua sudoris gutta, quæ
„ in fronte, vel in stomacho appareat; cumque,
„ de his ipsis rudes mulierculæ testes ut plurimum sint ...... idque eo magis, quod supradicti
„ physici effectus facile adscribi possunt calori,
„ qui ex facibus circum infantium cadavera accensis oritur, aliisque ignibus, quibus ipsa sanctuaria tepescunt."

307.

507. Qui ex his signis pueros baptizari posse arbitrabantur, eo utebantur argumento, quod ad baptismum *sub conditione* conferendum sufficiunt signa probabilia vitæ. At vero quamquam hæc probabilia signa sufficiant, quando dubitatur, an infans neonatus vivus sit, an mortuus, non tamen sufficiunt, quando dubitatur, an infans certo mortuus prodigiose sit ad vitam revocatus: miracula enim admitti non possunt sine veris, ac certis probationibus. Atque hoc fuit Sacræ Congregationis S. Officii judicium sæpius repetitum.

Quæres *septimo*, *quid sit baptismus pro mortuis?*

508. Huic quæstioni occasionem dedit vexatissimus ille locus S. Pauli in 1. Epist. ad Cor. XV. 29. dicentis: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Porro in vero, ac germano horum verborum sensu determinando mirum quantum inter se dissentiunt cum veteres, tum recentiores Interpretes. Nemo tamen, quod sciam, ea sic intellexit, aut explicavit, quasi olim licitum fuerit, aut nunc sit, aliquem mortuum, aut vivum pro mortuo baptizare. Nullum certe ex tota retro antiquitate afferri potest simile exemplum.

509. S. Thomas Lect. IV. in hoc caput, Paulinum textum dupliciter exponit: „ uno modo, „ inquit, ut per hoc, quod dicit *mortuis*, in„ telligantur opera peccati, quæ sunt mortua, quia „ carent vita gratiæ, & ducunt ad mortem: He„ br. IX. 14. *Sanguis Christi ... emundabit con„ scientiam nostram ab operibus mortuis*. Et „ secundum hoc plana est litera: *Quid scilicet fa„ cient illi, qui baptizantur pro mortuis, idest „ pro peccatis abluendis, si non sint vitam gra„ tiæ habituri?* Alio modo, quia quidam tunc „ temporis volebant, quod homines possent primo „ baptizari, ut ita sibi ipsis remissionem pecca„ torum consequerentur, & iterum baptizabantur „ pro aliquo consanguineo suo defuncto, ut etiam „ post mortem dimitterentur ei peccata; & secun„ dum hoc sit littera: *Quid facient, qui bapti„ zantur pro mortuis, scilicet consanguineis, pro „ quorum salute baptizantur, si non sit resur„ rectio mortuorum?* Sed isti in aliquo commen„ dari possunt, scilicet in hoc, quod fidem re„ surrectionis videbantur habere. Sed in aliquo „ possunt reprehendi, in hoc scilicet, quod unum „ credebant posse pro alio baptizari." Hoc tamen argumento quasi ad hominem uti potuit Apostolus ad confirmandam fidem resurrectionis, quem ad scopum totus ille locus ordinatus erat.

510. Fuisse autem etiam tempore Apostoli hæreticos, qui pro mortuis baptizarentur, certo scimus ex Epiphanio Hæresi XXVIII., & ex Irenæo Lib. I. cap. 19. Tertullianus quoque *De resurrect. carnis* satis aperte idipsum innuit. Verum quicumque fuerit Apostoli sensus, quod non facile est determinare, certo certius est, numquam fuisse in Ecclesia baptismum mortuorum probatum (*a*).

Quæres *octavo*, *quid proprie sit vulgo dictus campanarum baptismus?*

511. Resp., proprie non esse nisi benedictionem quamdam, qua usibus sacris destinantur, & nonnisi *improprie* a vulgo vocari baptismum; ac proinde immerito nos culpari ab hæreticis, quasi res inanimes Sacramenti capaces esse credamus (*b*). Sed meræ sunt imposturæ, quas rerum liturgicarum tractatores Hugo Menardus, Card. Bona, aliique facillime dissiparunt. Jo. Bapt. Thiers in Tract. *De superstitionibus* Tom. II. cap. 7. nonnullos affert rituales libros, quibus populus monetur, campanas non baptizari, sed *benedici*, neque illis im-

po-

(*a*) Eruditissimus August. Calmet in sua Dissert *De Baptismo pro mortuis* innumeros pene auctores tam Catholicos, quam heterodoxos recenset, qui aut obiter, aut etiam data opera laudatum Apostoli locum explicare aggressi sunt, eorumque interpretationes affert, & quæ in eis difficultates reperiuntur, breviter exponit. Denique eam, quam secundo loco ex S. Thoma nos recitavimus, ceteris præfert, utpote quæ etiam nonnullorum veterum Patrum auctoritate confirmatur, eamque a quibusdam difficultatibus liberare studet. Omnes tamen, nemine excepto, fateri coguntur, locum hunc esse unum ex iis, quæ S. Petrus 2. Epist. III. 16. in epistolis Paulinis dicebat esse difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant &c. Reipsa enim fuisse quosdam hæreticos, qui νεκροβάπτισμον, aut baptismum vicarium ex laudatis Apostoli verbis colligebant, discimus ab antiquis scriptoribus Epiphanio, Philastrio, Theodoreto &c. Immo in Codice Africanæ Ecclesiæ legitur Canon XVIII. quo cautum est, *ne jam mortuos homines baptizari faciat Presbyterorum ignavia*, vel ut alii legendum putant, *Presbyterorum ignorantia*.

(*b*) Non erit abs re saltem indicare hæreticorum calumnias de campanarum baptismate. Rodulphus Hospinianus Calvinista Lib. IV. de Origine templorum cap. 9. nos accusat, quod solemnem campanarum lustrationem *baptismum* vocare soleamus, *non sine magna baptismi a Christo instituti subsannatione, ac contumelia;* quod multis testimoniis probari dicit, *licet Hosius, & Bellarminus hoc indignissime ferant, & campanas a suis symmistis consecrari, non baptizari affirment;* contra quos frustra conatur ostendere, campanas apud nos vere baptizari. Etiam Jo. Gerhardus Tom. IX. Loc. theol. Loc. XXI., cap. 8. Bellarmino non vult credere, quando aperte testatur, campanas benedici, & consecrari, non autem baptizari. Multum quoque contra hunc ritum debacchati sunt Centuriatores Magdeburgenses centuria X. cap. 6. Sed multo indigniora sunt carmina, quæ ineptus Poeta Thomas Naogeorgus Lib. I. *Regi papistici* evomuit, inquiens:

Quando baptizant campanas, ferreus est quis,
Qui risum cohibere queat: quin non manu utraque
Auriculas asini fingant ....
.... Ut baptismi venerabile signum
Quod nos in Christi demonstrat castra receptos
Res animæ, sensuque carens ante ora profanet
Nostra &c.

Piget insulsi hujus Poetæ imposturas prosequi. Sed his artibus solebant Novatores incautam plebeculam decipere, & contra Ecclesiam Catholicam armare.

poni nomina Sanctorum, aut Sanctarum, *quasi propriæ baptizentur, & nominentur, sicut Christiani fideles, sed in obliquo esse vocandas campanas Sanctæ Mariæ, S. Jacobi, S. Gregorii &c.* Est igitur benedictio campanarum *sacra quædam cæremonia ecclesiastica, qua illæ ad usum divini cultus rite consecrantur*. Cujus sacræ cæremoniæ exemplum habemus in veteri testamento Gen. XXVIII., ubi Jacob *tulit lapidem ..... & erexit in titulum fundens oleum desuper*; & Lib. 2. Esdræ XII. 30. non solum mundati dicuntur Sacerdotes, & Levitæ, sed additur: *& mundaverunt populum, & portas, & murum*, quæ sunt res inanimes. Hunc campanas benedicendi ritum non admodum antiquum esse libenter fatemur (nam ipse campanarum usus in Ecclesiis antiquus non est). Baronius ad an. 968. n. 86. scribit, Joannem XIII. primariam Lateranensis Ecclesiæ campanam miræ magnitudinis *sacris ritibus consecrasse, atque Joannis nomine, cujus Ecclesiæ esset usi, nuncupasse*; atque addit, hunc sacrum ritum in Ecclesia postea perseverasse. Card. Bona Lib. I. *Rerum liturgic.* cap. 22., una cum eruditissimo Menardo, quem citat, ritum benedicendi campanas integro sæculo antiquiorem fuisse colligit ex quibusdam ritualibus vetustioribus (*a*).

CAPUT XI.

De effectibus Baptismi.

312. Etiam in hac parte multum erratum est ab hæreticis cum veteribus, tum recentioribus; quorum aliqui proprios, & veros baptismi fructus sustulerunt, alii novos, & inauditos eidem effectus tribuerunt. Primi illi sunt, qui negarunt per baptismum omnia peccata deleri, & characterem in anima imprimi (*b*). Alii vero in oppositum vitium delapsi sunt, absurde docentes, per baptismum, non solum peccata præterita, sed etiam futura deleri (*c*). Nos autem una cum Angelico nostro Præceptore 3. P. q. 69. veros, & præcipuos baptismi effectus nonnullis propositionibus aperiemus, & vindicabimus.

PROPOSITIO I.

Per Baptismum non solum tollitur peccatum originale, sed etiam delentur peccata actualia, si quæ sint in homine, qui baptizatur.

313. Prob. hæc veritas a S. Thoma art. 1. tam ex veteri, quam ex novo testamento. Nam Ezechielis XXXVI. 25. effectus baptismi ita prænunciatur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Multo luculentiora præsto sunt testimonia ex novo testam. Apostolus enim Roman. VI. 3. *Quicumque*, ait, *baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Et postea concludit: *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro*. Ex quibus verbis colligit S. Doctor: „ quod per baptismum homo moritur vetustati „ peccati, & incipit vivere novitati gratiæ. Omne „ autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet, unde consequens est, quod omne peccatum „ per baptisma tollatur". Innumera alia sunt hujusmodi sacra oracula, quibus dicitur, per bapti-

(*a*) Quidam cum Polydoro Virgilio *De rerum inventoribus* campanarum originem repetunt a S. Paulino, qui Sæc. V. Nolæ in Campania Episcopus erat: unde nomen *Campanæ*, aut *Nolæ* deducunt. Sed *primo* cum ipse Paulinus in epist. ad Severum 12. partes Basilicæ a se constructæ exacte describens, nullam campanarum faciat mentionem, pronum est conjicere, nullum tunc fuisse horum instrumentorum usum. *Deinde* nemo ante Bedam, qui sæculo VII. vixit, campanarum usum in Ecclesia memoravit. In Oriente autem prima campanarum epocha figitur anno 865., quando Ursus Participatus Venetorum Dux Michaeli Imperatori dono misit duodecim mirificæ artis, & valde sonoras, quas in turri ad S. Sophiam exstructa collocavit, ut narrat Card. Bona supra laudatus. Antea vero Christiani ad populum convocandum utebantur instrumentis ligneis, quibus etiam modo, utuntur Græci sub Turcarum tyrannide existentes, quorum structuram ad sonum edendum exponit Leo Allatius in Dissert. *De recentiorum Græcorum templis*. Consul. doctissimus P. Angelus Rocca *De Campanis*, Edm. Martene Tom. II., Jos. Catalanus Tom. II. *Commentar. in Pontif. Rom.* &c. &c.

(*b*) Manichæi, teste S. Augustino *De Hæresibus* n. 46. Tom. X. *baptismum in aqua nihil cuiquam salutis afferre perhibebant*. Proclus Origenista, referente S. Methodio apud S. Epiphanium *Hæres.* LXIV., per baptismum peccata sopiri quidem dicebat, non autem *radicitus tolli*; quam absurdam Procli novitatem ibidem Methodius multis argumentis condemnat. Dadoes Messalianorum Magister, apud Nicephorum Lib. XI. cap. 4. & apud Theodoretum Lib. IV. *Hæretic. fabularum* cap. 11. idem docebat. Non procul ab impia hac doctrina recedunt Novatores, contendentes in justificatione peccata non prorsus deleri, sed solum tegi, & non imputari, quos Tom. VI. P. II. cap. 3. confutavimus. Pejus autem delirant Sociniani, quorum nomine dicebat Th. Pisecius in *Hist. Tripartita* Lib. I. cap. 11., *baptismum non esse undam salutis, non canalem gratiæ, non merita Christi in nos derivare, sed ritum, & cæremoniam esse, per quam Judæi, & Gentes christianæ religione se devinciebant*. Quam perversam sententiam sequuntur etiam Arminiani volentes, baptismum *ex parte Dei tantum esse gratiæ significationem, ex parte nostri solum publicam christiani nominis professionem*.

(*c*) Inter alias hæreses, quas Jovinianus IV. sæculo disseminabat, hæc etiam erat, *non posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto*, apud S. Augustinum *De Hæres.* n. LXXXII.; quem absurdum errorem a Calvinistis resuscitatum nos refutavimus Tom. VI. P. II. cap. 5.

ptismum homines *ablui*, *mundari*, *renasci*, *sanctificari*, *Christum induere &c.* Vid. sup. Diss. I. n. 333.

314. Supervacaneum autem videtur, tam clara, & aperta sacræ Scripturæ oracula sanctorum Patrum testimoniis confirmare, quæ innumera præsto essent: adeo enim vulgata erat apud veteres hæc opinio de salutari baptismi efficacia ad omnes culpas delendas, ut non defuerunt Gentiles, qui occasionem hinc arriperent, nos calumniandi, quasi libertatem peccandi præberemus, pollicentes securam a Domino veniam adhibito baptismi lavacro (*a*).

315. Sed præterea communem Ecclesiæ veteris consensionem in hoc dogmate confitendo confirmat solemnis illa omnium fidelium professio in Symbolo Constantinopolitano, ubi dicitur: *confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*. Quid clarius ad confirmandum Ecclesiæ dogma de præcipuo baptismi effectu?

316. Hanc veteris Ecclesiæ fidem servavit, & quatenus opus erat, renovavit Eugenius IV. in *Decreto* Concilii Florentini, ubi de baptismo loquens, *Hujus Sacramenti effectus*, inquit, *est remissio culpæ originalis*, *& actualis*. Synodus etiam Tridentina Sess. V. ita decrevit: ,, Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat ... anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur ".

317. Obj. *primo*. Baptismus est institutus ad delendum peccatum originale, quamobrem Jo. I. 29. dictum fuit de Christo: *Ecce qui tollit peccatum mundi*, nempe peccatum originale toti mundo commune, ut Glossa exponit. Hinc etiam baptismus dicitur *regeneratio*, quia sicut per generationem carnalem homo contrahit peccatum originale, & mortem, ita per regenerationem spiritualem novam vitam gratiæ acquirit.

318. Respondet S. Thomas ib. ad 1. ,, quod sic-,, ut Apostolus dicit Roman. V. 16., peccatum A-,, dæ non tantum potest, quantum potest donum ,, Christi, quod in baptismo percipitur; nam *pec-,, catum ex uno in condemnationem*, *gratia au-,, tem ex multis delictis in justificationem*. Un-,, de S. Augustinus in Lib. I. *De peccat. mer. & ,, remiss.* cap. 15. dicit, quod *generante carne ,, tantummodo trahitur peccatum originis*, *rege-,, nerante autem Spiritu*, *non solum originalium*, ,, *sed etiam voluntariorum fit remissio peccato-,, rum* ".

319. Obj. *secundo*. In adultis ante baptismum requiritur pœnitentia, secundum illud Act. II. 38. *Pœnitentiam agite*, *& baptizetur unusquisque vestrum:* sed pœnitentia remittuntur peccata actualia: ergo nihil remanet baptismo remittendum, nisi peccatum originale.

320. Respondet iterum S. Thomas ad 2. ,, quod ,, nullius peccati remissio fieri potest, nisi per vir-,, tutem passionis Christi: unde & Apostolus dicit ,, Hebr. IX. 22., quod *sine sanguinis effusione ,, non fit remissio*. Unde motus humanæ volun-,, tatis, qui est in pœnitente, non sufficeret ad ,, remissionem culpæ, nisi adesset fides passionis ,, Christi, & propositum participandi ipsam, vel ,, suscipiendo baptismum, vel subjiciendo se cla-,, vibus Ecclesiæ. Et ideo quando aliquis adultus ,, pœnitens ad baptismum accedit, consequitur ,, quidem remissionem omnium peccatorum ex pro-,, posito baptismi, perfectius autem ex reali su-,, sceptione baptismi ". Quæ Novatores objicere solent, ut probent, peccata in baptismo, & pœnitentia non penitus tolli, sed solum tegi, ut non imputentur, a nobis præoccupata sunt Tom. VI.

PRO-

(*a*) Ita Celsus nostris exprobrabat apud Origenem Lib. III. nu. 59. ,, Qui ad alia mysteria vocant, hæc ,, pronunciant alta voce: *Quisquis puris est manibus*, ,, *& voce sapiens;* Et rursus alii: *Quisquis purus ab ,, omni scelere*, *cui conscientiam nihil mali remor-,, det*, *cujus bene*, *& juste peracta vita est* .... Nunc ,, vero audiamus, quosnam advocent Christianos. *Quis-,, quis*, inquiunt, *peccator*, *quisquis insipiens*, *quisquis ,, puer*, & ut verbo dicam, *quisquis infelix est*, *hunc ,, Dei regnum accipiet*. Et quem peccatorem dixistis? ,, Nonne injustum, furem, murorum effractorem, ve-,, neficum, sacrilegum, mortuorum spoliatorem? Ecquos ,, alios vocaret, qui latronum conflaret societatem "? Cui satyricæ objectioni ita respondet Origines: ,, Ad hæc ,, dicimus, aliud esse ægras animas ad curationem, ,, aliud sanas ad rerum divinarum cognitionem, & scien-,, tiam vocare. Nos principio quidem homines horta-,, mur, ut curari se velint: hortamur peccatores, ut ,, doctores audiant, qui a peccando deterreant; insi-,, pientes, ut acuentibus, adjuvantibusque ad intelli-,, gendum dociles aures præbeant: pueros, ut sensus, ,, animumque virilem concipiant: infelices denique ad ,, vitam felicem, seu ut magis proprie loquar, ad bea-,, titudinem excitamus. Sed postquam ii, quos hor-,, tati sumus, progressionem ad virtutem fecerunt, ita ,, ut illos a doctrina emendatos fuisse innotescat, tunc ,, demum nostris mysteriis initiantur ". Ex his facile refelli potest calumnia Zosimi, celebris apud Græcos historici, qui pro suo in Christianam religionem implacabili odio, ausus est scribere, Constantinum Magnum non alia de causa ab ethnica superstitione ad Christi sequelam transisse, quam ut multa, & magna sua crimina facili baptismi remedio deleret, cum apud Gentiles eadem crimina nullo possent sacrificio expiari. Quasi vero apud nos adultorum peccata possent solo baptismo sine vera, & salutari pœnitentia tolli.

PROPOSITIO II.

Per baptismum homo liberatur ab omni reatu peccati.

321. Hanc propositionem probat Angelicus art. 2. laud. quæst. 69. ex iis verbis Apostoli Roman. VI. 8. *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum eo.* „Ex quo pa- „tet, inquit, quod omni baptizato communicatur „passio Christi ad remedium, ac si ipse passus, „& mortuus esset. Passio autem Christi est suf- „ficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium „hominum. Et ideo ille, qui baptizatur, libe- „ratur a reatu totius pœnæ sibi debitæ pro pec- „catis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro o- „mnibus peccatis suis".

322. Hanc doctrinam tradiderat ante Angelicum S. Augustinus Lib. II. *De peccat. mer. & remiss.*, cap. 28.; ubi cum dixisset, *in baptismo plenam fieri remissionem peccatorum*, subdit: *Si continuo consequatur ab hac vita migratio, non est omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quæ tenebant.* Quamobrem Eugenius IV. in Decreto pro Armenis de baptizatis inquit: *Morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regna cœlorum, & Dei visionem perveniunt.* Et Synodus Trident. sup. n. 316. memorata baptizatos hæredes Dei esse definit, *ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.*

323. Denique eamdem doctrinam confirmat praxis Ecclesiæ, quæ quamvis a catechumenis multas, & onerosas pœnas pro peccatis poposcerit, nullas tamen iis imposuit post baptismum. Et si quandoque contigit, catechumenos ante persolutas pœnitentias propter mortis periculum baptizari, & postea convalescere, non amplius cogebantur pœnitentias intermissas resumere, & complere: non alia profecto de causa, nisi quia certum erat, omnem reatum non solum culpæ, sed etiam pœnæ per baptismum fuisse deletum. Id autem manifestius fit ex eo, quod pœnitentes, qui in mortis periculo, ante consummatum suæ pœnitentiæ curriculum, reconciliationem, & Eucharisticam communionem acceperant, si convalescerent, cogebantur id, quod reliquum erat pœnitentiæ, absolvere; quod, ut mox dictum est, in baptizatis fieri non consueverat. Id evidenter demonstrat, semper hoc agnitum fuisse inter baptismum, & pœnitentiam discrimen, quod in illo omnis reatus pœnæ tolleretur, non autem in ista.

324. Obj. *primo*. Si omnis reatus pœnæ tollitur per baptismum, injustum esset post baptismum puniri eos, qui antea scelera utut gravissima patrassent, ex. gr. latrones, vel homicidas; quod tamen apud Judices non observatur.

325. Respondet S. Thomas hoc art. 2. ad 3., *In pœnis, quæ judicio humano inferuntur, non solum attendi, qua pœna sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui læsi, & scandalizati sunt per peccatum alicujus. Et ideo licet homicida per baptismum liberetur a reatu pœnæ quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos justum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus Princeps posset pœnam indulgere.*

326. Obj. *secundo*. Deus non aufert a baptizatis pœnalitates hujus vitæ, ut tristis experientia nos docet: ergo nec pœnas alterius.

327. Resp. neg. cons., & S. Thomas art. 3. recte observat: „Baptismum habere virtutem aufe- „rendi pœnalitates præsentis vitæ, non tamen eas „auferre in præsenti vita, sed ejus virtute aufe- „rendas esse a justis in resurrectione, quando „*mortale hoc induet immortalitatem*. Et hoc „rationabiliter. *Primo* quidem, quia per bapti- „smum homo incorporatur Christo, & efficitur „membrum ejus: & ideo conveniens est, ut id „agatur in membro incorporato, quod est actum „in capite. Christus autem a principio suæ con- „ceptionis fuit plenus gratia, & veritate; habuit „tamen corpus passibile, quod post passionem, & „mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. „Unde & Christianus in baptismo gratiam con- „sequitur, quantum ad animam, habet tamen „corpus passibile, in quo pro Christo possit pa- „ti, sed tamen resuscitabitur ad impassibilem vi- „tam. Unde Apostolus dicit Roman. VIII. 11. *Qui* „*suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivifica-* „*bit & mortalia corpora vestra propter inhabi-* „*tantem Spiritum ejus in vobis*; & infra: *He-* „*redes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* „*si tamen compatimur, ut & simul glorifice-* „*mur*. *Secundo* hoc est conveniens, propter spi- „rituale exercitium, ut videlicet contra concupi- „scentiam, & alias passibilitates pugnans homo, „victoriæ coronam acciperet .... *Tertio* hoc fuit „conveniens, ne homines ad baptismum accede- „rent propter impassibilitatem præsentis vitæ, & „non propter gloriam vitæ æternæ: unde & A- „postolus dicit 1. Corinth. XV. 19. *Si in hac vi-* „*ta tantum sperantes sumus in Christo, mise-* „*rabiliores sumus omnibus hominibus*".

328. Nonnullæ aliæ afferuntur a Sanctis Patribus rationes, propter quas conveniens minime fuerit, pœnalitates præsentis vitæ per baptismum auferri. Sed illa potissimum, ut disceremus, in Sacramentis fructum spiritualem, & æternum quærere, non temporalem, & corporeum. *Ut intelligamus*, inquit S. Augustinus in *Enchiridio* c. 66. T. XI. *totum, quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adoptionem præsentium pertinere*. Consulatur Catechismus Rom. P. II. cap. 2. n. 43.

329. Dices. Causa pœnalitatum hujus vitæ est peccatum originale: ergo si hoc per baptismum pe-

nitus tollitur, nullæ esse deberent pœnalitates; siquidem remota causa, removetur effectus.

330. Respondet Angelicus 3. P. quæst. 69. art. 3. ad 3., quod „ peccatum originale hoc modo processit, quo prima persona infecit naturam; postmodum vero natura infecit personam. Christus vero converso ordine prius reparat id, quod personæ est, & postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturæ est. Et ideo culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ visionis divinæ, quæ respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine; sed pœnalitates præsentis vitæ (sicut mors, fames, sitis, & alia hujusmodi) respiciant naturam, ex cujus principiis causantur, prout est destituta originali justitia: & ideo isti defectus non tollentur, nisi in ultima reparatione naturæ per resurrectionem gloriosam ".

331. Obj. *tertio*. Ecclesia pro catechumenis cum baptismi voto defunctis consuevit orare, & S. Ambrosius pro Valentiniano Imper. ante susceptum baptismum interfecto sacrificia offerebat.

332. Resp., id jure meritoque factum fuisse, atque in similibus casibus fieri debere. Hoc enim est inter baptismum reipsa susceptum, & ejus votum discrimen, quod primum *ex opere operato* totum reatum nostrum delet; alterum vero *ex opere operantis*, seu ex intensione contritionis, quæ raro tanta est, ut omnem reatum pœnæ penitus tollat.

PROPOSITIO III.

Per baptismum homini conferuntur gratia, & virtutes.

333. *Primo* id probat Angelicus 3. P. qu. 69. art. 4. ex verbis Apostoli dicentis ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, idest per baptismum, *& renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde;* quorum similia sæpe occurrunt in Libro novi testamenti, quibus designatur gratia Spiritus sancti, & copia virtutum.

334. Deinde addit auctoritatem S. Augustini dicentis Lib. I. *De peccat. mer. & remiss.* cap. 26. T. XIII. *per baptismum homines Christo consepeliri, ut incorporentur illi membra ejus;* „ a capite autem Christo in omnia membra ejus gratiæ, & virtutis plenitudo derivatur, secundum illud Jo. I. 16. *De plenitudine ejus, nos omnes accepimus* ".

335. Obj. quædam exempla hominum, qui jam justificati apud Deum per actum charitatis accedunt ad baptismum. Sic Act. X. 1. de Cornelio Centurione legitur, quod *vir religiosus* erat, *ac timens Deum*, & postea a Petro baptizatus est: non ergo semper effectus baptismi est infusio gratiæ.

336. Hæc objectio solvitur ab Angelico cit. art. 4. ad 2., observando, quod „ remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto, vel explicite, vel implicite; & tamen cum realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio, quantum ad liberationem a tota pœna. Ita etiam ante baptismum Cornelius, & alii similes consequuntur gratiam, & virtutes per fidem Christi, & desiderium baptismi implicite, vel explicite, postmodum tamen in baptismo majorem copiam gratiæ, & virtutum consequuntur ".

337. Obj. *secundo*. In homine post baptismum remanet eadem pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, quæ erat ante baptismum: oppositum autem deberet esse, si gratia, & virtutes infunderentur.

338. Respondet S. Thom. ad 3.: „ difficultatem ad bonum, & pronitatem ad malum inveniri in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quæ non tollitur in baptismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur, ita etiam diminuitur utrumque dictorum, ne homo ab his superetur ". Id uberius explicat Catechismus Rom. P. II. cap. 2. n. 53.

339. Dubitari hic fortasse posset de pueris baptizatis, in quibus virtutum infusio inutilis videtur, cum easdem exercendi incapaces sunt. Veruntamen præter ea, quæ sup. n. 270. ex Angelico notata fuere, cum eodem S. Doctore qu. 69. art. 6. ad 1. observandum est, habitus fidei, charitatis, aliarumque virtutum requirere solam potentiam voluntatis, quæ est in pueris, quamvis actus virtutum requirant actum voluntatis, qui non est in pueris.

340. Obj. *tertio*. Innocentius III. extra *De bapt. & ejus effect.* cap. *majores* nostram sententiam problematice exponit, inquiens: *Aliis asserentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus, dimitti peccatum, & virtutes infundi, quantum ad habitum, non quoad usum.* Item Clemens V. in Concilio Viennensi nostram sententiam solùm *ut dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbante Concilio, duxit eligendam.*

341. Resp., a S. Thoma 3. P. qu. 69. art. 6., hanc quorumdam veterum opinionem fuisse refutatam, ut *falsam*, & *erroneam*. Discordiam autem Theologorum, quam laudati duo Pontifices noluerunt dogmatico decreto finire, non esse, an pueris in baptismo gratia sanctificans infundatur, sed tantummodo, an illa gratia debeat appellari *habitualis*, cujus vocis usus apud Theologos Sæculo XII. antiquiores minime inveniri dicitur. Et quamvis modo communis doctrina Theologorum sit, gratiam sanctificantem esse *habitum animæ inhærentem*, nulla tamen hac de re extat absoluta Ecclesiæ definitio: unde bene observavit Dom. Soto Lib. II. *De natura, & gratia* cap. 18. Concilium Tridentinum ab his verbis Scholasticorum consul-

to

to abstinuisse, ac voluisse solummodo ab omnibus credi, homines justificari per gratiam, & charitatem, *quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus eorum, atque illis inhæret*. Ita Sess. VI. cap. 7., & can. 11. Qui tamen sensum definitionis hujus penitus introspexerit, facile videbit, nihil aliud voluisse illos Patres significare, quam quod Scholastici intelligunt per *habitus virtutum infusos, & animæ inhærentes*. Vide, quæ diximus Tom. VI. P. II. Dissert. I. cap. 1.

342. Ceterum gratiam pueris infundi in baptismo, sexcentis in locis, & verbis apertissimis asserit magnus Doctor Augustinus, ut in Epist. XCVIII. ad Bonifacium dicens: *Semel perceptam parvulus gratiam non amittit nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit*. Epist. CLXXXVII. ad Dardanem cap. 8. *Dicimus ergo, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum*. Et *De grat. & lib. arb.* cap. 22. in parvulis *gratiam hærere*, dicit. Similia, & etiam magis energica inveniuntur apud S. Jo. Chrisostomum in Hom. *ad Neophytos*; cujus fragmentum servavit S. Augustinus Lib. I. *contr. Jul.* cap. 6., & apud Isidorum Pelusiotam Lib. III. epist. 145.

Quæres *primo*, *an baptismus habeat in omnibus æqualem effectum?*

343. Resp., Characterem, qui ut sup. ostendimus Diss. I. cap. 12., in baptismo imprimitur, esse æqualem in omnibus; ac propterea baptismum rite collatum reiterari, semper vetitum fuit. Sed quantum ad alios effectus superius recensitos, S. Thomas 3. P. quæst. 69. art. 8. resolvit, effectum, „ ad quem baptismus est institutus, nempe ad regenerandum homines in spiritualem vitam, esse æqualem in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur), omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt: & ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt; sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat ".

344. Et cum sibi objecisset Angelicus, in aliquibus baptizatis apparere majorem gratiam, & perfectionem virtutum, quam in aliis, huic objectioni respondet, hoc posse dupliciter contingere: „ uno modo, quia unus in baptismo percipit majorem gratiam, quam alius, propter devotionem majorem: alio modo, quia etiamsi æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea utuntur; sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.

Quæres *secundo*, *utrum fictio impediat effectum baptismi? Et an recedente fictione baptismus suum consequatur effectum?*

345. *Fictionis* nomine hic non intelligitur ea simulatio, qua quis exterius quidem sacræ ablutioni se subjicit, interius autem reluctatur, nec Sacramentum suscipere vult: tunc enim Sacramentum nullum esse, propugnavimus Diss. II. cap. 7. Sed intelligitur solummodo vel simulatio dispositionis debitæ ad illius effectum consequendum, ut sunt illi adulti, qui in hæresi, vel schismate baptismum recipiunt; vel peccatores accedentes ad hoc Sacramentum sine contritione.

346. Jam vero talem fictionem impedire effectum baptismi, nempe infusionem gratiæ, & virtutum, probat S. Thomas in art. 9. ex iis verbis Sap. I. 5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Cum igitur effectus baptismi sit a Spiritu sancto, per fictionem impedietur. Postea idipsum probat auctoritate Damasceni Lib. II. *de fide orthod.* cap. 30. dicentis; *Deus non cogit homines ad justitiam*; unde concludit S. Doctor, ut aliquis justificetur per baptismum, requiri, quod voluntas hominis amplectatur baptismum, & ejus effectum. Neque in hac parte ulla est difficultas.

347. Quantum ad aliam partem, respondet S. Thomas art. 10. *affirmative*, id probans auctoritate S. Augustini Lib. I. *De bapt. contra Donatistas* cap. 12. dicentis: *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ, corde in malitia, vel sacrilegio perseverante; peccatorum abolitionem non sinebat fieri*. (Ita referuntur verba S. Doctoris in Decretis Dist. IV. *De consecr.* cap. *Tunc*; sed in ipso textu paulo aliter ordinata sunt). Ulterius vero id probat Angelicus ex charactere, qui in Sacramento accipitur, & *qui est quasi forma, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem: unde oportet, quod remota ea per pœnitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum*. Ad quod explicandum utitur aptissima similitudine corporis gravis, quod ex sua forma habet, ut tendat deorsum, *nisi sit aliquid prohibens, quo remoto statim incipit moveri deorsum*. Hac ratione potissimum utebatur S. Augustinus Lib. I. *De Baptismo* cap. 11., ut probaret, hæreticos redeuntes ad Ecclesiam non esse iterum baptizandos.

348. In resp. autem ad 2., & 3. observat S. Doctor, fictionem non removeri per baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem, qua fictione remota *baptismus aufert omnem culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & etiam simul existentium cum baptismo*. Non autem tolluntur peccata, quæ post baptismum patrata sunt: hæc enim remittuntur quidem per pœnitentiam, sed non per baptismum, cujus effectus non est tollere peccata futura, sed solum præterita, vel præsentia, unde peccata postea

stea patrata non remittuntur, quantum ad totum reatum.

549. Verissimæ, & communiter receptæ huic Angelici doctrinæ obstare videtur antiqua Ecclesiæ disciplina, qua baptizati in hæresi, vel schismate, etiamsi multorum criminum post baptismum rei essent, cum sola manuum impositione, seu Sacramento Confirmationis, & orthodoxæ fidei professione recipiebantur, quin ulla ab eis exigeretur suorum criminum confessio, & pœnitentia. Tunc igitur putabatur, baptismum, recedente fictione, ita reviviscere, ut etiam peccata postea patrata delerentur.

550. Resp., ab hujusmodi hominibus ab hæresi, vel schismate venientibus exigi non consuevisse publicam pœnitentiam, bene vero privatam; quod innuit S. Augustinus sæpius laud. Lib. I. *De Baptismo* cap. 12. dicens, illos *pia correctione, & veraci confessione purgatos* fuisse: quod de Sacramentali confessione, & pœnitentia intelligendum est. Sic etiam modo fit: quamvis enim in Ritualibus solummodo præcipiatur, ut venientes ab hæresi, vel schismate adigantur ad ejurandos errores, & ad fidem catholicam profitendam, nulli tamen dubium est, eosdem esse etiam ad pœnitentiæ Sacramentum adigendos, postquam fuerint a censuris absoluti.

Quæres tertio, *an peccata post baptismum commissa sola baptismi reminiscentia deleantur?*

551. Resp., id docuisse Novatores, tamquam corollarium ex fœcundissimo illo errore, quod sola fides in Sacramentis justificet. Si enim non baptismus ipse, sed fides per baptismum in nobis excitata, est nostræ justificationis causa, manifeste sequitur, nos a peccatis postea perpetratis per eamdem fidem ex reminiscentia baptismi excitatam liberari. Unde etiam consequitur, quod sicut per baptismum nulla opus est satisfactione ad reatum pœnæ delendum, ita neque post pœnitentiam, quæ nihil aliud est, quam memoria baptismi. Hoc autem falso principio constituto, manifeste fluit alius pessimus Novatorum error, supervacaneas esse Indulgentias, quæ ad delendas peccatorum reliquias salubriter sunt institutæ; & commentitium esse Purgatorium, quo animæ piorum detineri dicuntur post mortem, quousque omnes culparum maculas eluant. Ita frequentissime Novatores, ut necesse non sit, eorumdem verba afferre.

552. Hunc pestiferum Novatorum errorem anathemate proscripsit Synodus Tridentina Sess. VII. can. 10. his verbis: *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.*

553. Et merito quidem: nam Ecclesia ab ipsis suis incunabulis semper consuevit, iis, qui post baptisma in gravia peccata delapsi sunt, multa, & laboriosa opera pœnitentiæ imponere, quæ baptizatis non imponebantur: unde pœnitentia passim, ac fere communi vocabulo dicta est *laboriosus baptismus*, aut *baptismus lacrymarum*. Verum est tamen aliquo sensu remissionem peccatorum, quæ post baptismum perpetrantur, ab ipso baptismo pendere, quia sine baptismo, qui est aliorum Sacramentorum janua, nullus est Sacramento pœnitentiæ locus. Sed hæc fusius, ubi de hoc Sacramento agemus.

CAPUT XII.

De Baptismi ministro.

554. Certum est, neminem posse seipsum baptizare, ut declaravit Innocentius III. cap. *Debitum de bapt. & ejus effect.* sup. allegatus num. 173. Dissert. III. Theologi autem, ut accuratius de ministro baptismi disputent, distinguere solent *primo* administrationem *solemnem*, qualis in veteri Ecclesia fieri solebat in duabus Festivitatibus Paschatis, & Pentecostes; *secundo publicam*, quæ nunc etiam fieri solet, licet non cum tanta solemnitate in Ecclesiæ Baptisteriis; *tertio privatam*, quæ in privatis ædibus aliquando fit periculo mortis instante.

555. Distinguunt ulterius ministrum *ordinarium*, eum nempe, cui jure, & ex officio competit hujus Sacramenti collatio; & *extraordinarium*, qui ex concessione Ecclesiæ, immo ipsius Christi, baptismum in quibusdam casibus conferendi potestatem habet. Ministri *ordinarii* baptismatis sunt soli Episcopi, & Presbyteri; *extraordinarii* vero, & ex delegatione, sunt Diaconi; atque in casu necessitatis quilibet homo, sive mas, sive femina, atque ipsi etiam Pagani, Judæi, ceterique non baptizati. Quæ omnia aliquanto uberius declaranda sunt.

PROPOSITIO I.

Ordinarii ministri baptismatis sunt Episcopi, & Presbyteri.

556. De Episcopis, qui sunt successores Apostolorum, dubitare nos minime sinunt ea Christi verba Matth. XXVIII. *Euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*, quibus utrumque officium docendi, & baptizandi Apostolis impositum fuit: adeoque etiam Episcopis Apostolorum successoribus.

557. Id quoque constat ex antiqua Ecclesiæ consuetudine. Episcopi enim solebant catechumenos instruere, ac deinde in majoribus Paschatis, & Pentecostes festis solemniter baptizare. Theodoretus Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 27. memorat sacram vestem aureis filis contextam, quam Constantinus Magnus Macario Jerosolymitano Episcopo donaverat, *ut ea indutus divini baptismi ministerium perageret.* Legitur etiam de S. Remigio, quod *Amphibalum album paschalem*, vestem nempe sa-

sacram, suo successori testamento legaverit, qua in collatione baptismi uteretur. Atque ut innumera alia monumenta prætermittam, Paulinus in vita S. Ambrosii n. 38. refert, tunc S. Antistitem in rebus divinis adeo indefesse laborasse, ut post ejus mortem vix quinque Episcopi sufficerint ad id, *quod solitus erat circa baptizandos solus implere*. S. Augustinus se ejusdem manibus baptizatum fuisse gloriabatur Lib. V. *Confes.* cap. 17. Sed hæc consuetudo diu perdurare non potuit, aucto ubique fidelium numero.

358. Quamobrem Presbyteri etiam hoc munere functi sunt. Id expressum habetur Lib. III. *Constit. Apost.*, ubi dicitur, facultatem baptizandi habere *Episcopos*, & *Presbyteros*, *ministrantibus Diaconis*. Id insuper asseritur in Canon. vulgo *Apostol.* 47., 48. & 50., ubi simul Episcopi, & Presbyteri, ut baptismi ministri, nominantur.

359. Rationem vero, ob quam etiam Presbyteri sint *ordinarii* ministri baptismatis, hanc allegat S. Thomas 3. P. quæst. 67. art. 2. ,, quia Sa-
,, cerdotes consecrantur, ut Sacramentum corporis
,, Christi conficiant. Illud autem est Sacramentum
,, ecclesiasticæ unitatis, secundum illud Apostoli
,, 1. Corinth. X. 17. *Unus panis, & unum cor-*
,, *pus multi sumus, omnes, qui de uno pane,*
,, *& de uno calice participamus*. Per baptismum
,, autem aliquis fit particeps ecclesiasticæ unita-
,, tis: unde & accipit jus ad mensam Domini ac-
,, cedendi. Et ideo sicut ad Sacerdotem pertinet
,, consecrare Eucharistiam (ad quod principaliter
,, Sacerdotium ordinatur); ita ad proprium of-
,, ficium Sacerdotis pertinet baptizare: ejusdem
,, enim videtur esse operari totum, & partem in
,, toto. "

360. Alia ratio affertur a Guill. Estio in IV. Dist. V. §. 1. exemplo Apostolorum corroborata. Quoniam enim Episcopis alia majora incumbunt onera, docendi videlicet, & orandi, quæ impediri possent, si multum in iis, quæ minora sunt, occuparentur, hinc factum est, ut jam ab initio baptizandi provincia Presbyteris inferioribus relinqueretur, siquidem & Christus non per se baptizavit Jo. IV. 2., qui tamen per se oravit, & Evangelium prædicavit. Et Petrus Act. X. 18. Cornelium, familiaresque ejus a se salutari doctrina prius instructos per alios baptizari jussit. Et Paulus I. Corinth. I. 16. seq. paucissimos a se baptizatos testatur: *non enim*, inquit, *misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Idem Paulus quoque duodecim viris aliorum opera baptizatis ipse manus imposuit Act. XIX. 6. Denique in negotio non dissimili dictum est ab Apostolo Act. VI. 2. *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis ... Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus*. Id enim pari ratione officio baptizandi adaptari potest.

361. Quod ergo, concludit Estius, Christus Apostolis in Evangelio mandat, ut doceant, & baptizent; ita ex Actis, & verbis Apostolicis intelligendum esse discimus, ut doctrinæ ipsi per se jubeantur intendere, baptismum vero possint, vel etiam debeant, ne a gravioribus Ordinis sui functionibus avocentur, per alios administrare.

362. Ex his, aliisque momentis apparet, quam vere ab Eugenio IV. in Decreto pro Armenis definitum fuerit, *Ministrum Sacramenti baptismi esse Sacerdotem, cui ex officio competit baptizare*.

363. Ob. *primo*. Tertullianus *De bapt.* cap. 17. Presbyteris, non minus, quam Diaconis, concedit quidem facultatem baptizandi, sed ex Episcopi delegatione: inquit enim: *Dandi baptismi habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus: deinde Presbyteri, & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est*. Tertullianum autem videtur exscribere S. Hieronymus in *Dial. cont. Lucifer.* num. 9. inquiens: *Sine Episcopi jussione neque Presbyterum, neque Diaconum baptizandi jus habere*. *Præterea* S. Ignatius ad Smyrnæos n. 9. aperte scribit, *non esse licitum sine Episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare*. *Tertio*. Concilium Hispalense II. anno 619. cap. 17. decernit, *neque coram Episcopo licere Presbyteris in baptisterium introire, neque præsente Antistite infantem tingere*. *Quarto* Edm. Martene Lib. *De ant. Ecclesiæ ritibus* cap. 1. art. 3. affert epistolam Clericorum Italiæ, qua Legatos Francorum Constantinopolim proficiscentes rogant, ut ab Imperatore obtineant, Dacium Episcopum Mediolanensem ad suam Ecclesiam redire, *quia cum pene omnes Episcopi, quos ordinare solet ... mortui sint, immensa populi multitudo sine baptismo moritur*. Ubi eruditus hic Scriptor scite advertit, neminem perire debuisse sine baptismo, si alii, quam Episcopi baptizassent. Quod etiam dicendum est de temporibus S. Gregorii Magni, qui in epist. 35. Lib. I. Romanum Patricium, & Exarcham rogat, ut Blandum Episcopum civitatis Hortensis ad suam Ecclesiam remittat, *ne infantes pro peccatis absque baptismate moriantur*.

364. Verum Catechismus Rom. P. II. cap. 2. n. 13. hæc intelligenda vult de eo baptismo, qui certis anni diebus solemni cæremonia administrari consueverat. Episcopo enim præsente, nonnisi ipsius jussu Presbyteri baptismum conferebant *propter Ecclesiæ honorem*, ut loquitur Tertullianus. Et quamvis hic Africanus scriptor, quem sequitur Hieronymus, simul cum Presbyteris conjungat Diaconos, quos certum est auctoritate ordinaria conferendi baptismum non pollere, tamen ex aliis vetustis monumentis colligitur, Presbyteros Episcopi jussu ordinaria sua facultate, Diaconos vero nonnisi extraordinaria baptizare. Sane in *Constitutionibus* vulgo *Apostolicis* Lib. III. cap. 11. ita præcipitur: *Neque reliquos Clericos baptismum conferre volumus ... nisi solos Episcopos, & Presbyteros, ministrantibus Diaconis*. Et cap. 20.

Pre-

Presbyter quidem doceat, offerat, baptizet, benedicat populo, Diaconus vero ministret Episcopo, ac Presbyteris.

565. Ad *secundum* dico, verba Sancti Ignatii esse explicanda de solemni administratione baptismi, quæ fiebat in Paschate, & Pentecoste ab Episcopis.

566. Concilii Hispal. decretum ita explicatur ab Edm. Martene, qui illud affert Tom. I. *De ant. Eccl. ritibus* cap. 1., ut subintelligenda sit hæc clausula, *Nisi Episcopus ipse jusserit* (a).

567. Postremum debet ab ipsis Adversariis cum aliqua restrictione explicari, scilicet quod absentibus Episcopis non posset baptismus *solemniter* administrari cum Sacerdotum, & Diaconorum assistentia; non autem quod *absolute* conferri non posset. Nam *primo* nec ipsi Adversarii negant, Presbyteros, & Diaconos, saltem ex delegatione esse legitimos hujus Sacramenti ministros; hæc autem delegatio etiam ab Episcopis absentibus obtineri facile poterat. *Deinde* dici potest, jussionem Episcopi, qua ad baptismum conferendum Presbyteri indigebant, contentam fuisse in illa generali ordinatione, qua Presbyteri certis Ecclesiis destinabantur, ut in ipsis Religionis cultum Deo offerrent, ac populorum necessitatibus in Sacramentorum administratione inservirent. *Denique* est apud omnes Catholicos indubitatum, in casu necessitatis quemlibet hominem posse, & debere periclitantibus hoc salutis remedium conferre: unde non apparet, quomodo absentibus Episcopis *immensa* infantium *multitudo* deberet sine baptismo perire.

568. Ob. *secundo*. Christus Dominus eodem præcepto jussit *docere*, & *baptizare*: ergo ad illos spectat baptizare, ad quos spectat docere; sed hoc secundum pertinet ad officium Episcopi, ut patet per Dionysium V. & IV. *Eccl. Hier.*: ergo &c.

569. Respondet Doctor Angelicus in hac quæst. 67. art. 2. ad 1., *utrumque officium, scilicet docendi, & baptizandi, Dominum Apostolis injunxisse, quorum vicem gerunt Episcopi, aliter tamen, & aliter*. „ Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent, tamquam principalissimum, unde & ipsi Apostoli dixerunt Act. VI. 3. *Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*. Officium autem baptizandi commisit Apostolis, ut per alios exercendum; unde & Apostolus dicit 1. ad Corint. I. 17. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Et hoc ideo, quia in baptizando nihil operatur meritum, & sapientia ministri, sicut in docendo. In cujus etiam signum nec ipse Dominus baptizavit, sed discipuli ejus, ut dicitur Jo. IV. Nec tamen per hoc excluditur, quin Episcopi possint baptizare, quia quod potest potestas inferior, potest & superior; unde & Apostolus ibidem dicit, se quosdam baptizasse " (b).

PROPOSITIO II.

Diaconi non sunt ministri ordinarii baptismatis, sed tantum delegati.

570. Diaconus posse baptismum administrare, evincitur ex Actis Apostolorum, ubi cap. VIII. 38. Philippus Diaconus dicitur baptizasse Eunuchum, & ver. 12. innuitur, ab eodem fuisse baptizatos viros, & mulieres. Sed hoc ex Apostolorum delegatione factum fuisse, communiter creditur. Cum enim ipsi pauci numero ubique esse nequirent, verisimile est, potestatem fecisse Diaconis, aliisque Discipulis baptismum conferendi, quando usque ad Presbyterorum præsentiam differri non poterat. (Sanctus Ambrosius in Ps. LXVII. impatientis desiderii cupiditati tribuit, ut Eunuchus a Diacono baptismum exigeret.)

571. Nam Diaconos non esse ordinarios baptismi ministros, probat S. Thomas 3. P. quæst. 67. art. 1., ex verbis Gelasii Papæ, quæ referuntur in Decret. XCIII. Dist. cap. 13., quibus jubentur *Diaconi propriam observare mensuram;* & infra: *Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis Ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat.*

572. Ulterius idipsum probat Angelicus hac theologica ratione. „ Sicut cælestium ordinum proprietates, & eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ita etiam ex nominibus ecclesiasticorum Ordinum accipi potest, quid ad unumquemque pertineat Ordinem. Dicuntur autem *Diaconi*, quasi *ministri*, quia videlicet ad Diaconos, non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere; sed adhibere ministerium aliis majoribus in Sacramentorum exhibitione. Et sic ad Diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio, tradere Sacramentum baptismi, sed in collatione hujus Sacramenti & aliorum, assistere, & ministrare majoribus. Unde Isidorus dicit: *Ad Diaconum* „ *per-*

(a) Simile decretum allegari solet Leonis Magni in epist. olim 88. nunc 3. in Append. his verbis contentum: *Sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere*. Verum hanc epistolam subdititiam esse ostendit Pasch. Quesnellius Dissert. XI. in S. Leonem. Vid. P. Constantius Dom. I. Epistol. RR. PP. in epistol. XXV. Innocentii I. ad Decentium not. e.

(b) Huic S. Thomæ, aliorumque Theologorum pene communi doctrinæ repugnat Scotus, cujus sententiam exponit, & sequitur Card. De Laurea in IV. *Sentent.* Disp. XV. art. 1. contendens *ministerium baptizandi licite ex officio convenire Sacerdotibus, non virtute Ordinis præcise, sed ex delegatione, seu consensu Episcopi.*

,, *pertinet assistere, & ministrare Sacerdotibus*
,, *in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena, & calice.*" Hæc verba leguntur in Lib. II. *De officiis* cap. 24., & referuntur Dist. XXV. cap. 1. *Prælatis*.

573. Ob. *primo*. Christus Dominus conjunxit simul officium prædicandi Evangelium, & baptizandi; atqui possunt Diaconi jure suo prædicare evangelium: ergo etiam baptizare.

574. Respondet S. Thomas ad 1., pertinere ad Diaconum *recitare Evangelium in Ecclesia, & prædicare ipsum per modum Catechizantis ... Sed docere, id est exponere Evangelium, pertinet proprie ad Episcopum*.

575. Ob. *secundo* exemplum S. Laurentii Diaconi, qui Lucillum, Hippolytum, totamque illius familiam baptizavit, a quo detinebatur in carcere, ut discimus ex ejus Actis.

576. Respondet Angelicus ad 3., *quod quia baptismus est Sacramentum necessitatis permittitur Diaconis necessitate urgente in absentia majorum baptizare. Et hoc modo B. Laurentius Diaconus existens baptizavit*.

577. Ob. *tertio*. In Can. 77. Concilii Elliberitani hæc habentur: *Si Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus per benedictionem eos perficere debebit*. Supponit ergo Concilium, Diacones esse posse Rectores parœciarum; quo in munere certe jure proprio baptizare poterant. *Præterea* in ipsa Diaconorum ordinatione Episcopus dicit, *Diaconum oportet ministrare, baptizare, & prædicare*.

578. Resp., illis Diaconis, qui in Ecclesiis regendis extraordinaria potestate olim destinabantur, fuisse etiam delegatam facultatem baptizandi. In Ordinatione vero deputantur ut *ministri*; adeoque ipsis confertur ea potestas, quam ex suo charactere non habent, ut sup. n. 572. cum S. Thoma explicatum est.

579. Ob. *quarto* probando, Diaconos nec posse ad baptizandum delegare. S. Epiphanius *Hæresi* 79. n. 4. postquam *Diaconissis, & Presbytidis* potestatem baptizandi denegavit, ita subdit: *Nam neque Diaconis quidem ipsis ullum in ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur; sed hoc duntaxat, ut eorum, quæ perficiuntur, ministri sint*. Similiter S. Maximus ad cap. III. Dionysii Areopag. *De cœlesti Hier.* expresse tradit, quod sicut Presbyteri possunt *docere, & donum offerre, non autem ordinare*, ita Diaconi possunt *docere, non autem baptizare*.

580. Resp., Epiphanium esse intelligendum de baptismo solemniter ab Episcopo, vel Presbytero collato, in qua solemnitate Diaconorum munus erat tantummodo Episcopo, vel Presbytero ministrare.

581. S. Maximus autem videtur loqui de perfecto baptismo, quando ei conjungebatur Sacramentum confirmationis, quod nonnisi ab Episcopo conferri potest. Ita enim S. Martyr prosequitur: *Non enim dabant Spiritum sanctum, sicut neque Philippus Diaconus in Actis Sanct. Apostolorum*.

PROPOSITIO III.

Imminente periculo mortis etiam Laici utriusque sexus; immo, & Judæi, vel Gentiles baptizare possunt (a).

582. Prob. *primo* auctoritate veterum Patrum, Tertullianus in sæpe allegato cap. 17. *De bapt.* ita subdit: *Alioquin etiam laicis jus est*. Et postquam dixisset, ab hoc jure exercendo abstinendum iis esse propter debitam verecundiam, & modestiam, ita concludit: *Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris, sicut aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit: tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis*. S. Hieronymus in *Dial. adv. Luciferianos* inquit: *Baptizare, si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis*. Et S. Augustinus Lib. II. *contra epistolam Parmeniani* cap. 13. de baptismo a laicis dato loquens, *Nulla*, inquit, *necessitate cogente si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est*. Demum multo antea in Concilio Elliberitano anno circ. 300. can. 38. statutum fuerat, *fidelem quemlibet posse, si Ecclesia in proximo non fuerit, peregrinantem catechumenum in necessitate infirmitatis positum baptizare*.

583. S. Thomas in hac quæst. 67. art. 3. post allegatam auctoritatem Gelasii Papæ, & Isidori, qui id conceptis verbis tradunt, ita profunde more suo ratiocinatur: ,, Ad misericordiam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his,

(a) Calvinus Lib. IV. *Instit.* cap. 15. num. 10. hæc effutire non est veritus: *Quod autem multis abhinc sæculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video, qua firma ratione defendi queat*. Totum autem Calvini fundamentum hoc erat, quod nulla sit baptismi necessitas ad salutem. Debuisset autem impius hæresiarca potius e converso colligere, summam esse hujus Sacramenti necessitatem, cum Ecclesia ab ipso suo *exordio* permiserit laicis pueros in extremo periculo constitutos baptizare; utique non alia de causa, nisi in æternum non perirent. Calvinum sequitur Ger. Jo. Vossius, qui tamen fatetur ex fide Jo. Casauboni, a Calvinistis Anglis aliud doceri. Petrus Arcudius Lib. I. *De baptismo* cap. 11. Græcos quosdam accusat, quod malint, pueros sine baptismo perire, quam a Laicis baptizari. Ejusdem erroris accusantur Armeni a Clemente Galano Tom. II. P. II. *Conciliat. Ecclesiæ Armenæ cum Romana* sect. 4., qui etiam nonnullas Armenorum levissimas objectiones affert, & facile dissolvit.

his, quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem Sacramenta maxime necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem ...... Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est, ut & materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quæ a quolibet de facili haberi potest, & minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suæ dispendium patiatur."

384. De fœmina vero ita subdit Angelicus art. 4. „ Christus est, qui principaliter baptizat, secundum illud Jo. I. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est, qui baptizat*. Dicitur autem ad Gal. III. 28.: *Non est masculus, neque fœmina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. Et ideo sicut masculus laicus potest baptizare, quasi minister Christi, ita etiam & fœmina. Quia tamen *caput mulieris est vir, & caput viri est Christus*, ut dicitur 1. Cor. XI., non debet mulier baptizare, si adsit copia viri; sicut nec laicus præsente Clerico, nec Clericus præsente Sacerdote, qui tamen potest baptizare, præsente Episcopo, eo quod hoc pertinet ad officium Sacerdotis." Notat tamen Catechismus Rom. P. II. cap. 2. num. 25., improbandas non esse obstetrices, quæ baptizare consueverunt, etiam præsente aliquo viro, qui conficiendi hujus Sacramenti minime peritus sit. Rituale autem Romanum addit, posse fœminam *pudoris gratia* baptizare infantem, *non omnino editum*, etiam præsentibus viris (*a*).

385. Demum art. 5. inquirit, utrum non baptizatus possit Sacramentum baptismi conferre? Et ita respondet: „ Hanc quæstionem Augustinus indeterminatam reliquit; dicit enim Lib. II. *contra epist. Parmeniani* cap. 13.: *Hæc quidem alia quæstio est, utrum & ab his, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari; nec aliquid temere inde affirmandum est, sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit* (*b*). Postmodum vero per Ecclesiam determinatum est, quod non baptizati, sive sint Judæi, sive Pagani, possunt Sacramentum baptismi conferre. Et post allegata duo testimonia Nicolai I., & Gregorii III. ita pergit: „ Et hujus ratio est, quia sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem Sacramenti sufficit quæcumque aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo. Et ideo etiam non baptizatus, in articulo necessitatis baptizare potest."

386. Quæ doctrina universim in Ecclesia approbata fuit. Jam enim a sæculo IX. Nicolaus I. in resp. ad Bulgaros valere dixit baptismum ab homine Judæo, vel Pagano collatum. Post autem idem statutum fuit in Concilio Lateranensi IV. anno 1215. cap. *Firmiter*, ubi hæc leguntur: *Sacramentum baptismi a quocumque rite collatum proficit ad salutem*. Expressius vero Eugenius IV. in *Instructione Armenorum* ita definit: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, immo etiam paganus, & hæreticus baptizare potest*.

387. Ob. *primo* contra baptismum a laicis collatum. In sacris litteris nullibi legitur mandatum fuisse laicis baptizare, neque ullum habetur exemplum baptismi a laicis collati. Quod enim aliqui post Bellarminum asserunt, Ananiam, cum S. Paulum baptizavit, fuisse laicum, non est omnino certum.

388. Resp., vanam esse hanc difficultatem, quam soli Novatores rejicientes Apostolicas traditiones movere possunt. Ex traditione autem, & antiquissimo Ecclesiæ usu habemus, etiam laicos necessitate urgente posse baptizare. Tempore Apostolorum ista necessitas fortasse non fuit; & fortasse etiam si aliquando fuerit, sacri Scriptores hoc factum, ut multa alia, litteris non consignarunt.

389. Dices *primo*. S. Gregorius Nazianz. in *Carm*. I. suæ vitæ eleganter describit horribilem maris procellam, qua se submersum iri vehementer timuit, cum nondum esset baptizatus; nec tamen credidit, se posse a laicis, quibuscum erat, in mortis periculo baptizari. Idem S. Ambrosius narrat de fratre suo Satyro, qui in periculo naufragii petiit quidem, & obtinuit, sibi Eucharistiam dari, quam in sudario deferebat, non autem petiit baptismum.

390. Respondet Tillemontius Tom. IX. *Hist.*, vere fuisse nonnullorum veterum sententiam, baptismum non licere a laicis peti. Sed ego potius censerem, non fuisse tantum naufragii periculum, ut vera crederetur necessitas petendi baptismum a laicis.

391. Dices *secundo*. Non minor aliquando est necessitas Sacramenti pœnitentiæ ad salutem, quam baptismi: atqui non potest illud Sacramentum a laicis conferri; ergo nec baptismus.

392. Resp. cum S. Thoma neg. maj.; potest enim per contritionem suppleri defectus Sacerdotalis absolutionis: baptismi autem defectus in pueris nullo alio remedio suppleri potest, nisi baptismo, aut martyrio.

393. Dices *tertio*. Auctor *Constitutionum apostolicarum* Lib. III. cap. 10. laicis nullam potestatem

(*a*) Aliqui Calvinistæ concedunt, laicos viros posse in necessitate baptizare, id tamen omnino denegant fœminis. Inter alios Theod. Beza, qui P. II. *Quæstionum* quæst. 139. *ισοβάπτγυναικμον baptismum fœminarum fabulam* vocat.

(*b*) Idem tamen S. Pater Lib. VII. *de baptismo* cap. 53. ait, si in Concilio esset interrogatus de hac re, *nequaquam dubitaturum, habere eos baptisma qui ubicumque & a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent*.

tem concedit sacrificium offerendi, aut baptizandi, atque inobedientibus minitatur Oziæ regis supplicium. *Ulterius* Cyprianus, Firmilianus, & Basilius docuerunt, nullum esse baptismum collatum a laicis. Basilius enim epist. 188. ad Amphilochium can. 1. dicit, eos, qui ab hæreticis Episcopis baptizati fuerant, *tamquam a laicis baptizatos* debuisse vero Ecclesiæ baptismate expurgari. Putavit ergo Basilius baptismum a laicis valide conferri non posse.

394. Resp. ad *primum*, eo loci solum excludi laicos a solemni administratione baptismi, quæ Episcopis, & Presbyteris, vel ex delegatione etiam Diaconis, nunquam vero laicis committebatur. Comminatio supplicii Oziæ regis, quod legitur 2. *Paralip.* XXVI. 16. seq. satis ostendit, hic agi de publica, & solemni Sacramentorum celebratione. Ozias enim fuit palam a Deo punitus, quia *adolere voluit incensum super altare thymiamatis*, resistentibus Sacerdotibus, & dicentibus: *Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum*.

395. Ad *secundum* resp., Cyprianum, Firmilianum, Basilium, aliosque rebaptizantes nunquam dubitasse baptismum a laicis baptizatis collatum esse validum, & in casu necessitatis etiam licitum, sed solum putabant, esse invalidum, quando a laicis non baptizatis conferebatur. Jam vero cum baptismum hæreticorum nullum esse crederent, laicos in hæresi baptizatos non posse aliis baptismum conferre existimabant; quæ eorum opinio licet falsa, ad hanc nostram controversiam non spectat, sed ad aliam, an valeat baptismus a Judæo, vel Pagano impertitus. Non fuit autem eo tempore hæc quæstio *expresse* tractata, nec resoluta, ut vidimus supra n. 385. ex S. Augustino, *implicite* tamen erat definita, nempe communi illa totius Ecclesiæ ratione, qua Rebaptizantes confutati sunt, *Christum esse, qui baptizat*, adeoque minime esse quærendum, quisnam sit baptismi minister, dummodo omnia rite servarentur, quæ Christus observanda præcepit.

396. Dices *quarto*, S. Hieronymus in *Altercatione Luciferiani, & orthodoxi* n. 4. concedit Luciferiano, a laico pœnitente deponendum esse *Sacerdotium laici, id est baptisma*, quod ab Arianis receperat, quos Luciferianus minime Episcopos esse, sed laicos contendebat.

397. Resp., id dictum fuisse a Hieronymo, non in propria sententia, sed tamquam absurdum consequens ex duritie Luciferianorum, qui non aliter Episcopos, qui ab Ariana hæresi ad Ecclesiæ sinum veniebant, recipiendos esse volebant, quam ut simplices laicos, deposito Episcopatus honore, inquientes: *Si errasse se confitetur, cur Episcopus perseverat? Deponat sacerdotium, concedo veniam pœnitenti*. Regerebat Hieronymus: *Si laicus errasse se confitetur, quomodo laicus perseverat? Deponat sacerdotium laici, idest baptisma, & ego do veniam pœnitenti*. Ita Luciferianos argumento ad hominem adstringebat, ut Episcopos pœnitentes in sua dignitate conservaret. Ceterum in eadem altercatione n. 9. aperte ita asserit Doctor maximus: *Si necessitas cogit, dicimus, etiam licere laicis baptizare*.

398. Dices *quinto*. Saltem laici *bigami* neque in extrema necessitate baptizare possunt: nam Concilium Elliberitanum loco sup. n.382. citato, ubi laico potestatem baptizandi facit, hanc conditionem apponit, ut *lavacrum suum integrum habeat*, nec *sit bigamus*.

399. Resp., a doctissimis Canonistis cum canonem valde obscurum ita explicari, non quod absolute non possit vel bigamus, vel qui lavacrum integrum non habeat (seu qui pœnitentiam integram non absolverit) aliis deficientibus baptizare; sed quod aliis laicis præsentibus, unus ex his utpote pœnitentibus, ac bigamis dignior debeat baptizare (*a*).

400. Dices *postremo*. In *Annalibus* Mich. Glycæ P. III. refertur, a Dionysio Antistite invalidum fuisse judicatum baptismum a laico collatum alicui Judæo in publica via morbo laboranti; cum enim accepto baptismo mox convaluisset, ad Antistitem delatus fuit iterum baptizatus.

401. Resp., magnam certe fuisse Sæc. XV. in quo floruit, Glycæ Siculi existimationem, sed postea ejus *Annales*, quos latinitate donavit Ambrosius Camaldulensis (ut testatur Aloys. Lippomanus in Præfat.) a severioribus Criticis esse sæpius in dubium vocatos, & nonnunquam aperte rejectos. Historia Judæi eadem esse putatur, quam narrant Jo. Moschus in *Prato spirituali* cap. 176. & Nicephorus Lib. III. *Histor.* cap. 37. (Vid. sup. n. 129.) qui scilicet deficiente aqua baptizatus fuerat arena superfusa; quem propterea baptismum merito irritum declaravit Dionysius Ascalonensis Episcopus (*b*).

402. Obj. *secundo* contra baptismum fœminarum, quem invalidum, aut saltem illicitum esse, ita

(*a*) Ita Albaspinæus Episcopus Aurelianensis multigenæ eruditionis copia clarissimus, quem secuti postea sunt Franc. Le-Roy *instit. Canon.* Lib. II. tit. 3., Bern. Van-Espen P. II. Sect. I. tit. 3. cap. 3. Petavius tamen, qui duriora veterum Patrum verba emollire non solebat, in *animadversionibus* in Epiphanium pag. 341., miratur bigamis fuisse negatam in extrema necessitate baptizandi facultatem. Idem doctissimus Theologus verba Basilii superius n. 393. allata nulla posse ratione ad sanum sensum referri putavit. Nihilominus non desunt, qui S. Doctorem explicent non de novo baptismo, sed de confirmatione, quæ a laicis dari non potest; subdit enim: *Qui ab illorum baptismo veniunt, unguntur coram fidelibus, & ita demum ad mysteria accedunt*.

(*b*) Jo. Bapt. Cotelerius vir doctissimus in not. ad cap. 9. Lib. III. *Constitut. Apostol.* hanc Glycæ narrationem pluribus de causis ut supposititiam rejicit.

ita demonstrare conantur. *Primo Tertullianus*, *De velandis virgin.* cap. 9. inquit: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec tingere, nec offerre. Secundo* in Lib. III. *Constitut. Apostol.* cap. 9. ita inscribitur: *Quod non oportet, ut mulieres baptizent;* & postea subditur, hanc rem *periculosam* esse, *immo vero illicitam, & impiam. Tertio* Epiphanius *Hæresi* LXXIX. mulieribus baptisma dare, concreditum esse negat; *alioquin potuisset Christus ab ipsa* (Maria Virgine) *baptizari potius, quam a Joanne.* Et paulo post: *Ecclesiasticus ordo nec presbyteras, nec sacrificulas ordinavit.* Item ibid. n. 3. & 7. negat Dei matri baptizandi potestatem fuisse datam. *Demum* in can. 100. Concilii Carthag. IV. ita præcipitur: *Mulier baptizare non præsumat;* cui canoni perperam Lombardus, & Gratianus hæc verba addiderunt: *Nisi cogente necessitate;* quæ nec in canone continentur, nec a Balsamone indicantur.

403. Resp. ad primum, Tertulliani locum esse intelligendum de baptismo solemni, vel publico in Ecclesia; aut etiam extra casum necessitatis: in necessitate enim omnes sine exceptione baptizare posse, & debere, luculentissime docet *De baptismo* cap. 17. Quamobrem in Lib. *De Præscript.* cap. 41. inquiebat: *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces! Quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere*, nempe publice & sine necessitate.

404. Lex etiam lata in *Constitutionibus* vulgo *Apostolicis* de ordinaria potestate baptizandi intelligenda est, quæ utique mulieribus non competit, sicuti nec publice docendi in Ecclesia. Atque hæc lex sancita creditur contra hæresim ea tempestate grassantem, quæ mulieribus sacerdotalia munia attribuebat; quod certe *impium* erat. Non prohiberi autem mulieribus privatim, & necessitate urgente baptismum conferre, nedum ex allatis superius monumentis n. 384. aperte evincitur, sed etiam Ecclesiæ usus nos docet.

405. Epiphanius manifeste loquitur de administratione baptismi solemni, vel publica in Ecclesia, quæ certe mulieribus concredita non fuit; non autem de privata, & in casu necessitatis.

406. Ita pariter intelligendum esse vult S. Thomas art. 4. ad 1. Canonem Carthaginensem, ubi non solum mulieribus prohibetur baptizare, sed etiam *docere*. Quamobrem sicut non fuit prohibitum mulieribus privatim docere, quemadmodum Priscilla simul cum Aquila assumpsit Judæum quemdam *Apollo* nomine, *& diligentius exposuerunt ei viam Domini*, ut dicitur Act. XVIII. 24. seq.; ita vetitum non fuit mulieribus necessitate urgente privatim, & sine ullo cæremoniarum apparatu baptizare. S. Paulus Roman. XVI. 1. commendabat Phæben, *quæ erat in ministerio Ecclesiæ.* Fatemur, verba illa *Nisi urgente necessitate* fuisse canoni addita, non tamen dolo malo, sed majoris explicationis gratia, & ex communi fidelium persuasione.

407. Obj. *tertio* contra valorem baptismi a non baptizato collati. I. Patres, qui contra rebaptizantes doctrinam Ecclesiæ strenue tutati sunt, huic potissimum principio innitebantur, quod hæretici baptismum dare possent, quia ipsi eum habebant, neque in hæresi amiserant: ergo censebant, eos, qui baptismum non haberent, illum aliis conferre non posse. II. Tertullianus eidem principio inhærens *De bapt.* cap. 17. probat, laicos baptizatos posse in necessitate baptizare, quia *quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest;* & S. Hieronymus in *Altercat. cum Luciferiano* n. 9. eamdem adhibet rationem, ut probet, laicos, si necessitas cogat, licite baptizare, *ut enim*, inquit, *accipit quis, ita & dare potest:* ergo ab opposito qui non accepit baptismum, nec dare potest. III. Idem S. Hieronymus in eodem opere n. 12. Luciferianum alloquens, *Novam*, inquit, *rem asseris, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus.* IV. in *Capitularibus* ab Angeliso, & Benedicto Levita collectis Lib. VIII. n. 401. *præcipitur, ut qui a paganis baptizati sunt, denuo a sacerdotibus in nomine sanctæ Trinitatis baptizentur.* Item Lib. VI. n. 94. dicitur: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes, quos prius baptizavit.*

408. Ad I. resp., non unum, nec præcipuum argumentum hoc fuisse, quo Patres contra rebaptizantes utebantur; sed illud maxime urgebant, Christum esse qui baptizat; alio autem utebantur quasi ad hominem, ducto ex eorum principio, solam Ecclesiam Catholicam habere baptismum; adeoque extra illam dari non posse. Nostri vero respondebant, hæreticos, vel schismaticos ab Ecclesiæ unitate recedentes baptismum non amisisse, propter indelebilem ipsius characterem; adeoque etiam dare posse. Alia quæstio de baptismo dato a Judæis, vel Gentilibus exorta nondum fuerat.

409. Ad II. dico, Tertullianum, & Hieronymum eam reddidisse rationem, quæ vera est, sed non sola; nec exclusisse aliam potiorem, quæ ducitur ex necessitate hujus Sacramenti, propter quam Deus misericors, & bonus voluit, ut sicut materia hujus Sacramenti erat communis, & facile parabilis, ita & minister necessitate urgente illico haberi posset.

410. Ad III. S. Hieronymus nomen *Christiani* eo loci sumit pro fideli orthodoxo, cujusmodi certe fieri non potest, qui extra veram Ecclesiam baptismum recipit; unde inferebat, baptizatum ab Arianis fieri non posse *Christianum*, idest Catholicum, & orthodoxum, quia baptizatus est in ea fide, quam habent Ariani, quæ utique falsa est.

411. Ad IV. ita generaliter respondet Nat. Alexander *Theol. Dogmat. Mor.* Lib. 2. cap. 5.: „ Si „ qui canones baptismum a Paganis collatum re- „ jicere, ac irritum declarare videntur, de illis „ sunt intelligendi, qui baptismi formam, & Ec- „ clesiæ ritum non servant. Ita cap. *Quos a pa-* „ *ga-*

„ *ganis* Dist. IV. *De consecratione* cap. 52. quod „ est Gregorii III. ad Bonifacium Episcopum scribentis: *Quos a paganis baptizatos esse asseruisti, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis mandamus*. Unde Lib. V. *Capitularium* cap. 6. habetur: *Si quis baptizatus est a Presbytero non baptizato, & sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuit, baptizatus est &c.* " Sic facile concordantur decreta, quæ sibi invicem repugnare videntur.

Quæres, *an valeat baptismus a duobus ministris collatus, quorum unus aquam infundat, alter formam pronunciet?*

412. Respondet Angelicus 3. P. qu. 67. art. 6., *negative, quia homo non baptizat, nisi ut minister Christi: unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet*. Post autem docet, quod si uterque diceret: *Ego te baptizo*, baptismum valeret, *quia uterque intenderet non baptizatum baptizare, & uterque, quantum in se est; baptizaret*. Dicitur alicubi apud Protestantes id aliquando fieri, ut unus aquam infundat, alter e suggestu formam pronunciet: quo in casu baptismus est proculdubio invalidus.

CAPUT XIII.

Brevis historia veteris catechumenatus.

413. Catechumeni dicti sunt a verbo Κατηχέω, quod significat *audire*, vel *edoceri*, & *erudiri*; sed ecclesiastica hujus vocis significatione *Cathecumeni* dicebantur illi, qui doctrinam fidei audiebant, ut postquam instructi essent, baptizarentur. Ita Isidorus Lib. VIII. *De origine vocum* cap. 14. Horum vero catechumenorum aliqui Theologi nonnisi duas classes enumerant, alii plures. Nos tres distinguemus, communiorem opinionem sequentes: scilicet *Audientium*, *Orantium*, seu *Genuflectentium*, & *Competentium* seu *Electorum*. *Primi* admittebantur ad publicas instructiones in Ecclesia, ut audirent, quæ fides, & qualis vita debeat esse christiani (*a*). *Secundi* erant illi, qui postquam diligentem operam instructionibus tam privatis, quam publicis navassent, participes fiebant orationum, & benedictionum genibus flexis (*b*). *Tertii* demum erant illi, qui nomen suum dabant, ut baptismum reciperent, & qui propterea ad Episcopum ducebantur a *Sponsoribus*, seu *Fidejussoribus* (c). Breviter de singulis.

414. Quantum ad primos. S. Thomas 3. P. qu. 71. art. 1. bene observat, necessarium esse, ut catechismus præcedat baptismum, quia baptismus est fidei Sacramentum; ad hoc autem ut aliquis fidem accipiat, requiritur instructio, secundum illud Rom. X. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Unde etiam Dominus Jesus Matth. ult. 19. præceptum baptizandi Discipulis tradens, præmittit doctrinam baptismo dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

415. Porro hoc docendi officium, quod proprie Episcoporum est, necessitate cogente fuit aliis etiam impositum, quos S. Paulus 1. ad Corinth. XII. 28. vocat *Doctores*, ab Apostolis, & Prophetis distinctos; & qui postea *Catechistæ* dicti sunt, quales in Ecclesia Alexandrina fuerant Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, quorum meminit Eusebius Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 13. seq. Hoc officium etiam laicis fuisse aliquando concreditum, dubitare non sinit exemplum Origenis, qui annos octodecim natus Scholæ Alexandrinæ præfuisse dicitur. Id etiam patet ex Lib. VIII. *Constitut. Apostolic.* cap. 58., ubi dicitur: *Qui docet, quamvis sit laicus, peritus tamen sermonis, & moribus gravis doceat*. Frequentius Diaconi assumebantur, ut erat ille Diaconus Africanus *Deogratias*, ad quem Sanctus Augustinus librum *De catechizandis rudibus* direxit (*d*).

416.

(*a*) S. Augustinus Librum composuit *De catechizandis rudibus* (contentum in Tom. XI. Operum) rogatus a Fratre *Deogratias*, cui munus fuerat impositum catechumenos instruendi; ubi inter alia excellentia præcepta notatu dignum videtur, quomodo monendus sit catechumenus adversus scandala, sive foris, sive in ipsa Ecclesia. „ Multos, *inquit cap.* 25., visurus es ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, „ fornicatores &c.... Animadversurus etiam, quod illæ „ turbæ impleant Ecclesias per dies festos Christianorum, quæ implent & theatra per dies solemnes paganorum; & hæc videndo ad imitandum tentaberis... „ Conjungere bonis... multos inventurus es, si & tu „ talis esse cœperis".

(*b*) Hæc distinctio *audientium*, & *orantium*, vel *genuflectentium* invenitur expresse in can. 5. Concilii Neocæsariensis, in quo statuitur: Catechumenum, si *genuflecteas* peccet, debere rejici ad *audientes*. In Concilio etiam Nicæno can. 14. hæc habentur. De catechumenis, *qui lapsi sunt, visum est sanctæ, & magnæ Synodo, ut iï tribus annis tantum audientes sint, & postea orent cum catechumenis*.

(*c*) Sanctus Augustinus *De fide, & operibus* cap. 6. Tom. XI. *Competentes* eos nominat, qui per catechumenorum gradus ad nomen Christi accedentes, *ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt*, & quos propterea *diligentius*, & *instantius* probandos esse vult.

(*d*) Præclare S. Thomas 3. P. qu. 71. art. 4. ad 3. „ Multiplex, *inquit* est instructio. Una conversiva ad „ fidem, quam Dionysius tribuit Episcopo, & potest „ competere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fideli. Secunda est instructio, qua quis eruditur de „ fidei rudimentis, & qualiter se debeat habere in susceptione Sacramentorum; & hæc pertinet secundario quidem ad ministros, principaliter autem ad sacerdotes. Tertia est instructio de conversatione christianæ vitæ, & hæc pertinet ad patrinos. Quarta est „ instructio de profundis mysteriis fidei, & perfectione christianæ vitæ, & hæc ex officio pertinet ad Episcopos".

416. Sciendum est tamen catechumenis non fuisse explicata omnia religionis nostræ mysteria, quæ ante celabantur infidelibus, juxta illud Christi Domini præceptum Matth. VII. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis*. Hæc disciplina, quæ postea *arcani* dicta est, adeo multis, & clarissimis veterum Patrum testimoniis innititur, ut mirum videatur, aliquos inventos esse pseudo-Criticos, qui eam inficiarentur (*a*).

417. His primi ordinis catechumenis præter manuum impositionem signum crucis imprimebatur, salque ad gustandum dabatur. *Signabar jam*, inquit Sanctus Augustinus Lib. I. *Confess.* cap. 11. *signo crucis ejus* (Christi) *& condiebar ejus sale*.

418. Catechumeni secundæ classis dicebantur *genuflectentes*, & *orantes*, quia ipsis concessum erat, illi liturgiæ parti assistere, quæ proprie dicebatur *Catechumenorum*, juxta illud S. Augustini Serm. XLIX. cap. 8. *Ecce post sermonem fit Missa catechumenis: manebunt fideles, venietur ad locum orationis:* & in hac Missa debebant genuflectere, orare, ac benedictionem ab Episcopo accipere, quod *Audientibus*, prohibitum fuisse discimus ex Liturgia relata in *Constitutionibus Apostol.* Lib. VIII. cap. 5., ubi ante precum initium Diaconus clamabat: *Ne quis audientium, ne quis infidelium*. Et cap. 5. postquam *audientes* exierant, iterum Diaconus hæc pronunciabat: *Orate catechumeni, & omnes fideles pro illis cum attentione orent*. Ac demum post Orationes Diaconus catechumenos ejiciebat, dicens: *Exite catechumeni*, solis fidelibus remanentibus.

419. *Competentes* demum, vel *Perfecti* illi erant, qui stadio catechumenatus jam emenso baptismi capaces reputabantur. Ii autem *primo* nomen dare debebant; unde Sanctus Augustinus catechumenos exhortans, ut ad baptismum properarent Serm. CXXXII. n. 1. *Ecce*, inquiebat, *Pascha est, da nomen ad baptismum;* ac de seipso inquit Lib. IX. *Confess.* cap. 6.: *ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavi*. Et S. Gregorius Nyssenus eos redarguens, qui baptismum suscipere negligebant, Serm. *De baptis. Date mihi nomina*, inquiebat, *ut ego ea imprimam libris sensibilibus... Deus autem ea signet in tabulis, in quas non cadit interitus*.

420. *Secundo* isti *Competentes*, quo magis Sacramento baptismi appropinquabant, eo magis piis exercitiis operam dare tenebantur, *& exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejuniis expiari*, ut loquitur S. Siricius Epist. I. cap. 2. Sanctus autem Augustinus, qui totum catechumenatus stadium percurrerat, in Lib. *De fide & oper.* cap. 6. inter alia dicit; catechumenos illis diebus, quibus baptismi gratiam erant percepturi, *suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque fuisse purgatos*. Auctor vero Libri *De Symbolo*, qui olim Augustini putabatur, Lib. IV. cap. 1. eosdem competentes probatos fuisse innuit, *exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, nuditate pedum &c.* (*b*).

421. Neque prætereundum est, inter opera pœnitentiæ Catechumenis præscripta, enumerari a sanctis Patribus etiam confessionem peccatorum. *Exuite*, ita illos alloquebatur S. Cyrillus Jerosolym. *Catech.* I., *per confessionem veterem hominem*. Et iterum: *Tempus præsens est tempus confessionis. Confitere, quæ perpetrasti sive verbo, sive opere &c.* Item S. Jo. Chrysostomus Hom. X. in Matth. „ Confessionis tempus est, *inquit*, „ & non initiatis, & baptizatis: his quidem, ut „ post pœnitentiam peractam ad sacra veniant mysteria, illis vero ut ablutis in baptismo maculis, pura conscientia ad mensam accedant ". Multa alia id genus testimonia afferri possunt. Sed hæc intelligi minime debent da confessione Sacramentali, cujus non baptizati incapaces sunt, cum baptismus sit Sacramentorum janua; verum de confessione interiori, *quæ fit Deo, ut scilicet sua peccata recogitans de eis doleat*, ut loquitur S. Thomas 3. P. qu. 68. art. 6.; ubi hæc addit: „ Si „ qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata „ confiteri vellent, esset eorum confessio audienda non ad hoc, quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc, quod contra peccata consueta „ eis spiritualis informatio vitæ traderetur ".

422. Vocabantur etiam *Electi*, quia in scrutiniis, quæ prius haberi solebant, electi erant, ut ad exoptatum baptismi Sacramentum admitterentur. Quid autem proprie essent illa *scrutinia*, quæ sæpius repetebantur, haud facile est determinare. Prona & obvia est illorum explicatio, qui ea nihil aliud fuisse volunt, quam diligens examen vitæ præteritæ, ac præsentis dispositionis eorum, qui baptismum poscebant. Ita inter alios Guill. Durandus in *Rationali divin. Offic.* Lib. VI. cap. 55. in-

(*a*) Consule de hac œconomia erga catechumenos Edm. Martene Lib. I. *De ant. Ecclesiæ ritibus* c. 1. art. 9., & quæ nos notavimus Diss. I. n. 5. Contendunt nonnulli eruditi, catechumenis non fuisse traditum Symbolum Apostolorum, nisi quando in tertia classe *competentium*, vel perfectorum, baptismo recipiendo jam proximi erant, & *fideles* vocabantur, *ut credendo*, inquit S. Augustinus *De fide & Symbolo c.* 10., *subjugentur Deo, subjugati recte vivant, recte vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt, intelligant*. Sozomenus Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 20. scribit, se consilio virorum piorum noluisse suæ Historiæ inserere symbolum Nicænum, ne forte illud legerent, qui Sacramentis fidei nostræ initiati non erant.

(*b*) In *Euchologio Græc.* describitur catechumenus *una indutus tunica, discinctus, nudo capite, & absque calceamentis, demissas manus habens*, instar captivi, qui ad libertatem anhelat.

inquiens: *Scrutinium nihil aliud est, quam fidei, & religionis Christianæ inquisitio: est enim quasi quoddam iter, seu præparatio ad baptismum, & dicitur a scrutando, id est inquirendo* &c. Quam etymologiam exhibet etiam Rituale Card. Sanctorii sub Gregorio XIII. editum tit. *De observandis in generali, solemnique baptismo* (a).

423. Verumtamen non hoc solum examen fiebat in scrutiniis, sed addebantur solemnes abrenunciationes, confessio fidei, & complures exorcismi, cum manuum impositione super caput catechumenorum. Aspergebantur item catechumeni cineribus benedictis. Hæc scrutinia sæpius repetebantur; & in tertio, quod ceteris solemnius erat, tangebantur aures, & nares catechumenorum cum sputo oris Presbyteri. In alio scrutinio Presbyter baptizandos ungebat in pectore, & inter scapulas cum oleo sacro dicto *oleo catechumenorum* (b). Demum Dominica Palmarum lavari solebant capita competentium, *ne forte observatione quadragesimæ sordidati ad unctionem accederent;* qui ritus novo vocabulo *capitulavium*, vel *capitilavium* appellatus fuit.

424. Horum scrutiniorum usum postmodum desiisse Sæc. IX. scribit Joseph Vicecomes in laudatissimo opere *De antiquis baptismi ritibus* Lib. III. cap. 26. Guill. tamen Durandus dictus *Speculator*, qui florebat Sæc. XIII. Lib. VI. *Ration. divin. officior.* cap. 56. in Feria IV. Hebd. IV. Quadrag. adhuc suo tempore septem scrutinia in quibusdam Ecclesiis fieri consuevisse memorat, *propter septiformem gratiam Spiritus sancti*.

425. Celebris erat etiam *traditio Symboli*, quæ fiebat ante baptismum, ut illud catechumeni memoriæ mandarent, ac postea publice recitarent. Narrat S. Augustinus Lib. VIII. *Confess.* cap. 2., Victorinum quemdam, celebrem iis temporibus Rhetorem, oblationem sibi a Presbyteris factam, ut *secretius* Symbolum redderet, *illum maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri*, itaque conscendisse ambonem, & inter omnium fidelium gratulationes illum *fidem veracem præclara fiducia pronunciasse* &c. Hoc autem Symbolum Catechumeni restituere tenebantur (c).

426. Hæc, quæ præcipua visa sunt, de catechumenis adnotavimus, quæ fusius pertractata apud innumeros, eosque eruditissimos Scriptores, quorum memoriam fecimus, inveniri facile possunt. Unum addimus de Catechumenatus duratione; quæ tamen certo definiri non potest, cum varia & diversa fuerit pro circumstantiarum, & Ecclesiarum diversitate. In *Constitut. Apostol.* Lib. VIII. cap. 32. postquam triennii spatium pro Catechumenis determinatum fuit, ita subditur: „ Quod si studiose se gerit, & rei desiderio tenetur, admittatur, quia non tempus, sed vitæ institutum perpenditur. *Canon autem* 42. *Concilii Elliberitani ita statuit:* Qui ad fidem primum credulitatis accedunt, si bonæ fuerint conversationis, intra biennium placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coegerit ratio velocius subvenire periclitanti, vel gratiam postulanti." Ita ab opposito, qui in Catechumenatu peccabant, in illo diutius immorari cogebantur, ut supra vidimus in not. ad n. 412. Generaliter tamen in can. 2. Concilii Nicæni, & in 7. Concilii I. Constantinopolitani cautum est, ne nimis brevi tempore Catechumenatus absolveretur.

427. Et quamvis tres supra memoratæ Catechumenorum stationes jamdiu cessaverint, non cessavit tamen, nec cessare potest Ecclesiæ zelus, ut adulti diu, probeque examinentur, ac præparentur, antequam ad baptismi gratiam admittantur. Quamobrem ii semper improbati fuere, qui de multitudine potius, quam de probitate proselytorum solliciti nimis propere infideles, aut Judæos sacro baptismatis fonte lavabant. Vid. P. Drouven Lib. II. cap. 4., & Juvenin Dissert. II. *De baptismo* qnæst. 7. cap. 2. art. 3.

428. Ceterum Ecclesia semper quidem omnes hortata est, ut quamcitius ad gratiam baptismi accederent, qua de re complura apud sanctos Patres testimonia occurrunt, neminem tamen absolute coegit ad baptismum suscipiendum, & multa exempla præsto sunt virorum etiam piorum, qui baptismum recipere diu, immo usque ad mortem distulerunt. Et hæc satis sint de Catechumenatu. Sed quædam addenda sunt de exorcismis, quorum frequens erat in Catechumenis usus, & adhuc religiose observantur etiam in baptismo puerorum.

PROPOSITIO

Sapienter & utiliter in baptizandos adhibentur exorcismi (d).

429. Prob. hæc propositio auctoritate veterum Patrum, qui sine dubio Apostolicam doctrinam sectati sunt, non quidem scriptam, sed traditione ad

(a) Hujus Ritualis perhonorifica fit mentio in Præfat. *Ritualis* editi a Paulo V. an. 1614.; ubi vocatur Rituale *longo studio, multaque industria, & labore plenissimum*.

(b) Quamvis catechumenorum *scrutinia* in omnibus Ecclesiis facta fuisse credendum sit, non idem tamen ubique servabatur numerus, & ordo, ut videre est apud Edm. Martene Lib. I. *De ant. Ecclesiæ ritibus* cap. 1. art. 12. Nonnulla huc spectantia affert vir doctissimus noster P. Jo. Franc. M. De Rubeis in Dissert. *De sacris Forojuliensibus ritibus*, in Dissert. *variæ eruditionis* cap. postremo, ubi *Officium scrutinii* Ecclesiæ Aquilejensis inseruit.

(c) Clariss. Ant. Franc. Vezzosius ad *Sacramentarium Gelasianum* pag. 44. ostendit in *Ordine Rom.* traditionem symboli fuisse cum aurium apertione conjunctam, contra ac consueverint Ecclesiæ Gallicana, Hispanica, & Ambrosiana.

(d) Inter alias Calvini blasphemias non minima est illa, quæ Lib. IV. *Instit.* cap. 15. n. 19. omnes sole-

ad eos derivatam. *Primo* hoc innuit Tertullianus *De Præscrip. Hæret.* cap. 41., cum mulierum hæreticarum procacitatem redarguit, *quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere*. Ex his enim verbis recte conjicit Jac. Pamelius, ea jam ætate cum baptismo conjunctos fuisse exorcismos. *Secundo* multo clarius id asserit S. Cyprianus in epist. ad Magnum LIX.; ubi postquam dixisset, sæpe Diabolum per Exorcistas voce humana, & potestate divina flagellari, & uri, & torqueri, nec propterea homines dimittere, ita subdit: *Cum tamen ad aquam salutarem, atque ad baptismi sanctificationem venitur, scire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur*.

430. Sed præstat audire magnum Augustinum, qui Lib. II. *De nuptiis & concupisc.* cap. 18. hanc exorcismorum consuetudinem ubique obtinere testatur, inquiens: *Ubique in Ecclesia infantes exsufflantur ideo, ut ab eis princeps mundi foras mittatur*. Et sæpe ex istis exorcismis argumentum invictum desumpsit contra Pelagianos, ostendens non alia de causa pueros esse sub potestate diaboli, quam propter contagionem peccati originalis. Ita enim Lib. I. contra Julianum cap. 4. ipsum alloquitur: *Si verum est, quod audivimus, te infantulum baptizatum, etiam tu, quamvis a tuis propriis peccatis innocens, tamen quia ex Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate traxisti, & in iniquitate conceptus es, profecto exorcizatus es, ut a potestate erutus tenebrarum transferreris in regnum Christi*. Supervacaneum vero est, alia veterum Patrum testimonia congerere, cum vel ipsi Calviniani adeo patentem eorum auctoritatem contemnere quidem præsumant, inficiari tamen non audeant.

431. S. Thomas 3. P. qu. 71. art. 2. hanc affert exorcismorum rationem: *Diabolus hostis est humanæ salutis, quæ homini per baptismum acquiritur; & habet potestatem aliquam in hominem ex hoc ipso, quod subditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde convenienter ante baptismum expelluntur dæmones per exorcismos, ne salutem hominis impediant*.

432. Idem etiam S. Præceptor art. 3. rejecta falsa aliquorum opinione, quod exorcismi nullum habeant effectum, sed tantummodo aliquid significent, ita demonstrat, exorcismos habere aliquem effectum diversum ab effectu baptismi. „ Nam per baptismum, inquit, datur homini gratia ad plenam remissionem culparum; per ea vero, quæ in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum salutaris gratiæ percipiendæ. Quorum unum est impedimentum extrinsecum, prout dæmones hominum salutem impedire conantur; & hoc impedimentum excluditur per exsufflationes, quibus potestas dæmonis pellitur ..... Manet tamen potestas dæmonis in homine, quantum ad maculam peccati, & reatum pœnæ, quousque peccatum per baptismum tollatur .... Aliud impedimentum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipienda salutis mysteria. "

433. Item in art. 2. ad 2. respondens objectioni, quod diaboli potestas tollitur per baptismum, unde supervacanei videntur exorcismi: *In baptismo*, inquit, *per ablutionem peccati excluditur potestas dæmonis ab homine, quantum ad hoc, quod impedit eum a perceptione gloriæ; sed exorcismi excludunt potestatem dæmonis, in quantum impedit hominem a perceptione Sacramenti*. Et in resp. ad 3. discrimen affert inter effectum exorcismorum, & aquæ benedictæ, inquiens: *Aqua benedicta datur contra impugnationes dæmonum, quæ sunt ab exteriori; sed exorcismus ordinatur contra impugnationes dæmonum, quæ sunt ab interiori ..... Vel dicendum, quod sicuti in remedium contra peccatum, secundo datur pœnitentia, quia baptismum non iteratur: ita in remedium contra impugnationes dæmonum, secundo datur aqua benedicta, quia exorcismi baptismales non iterantur*.

434. Ob. *primo*. In baptismo, quem Apostoli, & Discipuli Domini conferebant, nihil legitur de exorcismis, immo nec de aliis cæremoniis. Sane Philippus descendit cum Eunucho in aquam, & sine ullo cæremoniarum apparatu baptizavit eum.

435. Respondet S. Augustinus Lib. *De fide, & oper.* cap. 9. *In eo, quod ait* (S. Lucas): *baptizavit eum Philippus, intelligi voluit, impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda*.

mnis baptismi cæremonias explodit, addens: „ Etsi autem me non latet, quam vetusta sit hujus farraginis orrigo, respuere tamen mihi, & piis omnibus „ fas est quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines. " *Seipsum videlicet omnibus Ecclesiæ Patribus, ac Doctoribus intollerabili superbia præferens*. *Wolfangus Musculus*, in Locis Theol. *Magistrum suum Calvinum secutus cap.* De baptismo: „ Scio, *inquit*, exorcizandi usum fuisse in Ecclesia „ temporibus Cypriani, & Augustini: verum non quæro quid fecerint Patres, sed quod Christus instituerit, & quid Apostoli fecerint; " quasi vero sapientissimi, & piissimi illi viri aut ignoraverint, quid Christus, ejusque Apostoli fecerint; aut ab eorum vestigiis deflectere voluerint. Lutherani, quamvis exorcismis in baptismi collatione utantur, libertatem tamen Ecclesiæ concedunt, ut loco exorcismorum alia verba Scripturæ magis consentanea substituat. Ita Chemnitius P. III. *Loc. Theolog.*; & anno 1603. Erfordiæ apparuerunt quædam *Theses* Ægidii Hunnii *De abrogando exorcismo*, quæ non leves turbas excitarunt. Inter alios Lutheranos pro retinendis Exorcismis pugnavit Paulus Sperlingius in Disput. *De antiquissimo exorcismi in baptismo ritu &c.*

da. Nonnullas cæremonias additas postea fuisse ab Ecclesia, sicut in aliis, ita etiam in hoc Sacramento, ut majori decore, ac majestate solemniter administraretur, facile concedi potest, non tamen omnes, & præsertim exorcismos, quorum in vetustissimis Ecclesiæ Patribus aperta mentio invenitur.

436. Dices. Quid censendum de exorcismis salis, aut aquæ?

437. Resp. *primo*, dæmones etiam rebus corporeis aliquando uti ad insidias nobis struendas, ac propterea etiam eas posse exorcizari. *Deinde* si bene attendantur verba Ritualis Romani, hi duo exorcismi potius benedictiones sunt; ita enim dicitur super salem: *Exorcizo te, creatura salis, ... ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum, ad effugandum inimicum &c.* E pariter super aquam: *Exorcizo te, creatura aquæ ..... ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, aqua, quæ lavat sordes, & mundat peccata. Tibi igitur præcipio, omnis spiritus immunde, omne phantasma, omne mendacium, eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ &c.* Diversi autem sunt exorcismi, qui fiunt super baptizandum: iis enim jubetur diabolo, *ut exeat, & recedat a famulo Dei .... ut fiat templum Dei vivi, & Spiritus Sanctus habitet in eo &c.*

438. Ob. *secundo*. In necessitate confertur baptismus sine exorcismis, & plenum habetur Sacramentum: exorcismi igitur nihil omnino præstant.

439. Respondet S. Thomas art. 3. ad 3., „ quod dispositio sufficiens ad suscipiendam gratiam baptismalem est fides, & intentio, vel propria ejus qui baptizatur, si sit adultus, vel ipsius Ecclesiæ, si sit parvulus. Ea vero, quæ aguntur in exorcismo, ordinantur ad removenda impedimenta: & ideo sine eo potest aliquis consequi effectum baptismi. Non tamen sunt hujusmodi prætermittenda, nisi in necessitatis articulo: & tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo. Nec frustra supplentur post baptismum: quia sicut impeditur effectus baptismi, antequam percipiatur, ita potest impediri, postquam fuerit perceptus." Hæc postrema verba notanda sunt pro resolutione seq. quæstionis.

Quæres, *an, quando super infantibus in casu necessitatis privatim baptizatis supplentur cæremoniæ omissæ, etiam suppleri debeant exorcismi?*

440. Resp. cum S. Thoma mox laud. *affirmative*, quia talis est totius Ecclesiæ usus; at vero, ut recte inquiebat S. Augustinus Epist. LIV. ad Januarium cap. 5., *si quid tota frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est*.

441. Certe non alia esse potest ratio exorcismos omittendi, quam quod baptizatus erutus jam sit e potestate dæmonis; ut proinde non modo supervacaneum, verum etiam injuriosum videatur Sancto Spiritui jam inhabitanti, dæmones per exorcismos expellere, quasi vero una cum Sancto Spiritu adhuc ibi cohabitent. Ita enim Diabolo præcipitur. *Exi ab eo, immunde spiritus, & da locum Spiritui Sancto Paraclito*.

442. Verumtamen si hæc ratio valeret, deberent etiam ceteræ baptismi cæremoniæ omitti; omnes enim sunt cum exorcismis conjunctæ, immo omnes sunt totidem exorcismi. Ut quid enim *primo* prohibentur baptizandi ab ingressu Ecclesiæ, nisi quia reputantur indigni, ut qui servi sunt diaboli, habitent in domo Domini? Quid sunt repetita illa signa crucis, quæ imprimuntur in fronte, & in pectore cum illis precibus: *Omnem cæcitatem cordis ab eo expelle* &c., nisi signa ad dæmones expellendos ordinata? Quid insufflationes, tactus aurium, & narium cum saliva; salis immissio, ac denique sacri olei inunctio, nisi totidem exorcismi ad dæmonis potestatem expellendam? Quo fit, ut si in baptizatis debeant exorcismi omitti, omitti pariter debeant omnes fere aliæ cæremoniæ, quæ vel totidem sunt exorcismi, vel cum exorcismis conjunctæ.

443. Præterea sæpius accidit, ut Catechumeni vehementi charitate accensi jam ante baptismum justificati essent, & sanctificati; quales fuerunt inter alios Sancti Cyprianus, Ambrosius, & Augustinus omni virtutum genere ornati, antequam baptismum reciperent; nec tamen in eorum baptismo exorcismi, aut aliæ cæremoniæ omissæ sunt, quæ ad dæmonis expulsionem sunt ordinatæ. Eccur ergo hæc supplenda in iis non erunt, in quibus necessitate urgente omitti debuerunt?

444. Sed aliquis sciscitabitur curiosius, quemnam effectum post baptismum exorcismi habere possint? Respondeo *primo*, plenum effectum baptismi conferri, etiam virtute exorcismorum, & aliarum cæremoniarum, quas supplere intendit Ecclesia in iis, qui supervixerint. Sic qui excommunicati beneficium absolutionis in mortis periculo consequuntur, periculo cessante tenentur se submittere Ecclesiæ, ut ad ipsius communionem, publice recipiantur; nec alia ratione privatim ad Sacramenti participationem admissi sunt, nisi virtute futuræ publicæ reconciliationis. Pari ergo ratione exorcismorum effectus a divina misericordia obtineri potest, etiam antequam fiant.

445. *Secundo* possunt, & debent exorcismi suppleri, ut in memoriam revocentur tum miserabilis captivitas, sub qua propter noxam originalem homo ante baptismum gemebat, tum summa & infinita misericordia Dei, qui per baptismatis Sacramentum ab ea nos liberavit. Sic utiliter Ecclesia solet præcipua nostræ redemptionis mysteria, nativitatis, passionis, ac resurrectionis Christi, quasi præsentia solemniter celebrare, quæ tamen ante multa sæcula facta sunt.

446. *Tertio*, quamvis per baptismum diabolus a cordibus nostris expulsus sit, remanet tamen in renatis concupiscentia, cum qua nobis perpetuo pugnandum est, & quam Apostolus appellabat per-

peccatum in se inhabitans, Roman. VII. 17. Ad hujusmodi conatus dæmonis retundendos exorcismi multum valent, quibus diabolus non jam a corpore, sed ab anima baptizatorum expellitur, in qua propter concupiscentiam quasi latentes insidias struebat. Ad hoc etiam institutum fuit signum crucis, quod tamquam perpetuus exorcismus, a piis fidelibus frequentissime adhiberi solet. Hoc innuit S. Thomas supra laudatus, cum dicit, exorcismos *non frustra suppleri, quia sicut impeditur effectus baptismi, antequam percipiatur, ita potest impediri, postquam perceptus est* (a).

CAPUT POSTR.

De cæremoniis baptismi (b).

447. Ut observat Catechismus Rom. P. II. cap. 2. num. 60.; *omnes cæremoniæ, & precationes, quibus in baptismi administratione Ecclesia utitur, ad tria capita redigendæ sunt ... Ac primum quidem illarum genus est, quæ antequam accedatur ad baptismi fontem, servantur: alterum earum, quæ cum ad ipsum fontem ventum est, adhibentur: tertium earum, quæ peracto jam baptismo addi solent*. Omnes continentur in *Rituali Romano* Pauli V. Pont. Max. jussu editum anno 1614.

448. Primo autem loco juxta monitum Synodi Trident. Sess. XXIV. *De reform.* cap. 2. Rituale præcipit Parocho, ut antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos *susceptores*, seu *patrinos* elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant, nec plures, quam liceat, aut indignos, vel ineptos admittat; ut sunt infideles, aut hæretici, palam excommunicati, aut interdicti, publice criminosi, aut infames, nec præterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei. Alias saluberrimas cautiones addidit S. Carolus Borromæus in suo *Rituali*; cum enim isti baptizandorum patres spirituales esse debeant, æquum est, ut iis dotibus sint ornati, quibus filios suos ad omnia sanctæ nostræ religionis officia instruere, & veluti manuducere valeant.

449. *Patrini* ii vocantur, qui baptizatum de sacro lavacro suscipiunt; qui propterea etiam *susceptores* dicti sunt, multisque aliis nominibus nuncupati, præcipue autem *sponsores*, *& fidejussores*, quia infantium nomine ad omnes interrogationes respondent. Antiquissimum esse in Ecclesia *patrinorum* usum liquet ex Tertulliani libro *De baptismo*, ubi cap. 18. morem Ecclesiæ pueros baptizandi vellicans, inquit: *Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri?*

450. S. Thomas 3. P. quæst. 67. art. 7. ostendit congrua ratione, in baptismo, qui spiritualis regeneratio est, debere esse aliquem, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, & suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem, & tutelam. Hanc rationem assignat etiam Catechismus Rom. P. II. cap. 2. num. 26. Angelicus autem art. 8. monet, obligari patrinum ad habendam curam infantis baptizati, *si necessitas imminet*, sicut quando baptizati inter infideles nutriuntur. Postea subdit: *Sed ubi nutriuntur inter catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere*.

451. Quando adulti per immersionem totius corporis baptizabantur, provide cautum erat, ut mares nonnisi a maribus, & vicissim fœminæ nonnisi a fœminis e lavacro susciperentur. Sed postquam immersio cessavit, aut nonnisi ad caput restricta est, promiscue viri, & fœminæ patrinorum munere fungi cœperunt. Sacris canonibus nonnisi unus patrinus permittebatur: *De consecr.* Dist. IV. cap. 100. & seq.; attamen etiam duos concessit Synodus Trident. Sess. XXIV. *De reform.* cap.

2.,

(a) Et hæc de Catechumenatu sufficiant. Plura cupientibus abunde satisfacient auctores in hoc capite nominati, Jos. Vicecomes, Edmundus Martene, Guill. Durandus, Jo. Franc. Bern. M. De Rubeis: quibus addi possunt omnes ii antiqui Scriptores, quos magno labore, summaque industria collegit Melchior Hittorpius, atque editi sunt Coloniæ 1568., deinde Romæ 1591., ac postremo Parisiis 1610. Nonnulla alia vetera monumenta indicat celsissimus S. R. I. Princeps P. Mart. Gerbert in II. P. *Liturgiæ Alemannicæ* Disquis. V. cap. 1. Ex recentioribus vero multa suppeditabunt Hugo Menardus in *Notis*, *& observationibus in Lib. Sacramentorum* (non *Sacramentarium*, ut aliqui scribunt, S. Gregorii Papæ), P. D. C. Chardon Ord. S. Ben. *Hist. Sacramentorum* Lib. I., Gabr. Albaspinæus in *Observat. De veter. Ecclesiæ ritibus*, Ant. Franc. Vezzosi in notis ad *Sacramentarium Gelasianum* editum a Vener. Card. Thomasio, & ipsius cura Romæ recusum, aliique non pauci.

(b) Recolatur, quæ superius Diss. 1. cap. postr. de cæremoniis Sacramentorum generatim dicta sunt. Quantum vero pertinet ad peculiares baptismi ritus, qui in Ecclesia Romana adhibentur, sine stomacho legi non possunt, quæ Jo. Calvinus omnium hæreticorum procacissimus, Lib. IV. *Institut.* cap. 15. num. 19. impuro ore evomere non erubuit: scilicet aquæ baptismalis benedictionem vocat *incantationem*, *quæ veram aquæ benedictionem polluit*: cereum cum chrismate, & exsufflationes dicit esse *imposturas*; *sputum*, *& similes nugas crassiora ludibria*, *theatricas pompas*, *exoticas sordes &c.* Vah nefandas impiissimi hominis blasphemias! quas jure meritoque sacrosancta Tridentina Synodus Sess. VII. can. 13. æterno anathemate damnavit. Franc. etiam Buddeus e Lutheranorum secta Ecclesiam Romanam temere, & impudenter accusat, quod ritus baptismi *insigni superstitionis accessione auxerit* Lib. V. *Theol. Dogmat.* cap. 1. §. 9.

2., ut scilicet *unus tantum*, *sive vir*, *sive mulier*, *juxta sacrorum canonum instituta*, *vel ad summum unus*, *& una baptizatum de baptismo suscipiant*, *inter quos*, *ac baptizatum ipsum*, *& illius patrem*, *& matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur* (a). Sed pergimus ad cæremonias, quæ baptismum præcedunt.

452. Infans baptizandus deferendus est ad Ecclesiam, in qua est fons baptismalis, & necessitate excepta in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, qui tamen in capellis, seu oratoriis, & cum aqua de more benedicta baptizandi sunt. Ante fores Ecclesiæ interrogatur, quid petat? Respondente autem patrino *Fidem &c.*, minister exsufflat in faciem infantis expellens dæmonem his verbis: *Exi ab eo*, *immunde spiritus*, *& da locum Spiritui sancto paraclito;* atque infantem signat in fronte, & in pectore; & quibusdam orationibus recitatis salem benedictum immittit in ejus os, & iterum dæmonem exorcizat; quibus omnibus significatur, baptizandum esse sub potestate diaboli, adeoque indignum, ut in Ecclesiam ingrediatur, donec spiritus immundus foris exeat. *Exorcizantur*, inquit Augustinus Lib. II. *De nuptiis*, *& concupisc.* cap. 29. T. XIII., *& exsufflantur parvuli ut in regno Christi a potestate tenebrarum*, *hoc est diaboli*, *& angelorum ejus*, *eruti transferantur*. Salis autem degustatio mystice significat gratiæ donum, quo a putredine peccatorum baptizandus præservatur. Unde idem S. Doctor Lib. I. *Confess.* cap. 12. Tom. I. de seipso loquens, cum baptizaretur, *signabar*, inquit, *signo crucis*, *& sale condiebar*.

453. Post hæc introducitur infans ad baptisterium, & recitatis Symbolo, ac oratione Dominica, iterum repetuntur exorcismi, & de saliva Sacerdotis tanguntur aures, & nares baptizandi. Et tunc fiunt solemnes renuntiationes Satanæ, & omnibus operibus, & pompis ejus. Deinde Minister intingens pollicem in oleo catechumenorum ungit baptizandum in pectore, & inter scapulas; eumque rursus interrogat, an credat in Deum Patrem, in Jesum Christum filium ejus unicum, & in Spiritum sanctum &c., ac subinde an velit baptizari? Et responso accepto, quod credat, & velit, baptizatur vel per trinam immersionem, vel per infusionem, infundendo ter aquam super ipsius caput, & proferendo semel verba formæ; & mox patrinus de manu Sacerdotis puerum accipit jam baptizatum.

454. Si vero dubitatur, inquit Rituale, an infans fuerit antea baptizatus, debet Minister uti hac forma conditionali: *Si non es baptizatus*, *ego te baptizo in nomine &c.* Nonnulli viri eruditi, ait Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus* cap. 1. art. 16. num. 10., existimant, hujusmodi conditionatas formas a Scholasticis Theologis adinventas fuisse; *verum toto aberrant cælo*. Nam longe ante exortos Theologos Scholasticos, conditionata adhibebatur forma; id quod evincunt Isaaci Lingoniensis Episcopi canones, in quorum Tit. XI. canon. 17. ita habet: *Et quibus dubium est*, *utrum sint baptizati*, *an non*, *omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur*, *his tamen verbis præmissis: Non te rebaptizo*, *sed si nondum baptizatus es*, *baptizo te*, *in nomine Patris &c.* Hæc Martene. Id ipsum constat aliis monumentis, quæ ætatem Scholasticorum longe superant.

455. Equidem non negaverim, hujus formulæ conditionatæ neque in Conciliis habitis ante sæculum VIII., neque apud veteres Patres mentionem inveniri, sed ut bene advertit gloriosæ memoriæ Benedictus XIV. *De Synodo Diœces.* Lib. VII. cap. 6., cum omnes veteres a rebaptismo summopere abhorrerent, & eos, de quibus dubium erat, an essent rite, & valide baptizati, sine scrupulo baptizarent, pronum est concludere, eos, si non expressis verbis, tacite tamen intendisse, non conferre secundum baptismum, adeoque baptizasse sub ea conditione, saltem mente concepta: *Si non es baptizatus*. Postea vero Sæc. VIII. cæptum est, eam conditionem expresse pronunciari; ac tandem Sæc. XII. Alexander III. eam non solum approbavit, sed ubique servandam edixit in cap. 2. *De baptismo*; idemque confirmavit Joannes XXII., apud Odoricum Raynaldum ad an. 1333. num. 42., Mirari itaque subit, in Synodo Pistoriensi Sess. IV. *De Sacram.* num. 12. decretum fuisse, exorto prudenti dubio, an aliquis sit vere baptizatus, eum baptizandum esse, nulla facta mentione formulæ conditionatæ: quasi vero prætextu veterum canonum, qui hac de re silent, liceat apertas summorum Pontificum Sanctiones, totiusque Ecclesiæ communem usum contemnere. Sed revertamur ad cæremonias, quæ fiunt super baptizato.

456. Baptismum sequitur unctio cum sacro chrismate in vertice capitis baptizati, ut intelligat, se ab eo die Christo capiti, tamquam membrum conjunctum esse. Et postea eidem imponitur candidum sudariolum loco vestis albæ, qua olim adulti indui solebant, ad designandam innocentiam, quam dilutis omnibus culpæ maculis consecutus est, & quam integram perferre debet ad D. N. Jesu Christi tribunal. Denique cereus ardens in manum baptizati traditur, qui ostendit fidem charitate inflammatam, quam in baptismo accepit.

457.

(a) Hanc facultatem duos patrinos assumendi a Tridentinis Patribus concessam coarctare minime debuisset Synodus Pistoriensis in Decreto baptismi Sess. IV. ita statuens: *Stimiamo di secondare lo spirito della santa Chiesa medesima*, *rappresentata dal general Concilio di Trento*, *col prescrivere*, *che i maschi abbiano il solo compare*, *e le femmine la sola comare*.

457. Ad extremum vero nomen baptizato imponitur, quod ex Sanctorum syllabo desumendum est, tum ut Sancti illius patrocinium impetretur, tum etiam ut baptizatus ad ejusdem Sancti virtutes æmulandas excitetur. Et certe reprehendendi sunt, qui Gentilium nomina pueris imponunt. Gregorius XIII. in suo *Rituali* ita Parocho præcipit: *Et quoniam iis, qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Christo regenerandis, & in ejus militia adscribendis, nomen imponitur, curet, ne obscæna, fabulosa, aut ridicula ad inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponat; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum; quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, & patrociniis protegantur*. Recolantur, quæ diximus Tom. VII. *de ritibus Malabaricis* ubi retulimus celebre decretum Card. Tournonii, quo prohibuit, ne in baptizandis tam pueris, quam adultis omittantur Sacramentalia, præcipue autem saliva, sal, & insufflationes; & deinde jussit, ut baptizato imponatur nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano contenti, interdictis nominibus idolorum, vel falsæ religionis pœnitentium. Quod Tournonii decretum Clemens XI. diligenti præmisso examine in omnibus servandum, & exequendum esse statuit 7. Jan. 1706.: & postea subsequentes Pontifices Benedictus XIII., & Benedictus XIV. confirmarunt (*a*). Sed breviter videamus, quæ contra hos Romanæ Ecclesiæ ritus Novatores effutiant.

458. Objiciunt *primo*, aliquos ex his ritibus esse inutiles, & ridiculos, cujusmodi sunt interrogationes factæ infantibus, an credant, an renuntient satanæ, an velint baptizari? Ridiculum est etiam, responderi ad has interrogationes a patrinis, quasi possint vadimonium iis infantibus præstare, & isti teneantur, cum adoleverint, fidem pro se datam a patrinis servare.

459. Resp., hæc non inutilia, nec ridicula visa fuisse antiquis Ecclesiæ Patribus, ac præcipue magno Augustino, qui hoc baptismi dogma accuratius perscrutandi, & explicandi occasionem habuit. In epist. CCXVII. ad Vitalem cap. 8. *Scimus*, inquit, *etiam parvulos, secundum ea, quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum, vel malum. Gesserunt autem non per se ipsos, sed per eos, quibus pro illis respondentibus, & renuntiare diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero fidelium reputantur*. Et aliis in locis Ecclesiam dicit parvulis suppeditare & pedes, ut veniant, & os, ut loquantur, & fidem, ut credant. Abrenuntiationum vero, quæ in baptismo fiunt, mentio habetur aperta apud Tertullianum *De corona militis* cap. 3., in Lib. III. *Constitut. Apostolic.* cap. 41., apud Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, aliosque veteres; nec desunt, qui eas ab Apostolorum traditione repetant. Patrini vero nec prophetant, nec vadimonium præstant pro pueris baptizandis, sed, ut S. Augustinus huic ipsissimæ difficultati respondens ait Epist. XCVIII.: *Cum respondetur, parvulum credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum..... Itaque parvulum, etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit*. Pueri autem, cum adoleverint, tenentur fidem pro se datam in baptismo servare, sicut tenentur adulti non baptizati baptismum suscipere, si volunt introire in regnum Dei.

460. Dices. Quædam cæremoniæ absurdæ sunt, ut salis immissio in os baptizandi, linitio aurium, & narium cum sputo ministri, insufflatio in faciem, & his similia.

461. Resp., has omnes cæremonias suam habere mysticam significationem. Salis degustatio, ut mox diximus n. 452. significat gratiæ donum, quo a putredine peccatorum præservamur; vel, ut explicat S. Thomas in IV. Dist. VI. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. ad 3. *apponitur in ore sal discretionis, ut omnis sermo fidelium sit sale conditus. Aperiuntur aures sputo ad recipiendam fidem ex auditu per verbum Dei, & nares ad quærendam doctrinam fidei per odorem bonum*. Nec est, cur delicati Novatores offendantur ex sputo, vel halitu; quandoquidem ipse Dominus noster Jesus Christus usus est sputo ad sanandum surdum, & mutum, Marci VII. & Joannis IX. hominem a nativitate cæcum luto facto ex saliva & terra illuminavit.

462. Ob. *secundo*. In primitiva Ecclesia baptismi cæremoniæ erant ab hodiernis admodum diversæ, nempe nonnisi certi dies erant huic Sacramento conferendo statuti, scilicet Paschatis, & Pentecostes: catechumenis lac, & mel ad novæ *infantiæ significationem*, ut loquitur Hieronymus *contra Luciferianos*, ad prægustandum dabantur: duo Sacramenta, Confirmationis, atque Eucharistiæ baptizatis illico conferebantur, quæ omnia modo antiquata sunt. Etiam apud Græcos, atque Orientales non omnino iidem sunt ritus, ac apud nos: non itaque adstringuntur fideles ad certas cære-

re-

(*a*) Pius & doctus P. Vincentius Contensonius in *Theol. mentis, & cordis* Lib. XI. P. I. Dissert. 3. cap. 1. in fine graviter iis succenset, qui nomen Sancti in baptismate sibi ab Ecclesia impositum repudiant, ut aliud assumant. „ Addantur, *inquit*, si placet, baptismali „ nomini alia ad libitum, vel devotionem: sed tradi- „ tum ab Ecclesia matre nomen ne flocifaciamus: sit „ nobis carum pignus illud maternæ Ecclesiæ pietatis; „ illius potissimum intercessionibus confidamus, cujus „ nos clientelæ Ecclesia commisit, quem nobis dedit „ amicum, tutorem, & patrem cui bona nostra commisit, & ejus mandavit fidei &c. " Locum integrum legendum consulo una cum *Reflexione* adnexa, ad excitandam in Christi fidelibus utilissimam cæremoniarum baptismi recordationem admodum idoneam.

remonias in collatione baptismi observandas; quod etiam S. Augustinus innuit in epist. ad Januarium LIV., concludens, *totum hoc genus rerum liberas habere observationes*.

463. Resp., Sacramentorum ritus, qui ad eorum substantiam non pertinent, posse utique immutari, publica tamen Ecclesiæ, non autem privata cujuscumque auctoritate, prout Synodus Tridentina Sess. XXI. cap. 2. solemniter declaravit, scilicet „ *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia* „ *fuisse*, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait 1. Cor. IV.: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*. Atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento (Eucharistiæ,), cum, ordinatis nonnullis circa ejus usum, *cetera*, inquit 1. Cor. XI. *cum venero, disponam*". Id etiam sana ratio dictat. Si enim privatæ cujuslibet potestati id relictum foret, jam tot essent augusti hujus Sacramenti formulæ, quot pastores. S. Augustinus autem in celebri illa ad Januarium epistola distinguit ea, *quæ toto terrarum orbe servantur*, ab iis, *quæ per loca terrarum, regionesque variantur*. In primis, quæ tota per orbem frequentat Ecclesia, *quin ita faciendum sit, disputare; insolentissimæ*, inquit, *insaniæ est*. In aliis autem, quæ per loca, regionesque variantur, id faciendum esse præscribit, *quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit*. Quam saluberrimam tanti Doctoris regulam si Novatores secuti essent, non tot, ac tam perniciosas turbas in Ecclesia excitassent. Et hæc de III. Dissertatione satis.

DISSERTATIO IV.

De Confirmatione.

1. *Si in Confirmationis Sacramento explicando*, inquit Catechismus Rom. P. II. cap. 3., *Pastorum diligentia unquam requirenda fuit, nunc certe opus est, illud quammaxime illustrare, cum in sancta Dei Ecclesia hoc Sacramentum a multis omnino prætermittatur, paucissimi vero sint, qui divinæ gratiæ fructum, quem deberent, ex eo capere studeant*. Quamquam autem nostris temporibus ob singularem curam, & diligentiam Episcoporum non multi amplius inveniantur adulti hoc Sacramento carentes, vereor tamen, ne dici etiam nunc possit, *paucissimos esse*, qui divinæ gratiæ fructum, quem deberent, ex eo percipiant. Danda igitur opera est, ut primo dignitatem Sacramenti Confirmationis vindicemus; deinde ejusdem essentiam, effectus, ministrum, & necessitatem explicemus.

CAPUT I.

Confirmationis nomen unde sit? Ejusdem definitio traditur; ac demum eam esse verum novæ legis Sacramentum, demonstratur.

2. Ut exordiamur a nomine, ideo ab Ecclesia hoc Sacramentum dictum est *Confirmatio*, quoniam qui baptizatus est, cum ab Episcopo sacro chrismate ungitur, novæ virtutis robore firmior, atque adeo perfectus Christi miles esse incipit. Variis aliis nominibus appellatum fuit, potissimum autem *impositio manuum*, quo nomine significatum invenimus in *Act. Apostol.* cap. VIII. 17., apud S. Augustinum Lib. III. *De Baptismo* cap. 16., & apud Isidorum Hispal. *De ecclesiast. officiis* cap. 26. Dictum est quoque *Sacramentum Chrismatis* a S. Augustino Lib. II. *Contra litteras Petiliani* cap. 104., *Chrisma sanctum, & supercæleste* a Patribus Laodicenis can. 7., *Chrisma salutis* a Leone Papa Serm. IV. *De nativ. Domini*, *Signaculum spirituale* ab Auctore Lib. *De Sacram.* Lib. III. cap. 2. *Signaculum Dominicum* a Cypriano Epist. LXXIII. ad Jubajanum, *Sigillum*, quo ab Episcopo obsignantur fideles, a Cornelio Papa, ac demum *Perfectio* in can. 37. Concilii Illiberitani; non perfectio baptismi, ut aliqui male exposuerunt, sed perfectio baptizati.

3. Quantum vero ad rem ipsam, Confirmatio definiri potest ex Catechismo Rom. P. II. cap. 3. num. 21. *Sacramentum novæ legis, quo Deus in nobis confirmat, quod in baptismate operari cœpit, nosque ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit*; nempe novum robur adiendo ad fidem Christi profitendam, atque intrepide tuendam. Quod visibiliter apparuit in Apostolis. Postquam enim Spiritum Sanctum in die Pentecostes receperunt, *virtute magna reddebant testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri*. Act. IV. 33.

4. Ecclesia Confirmationem ut verum novæ legis Sacramentum semper agnovit, neque hoc dogma a veteribus hæreticis impugnatum fuisse novimus: sed hæc impietas Novatoribus posteriorum sæculorum reservata erat, quorum errorem damnavit Synodus Tridentina Sess. VII. can. 1. *De confirmat.* ita statuens: „ Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam esse cæremoniam, & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit." Quam solemnem Ecclesiæ definitionem tuebitur sequens

PROPOSITIO I.

Ex sacris litteris ostenditur, Confirmationem esse verum, & proprium novæ legis Sacramentum a ceteris distinctum (*a*).

5. Prob. ex Act. Apost. cap. VIII. 14. seq. ubi hæc habentur: „ Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. " Similia habentur Cap. XIX. 6. & alibi. Ex his autem hoc conficitur argumentum. Ad constituendum verum Sacramentum tria requiruntur ex ipsa Adversariorum confessione, nempe signum sensibile, collatio invisibilis gratiæ, & divinum mandatum. Hæc autem tria in Confirmatione haberi, nos perspicue docet textus allatus. Habetur *primo* signum sensibile in manus impositione: habetur *insuper* nova collatio gratiæ per Spiritum sanctum, quam illi baptizati acceperunt, & quam nondum acceperant in baptismo: habetur *demum* & divina hujus Sacramenti institutio. Quamvis enim de hac nihil expresse ibidem dicatur, cum tamen Apostoli confiterentur, se non esse *auctores*, sed tantum *ministros*, *& dispensatores mysteriorum Dei*, id certe facere ausi non fuissent, nisi ex divino mandato. Sed præterea divinum mandatum recipiendi hoc Sacramentum apparet in iis Christi, Lucæ ult. 49. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Divina promissio in Apostolis adimpleta fuit visibili Spiritus sancti in eos illapsu in cœnaculo; quo miraculo edocti ipsi Apostoli aliis fidelibus a Philippo jam baptizatis hunc eumdem Spiritum sanctum per manus impositionem tradere voluerunt, ut in fide jam suscepta magis magisque solidarentur.

6. Hoc autem Sacramentum fuisse *convenienter* institutum, evincit S. Thomas 3. P. quæst. 72. art. 1. ex similitudine, quæ est inter vitam spiritualem, & corporalem. „ Manifestum est, inquit, quod in corporali specialis quædam perfectio est, quod homo ad perfectam ætatem perveniat, & perfectas actiones hominis agere possit; unde & Apostolus dicit 1. Corinth. XIII. 11. *Cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli:* & inde est etiam, quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem. Sic igitur & vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, in Confirmatione autem homo accipit quasi quamdam ætatem spiritualis vitæ ".

7. Obj. *primo*. Non satis probatum est, confirmationis Sacramentum fuisse a Christo Domino institutum, atque Apostolis præceptum. Legitur quippe in sacris litteris fuisse Apostolis promissum Spiritum sanctum, iisdemque sub figura ignearum linguarum apparuisse; sed hoc non fuit Sacramentum, ut enim loquitur S. Thomas 3. P. qu. 72. art. 2. ad 1. *Christus potestate excellentiæ, quam habet in Sacramentis, contulit Apostolis rem hujus Sacramenti, idest plenitudinem Spiritus sancti sine Sacramento*. Hinc non defuerunt veteres Theologi, qui Sacramentum Confirmationis non a Christo Domino, sed ab Apostolis, vel etiam ab Ecclesia post Apostolorum mortem institutum fuisse crederent. Vid. not. ad Diss. I. n. 283. (*b*).

8. Resp. S. Thomas 3. P. qu. 72. art. 1. ad 1. „ Christum instituisse hoc Sacramentum, non *exhibendo*, sed *promittendo*, secundum illud Joan. XVI. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam illum ad vos*. Et hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi

(*a*) Primus, qui hoc vetustum Ecclesiæ dogma impugnare ausus fuerit, creditur Lutherus, dum in Lib. *De Captiv. Babyl.* Catholicos subsannat, quod Confirmationem pro Sacramento habeant, cum *satis sit, eam pro ritu quodam ecclesiastico, seu cæremonia Sacramentali habere*. Minus adhuc Confirmationi tribuit Melanchthon in *Locis commun.*, eam vocans *cæremoniam prorsus otiosam*. His magistris suis consentiunt Lutherani. Nec a Lutheranis dissentiunt Calvinistæ, duce Calvino, qui Lib. IX. *Institut.* cap. 19. nu. 4. & seq. furiose contra Confirmationem debacchatur, eam vocans non solum *cæremoniam otiosam*, sed *malitiosam, & sonticam Satanæ fraudem, ut furtim incautos a baptismo abducat, insignem baptismi contumeliam, oleum diaboli mendacio pollutum*. Horret animus has impiissimas blasphemias exscribere. Inventi autem fuere non pauci, qui eas defendere conarentur, ut Jo. Dallæus tribus integris libris, Sam. Basnagius in *Annalibus Eccles. Polit.* ad ann. 35., & omnes fere Lutherani, & Calvinistæ. Ante hos Novatores neminem ausum fuisse Confirmationem ex albo Sacramentorum expungere, ostendit Gaspar Juenin in *Comment. Histor. Dogmat. De Sacram.* Dissert. III. qu. 1. cap. 1.: quamvis aliqui scriptores Waldenses, & Wiclefistas ejusdem erroris accusent.

(*b*) Hanc quorundam veterum opinionem refert, & simul refellit S. Thomas 3. P. q. 72. art. 1. ad 1. his verbis: „ Quidam dixerunt, quod hoc Sacramentum „ non fuit institutum nec a Christo, nec ab Aposto- „ lis, sed postea processu temporis in quodam Conci- „ lio. Alii vero dixerunt, quod fuit institutum ab A- „ postolis. Sed hoc non potest esse, quia instituere „ novum Sacramentum pertinet ad potestatm excellen- „ tiæ, quæ convenit soli Christo ". Non erat igitur, ut Novatores hanc veterem crambem recoquerent, nobisque paucorum veterum auctoritate jam obsoleta insultarent.

sti resurrectionem, & ascensionem, secundum illud Joan. VII. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*". Certe Apostoli hoc novum Sacramentum hominibus jam baptizatis non contulissent, nisi ex mandato Domini Jesu, quamvis in sacris litteris expresse non legatur, quando, & quomodo hoc ipsis mandaverit: neque enim omnia, quæ Christus 40. diebus post suam resurrectionem cum Discipulis de regno Dei locutus est, scripta fuere.

9. Inst. *primo*. Spiritus sanctus, qui per manuum impositionem ab Apostolis dabatur, non erat interior gratia sanctificans, sed tantum exterior collatio donorum, scilicet *linguarum*, *prophetiæ*, &c. quæ a Theologis vocantur *gratiæ gratis datæ*. Ita luculenter exponit S. Petrus Act. II. 16. seq.: *Hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel ... Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri &c.* Quod iterum cap. XIX. 5. magis explicatur his verbis: *Baptizati sunt in nomine Domini Jesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*.

10. Resp., duos fuisse effectus Spiritus sancti, quem neophyti per impositionem manuum accipiebant. Primus erat augmentum gratiæ sanctificantis in baptismo jam acceptæ, quo confirmabantur, & corroborabantur ad fidem Jesu Christi prædicandam, & confitendam sine metu Judæorum, atque Gentilium, qui eidem repugnabant; unde Act. V. 41. de Apostolis, postquam Spiritum sanctum acceperant, dicitur: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati*. Iste effectus apparuit etiam temporibus subsecutis in iis fortissimis Christi athletis, qui pro ejus fide durissima tormenta subire, & mortem oppetere non dubitarunt. Alter Confirmationis effectus visibilis, sed non communis, neque perpetuus, fuit donum linguarum, prophetiæ, &c. Dixi, hunc effectum non fuisse *communem*, nec *perpetuum*, Paulus enim satis indicat, non omnibus fuisse dona visibilia Spiritus sancti concessa, cum inquit 1. Corinth. XII. 40.: *Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes linguis loquuntur?* Non fuisse autem perpetuum, omnes norunt.

11. Hæc duorum effectuum distinctio satis aperte colligitur ex sacris litteris; sed multo magis apparet, si addatur sanctorum Patrum interpretatio, atque universalis Ecclesiæ traditio, quæ nunquam a sacrarum litterarum testimoniis separanda est. Hanc vero concordem Patrum traditionem seq. propositione ostendemus; nunc satis fuerit notare, eos aperte docere, eumdem Spiritum sanctum tunc fidelibus in Confirmatione donari, qui ab Apostolis per manuum impositionem dabatur baptizatis; sed modo non conferuntur visibilia ejusdem Spiritus sancti dona, quæ tunc conferebantur: manifeste ergo sequitur, duplicem fuisse tunc Spiritus sancti effectum: unum invisibilem, scilicet gratiæ sanctificantis augmentum; alterum visibilem, qui jamdiu cessavit.

12. Inst. *secundo*. Apostoli illum Spiritum sanctum conferebant, quem Simon Magus emere volebat Act. VIII. 19.: sed ille totus situs erat in virtute miraculorum: ergo &c.

13. Resp., profanum illum, & impium hominem, non attendisse nisi ad signa exteriora Spiritus sancti; propterea petebat ab Apostolis oblata pecunia eam potestatem, ut cuiqumque manus imponeret, ea dona Spiritus sancti acciperet; nullo modo sollicitus de primo, ac præcipuo impositionis manuum effectu, scilicet gratiæ corroborantis, & confirmantis in fide, qui tamen effectus digne hoc Sacramentum suscipientibus sine dubio etiam tunc conferebatur.

14. Inst. *tertio*. Act. VIII. 14. seq. dicitur: Petrum & Joannem fuisse ab Apostolis missos in Samariam, ut ii, qui baptizati jam erant a Philippo, acciperent Spiritum sanctum, *nondum enim in quemquam illorum venerat*: atqui hoc intelligi nullatenus potest, si nomine Spiritus sancti significetur gratia sanctificans; hanc enim jam acceperant: optime autem intelligitur de donis linguarum, prophetiæ, &c.

15. Resp. neg. min.; alia enim est gratia Spiritus sancti, quæ recipitur in baptismate, est enim prima gratia *regenerans*, unde baptismus dicitur Sacramentum mortuorum; alia, quæ recipitur in Confirmatione, nempe gratia *corroborans*; seu, ut mox diximus cum S. Thoma n. 6. *Vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, in confirmationem autem homo accipit quasi quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ*.

16. Inst. *quarto*. Si per manuum impositionem non dabatur fidelibus, nisi interior gratia corroborans, potuisset utique illam dare etiam Philippus; nec erat necesse, ut in Samariam mitterentur Petrus, & Joannes, ut fideles jam baptizati per eorum orationes *acciperent Spiritum sanctum*, ut dicitur Act. VIII. 14.

17. Resp., Philippum non fuisse, nisi Diaconum; potestatem vero conferendi Sacramentum Confirmationis fuisse reservatam Episcopis, cujusmodi erant Apostoli: unde consequitur, etiam modo ministros hujus Sacramenti ordinarios esse solos Episcopos. Ceterum eadem difficultas vigeret, etiamsi nomine Spiritus sancti non venirent nisi visibilia dona; eccur enim ea dare Philippus non poterat?

18. Inst. *quinto*. Etiamsi concedatur, aliquod augmentum gratiæ baptismalis fuisse ab Apostolis per manuum impositionem donatum, non tamen efficitur, illam manuum impositionem fuisse Sacramentum; nam *primo* hæc manuum impositio frequentissima erat apud Judæos, in omni fere destinatione ad aliquod munus sacrum usitata. *Deinde* etiam in novo testamento invenitur sæpius adhi-

bi-

bita, quin fuerit unquam reputata verum Sacramentum; ut cum Ananias manum imposuit Paulo, ut lumen reciperet Act. IX. 17. Unde etiam S. Augustinus Lib. III. *De baptismo* cap. 26. inquit: *Quid est aliud manus impositio, nisi oratio super hominem?* Et Gratianus Causa I. q. 1. cap. *Arianos*, aperte negat, manuum impositionem esse Sacramentum.

19. Resp. hujusmodi manuum impositiones, quæ sæpe fiebant in veteri testamento, & sæpe etiam fiunt in novo, nunquam fuisse augusto *Sacramenti* nomine insignitas, sicuti appellatam legimus eam, quæ fit post baptismum, & hodie *Confirmatio* dicitur. Insuper nullibi legitur, in hujusmodi manuum impositionibus fuisse datum Spiritum sanctum, ut datum fuisse legimus iis, quibus Apostoli manus imponebant Act. VIII., & XIX. Quod si aliquando dicitur, Catechumenos, aut alios fideles per manuum impositionem *sanctificari*, hæc sanctificatio est *ex opere operantis*, non autem *ex opere operato*, quæ efficacia solis veris Sacramentis competit.

20. Neque vero illud obest, quod Ananias Saulo manus imponens dixerit Act. IX. 17. *Dominus misit me Jesus ... ut videas, & implearis Spiritu sancto*. Non inquam id obest: hæc enim verba non indicant, Saulum esse Spiritu sancto replendum per solam impositionem manuum sine baptismo, & confirmatione. Sed totus contextus indicat, impositione manuum fuisse remotam oculorum cæcitatem, per baptismum autem Spiritu sancto eum repletum. Sic enim habet sacer textus: *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est*. Et quamquam de ejusdem confirmatione nihil legatur, possumus tamen, & debemus credere eam datam fuisse Paulo per manus impositionem, ut aliis post baptismum dabatur.

21. S. Augustinus in loco nobis objecto manifeste loquitur de ea manuum impositione reconciliatoria, qua hæretici recipiebantur ad pœnitentiam, non per novam baptismum, sed per solam manuum impositionem; quæ certe non erat, *nisi oratio super hominem*. Sed aliam agnovit S. Pater manuum impositionem una cum unctione, quam Lib. II. *contra Litteras Petiliani* cap. 104. vocat *visibile sanctum Sacramentum*; & qua donatum refert puerum illum miraculose ad vitam revocatum, Serm. CCCXXIV. Vid. sup. Diss. III. n. 304.

22. Gratianus similiter intelligi debet de impositione manuum *non Sacramentali*, sed *pœnitentiali, aut reconciliatoria*. Aliam autem *Sacramentalem*, quæ iterari non potest, aperte fatetur Dist. V. capp. 1. 2. 3. 4. & 5.

23. Inst. *sexto*. In baptismo, sicut in quibusdam aliis Sacramentis adhibetur impositio manuum. Si autem Confirmatio esset Sacramentum a baptismo, aliisque diversum, diversam quoque habere deberet materiam, ac diversos ritus, ut singula habent.

24. Resp. manuum impositionem in baptismo esse puram cæremoniam, in Confirmatione autem esse partem Sacramenti essentialem; quod liquet ex forma, quæ illi conjungitur. Sed multo magis patet ex doctrina sanctorum Patrum, & ex usu Ecclesiæ, quæ sunt regulæ certæ, & tutissimæ ad loca ambigua Scripturarum interpretanda.

25. Obj. *secundo*. Sacramentum Confirmationis videtur injuriam irrogare baptismo, quasi vero in baptismo non tota conferatur gratia ad fidem christianam conservandam, & profitendam necessaria. *Deinde*, si ad hoc indigemus speciali Spiritus sancti virtute, Apostolus Paulus nos monet Ephes. V. 18., quibus modis eam impetrare debeamus, inquiens: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*. *Tertio* ad id præsto est etiam Sacramentum Corporis Christi, dicente Domino Jo. VI. 58. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*.

26. Resp. si hæc, & alia, quæ Protestantes importune urgent, aliquam vim contra Sacramentum Confirmationis haberent, possent etiam contra Sacramentum Eucharistiæ intorqueri. Si enim, quia per baptismum omnes virtutes conferuntur, sequitur, inutilem esse Confirmationem; inutile quoque erit Sacramentum Eucharistiæ.

27. Sed dicendum est, omnia Sacramenta novam virtutem, novumque robur conferre fidelibus ad pugnandum cum inimicis nostris, tam internis, quam externis. Sane Christus Dominus discessurus ex hoc mundo ad Patrem promisit discipulis, quod *accepturi essent virtutem supervenientis Spiritus sancti*, Act. I. 8. Pariter Jo. XIV. 16. iisdem dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*. Dicentne Adversarii, has divinas promissiones adimpletas non esse, aut easdem baptismi Sacramento aliquam injuriam irrogare? Apage blasphemiam!

PROPOSITIO II.

Ex veterum Patrum traditione, atque Ecclesiæ disciplina probatur Confirmationem esse verum novæ legis Sacramentum.

28. Ac *primo* id evincitur argumento *præscriptionis*. Antequam enim Sæc. XVI. orti essent Novatores, universa Ecclesia Confirmationem in veris novæ legis Sacramentis numerabat, cum non Latini solum, sed etiam Græci, aliique Orientales populi septem agnoverint Sacramenta, ut Diss. I. n. 221. indubiis argumentis demonstratum fuit, quæ ibidem videri possunt.

29. Deinde præsto sunt luculenta veterum Patrum testimonia. Nam S. Iræneus Lib. IV. *Contra hæreses* cap. 38. expendens illa verba Apostoli 1. ad Corinth. III. 2. *Lac vobis potum dedi, non esc-*

escam, inquit: *Apostolus poterat dare escam (quicumque enim imponebant Apostoli manus, accipiebant Spiritum sanctum, qui est esca vitæ); illi autem non poterant accipere, quoniam infirmum adhuc, & inexercitabilem sensum erga Deum conversationis habebant*. Quæ est autem hæc *esca vitæ* in manuum impositione accepta ab Apostolis, nisi gratia Sacramentalis, ad vitam augendam in Confirmatione? Neque enim gratiæ gratis datæ queunt appellari *esca vitæ*, cum possint etiam impiis conferri.

30. Obiter noto, audiendos minime esse, qui antiquissimum hunc Ecclesiæ Patrem locutum fuisse comminiscuntur de quadam falsa Confirmatione, quam Gnostici dabant, inquiens Lib. I. cap. 18. *illum, qui initiatus est, opobalsamo inungunt* &c. Non, inquam, audiendi sunt, quia Gnosticos redarguit, non quia Confirmationem dabant, sed potius quia eam superstitiosis quibusdam ritibus vitiabant. Sicut etiam eosdem alibi merito reprehendit, quod baptismum corrumperent. Solemne autem fuisse hæreticis sacros Ecclesiæ ritus imitari, & corrumpere, discimus ex Tertulliano *De Præscript. Hæret.* cap. 40. (*a*). Sed ad traditionis filum redeamus.

31. Clarius loquitur Tertullianus *de Baptismo* cap. 7. inquiens: *Exinde egressi de lavacro perungimus benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant*. Deinde hanc sacram unctionem baptismo assimilat, subdens: *In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actio, quod in aqua mergimur, spiritalis effectus, quod delictis liberamur*. Prosequitur postea manuum impositionem ita exponens: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum sanctum*.

32. Et quia allatos duos Patres, utpote ad initium Sæc. III. pertinentes, minus antiquos esse aliquibus videtur, eadem doctrina apparet etiam in illo vetustiore hæretico Valentiniano, nempe Theodoro, quem laud. Clemens in fine Lib. VIII. *Strom.* citat ita dicentem: *Panis, & oleum vi nominis sanctificantur, quæ eadem, quæ accepta erant, secundum id, quod apparet, manentia, potentia tamen in spiritalem potentiam transmutantur*, nempe ad producendam in nobis gratiam. Certe ab hoc hæretico Confirmationis dogma apud catholicos propagatum nemo dicet; sed a traditione, quæ etiam ante hæreticos Valentinianos apud catholicos vigebat. Etiam Teophilus Antiochenus S. Justino coævus hoc Sacramentum manifeste indigitat, dum Lib. I. ad Autolychum, *nulla alia ex re*, inquit, *Christianorum nomen traximus, quam quod divino oleo* (confirmationis) *perfundimur*.

33. Hos antiquissimos Patres, & scriptores sequitur S. Cyprianus, illustris Sæculi III. Episcopus, & Martyr. In Epist. enim LXXII. ad Stephanum, contendit, non satis esse, hæreticis redeuntibus manus imponere, sed eos esse etiam rebaptizandos, quia *tunc demum plene sanctificari, & esse filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur*. Et Epist. LXXIII. loquens de baptizatis a Philippo in Samaria, *Quod deerat*, inquit, *id a Petro, & Joanne factum est, ut oratione habita, & manu imposita invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur; & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo divino consignentur*. Cypriano respondens Firmilianus in Asia Episcopus eamdem manuum impositionem ab Episcopo super baptizatis factam commemorat; unde patet Asiaticorum cum Africanis in hoc confirmationis Sacramento confitendo consensus.

34. Cypriano, & Firmiliano coævus ab eruditis creditur Anonymus scriptor lib. *de baptismo*, qui inter alia hæc habet: *Per manus impositionem Episcopi datur unicuique credenti Spiritus sanctus, sicut Apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma, manum eis imponendo fecerunt, & hac ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt*.

35. Hujus Sacramenti collationem esse reservatam Episcopis tradit etiam Concilium Eliberitanum celebratum circa initium Sæc. IV. dum can. 38. jubet, catechumenum baptizatum in periculo mortis, *si supervixerit, ad Episcopum perduci, ut per manus impositionem perfici possit*, nempe per Sacramentum Confirmationis. Quod idem postea declararunt Innocentius I. Epist. XXV. ad Decentium, S. Hieronymus *adv. Luciferianos*, S. Jo. Chrysostomus Hom. XVIII. in *Acta Apost.*, magnus Augustinus multis in locis, præcipue Lib. XV. *De Trin.* cap. 26. dicens, Apostolos quidem non dedisse Spiritum sanctum, sed *orasse*, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, *quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia;* aliosque plures, quorum testimonia legi possunt apud Nat. Alexandrum Dissert. X. in Sæc. II., ubi eadem vindicat contra subtiles Dallæi cavillationes, plenaque in luce collocat: omnia enim exscribere, nimis longum foret, & parum utile.

36. Obj. *primo* Dallæus contra nostrum argumen-

(a) Verba probe notanda vetustissimi hujus scriptoris sunt: „ Sequitur, a quo intellectus intervertatur „ eorum, quæ ad hæreses faciant? A diabolo scilicet, „ cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas „ quoque res Sacramentorum divinorum in idolorum „ mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique „ credentes, & fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit; & si adhuc memini, Mi„ thra, signat illic in frontibus milites suos &c.

mentum *præscriptionis*. Ecclesia græca non habet duo diversa, baptismatis, & chrismationis officia, sed unum duntaxat sub hoc titulo *Ordo sancti baptismatis*. Præterea neminem ad Eucharisticam communionem admittit, nisi sit sacro chrismate unctus, quia scilicet negat, hominem sine illa sacra unctione esse vere baptizatum, & sine baptismo neminem posse aliorum Sacramentorum participem fieri; cum tamen nos etiam sine Confirmatione homines ad alia Sacramenta admittamus, quia credimus, baptismum, etiam sine unctione, & manuum impositione, esse perfectum.

37. Resp., apud Græcos adhuc obtinere usum antiquum conferendi Confirmationem statim post baptismum: quo factum est, ut utrumque officium sub uno *Ordine* in eorum euchologiis contineatur. Attamen duo esse, & diversa Sacramenta satis indicatur in ipso Ordine, ubi dicitur: *Peracta baptismi actione, & postquam indutus fuerit neophytus, adjicit Sacerdos* (orationem) *sacrum administraturus unguentum*. In ea autem oratione Sacerdos Deum precatur, ut famulo suo *jam regenerato signaculum doni sancti, & omnipotentis, & adorandi sui Spiritus, & sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi sui communionem largiatur &c.* Hinc fit, ut quemadmodum Eucharistica communio, licet cum baptismo conjungatur, ipsis fatentibus adversariis, est Sacramentum a baptismo diversum, ita Sacramentum quoque diversum sit Confirmatio. Alterum etiam levius est; ideo enim Græci a sacra communione arcent non confirmatos, quia ita fert vetus eorum disciplina, non quia existiment sine hac sacra unctione imperfectum esse baptisma; nam imminente periculo mortis & ipsi consueverunt pueros cum sola invocatione Trinitatis baptizare.

38. Dices *primo*. Etiam in receptione hæreticorum jam baptizatorum eadem adhibetur apud Græcos manuum impositio, & chrismatis unctio, nec tamen nos dicimus, eam cæremoniam esse Sacramentum.

39. Resp., diversam esse manuum impositionem, & chrismatis unctionem in reconciliatione hæreticorum, & in confirmatione parvulorum: nam prima semper fuit, & est pura cæremonia, alia autem verum Sacramentum. Certe orationes sunt omnino diversæ. Deinde, ut supra ostensum est num. 28., Græci, aliique Orientales etiam schismatici solam Confirmationem, quæ fit post baptismum, pro vero Sacramento habent; non autem illam, quæ fit in reconciliatione hæreticorum.

40. Dices *secundo*. Falsus est, qui a nobis jactatur Ecclesiæ universæ in hoc dogmate consensus. Nam Guido Carmelita, Ant. Caucus, Prateolus, aliique Schismaticorum Communiones accusant, quod Confirmationem non recenseant inter vera Sacramenta. Ejusdem erroris accusantur etiam Æthiopes ab Alvarez Monacho in suo *Itinerario*, & a Zagazabo Æthiope in Epist. ad Damianum Goez Lusitanum. Ant. quoque Gouveanus Lusitanus testatur, a Chaldæis Christianis, qui Arabiam, Mesopotamiam, multasque alias regiones incolunt, Confirmationis Sacramentum ignorari.

41. Resp. Hanc difficultatem plene solutam habes sup. Diss. I. n. 233. ubi ostensum fuit, istorum paucorum accusationibus præferenda esse inconcussa monumenta, quæ evidenter demonstrant, fidem Græcorum, aliorumque Orientalium nostræ in hoc dogmate apprime consonam esse. Qua de re præter sæpe laud. Renaudotium consuli possunt duo doctissimi Græci Leo Allatius, & Petrus Arcudius, qui contribules suos ab hac criminatione falso ipsis impacta copiosis & invictis argumentis liberarunt (*a*).

42. Ob. *secundo*. Patres priorum sæculorum, ut Clemens Romanus in Epist. ad Corinthios, Ignatius Martyr in suis epistolis, Athenagoras, Theophilus, aliique, quorum scripta adhuc supersunt, cum multa dicant de Baptismo, & de Eucharistia, alte silent de Confirmatione. Basnagius in *Annal.* ad an. Christi 37. num. 38. seq. urget potissimum silentium S. Justini Mart., qui in suis *Apologiis* Cæsaribus exponere se profitetur omnia, quæ in baptismo fieri solebant, *ne maligne quidquam, & dissimulanter agere* videretur: unde est ergo decantata traditio?

43. Resp., hoc argumentum esse negativum, quod nullius est roboris, cum habeamus scriptores secundi, tertii, ac subsequentium sæculorum, qui nonnisi id nobis tradiderunt, quod a Patribus Apostolicis audiverant, quamobrem testes esse possunt antiquæ, & apostolicæ traditionis. Nemo etiam eruditorum ignorat, quam pauca supersint primi sæculi monumenta; tum quia non multa illi primi Christiani scripserunt, potius prædicatione, quam exarandis libris occupati; tum etiam quia ex iis paucis, quæ reliquerunt operibus, aliqua nobis eripuit temporis edacitas. Justinus autem cum non exhibuerit Cæsaribus librum catecheticum, sed simplices apologias, necesse non habuit omnia, quæ in adoptandis, & initiandis christianis observantur, minutatim exponere; sed satis erat suprema capita summatim memorare, cujusmodi erant duo præcipua Baptismi, & Eucha-

(*a*) Continuator *Hist. Eccl.* Fleury dum scripsit Lib. CLVII. §. 89., Gabrielem Cophtitarum Patriarcham dixisse Adlegatis Pii IV., a suis ignorari Sacramenta Confirmationis, Matrimonii, & Extremæ Unctionis, deceptus fuisse putatur a Rich. Simonio idem scribente in *Hist. Crit. fidei, morumque Orientalium*. Quem tamen Simonium multorum errorum jure reprehendit Eus. Renaudotius Tom. V. *Perpetuit. fidei* Lib. IX. cap. 9. Vid. idem præstantissimus Orientalium rituum indagator in Tom. II. *Liturgiarum Orientalium* in adnot. ad Liturgiam Patriarchæ Severi. Addatur & peritissimus harum rerum Jo. Aloysius Assemanus in *Codice Liturgiarum Ecclesiæ universæ*. Lib. III.

charistiæ Sacramenta, quæ etiam potissimum erant Ethnicorum calumniis obnoxia.

44. Inst. *primo*. Ea ipsa vetera monumenta, quæ supra allegavimus, si penitus examinentur, omnino nutant, & corruunt; præcipue autem quæ ex Tertulliano in medium allata sunt. Nam *primo* unctio illa, de qua loquitur *De Bapt.* cap. 7., vocatur ab ipso Tertulliano *de pristina disciplina*, nempe veteris testamenti, quia Sacerdotes de oleo cornu ungi in Dei ministerium solebant; quæ unctio profecto Sacramentum non erat. *Secundo* Africanus Doctor solam memorat unctionem de oleo cornu, non autem unctionem cum balsamo, quæ adhibetur in Confirmatione. *Tertio* illam unctionem memorat, quæ fit in baptismo, non eam, quam Pontifices adhibent in Confirmatione. Id liquet ex ipso titulo libri, nempe *de baptismo*; unde etiam cap. 10. *Diximus*, inquit, *quantum mediocritati nostræ licuit, de universis, quæ baptismi religionem struunt*. *Quarto* unctioni adjungit degustationem lactis, & mellis, quæ in Confirmatione locum non habet; inquit enim Lib. I. *contra Marcionem* cap. 14. de Christo auctore novæ legis: *Usque nunc neque aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis, & lactis societatem, qua suos infantat*. Hæc & alia id genus urget subtilissimus cavillator Dallæus.

45. Resp. ad *primum*, hæc verba *de pristina* disciplina solum designare unctionem, quæ fit in Confirmatione, fuisse in Lege Mosaica præfiguratam in unctione Sacerdotum, non autem fuisse institutam in veteri testamento; quod absurdum adeo est, ut nec in mentem Tertulliano venire potuerit. Eodem sensu ibidem dixit, baptismum esse *de pristina originis prærogativa*, quatenus fuit etiam in veteri lege præfiguratus.

46. Ad *secundum* resp., facile potuisse Tertullianum nomine *olei* intelligere etiam balsamum; quod intellexit quoque Innocentius Papa in Epist. ad Decentium, quamvis ejusdem balsami mentionem expressam non faciat, quia necesse non erat, unde nonnulli alii balsamum prætermiserunt. Addo, non esse omnino ratum, & fixum apud Theologos, balsamum, non minus quam oleum esse hujus Sacramenti materiam necessariam.

47. Ad *tertium* dico, nihil referre, quod Tertullianus unctionem sacram, & manuum impositionem post cæremonias baptismi; immo sub ipso titulo *de baptismo* recenseat: id enim ideo fecit, quia ex disciplina, quæ ea ætate vigebat, statim post baptismum Confirmationis, & Eucharistiæ Sacramenta conferebantur. Ceterum quemadmodum hæc tria sunt distincta Sacramenta; ita distinctos habebant effectus, quos Tertullianus enumerat in Lib. *De resurrect. carnis*, inquiens: *Caro abluitur, ut anima emaculetur* (en proprius baptismi effectus): *caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione obumbratur, ut & anima spiritu illuminetur* (hi sunt effectus Confirmationis): *caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut & anima Deo saginetur*. Id præstat Sacramentum Eucharistiæ, a Confirmatione diversum, sicut ipsa Confirmatio est a baptismo diversa.

48. Ad ult. observo, Tertullianum, quemadmodum unctioni conjungit degustationem lactis, & mellis, ita etiam conjungere sumptionem Eucharistiæ; subdit enim illico: *Nec panem, quo ipse corpus suum repræsentat*. Neque tamen dicent adversarii, sumptionem Eucharistiæ fuisse partem baptismi, aut solam cæremoniam, cujusmodi est lactis, ac mellis degustatio. Dicendum itaque est, Tertullianum eo loci confuse recensere illa elementa, quæ in baptizatis usurpabantur. Ejus enim scopus non erat de Sacramentis accurate agendi, sed contra Marcionem ostendendi, Deum veteris testamenti fuisse bonum, immo ipsum Deum novi testamenti; quod ut evincat, hoc utitur argumento: „ Deus novi testamenti in suis Sacramentis utitur illis rebus, quas Deus, veteris testamenti creavit, nempe aqua, oleo, pane, lacte, & melle: uterque igitur Deus bonus est, immo nonnisi unus utriusque testamenti est Deus. Id autem satis erat ad ejus scopum, quin subtilius secerneret quæ ad Sacramentorum essentiam, & quæ ad cæremonias duntaxat pertinebant ". Nonnullæ aliæ Dallæi argutiæ videri possunt facile dissolutæ a Natali Alexandro Dissert. X. in Sæc. II.

49. Ceterum degustationem lactis, & mellis, cujus non solum meminit Tertullianus, sed alii etiam veteres Patres, non esse peculiare Sacramentum, sed solam cæremoniam, ex eo luculenter eruitur, quod illa sensim ac sensim obsoleverit, postquam pædobaptismus ubique invaluit, & fere cessavit baptismus adultorum. Contra vero neque sacra unctio, neque sumptio Eucharistiæ cessarunt, sed tantummodo in opportunius tempus dilata sunt, quia nempe Ecclesia quidem potestatem habet, sicut instituendi, ita etiam abolendi ritus, & cæremonias Sacramentorum, non autem ipsa Sacramenta, vel partes eorum essentiales.

50. Ob. *tertio*. Patres, qui Confirmationis mentionem faciunt, eam recensent inter baptismi cæremonias. *Primo* enim Cornelius Papa apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 43. Novatiano, qui dum in lectulo ubi jam jam moriturus credebatur, aqua perfusus baptismum susceperat, vitio vertebat, quod liberatus a morbo reliqua non perceperit, quæ *juxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus fuerit*, nempe quam nos dicimus Confirmationem non acceperit; & quam proinde nonnisi ecclesiasticam cæremoniam reputabat. *Secundo* sæpe antiqui Patres manuum impositionem vocant *baptismi perfectionem*. Sic habet Canon 38. Illiberitanus, jubens, baptizatum a laicis in periculo mortis, si supervixerit, ad Episcopum esse adducendum, *ut per manus impositionem perfici possit*. Et S. Cyprianus in Epist. LXXIII. ad Jubajanum di-

dicit, Apostolos Petrum, & Joannem fuisse missos in Samariam, *ut supplerent*, *quod deerat* baptismo a Philippo Samaritanis dato.

51. Resp. ad *primum*, si verba Cornelii integra referantur, non solum evanescere objectam difficultatem, sed catholicum dogma ex iis solide confirmari. Ita enim S. Pontifex ad Fabium Antiochenum scribebat de Novatiano: *Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent; neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* Ubi ea, quæ *juxta ecclesiasticam regulam*, percipi debent, a consignatione Episcopi secernit, atque hac Episcopi consignatione neglecta, negat, Spiritum sanctum ab ipso Novatiano fuisse perceptum; eam scilicet Spiritus sancti gratiam, quæ in Confirmatione donatur.

52. Ad *secundum* resp., illa verba *perfici*, aut *suppleri* non esse referenda ad baptismum, quasi sine manus impositione imperfectus esset, sed ad plenam Christianæ religionis professionem, ad quam priscis temporibus præter baptismum requirebantur etiam duo Sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ, quæ, ut dictum est sæpe, statim post baptismum conferebantur.

53. Dices. S. Cyprianus in Epist. LXXII. ad Stephanum manuum impositionem vult esse perfectionem, & complementum baptismi. Ait enim, tunc demum homines plene sanctificari, & esse filios Dei posse, *si utroque Sacramento nascantur*; quæ locutio esset omnino falsa, si sanctus Martyr existimasset, Confirmationem esse vere, & proprie Sacramentum a baptismo diversum; quasi vero per baptismum homines non essent nati vita spirituali, sanctificati, & filii Dei effecti.

54. Resp., hæc verba esse intelligenda ad mentem S. Martyris, ac totius Ecclesiæ, non de vera, & propria nativitate spirituali, quæ in Sacramento baptismi complete, & perfecte habetur, sed de novo augmento vitæ spiritualis, quod consequitur homo baptizatus per Sacramentum Confirmationis; in quo homo *accipit quasi quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ*, ut loquitur S. Thomas sup. laud. n. 6.

55. Ob. *quarto*. S. Hieronymus in *Dial. adv. Luciferianos* n. 6. totus est, ut probet, in baptismo etiam ab hæreticis collato dari Spiritum sanctum: quia inquiebat, *si Arianus Spiritum sanctum non potest dare, nec baptizare quidem potest, quia Ecclesiæ baptisma sine Spiritu sancto nullum est*. Unde Luciferianum urget, ut *aut Arianum baptizet, quia sine Spiritu sancto baptizari non potuit, aut si est baptizatus in Spiritu, desinat ei invocare Spiritum, quem tunc, cum baptizaretur, accepit*. Non ergo agnovit Doctor maximus eam manuum impositionem, qua baptizatis ab hæreticis daretur Spiritus sanctus, scilicet per Sacramentum Confirmationis.

56. Resp., S. Hieronymus ibi nomine Spiritus sancti intellexisse gratiam sanctificantem, quæ in baptismo confertur, cum quo tamen non pugnat, quin agnoverit aliam gratiam ejusdem Spiritus sancti, quæ conferatur in Confirmatione. Sic etiam Apostoli præter illam gratiam Spiritus sancti, qua fuerant sanctificati, alia receperunt ejusdem Spiritus sancti dona in die Pentecostes. Utramque gratiam agnovisse S. Hieronymum, manifeste liquet ex eodem Dialogo. Cum enim Luciferianus dixisset: *An nescis, Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus?* respondet Hieronymus: *Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, aut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat*. Quid clarius ad distinguendam duplicem Spiritus sancti invocationem, alteram, quæ fit in baptismate a Presbyteris, & Diaconis, alteram, quæ in Confirmatione soli Episcopo reservatur? Ne itaque fingamus, S. Doctorem nedum cum generali Ecclesiæ doctrina, & consuetudine, sed etiam cum seipso pugnare, dicendum erit, utramque Spiritus sancti invocationem in duobus Sacramentis eum agnovisse, sed non æqualem utriusque invocationis necessitatem; ut proinde etiam illi salvi fierent, *qui in villulis, aut in castellis, aut in remotioribus locis, per Presbyteros, & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur*.

57. Dices. S. Hieronymus hanc manuum impositionem putavit puram esse cæremoniam ab Ecclesia institutam: approbat enim Luciferianum dicentem, *Ecclesiarum hunc esse morem, & consensum orbis instar præcepti obtinere*, atque hunc morem cum aliis confundentem, qui certe nonnisi cæremoniæ baptismi sunt, ut *in lavacro ter caput mergitare, egressos lactis, & mellis concordiam prægustare, die Dominico, & per totum Pentecostes tempus de geniculis non adorare, & jejunium solvere;* quæ omnia, utpote puræ cæremoniæ, ab Ecclesia antiquata sunt.

58. Resp., Luciferianum ibidem Confirmationis usum *primo* repetere a Scriptura, *deinde* ab Ecclesiæ consuetudine; inquit enim n. 6.: *Exigis, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret*. Et quamquam manuum impositionem Luciferianus cum aliis rebus cæremonialibus confundat, qui postea antiquati sunt, Hieronymus tamen n. 9., *ex apostolica auctoritate* descendere dicit, quod baptizatus nonnisi *per manus Episcopi* accipiat Spiritum sanctum; quamvis postea addat, id factum fuisse *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis*.

59. Ob. *quinto*. Isidorus Hispalensis gravissimus Auctor VII. Sæculi Lib. I. *De Officiis Eccles.*

cles. docet, sicut corpus, & sanguis Christi nonnisi unum sunt Sacramentum, ita etiam nonnisi unum esse Sacramentum baptisma, & unctionem: *Sunt autem*, inquit, *Sacramenta baptismus*, *&* *chrisma*, *corpus*, *&* *sanguis Christi*. Præterea *De viris illustr.* narrat, quemdam Eutropium virum eruditum postulasse a Liciniano Episcopo Carthaginensi, *quare baptizatis infantibus chrismatis inunctio tribuatur?* Non erat ergo tunc universaliter notum, Confirmationem esse verum Sacramentum a baptismo diversum.

60. Resp. ad *primum*, ipsis objectis S. Isidori verbis aperte distingui baptismum a chrismate, tamquam duo Sacramenta; quamvis non inde sit consequens, etiam corpus, & Sanguinem Christi duo esse distincta Sacramenta, quod nemo unquam somniavit. Sed omne dubium tollunt, quæ idem Isidorus ibidem subdit, distinguens duos utriusque Sacramenti effectus: *Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur*, *ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur*.

61. Alterum mere divinatorium est. Cum enim epistola illa Eutropii deperdita sit, nihil certi affirmari, aut negari potest. Sed si conjecturis indulgendum sit, possumus prudenter suspicari, quæstionem Eutropii in eo fuisse, cur infantibus rationis usu carentibus Confirmationis Sacramentum conferretur? Cum enim ipsi defectu ætatis inepti sint ad fidem interius nutriendam, atque exterius strenue profitendam, supervacaneum videri poterat, illis in ea ætate hoc Sacramentum conferre. Quæ observatio fortasse Ecclesiæ latinæ Pastores commovit, ut nonnisi adultos hoc salutari remedio communirent.

62. Ob. *postremo* loco Calvinista Dallæus. Non constat apud ipsos Pontificios Doctores, quænam sit hujus Sacramenti materia, quænam forma, aut quis minister? De his enim omnibus jamdiu litigant, nec ulla apparet harum controversiarum finiendarum spes. Si autem confirmatio certum esset novæ legis Sacramentum, certa etiam esse deberet illius materia, certa forma, & certus minister. Præterea hoc Sacramentum prorsus inutile, & supervacaneum est. Qui enim illi tribuitur confirmandi, & corroborandi homines effectus, hos jam baptismus præstitit, in quo, ut supra docuimus Diss. III. n. 333., Spiritus sancti gratia, & virtutes infunduntur. Item per Sacramentum Eucharistiæ gratia non solum confirmatur, & augetur, sed etiam cor hominis, tamquam per cibum spiritualem corroboratur. Unde S. Cyprianus Epist. LIV. inquiebat: *Non morientibus*, *sed viventibus communicatio a nobis danda est*: *ut quos excitamus*, *&* *hortamur ad prælium*, *non inermes*, *&* *nudos relinquamus*, *sed protectione Corporis*, *&* *Sanguinis Christi muniamus*. Cui ergo bono hoc novum Sacramentum a baptismo, & Eucharistia distinctum Christus instituere voluit?

63. Resp. ad *primum*, totum id, quod scitu fidelibus necessarium est de materia, forma, & ministro Confirmationis, esse plane certum, ut ex mox dicendis constabit. Omnes enim tam Græci, quam Latini, & qui in diversas abeunt sententias, manuum impositione, & simul chrismate in confirmando utuntur: unde quantum ad essentialia hujus Sacramenti mira est in utraque Ecclesia, & apud omnes concordia, ut proinde controversiæ, quæ supersunt, sint tantum speculativæ, non practicæ. Et si hoc Novatorum argumentum valeret, neque apud ipsos nullum superesset certum, & fixum religionis dogma: nullum est enim adeo capitale, in quo Theologi ipsi pseudo-reformati omnino conveniant, & non invicem altercentur, sin minus quantum ad substantiam, saltem quantum ad aliqua adjuncta. Quod perfacile esset innumeris exemplis tam ex nostra, quam ex ipsorum theologia illustrare.

64. Altera Dallæi objectio posset unico flatu dissipari, dicendo, minime nutare divinam hujus Sacramenti institutionem, quæ firmissimis sacræ Scripturæ, & ecclesiasticæ traditionis fundamentis innititur, etiamsi non aperte constaret hujus divinæ institutionis finis. Quot enim, & quanta sunt, de quorum existentia nulli licet dubitare, quamvis altissimi divinæ providentiæ fines impervii sint? Sed Deus providentissimus hunc etiam finem nobis aperte manifestavit in illa oratione Apostolorum, quæ legitur Act. IV. 29. seq. *Domine*, *respice in minas eorum*, scilicet inimicorum religionis Christi, *&* *da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*... *Et cum orassent*, *motus est locus*, *in quo erant*, *&* *repleti sunt omnes Spiritu sancto*, *&* *loquebantur verbum Dei cum fiducia*. Ibi renovatum est miraculum primæ illius confirmationis, quam receperunt in cœnaculo, & apertissime nobis demonstratus est finis institutionis hujus Sacramenti, scilicet ad confirmandos, & roborandos fideles in confessione fidei.

65. Merito itaque Angelicus 3. P. quæst. 72. art. 1. postquam observasset, *Sacramenta novæ legis ordinari ad speciales gratiæ effectus*, docet, hunc specialem gratiæ effectum in Sacramento Confirmationis esse *quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ*. Vid. sup. n. 6. Et quæst. 79. art. 1. cum sibi objecisset hanc ipsam difficultatem respondet ad 1., per Sacramentum Eucharistiæ gratiam augeri, & vitam spiritualem perfici, *aliter tamen*, *quam per Sacramentum confirmationis*, *in quo augetur*, *&* *perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi*. *Per hoc autem Sacramentum* (Eucharistiæ) *augetur gratia*, *&* *perficitur spiritualis vita ad hoc*, *quod homo in seipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum*. Ac demum in IV. Dist. VII. explicans textum Magistri, *per Eucharistiam*, inquit, *roboratur charitas*, *per hoc autem Sacramentum* (Confirmationis) *fides*... *Vel dicendum*, *quod Eucharistia perficit*, *&* *roborat ad standum in seipso per modum cibi*, *sed Confirmatio ad pugnam*,

quam

quam quis ab aliis patitur in confessione nominis Christi, contra adversarios audaciam præbens. Cui doctrinæ subscribit etiam Seraphicus Doctor S. Bonaventura in laud. Dist. VII. Et hæc satis sint de hac controversia, quæ fusissime ab aliquibus Theologis tractari solet, præcipue a Natali Alexandro laud. Dissert. X. in Sæc. II., ubi innumeras technas, & cavillationes acutissimi Dallæi refutandi provinciam sibi sumpsit, & feliciter complevit.

CAPUT II.

De materia Sacramenti Confirmationis.

66. Ut mox dicebamus contra Lutheranos, & Calvinistas, controversiæ, quæ inter orthodoxos de materia hujus Sacramenti exortæ sunt, in scholis dumtaxat agitantur, non autem in Ecclesia. In Ecclesia enim miro omnium consensu hoc Sacramentum administratur per manus impositionem, quam Græci dicunt χειροθεσίαν, & per sacri chrismatis unctionem a Græcis μύρον vocatum; & solum in scholis controvertitur, quænam ex his duabus partibus sit plena & adæquata Confirmationis materia. Novatores autem utramque repudiant; nec repudiant solum, sed sacrilego ore profanant (*a*).

67. Theologi igitur orthodoxi in tres præcipuas sectas divisi sunt; quæ postea sectæ etiam subdividuntur. *Prima* eorum est, qui post Petrum Aureolum Verberium Ord. Min. Archiep. Aquensem, & S. R. E. Cardinalem (floruit Sæc. XIV., & illustre inter Scholasticos sibi nomen acquisivit, ejusque Commentarii Romæ prodierunt an. 1596. duob. Vol. in fol.) solam manuum impositionem esse veram, perfectamque censent Confirmationis materiam; sacram autem schrismatis unctionem pertinere quidem ad substantiam Sacramenti, non tamen esse de ejus essentia, sicut manus, inquit Aureolus, pertinet ad substantiam hominis, non tamen est de ejus essentia, cum homo possit esse etiam sine manu. *Aliam* e diametro oppositam sectam efficiunt illi Theologi, qui chrismatis unctionem volunt esse essentialem hujus Sacramenti partem, manuum autem impositionem solum accidentalem. *Tertia* demum, quæ modo communior esse videtur, constituitur ab illis Theologis, qui utramque partem conjungunt, & manus impositionem una cum sacri olei inunctione plenam, integram, & adæquatam esse contendunt Confirmationis materiam, ita ut alterutra deficiente irritum sit Sacramentum. Isti porro subdividuntur: cum enim in Confirmationis ordine duæ sint manus impositiones, quæ ab Episcopo fiunt, altera ante unctionem, altera in ipsa unctione, quæ fieri non potest sine capitis contactu, quidam primam, alii alteram pro materia Confirmationis habent. Nostra sententia hæc est

PROPOSITIO I.

Materia adæquata & integra Sacramenti Confirmationis est manus impositio, & sacri chrismatis unctio.

68. Prob. ex supra relatis SS. Patrum testimoniis n. 29. & seq., in quibus utriusque materiæ fit non minus frequens, quam aperta, & expressa mentio. Et quamquam non omnes utramque conjungunt, hoc ipso tamen, quod utraque commemorata inveniatur, modo ab his, & modo ab illis, argumentum validissimum suppeditatur concludendi, omnes simul conspirasse in utraque agnoscenda. Ulterius Tertullianus, unus ex antiquioribus latinis Patribus utramque simul copulavit *De resurrect. carnis* cap. 8. inquiens: *Caro ungitur, & anima consecratur... Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* Et *de baptismo* cap. 7. post assertam olei unctionem subdit: *Dehinc manus imponitur.* Etiam sanctus Cyprianus Epist. LXXIII. explicans morem tunc vigentem, quem ab Apostolis Petro, & Joanne repetebat, *manus impositionem*, & *consignationem signaculo divino* in Sacramento confirmationis simul conjunxit. Hoc autem *signaculum divinum* nihil aliud erat, quam sacri chrismatis linitio, quam nunc etiam Græci appellare solent *signaculum doni sancti Spiritus.* Perperam autem Henr. Valesius in cap. 43. Lib. VI. *Hist.* Eusebii signaculum divinum interpretatus est manuum impositionem, cum laud. Cyprianus utrumque distinguat. Ab aliis sanctorum Patrum testimoniis coacervandis supersedeo, cum hæc satis esse possint.

69. Neque vero quis nobis statim objiciat, absurdum videri, duplicem unius, ejusdemque Sacramenti materiam constitui. Non inquam; nam *primo* cum Sacramentorum institutio a libera Dei voluntate pendeat, eccur non potuit Deus pro suæ beneplacito voluntatis duplicem hujus Sacramenti materiam instituere? Deinde quid simile habemus in sacrosancto Eucharistiæ sacrificio, in quo materia est sine controversia duplex, panis, & vinum.

70. Objiciunt *primo* ii, qui solam unctionem pro materia hujus Sacramenti habent. Innocentius III. cap. *Cum venisset* Extra *De sacra unctione* scribit, per frontis *chrismationem designari manus impositionem Apostolorum.* Item Innocentius IV. in epist. X. ad Othonem Card. cap. 4. *Soli A-*

(*a*) Calvinus manuum impositionem, quæ sæpissime in libris sacris occurrit, irridet tamquam *vacuum, & frigidum signum, mimice tantum, & sine re effictum:* Oleum autem sacrum scurriliter, & insulse vocat *pinguedinem ore anhelitus inquinatam, & verborum murmure incantatam.* Vah hominis petulantissimi contra venerabiles totius antiquitatis Patres, & contra sanctissimos totius Ecclesiæ ritus blasphemias!

Apostoli, inquit, *quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur*. Impositio igitur manuum toties in sacris litteris, & Patribus memorata non erat vera hujus Sacramenti materia, sed sola *confirmatio*, vel *frontis chrismatio*. Deinde Eugenius Papa IV. in Decreto pro Armenis inquit: *Loco illius manuum impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum sanctum, datur in Ecclesia Confirmatio*. Et adhuc clarius, *Secundum Sacramentum*, inquit, *est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, & balsamo*. Tertio S. Thomas 3. P. quæst. 72. art. 2. quærens, quænam sit Confirmationis materia? respondet, esse *chrisma*: & cum sibi objecisset, Apostolos hoc Sacramentum contulisse *per solam manus impositionem absque chrismate*, respondet ad 1., quod ad impositionem manus Apostolorum, & etiam ad eorum prædicationem descendebat plenitudo Spiritus sancti super fideles visibilibus signis: *& ideo non erat necessaria sensibilis materia Sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus*. Ita vero non respondisset Angelicus, si putasset, impositionem manuum factam ab Apostolis fuisse Confirmationis materiam.

71. Resp. ad *primum*, & *secundum*, neutrum Pontificem voluisse excludere a Sacramento Confirmationis manuum impositionem, sed solum asserere, chrismationem esse hujus Sacramenti materiam, non quasi loco impositionis manus successerit chrismatio; & cum Apostoli uterentur manuum impositione, & non chrismate, nos contra utamur chrismate, & non manuum impositione. Videtur igitur uterque hic Pontifex solum innuere, nomen chrismationis fuisse posteriori ævo usurpatum pro nomine impositionis manus, quo nomine tempore Apostolorum vocabatur Sacramentum Confirmationis. Id apertius declarat Innocentius IV. Lib. I. Tit. IV. cap. *Quanto*, inquiens, *Sacramentum Confirmationis, chrismando renatos, soli debent Episcopi per manus impositionem conferre*. Quamobrem in objectis verbis videtur tantummodo diversa hujus Sacramenti nomina recensere; nimirum quæ ab Apostolis dicta fuit *manuum impositio*, *repræsentari*, vel dici *Confirmationem*, vel *chrismationem*.

72. Eademque videtur fuisse mens Eugenii IV., ut nil aliud Armenos docere voluerit, quam Sacramentum *Confirmationis* esse illud ipsum, quod ab Apostolis dabatur per manus impositionem; & modo vocari *Confirmationem*, cum tunc vocaretur *manus impositio*. In alio loco Eugenius nonnisi partialem Confirmationis materiam assignavit; sicut etiam fecit, cum materiam Sacramenti ordinationis dixit esse porrectionem instrumentorum; neque enim ignorabat sapientissimus Pontifex, Græcos non ordinare sine manuum impositione.

73. Ad *tertium* resp., S. Thomam in eo articulo proprie non quærere, an chrisma sit sola materia Sacramenti, sed an sit materia conveniens? Quod ibidem affirmat, & probat. Ipsum autem non excludere impositionem manuum, patet ex Lect. I. in cap. VI. Epist. ad Hebr., ubi hæc habet: *Secundum Sacramentum intrantium* (in Ecclesiam) *est in ipsa manuum impositione ... hæc autem est duplex: una est miracula faciens ... alia est Sacramentalis: & hæc est duplex: una in Sacramento ordinis ... alia in Sacramento Confirmationis ad renovationem; in Confirmatione enim datur Spiritus sanctus ad robur*. Post tam claram doctrinam quis possit de S. Thomæ mente dubitare?

74. Ea vero, quæ adjecta sunt ex resp. ad 1. facile explicantur ex aliis, quæ idem S. Doctor tradit art. 4. ubi cum sibi objecisset similem difficultatem de forma Confirmationis, quam neque Christus instituit, neque Apostoli adhibuerunt, ita respondet: „ Sicut supra dictum est art. 2. ad 1., per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus hujus Sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, qui potest effectum Sacramenti sine Sacramento conferre: & tunc non erat necessaria nec materia, nec forma hujus Sacramenti. Quandoque autem (Apostoli) tamquam ministri Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant, & tunc sicut materia, ita & forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in Sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. " Ad mentem igitur S. Doctoris oportet distinguere duplicem collationem Spiritus sancti factam ab Apostolis; aliam per signa visibilia, & tunc nec materia necessaria erat, nec forma: aliam sine visibilibus signis, & tunc utebantur materia, & forma. Eos fuisse usos manuum impositione, cum ex sacris litteris, tum ex traditione edocemur. Fuisse etiam usos chrismate colligit Angelicus ex quibusdam verbis Dionysii, vulgo Areopagitæ, quem ut vetustissimum Ecclesiæ scriptorem illi quoque agnoscunt, qui eum negant esse ævi apostolici.

75. Inst. Ecclesia latina semper ratam habuit Confirmationem datam a Græcis: neque enim uspiam legitur, eam fuisse iteratam; atqui Græci solam unctionem adhibent, omissa manuum impositione. Quod prob. *primo* ex Græcorum euchologiis, in quibus, ut Morinus, Goarus, aliique testantur, nulla prorsus invenitur manuum impositionis mentio: *deinde* in Confessione fidei, quam Nectarius Patriarcha Jerosolymitanus edidit, & quam alii Episcopi approbarunt, ita legitur: *Hæc unguenti unctio, sive unctionis efficacia ævo Apostolico per impositionem manus fiebat, & habetur Act. VIII., postmodum unctione unguenti fieri cœpit*.

76. Resp. impositionem manuum, tamquam

pat-

partem necessariam, licet non præcipuam, in Sacramento Confirmationis fuisse a Græcis semper agnitam, & servatam. Id patet ex innumeris cum veterum, tum recentiorum Græcorum testimoniis, quæ apud Scriptores liturgicos facile inveniuntur, & nos brevitatis causa omittimus. Neque verum est, in omnibus euchologiis impositionem manuum esse omissam: eam enim in non paucis inveniri, testatur Eus. Renaudotius harum rerum scientissimus. Joseph item Assemani Tom. III. *Biblioth. Orient.* P. II. eam invenit in *Rituali* Nestorianorum in Chaldæa degentium. Concludo verbis mox allegati Renaudotii Tom. V. *Perpetuit. fidei* Lib. II. cap. 2.: *Impositio manuum in plerisque Græcorum libris ritualibus præscripta reperitur*, *quamquam pro præcipua Confirmationis parte non habeatur. Quod non ideo fit, quasi Græci, & Orientales magnam in impositione manuum efficaciam non agnoscant; sed quia cum in omnibus pene Sacramentis fiat, unctionem, quæ paucorum propria est, principalis materiæ tenere locum existiment.* Nectarii Patriarchæ verba obscura sunt, nec satis apparet, quomodo *Unguenti unctio, sive unctionis efficacia unctione unguenti fieri cœperit;* quod verba illa sonant. Sed fortasse solum innuere voluit, impositioni manuum, quæ Apostolico ævo fieri solebat, fuisse postmodum unctionem unguenti additam (*a*).

77. Objiciunt *secundo* Jac. Sirmondus, & qui cum eo solam manuum impositionem pro materia Confirmationis agnoscunt. Apostoli in danda Confirmatione non leguntur ullam adhibuisse unctionem, sed duntaxat per manus impositionem invocasse Spiritum sanctum. Nihil etiam legitur de hac unctione apud Patres Apostolicos, & nonnisi serius hujus unctionis mentio fieri cœpit.

78. Resp., hoc argumentum valde affine esse illi, quo perpetuo contra Ecclesiæ dogmata utuntur Novatores, a nobis importune exigentes, ut clara, aperta, & minime ambigua sacrarum litterarum testimonia exhibeamus. Cui Novatorum petitioni si hujusmodi testimonia in promptu non sunt, semper reponimus, sufficere perpetuam, ac constantem Ecclesiæ traditionem, quæ est alter divinæ revelationis fons, & tutissima nostræ fidei norma. Et quando etiam luculenta primi, aut secundi sæculi monumenta desunt, ostendimus, sufficere illa, quæ nobis Patres sequentium sæculorum abunde suppeditant; utpote qui nonnisi illa posteris suis reliquerunt dogmata, quam quæ ab antiquioribus Patribus, & illi Patres ab Apostolis acceperant, juxta illam inconcussam S. Augustini regulam ab omnibus Catholicis receptam Epist. LIV. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis ...... commendata, atque statuta retineri;* & Lib. IV. *De bapt.* cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Jam vero provocamus adversarios, ut nobis aperiant, quando, & a quibus, & in quonam Concilio hæc sacræ unctionis consuetudo, quæ in utraque Ecclesia, Latina, & Græca, a primis sæculis invenitur, invecta fuerit? Quæ innovationis epocha cum inveniri nequeat, jure nostro concludimus, eam esse ab Apostolis derivatam.

79. Instabis. Celebris est canon secundus Concilii I. Arausicani habiti anno 441., quo sic statuitur: „ Nullus ministrorum, qui baptizandi re„ cepit officium, sine chrismate usquam debet „ progredi, quia inter nos placuit semel chrisma„ ri. De eo autem, qui in baptismate quacum„ que necessitate faciente chrismatus non fuerit, „ in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam „ in-

(*a*) Putarunt aliqui ipsam unctionem in fronte, cum sine tactu capitis fieri nequeat, vocari posse, & esse illam manus impositionem, quæ dicitur Confirmationis materia. Verum P. Jac. Sirmondus in suo *Antirrhetico* II. hanc opinionem *ridiculam* appellavit, & *qua nihil fingi possit absurdius*. Petrus vero Aurelius allatis nonnullis gravium scriptorum testimoniis eam sententiam veram esse contendit, & aliam manus impositionem, quæ fit ab Episcopo ante chrismatis unctionem, pro sola cæremonia, non autem pro essentiali Sacramenti materia esse habendam. Omnium tamen Theologorum suffragium hac in parte Aurelius obtinere non potuit. Nostrum non est, hanc celebrem controversiam ingredi, aut definire. Audiantur tamen quæ gloriosissimæ memoriæ Pontifex Benedictus XIV. *De Sin. Diœc.* Lib. II. cap. 19. scripta reliquit. Postquam enim varias quas nos recensuimus, Theologorum sententias de Confirmationis materia §. 16. enumerasset, illorum explicationem addit, qui in Ecclesia Occidentali ideo vigere dicunt disciplinam imponendi manus in ministrando Confirmationis Sacramento, *quia sine admotione, atque impositione manus inungi nequeat illius frons, qui confirmatur*, cum satis assequi non possint, quo alio pacto dici valeat, juxta ritum nunc temporis in Ecclesia Occidentali vigentem imponi manus super confirmandos ab Episcopo Sacramentum ministrante: „ siquidem ea manus protensio versus confirmandos, „ quam Episcopus habet, dum primas recitat preces, „ nequaquam manuum impositio super eos jure, ac „ proprie dici posse videatur. *Quam difficultatem con-„ firmat num. 17. hæc subjiciens*: cum Episcopus sub „ functionis exordium primam orationem recitet, si„ mulque manus protendat super eos, qui præsentes „ adsunt Sacramentum suscepturi, nec amplius eam„ dem orationem repetat, manusque protendat ad eos, „ qui præsentes non aderant, cum primum hæc præ„ stitit, sed paulatim subingressi sunt in locum eo„ rum, qui chrismate inuncti recesserunt; cumque „ hujusmodi agendi ratio communiter recepta sit, & „ passim servetur, nemine penitus contendente, pro„ pterea nullum, irritumque esse Confirmationis Sa„ cramentum sic administratum iis, qui in locum „ priorum successerunt: satis id est ad evincendum, „ manuum extensionem, quæ præindicato tempore fit „ ab Episcopo super confirmandos, neque reipsa esse, „ neque censeri eam manuum impositionem, quæ ad „ validitatem Sacramenti requiritur.

„ inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est, non ut præjudicans quidquam, sed „ ut non necessaria habeatur repetita chrismatio." Alii sine particula negativa *non* legunt; *sed ut necessaria habeatur repetita chrismatio* (*a*). Ex his concludebat Sirmondus, chrismatis unctionem esse ritum ad baptismum pertinentem, eamque, si in baptismo omissa fuerit, non esse ab Episcopo in confirmatione repetendam. Hunc Arausicanum canonem post breve undecim annorum spatium confirmavit Synodus Arelatensis II. can. his verbis: *Nullum ministrum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate debere progredi, quia inter nos juxta Synodi* (Arausicanæ) *constitutionem placuit semel chrismari*: non itaque admittebatur altera chrismatio in Confirmatione, sed sola adhibebatur manuum impositio.

80. Resp. *primo*, admissa particula negativa, ut contendit Sirmondus, canonis sensum fieri obscurissimum. Cui enim bono commonendus erit Sacerdos, nempe Episcopus, qui ibi Sacerdotis nomine significatur, de omissione unctionis, nisi ut omissionis defectum suppleat? Si autem statuitur *non* necessaria *repetita* chrismatio; una scilicet ad supplendam omissam in baptismo, altera vero in Confirmatione, supervacaneum erit, Episcopum omissionis admonere. Eliminata vero particula negante, hic recte fluit canonis illius sensus, ut ministri baptismatis sacrum chrisma secum ferant, quo possint infantes baptizatos sacro oleo in vertice linire, idest primam chrismationem dare. Quod si aliqua improvisa necessitate hæc chrismatio omissa fuerit, debeat Episcopus moneri, ut antequam neophytum confirmet, illum defectum suppleat. Illa autem verba *non ut præjudicans quidquam* possunt significare, hanc primam inunctionem, quæ ad baptismi ritum supplendum pertinet, nullum præjudicium inferre alteri, quæ in Confirmatione danda est. Quod additur, *Chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est*, nihil aliud significat, nisi idem esse sacrum chrisma, & ab eodem Episcopo benedictum, quo Presbyteri in baptismo utuntur, & quo Episcopi Sacramentum Confirmationis conferunt.

81. Quod si aliquis contentiose cum Sirmondo, aliisque Theologis velit, retinendam esse particulam negantem, tunc etiam diluitur objectio Sirmondi dicendo, non esse *necessariam repetitam* chrismationem, quia omitti potest sine præjudicio Sacramenti illa, quæ fieri in baptismo debebat, utpote quæ essentialis non est: non autem illa, quæ ad essentiam spectat Confirmationis. Videri potest amplissimus Cardinalis Jos. August. Orsi in *Dissert. Historico-theol. De chrismate confirmatorio*: Et hæc satis multa de controversia, quam fusiori calamo agitare solent Scholastici, quin tamen sacrosanctæ Synodi Tridentinæ dogmata ab alterutra litigantium parte lædantur: hanc enim controversiam sanctissimi illi Patres intactam esse voluerunt.

Quæres *primo*, *quid sit chrisma, quo Sacramentum Confirmationis administratur?*

82. Resp. Chrisma vox græca est a verbo χρίω *ungo* derivata; unde latine idem sonat ac *unguentum*, seu *unctio*. Quando autem loquitur de chrismate, quod in Sacramento Confirmationis adhibetur, significatur unguentum factum ex oleo olivarum, & balsamo cum solemni Episcopi consecratione. Dixi *ex oleo olivarum*: quia, ut notat Angelicus 3. P. quæst. 72. art. 2. ad 3., *hoc proprie dicitur oleum; quilibet autem liquor ex similitudie hujus oleum nominatur; nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum olivarum*,

83. Hujus chrismatis, nempe olei cum balsamo mixti, mentio habetur in Sacramentario S. Gregorii Magni; & vener. Beda explicans illa verba Cantic. I. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, inquit: „ In vineis Engaddi balsamum gignitur, quod in chrismatis confectione liquori olivæ admisceri, ac Pontificali benedictione solet consecrari, quatenus fideles omnes cum impositione manus sacerdotalis, qua Spiritus sanctus accipitur, hac unctione signantur (*b*)."

84. An balsami mixtio necessaria omnino sit ad materiam hujus Sacramenti, controvertitur a Theologis: quamobrem si Confirmatio data fuisset cum solo oleo, esset tamquam dubia sub conditione iteranda. Extat de hoc dubio celebre responsum Innocentii III. cap. *Pastorali* extra *de Sacram.* non

(*a*) De hac particula negante acre, & diutinum exarsit dissidium inter duos viros doctissimos, P. Jac. Sirmondum, & Petrum Aurelium (sub quo nomine latebat famosus Jo. Du-Verger Abbas S. Cypriani). Eam retinendam, esse, contendebat Sirmondus; abjiciendam vero Petrus Aurelius: uterque vetustis codicibus se tuebatur, & longa fuit serræ reciprocatio; nam Sirmondus addidit *Antirrheticum* I., cui Aurelius opposuit *Anæreticum*. Aliud *Antirrheticum* edidit Sirmondus, & Aurelius ipsum confutavit in *Orthodoxo*; quæ Aurelii opuscula continentur in *Operibus Petri Aurelii Theologi, jussu, & impensis Cleri Gallicani editis* Parisiis 1642. tribus Tomis in fol. Utrumque autem a scopo aberrasse, æremque, ut dici solet, inaniter verberasse, nisus est probare Jo. Dallæus, contendens, postremam illam canonis partem, de qua tota erat controversia, esse supposititiam Lib. III. *De confirmatione*. Dallæo præiverat Blondellus, qui in vetusto quodam Henr. Justelli codice invenerat, canonem iis verbis absolvi *In Confirmatione Sacerdos commonebitur*. Mirum est, hos duumviros certe non indoctos, contradicendi libidine voluisse unum codicem, utut vetustum, multis aliis probatæ fidei aut præferre, aut saltem æquare.

(*b*) Nescio, quomodo hæc verba Bedæ irrepserint in Expositione S. Gregorii Papæ in Cant. Cantic. Doctissimi Benedictini ea non invenientes in veteribus Mss., sed solum in Libris impressis, prudenter in infimam paginæ oram rejecerunt, & inepte a quibusdam ut S. Gregorii alleguntur.

non iterandis, de cujus tamen vero, germanoque sensu iterum disputant Theologi. „ Nos consulere voluisti, *inquit Pontifex*, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem subdiaconatus assumptus; & si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus. Ad quod breviter diximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum. " Non apparet autem, quomodo suppleri possit balsami admistio, nisi unctionem cum chrismate renovando. Nec tamen *iterari* Sacramentum proprie dicetur, si prima inunctio fuit irrita. Nihilominus ex hoc ipso Innocentii responso oppositæ sententiæ patrocinium quærunt Cardinalis Cajetanus in 3. P. quæst. 72. art. 1. & 2., Dominicus Soto in hac Dist. VII., aliique graves Theologi putantes admixtionem balsami requiri tantum necessitate præcepti, sed non necessitate Sacramenti. Drouvenius noster hoc præceptum non divinum, sed ecclesiasticum tantummodo esse putat.

85. Illud difficile creditu aliquibus videtur, voluisse Christum pro materia hujus Sacramenti aliquid determinare tam pretiosum, cujusmodi est balsamum, quod nec ubique producitur, nec comparari facile potest, cum aliorum Sacramentorum materiam, ut baptismi, & Eucharistiæ, obviam esse voluerit, & unicuique in promptu. Hanc autem difficultatem ita diluit Angelicus 3. P. quæst. 72. art. 2. ad 4. *Baptismus est Sacramentum absolutæ necessitatis, & ideo ejus materia debet inveniri ubique. Sufficit autem, quod materia hujus Sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.* Reipsa balsamum non in Palæstina solum, sed etiam in India, & alibi producitur, & ad omnes regiones facile defertur, ut proinde minime audiendi sint Protestantes, qui cum Chemnitio opponunt, celebratum a Plinio Lib. XII. *Hist. Natur.* cap. 25. Judææ balsamum jamdiu defecisse, & quod modo venditur, esse factitium. Etenim compertum omnibus est, verum & legitimum balsamum ex utraque India ad nos pervenire; quod legitimam esse Confirmationis materiam duo Summi Pontifices declararunt Paulus III., & Pius IV., cum non differat a balsamo Palæstinæ, nisi sicut vinum album a rubro (*a*).

Quæres *secundo*, *an chrisma debeat esse ab Episcopo consecratum?*

86. Respondet S. Thomas 3. P. qu. 72. art. 3. *affirmative*; & affert discrimen inter materiam Sacramentorum baptismi, & eucharistiæ, quæ non indiget Episcopali consecratione, & materiam Confirmationis, quæ necessario debet ab Episcopo consecrari: „ Tota, inquit, Sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur. Est autem considerandum, quod quibusdam Sacramentis habentibus materiam corpoream, Christus est usus, scilicet baptismo, & etiam eucharistia. Et ideo ex ipso usu Christi, materiæ horum Sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem Sacramenti ..... & propter hoc non est de necessitate horum Sacramentorum, quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem Sacramenti, non autem ad necessitatem. Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, ne fieret injuria invisibili unctioni, qua est *unctus præ consortibus suis*, Psalm. XLIV. Et ideo tam chrisma, quam oleum sanctum infirmorum prius benedicantur, quam adhibeantur ad usum Sacramenti. "

87. Hic ritus consecrandi chrisma est antiquissimus, & ab Apostolica traditione descendere creditur. Illum memorant veteres Patres, ut Tertullianus *de baptismo*, S. Cyprianus Xpist. LXX., Optatus Milevitanus, aliique, cum Latini, tum Græci. Inter hos postremos maxime allegari meretur S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi III. *mystagogica*, ubi hæc habet: „ Quemadmodum panis Eucharistiæ per sancti Spiritus invocationem non amplius est communis, sed est corpus Christi, sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, & commune, postquam jam consecratum est .... quo frons, & alii sensus corporis tui symbolice inunguntur; & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto, vivificoque Spiritu sanctificatur. "

88. Hanc chrismatis consecrationem nonnisi ab Episcopo fieri posse, communiter docent Theologi post decretum Eugenii IV., qui non solum dixit, materiam Confirmationis esse *chrisma ab Episcopo benedictum*, sed addit, Presbyteros, qui ex Apostolica dispensatione aliquando Confirmationem conferunt, uti non posse *nisi chrismate per Episcopum benedicto*. Non desunt tamen, qui hanc doctrinam restringunt ad solam necessitatem præcepti, non autem Sacramenti. Vid. Benedictus XIV. *De Syn. Diœces.* Lib. VII. cap. 8. (*b*).

CA-

(*a*) Ritum Ecclesiæ miscendi oleo *opobalsamum* ab hæreticis Valentinianis derivatum fuisse, ariolatur Basnagius in *Annal. politico-eccles.* ad an. Christi 37. n. 38., quem refutavimus superius n. 30. Græcorum quorumdam insulsam calumniam, quod Latini chrisma ex aqua fluminis conficerent, facile refutavit Nicolaus I. Epist. LXX. ad Hincmarum apud Baronium ad an. 867. Nestorianos solo oleo, sine ulla balsami admixtione uti, nobis tradit Aloysius Assemanus *Cod. Liturg.* Lib. II. cap. 5.

(*b*) Calvinistæ, qua ducuntur insatiabili cachoete sanctissimos nostræ Ecclesiæ ritus subsannandi, benedictionem chrismatis sacrilege irrident, *primo* propter anhelitum Episcopi, quem super ipsius ampullam aliquoties emittit: *secundo*, quia postea ab Episcopo, & Presbyteris genibus flexis adoratur: *Ave sanctum*

CAPUT III.

De forma Confirmationis.

89. Catholici Theologi, quemadmodum supra notavimus num. 67. de materia, ita etiam de forma Confirmationis non parum disputant. Qui enim solam manuum impositionem, quæ sacram unctionem præcedit, hujus Sacramenti materiam constituunt, orationem, quæ ad invocandum Spiritum septiformem fit ab Episcopo manus extendente super confirmandos, dicunt esse propriam Sacramenti formam. Vicissim qui solam chrismatis unctionem ut materiam admittunt, consequenter formam reponunt in iis verbis, quæ Episcopus frontem liniendo profert, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*. Sic etiam qui eam manus impositionem, quæ una cum chrismatione conjuncta est, pro adæquata habent Sacramenti confirmationis materia, nonnisi unam agnoscunt veram ipsius formam, nempe allata mox Episcopi verba. Quæ tamen Theologorum dissensio, ut supra num. 63. de materia monuimus: *speculativa* tantummodo est, non *practica*. Cum enim Episcopi invocationem Spiritus septiformis in manuum extensione præmittant, & in frontis unctione consueta verba proferant, nullum amplius superesse potest dubium, quin totum Sacramentum integre perfecerint, quæcumque tandem istarum formularum pars constituatur vera, & essentialis hujus Sacramenti forma. Nostra, & communior Theologorum sententia est hæc.

PROPOSITIO I.

Forma Sacramenti Confirmationis sunt verba, quæ Episcopus in unctione pronunciat: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, &c.

90. Prob. *primo* ex decreto Eugenii IV. pro instructione Armenorum, ubi dicitur: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma ... forma autem est: signo te, &c.* Non equidem contendo, in hoc loco contineri definitionem fidei, quia nec Concilium ipsum Tridentinum hanc controversiam, quæ inter Catholicos jamdiu viget, definire opportunum duxit. Cum tamen Summus Pontifex Armenos instruere voluerit de doctrina, quæ in Ecclesia Romana communiter tenetur, hinc argumentum nobis suppeditatur sane gravissimum, ut eamdem doctrinam, ut tutissimam amplectamur (a).

91. His accedit Catechismi Romani auctoritas, qui P. II. cap. 3. num. 11. inquirens, quænam sint verba formæ hujus Sacramenti, ut fideles, cum ea pronuntiari animadverterint, ad pietatem, fidem, & religionem animos excitent, inquit: „ His igitur verbis forma absolvitur: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis: in nomine Patris, &c.*" Postea prosequitur probans, laudata verba esse formam Confirmationis hac theologica ratione: „ Sacramenti forma ea omnia continere debet, quæ ipsius Sacramenti naturam, & substantiam explicant; atqui maxime hæc tria in Confirmatione observanda sunt, divina potestas, quæ ut principalis causa in Sacramento operatur; tum robur animi, & spiritus, quod per sacram unctionem fidelibus ad salutem tribuitur; deinde signum, quo notatur is, qui in certamen christianæ militiæ descensurus est. Ac primum quidem verba illa: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, quæ extremo loco posita sunt: alterum ea, *confirmo te chrismate salutis:* tertium quæ in principio formæ locantur, *signo te signo crucis* satis declarant. Quamquam si etiam ratione aliqua probari non possit, hanc esse hujus Sacramenti veram, & absolutam formam, Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, cujus magisterio ita semper edocti fuimus, non patitur, nos ea de re quidquam dubitare: " Hactenus Catechismus, qui ut omnes norunt, est in tota Ecclesia probatissimus.

92. Hanc ipsam Ecclesiæ auctoritatem, *quæ hac forma communiter utitur*, allegavit S. Thomas 3. P. quæst. 72. art. 4., ut prædictam formam esse convenientem huic Sacramento ostenderet, inquiens: „ Sicut forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma Sacramenti continere debet quidquid pertinet ad speciem Sacramenti. Sicut autem ex supradictis patet, in hoc Sacramento datur Spiritus sanctus ad robur spiritualis pugnæ: & ideo in hoc Sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta. Quorum primum est, causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimitur, cum dicitur, *In nomine Patris, &c.* Secundum est ipsum robur „ spi-

chrisma. Sed si ista carpendi, vel irridendi hunc Episcopi anhelitum licentia detur, pari modo etiam Judæi, vel Gentiles irridebunt Christum Dominum, quando *insufflavit, & dixit eis* (Apostolis) *accipite Spiritum sanctum*, Jo. XX. 22. Illa autem Episcopi, & Presbyterorum genuflexio non est proprie *adoratio*, sed *salutatio*; quomodo S. Andreas crucem a longe conspiciens exclamavit: *Salve crux sancta*.

(a) Non desunt Theologi, qui post hanc Eugenii Instructionem in Synodo Florentina probatam, nostram sententiam ad fidem pertinere autumant. Sed nimis durum videretur, hæreseos accusare multos, & insignes Scriptores, qui sicut materiam Confirmationis in impositione manuum, ita formam in Oratione, quæ hanc comitatur, constituunt; immo aliam formulam antiquis ignotam fuisse, contendunt, ut præcipue Jac. Sirmondus in *Antirrhetico II.*

„ spirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ visibilis, ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur: *Confirmo te chrismate salutis*. Tertium est signum, quod pugnatori datur, sicut & in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur; & quantum ad hoc dicitur: *Consigno te signo crucis*; in quo scilicet Rex noster triumphavit, Coloss. II."

93. Hæc confirmandi forma, quantum ad substantiam, est in Ecclesia latina antiquissima, quamvis alicubi aliqua inveniatur accidentalis varietas. In pervetusto Sacramentario Tolosano dicitur: *Signat te Deus sigillo fidei suæ in consignatione fidei in nomine Patris*, &c. Hugo Menardus in duobus Ms. Codicibus invenit: *Confirmo te*, & *signo in nomine Patris*, &c. In Sacramentario Gelasii: *Signum crucis in vitam æternam*, *Amen*. Multa alia id genus afferri possunt, quorum verba diversa quidem sunt, idem tamen sensus (a).

94. Græci in chrismatis unctione dicunt: *Signaculum doni Spiritus sancti*. Neque audiendi sunt, qui cum Gabriele Philadelphiensi, & nonnullis aliis recentioribus contendunt, hujus Sacramenti formam iis verbis contineri, quibus Episcopus chrisma consecrat. Cum enim hoc Sacramentum non sit permanens, cujusmodi est Eucharistia, sed in actione transeunte situm sit, ut cetera sunt Sacramenta, ejus forma debet exprimi super actionem transeuntem, cujusmodi est chrismatio, non super rem permanentem, cujusmodi est chrisma.

PROPOSITIO II.

Probabile admodum est, etiam orationem, quæ profertur ab Episcopo in protensione manuum super confirmandos, pertinere ad formam Sacramenti Confirmationis.

95. *Primo* enim magnum habet hæc sententia in Scriptura sacra fundamentum; quia Act. VIII. 15. & sequ. dicitur de Petro, & Joanne: *Oraverunt pro ipsis* (Samaritanis jam baptizatis) *ut acciperent Spiritum sanctum: tunc imponebant manus super ipsos* &c. Quod etiam alibi fecisse leguntur. Jam vero hunc ipsum Apostolorum morem fuisse ad Episcopos derivatum, testatur S. Cyprianus Epist. LXXIII., ut nempe *qui in Ecclesia baptizantur*, *Præpositis Ecclesiæ offerantur*, & *per nostram orationem*, & *manus impositionem Spiritum sanctum consequantur*. Et S. Augustinus Lib. XV. *De Trin.* cap. 26. de Christi Discipulis ait: *Orabant, ut veniret in eos, quibus manus imponebant* (Spiritus sanctus) ..... *quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia*. Alia addere veterum Patrum similia testimonia facile esset, sed minime necessarium.

96. Non autem asserere auderem, hanc orationem ita pertinere ad formam hujus Sacramenti, ut ea omissa, irritum prorsus reddatur Sacramentum; *primo* propter ea, quæ superius ex Benedicto XIV. ad n. 76. notata sunt, videlicet pueros, qui præsentes non sunt, cum Episcopus hanc orationem profert, & postmodum sacro chrismate inunguntur, valide confirmatos censeri, *nemine prorsus contendente*, *nullum irritumque esse Confirmationis Sacramentum*. *Secundo*, quia in *Euchologio* Græcorum apud P. Edm. Martene *De antiquis Eccl. ritibus* præscribitur, ut si puer periclitetur, omissa Oratione, sola peragatur unctio. *Tertio*, quia verisimile non est, Eugenium IV. voluisse hanc partem omittere in *Instructione* Armenorum, si eam essentialem reputasset. Ex his concludendum videtur, orationem Episcopi una cum protensione manuum super neophytos pertinere quidem ad hoc Sacramentum, sed non tamquam partem essentialem, qua omissa irritum, & vacuum Sacramentum ipsum reddatur.

97. Huic nostræ sententiæ potissimum objicitur silentium non solum sacr. Scripturarum, verum etiam veterum Ecclesiæ Patrum, apud quos ante Sæc. VIII. nulla invenitur hujus formæ intentio.

98. Respondet Angelicus 3. P. qu. 72. art. 4. ad 1., Apostolos, quando hoc Sacramentum præbebant, sicut materia, ita & forma ex mandato Christi usos fuisse. „ Sed multa servabant Apostoli in Sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. Unde Dionysius dicit in fine *Eccl. Hier.*, *consummativas invocationes*, id est verba, quibus perficiuntur Sacramenta, *non est justum Scripturas interpretantibus* (vel potius, ut alii legunt), *non est licitum Scripturas interpretari; neque mysticum eorum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes ex occulto ad commune adducere*, *sed nostra sacra traditio sine pompa*, idest occulte, *eas adoptat*. Unde & Apostolus dicit loquens de celebratione Eucharistiæ 1. Corint. XI. 34. *Cetera, cum venero, disponam*". Qui hoc argumento ex silentio Scripturarum ducto facile utuntur, videant, ne ansam Novatoribus præbeant, traditiones orales, & decantatam *arcani* disciplinam rejiciendi.

99. Scholion. Ad omnes hactenus expositas diffi-

(a) Guill. Estius in IV. Dist. VII. §. 5. „ Non est dubitandum, *inquit*, quin hujus Sacramenti, sicut & aliorum forma ab Apostolis ex Christi institutione tradita sit Ecclesiæ quantum ad ea verba, sine quibus Sacramentum non perficitur. Quæ autem sint illa verba, non est usque adeo clarum propter varietatem, quæ apud scriptores reperitur." Id inde natum putatur, quia hujusmodi Sacramentorum formulæ sub *disciplina arcani* custodiebantur. Certe Innocentius I. in epist. ad Decentium de hoc Sacramento consultus: *Verba*, inquit, *vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere*. Et postea: *Reliqua vero, quæ scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati respondebimus*.

ficultates de hujus Sacramenti materia, & forma tollendas, admodum opportuna, & expedita illa videtur multorum Theologorum sententia, quam Diss. I. n. 317. retulimus, videlicet Jesum Christum *quorumdam* Sacramentorum materiam, & formam nonnisi *in genere* constituisse, relicta Ecclesiæ suæ sponsæ potestate easdem sub perenni Spiritus sancti assistentia *in specie* determinandi. Quam tamen multorum cum veterum, tum recentiorum opinionem multis esse obnoxiam difficultatibus ibidem breviter observavimus.

Quæres, *Quid sentiendum sit de forma Confirmationis a Græcis adhibita?*

100. Resp., non omnino consentire Theologos, quænam a Græcis reputetur vera hujus Sacramenti forma. Nam Petrus Arcudius Lib. II. *De Confirm.* cap. 6. Gabr. Philadelphiensis opinionem fuisse refert, formam Confirmationis esse ea verba, quibus sacrum unguentum ab Episcopo consecratur, non secus ac in Sacramento Eucharistiæ contingit: quæ tamen sententia nullo modo probari potest, cum Sacramentum confirmationis in actione transeunte consistat, non autem sit Sacramentum permanens, quod uni Eucharistiæ peculiare est, ut diximus n. 94.

101. Sunt alii, qui arbitrantur, eorum formam sitam esse in illa oratione antiquissima, qua Sacerdos ante unctionem Deum precatur, *ut signaculum doni, sancti, & omnipotentis, & adorandi sui Spiritus* (baptizato) *largiatur*. Sed re intimius examinata, facile apparet, totam illam orationem esse solum præparatoriam ad Sacramenti administrationem.

102. Eruditus P. Jo. Morinus Lib. VIII. *De pœnit.* cap. 16. utramque opinionem conciliare voluit, putans, formam Confirmationis apud Græcos contineri partim in oratione, quæ unctionem præcedit, & partim in illis verbis, quibus consecratur unguentum. Sed qui utramque opinionem sejunctam repudiant, nec conjunctam amplecti possunt.

103. Recentior quidam sub ementito nomine Catum Syriti Italo-Græci in *Elenchis* adv. Arcudium contendit, formam Confirmationis apud Græcos aut esse hæc verba: *Ungitur servus Dei oleo exultationis in nomine Patris &c.* quæ se invenisse ait in antiquo manuscripto; aut hæc alia: *Chrismate sancto, suavitate odoris Christi Dei, sigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus obsignatur talis N. in nomine Patris &c.* Hunc auctorem acriter confutavit P. Jac. Goar in not. 31. in Baptism. officium Euchologi Græci, & formam ab ipso propositam vocat *mendacia ignoti, & conficti Euchologii*, & esse illa ipsa verba, quæ Sacerdos pronunciat, quando oleo catechumenorum baptizandum pertingit.

104. Explosa igitur hac nova obscuri græculi opinione, idem doctissimus Goarius statuit, formam Confirmationis apud Græcos esse illa verba σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, *signaculum doni Spiritus sancti*; additque, periculosam sibi semper visam esse eorum suspicionem, qui hac de re dubitare voluerunt, & omnino asserit, materiam Confirmationis proximam apud Græcos esse sacram chrismatis unctionem: & formam constantem essa verba relata, in quibus tamen latitare dicit particulam substantivam *est*; ac demum fidenter concludit, si hæc non sit vera Confirmationis forma, *nullam jam in Oriente superesse Confirmationem, nullum illius fundamentum, nullam de illo fidem*. Legendus auctor ipse pag. 301. seq.

CAPUT IV.

De Sacramenti Confirmationis effectibus.

105. Duo communiter a Theologis contra Novatores statuuntur Confirmationis effectus; scilicet gratia sanctificans, & characteris impressio. Ut utrumque defendamus, sit

PROPOSITIO I.

In Confirmationis Sacramento rite suscepto confertur gratia sanctificans.

106. Sanctus Thomas 3. P. q. 72. art. 7. id ostendit, quia in hoc Sacramento datur Spiritus sanctus: *Missio autem, seu datio Spiritus sancti non est sine gratia gratum faciente*. Et quando in sacris litteris commemorantur gratiæ gratis datæ, semper indicantur, ut dona, & effectus ejusdem Spiritus Sancti, non autem quasi ipsæ sint Spiritus Sancti. Sic Paulus 1. Corinth. XII. 7. seq. postquam hæc dona enumerasset, ita concludit: *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus*.

107. Neque obstat, quod gratia sanctificans sit ordinata ad delendam culpam; culpa autem sit jam per baptismum penitus deleta. Non inquam id obstat; respondet enim Angelicus ibid. ad 1., quod gratiæ gratum facientis *primo* quidem effectus sit remissio culpæ; non tamen *solus*; indiget enim homo ulterius promoveri per omnes gradus usque in vitam æternam: *& ideo gratia gratia gratum faciens non solum datur ad remotionem culpæ, sed etiam ad augmentum, & firmitatem justitiæ, & sic confertur in hoc Sacramento*. Addit postea in resp. ad 2., quod *si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum*.

108. Et in resp. ad 3. adhuc clarius explicat, cujusmodi sit hæc gratia gratum faciens, quæ in Confirmatione obtinetur: nimirum dicit, esse gratiam *Sacramentalem*, quæ *addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur* Sa-

Sacramentum. Unde ita concludit: si ergo consideretur gratia in hoc Sacramento collata, quantum ad id, quod est commune, sic per hoc Sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quam per baptismum; sed quæ prius inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale, *quod superadditur*, *sic* (gratia hujus Sacramenti) *non est ejusdem speciei cum ipsa* (gratia baptismi). Ita paucis Angelicus totam diruit hæreticorum machinam contra Sacramentum Confirmationis, in eo potissimum fundatam, quod gratia in baptismo recepta sufficiat, ut ad vitam æternam consequendam alia non indigeamus. Istorum errorem damnavit Synodus Trident. Sess. VII. can. 2. *De Confirm.* his verbis: *Si quis dixerit*, *injurios esse Spiritui sancto eos*, *qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt*, *anathema sit* (*a*).

109. Breviter tamen notandum est, adultis peccatoribus per hoc Sacramentum non conferri gratiam gratum facientem, nisi prius per pœnitentiam removeatur obex peccati. Id docet Angelicus Præceptor in hoc art. 7. ad 2., inquiens: „ Sicut ex ipso nomine apparet, hoc Sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit; & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam. Et propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per gratiam reparatis .... Et tunc per hoc Sacramentum perficitur pœnitentiæ effectus, sicut & baptismi: quia per gratiam collatam in hoc Sacramento consequitur pœnitens pleniorem remissionem peccati."

110. Objiciunt Calvinus, Dallæus, Kemnitius, aliique hujus Sacramenti osores. Gratia gratum faciens confertur homini in tota sua plenitudine Sacramento baptismi: injuria ergo fit huic Sacramento, cum dicitur, in Confirmatione hanc gratiam conferri.

111. Resp., hanc objectionem fuisse jam præoccupatam a S. Thoma verbis supra allatis, quibus ea addi possunt, quæ habet in art. 5. mox afferenda, ubi discrimen ponit inter characterem baptismi, quo confertur potestas ea agendi, quæ ad propria pertinent salutem, prout secundum seipsum vivit, & characterem Confirmationis, quo accipit potestatem ea agendi, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, tam internos, quam externos.

112. Augmentum gratiæ tum ad nutritionem, tum ad robur animæ accipit homo in pane Eucharistico, quo nutritur, crescit, roboratur, ac confirmatur; non ergo alia opus est gratia per Sacramentum Confirmationis.

113. Resp. *primo*, retorquendo hoc ipsum argumentum contra Sectarios. Non obstante, quod homo in baptismo recipiat gratiam sanctificantem, eamque perfectam, ipsi confitentur, per Sacramentum Eucharistiæ conferri novam gratiam: cur ergo etiam in Sacramento Confirmationis hæc nova gratia conferri non poterit? Rursus, nulla fit Sacramento baptismi injuria, recipiendo aliud Sacramentum Eucharistiæ: cur itaque blaterant, Sacramentum Confirmationis injuriam irrogare baptismo, quasi hoc Sacramentum sine Confirmatione perfectum non sit?

114. Resp. *secundo*, tam baptismum, quam Eucharistiam esse duo Sacramenta in seipsis omnino perfecta, suumque effectum in subjectis bene dispositis perfecte producere; nostrum tamen divinum Redemptorem voluisse aliud Sacramentum Confirmationis instituere, ad majorem perfectionis gradum in bonis producendum. Hujus rei exemplum præbuit in Apostolis, quibus post baptismum, & Corporis, & Sanguinis sui sumptionem, etiam Confirmationis effectum largiri voluit per illapsum Spiritus sancti, quo ad palam confitendam, & prædicandam fidem fortiores redderentur. Id similiter operatur Deus in nobis per Sacramentum Confirmationis.

PROPOSITIO II.

Alter Sacramenti Confirmationis effectus est character in anima impressus.

115. De hoc altero Confirmationis effectu, scilicet charactere ita scribit Angelicus 3. P. quæst. 72. art. 5.: „ In omni Sacramento, quod non iteratur, imprimitur character: dicit enim Gregorius (Habetur cap. 9. *De Consecr.* Dist. V.): *de homine*, *qui a Pontifice confirmatus fuerit denuo*, *talis iteratio prohibenda est*: ergo in Confirmatione imprimitur character."

116. Deinde ita pergit; „ Character est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata. Dictum est autem supra art. 1. quod sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam Confirmatio est quod-

(*a*) Hæ erant impiæ Calvini blasphemiæ Lib. IV. *Institut.* cap. 19. In *Antidoto* autem *Concilii Trid.* ad hunc can. ita furens dicebat: *Crepent licet*, *nihil proficient*, *negando se in Spiritum Dei esse contumeliosos*, *dum ejus virtutem ad putidum oleum referunt*. His conviciis sacrilegus homo, non solum religiosissimos Tridentinæ Synodi Patres, sed veteres etiam Ecclesiæ universæ Doctores turpiter incessere non erubuit, qui sacrum chrisma innumeris propemodum encomiis fidelium venerationi semper proposuerunt. Nec constat, a veteribus hæreticis fuisse unquam hac in parte Catholicis repugnatum. Quod enim S. Optatus Milevitanus inter alia istorum immania scelera refert, ipsos scilicet ampullam sacri chrismatis e fenestra projecisse, quæ tamen prodigiose integra servata est Lib. VI. Cont. Parmenianum, non in contemptum solius Sacramenti Confirmationis factum fuit, sed quia errantes putabant, nulla esse in Ecclesia Catholica veri nominis Sacramenta; unde ex eodem Optato discimus, etiam Altaria Catholicorum, Calices, atque ipsum Eucharistiæ Sacramentum fuisse ab illis impiis profanata.

quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem ætatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati, & alia actio, quæ competit ei, cum ad perfectam ætatem pervenerit. Et ideo per Sacramentum Confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit; sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei: sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi, non verebantur publice fidem fateri etiam coram inimicis fidei Christianæ."

117. Hanc porro doctrinam Angelicus Doctor ex antiquis sanctis Patribus hauserat, qui passim hoc Sacramentum appellant *signaculum*, quo *Christus signat in frontibus milites suos*, ut Tertullianus ait *De Præscript.* cap. 40., vel *signaculum Dominicum*, quo fideles accepto Spiritu sancto *consummantur*, ut S. Cyprianus epist. LXXIII. ad Jubajanum. Adhuc expressius S. Cyrillus Jerosolym. in fine *Protocatechesis* de Confirmatione loquens, *Det nobis Deus*, inquit, *Spiritus sancti signaculum indelebile in sempiternum*. Et S. Augustinus Lib. II. *cont. litteras Petiliani* cap. 104. *Sacramentum chrismatis*, dicit, *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse, sicut est ipse baptismus*, additque ipsum posse esse *& in hominibus pessimis*, quia nimirum indelebile est. S. Leo Magnus Serm. IV. *De Nativit.* cap. 6. fideles alloquens, *Renati*, inquit, *per aquam, & Spiritum sanctum accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ*. Multo plura hujus generis afferre facile esset, quibus significarunt veteres Ecclesiæ Patres, in hoc Sacramento imprimi signaculum indelebile, quod nos *characterem* nominamus. Unde etiam iterari non posse docuerunt, nisi quando probabilibus argumentis ipsum rite collatum non fuisse, dubitabatur, quemadmodum statuit S. Gregorius Papa ad Felicem Episcopum rescribens Lib. XIV. epist. 17. (*a*); & ante ipsum Synodus V. Carthaginensis celeb. anno 401. idem statuit can. 6.: & Concilium Cabillonense II. anno 813. damnavit quosdam imperitos de plebe, qui bis, aut terse confirmandos Episcopis sistebant. Immo nec Confirmationem datam ab hæreticis fuisse in Ecclesia Catholica renovatam, testis est locupletissimus Optatus Milevitanus in Lib. VII. adv. Donatistas n. 4. ita Donatistas alloquens: *Numquid nos exterminamus oleum vestrum*, nempe unctionem confirmatoriam? .... *Quod nostrum est, apud vos est. Et si a nobis ad nos aliquis transitum fecerit, sic a nobis servatur, quomodo a vobis dimittitur*.

118. Recte igitur Concilium Florentinum anno 1439. statuit, *inter Sacramenta tria esse, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, quæ characterem, idest spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile*. Et Concilium Trident. Sess. VII. can. 9. ita decrevit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit*. Vide, quæ supra dicta sunt Diss. I. cap. 12. (*b*).

119. Ob. *primo*. Character importat signum aliquod distinctum; sic per Baptismum distinguuntur

(*a*) S. Gregorii verba hæc sunt: „ De dedicationum „ vero Ecclesiarum dubitatione, super quam inter ce„ tera nos consulere voluistis, hoc vos rite tenere de„ betis, quod ab antecessoribus nostris traditum ac„ cepimus: idest ut quoties tam de baptismo aliquo„ rum, vel confirmatione, quam de consecratione du„ bitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio „ certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, si„ ve Ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales, „ ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicen„ tur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam „ non monstratur iteratum, quod non certis indiciis „ ostenditur rite peractum.

(*b*) Jo. Morinus Congregat. Oratorii Presbyter, vir admodum eruditus, sed qui a communi opinandi modo libenter discedebat, Lib. IX. *De pœnitentia* cap. 11. & seq. dogma a Patribus Tridentinis definitum restringit ad Sacramentum Confirmationis in catholica Ecclesia rite collatum. Si autem ab Episcopo hæretico conferatur, putat, veterum Patrum, quos multos allegat, sententiam fuisse, tale Sacramentum irritum esse, adeoque nullum characterem imprimere, secus ac de baptismo, quem etiam ab hæreticis datum esse validum, & characterem imprimere, semper creditum fuisse demonstrat. Allegat quoque ex recentioribus Jo. Maldonatum *De Sacram. Confirm.* quæst. 1. (Alegambius in *Bibliotheca Script. S. I.* negat, hoc opus esse Maldonati). Eamdem opinionem amplexi sunt pauci alii doctissimi viri, ut Ant. Augustinus in *Epitome juris Pontificii* Lib. XXIII. tit. 8., & Jac. Sirmondus II. *Antirrhetico* contra Petrum Aurelium. Major tamen Theologorum pars tenet, Confirmationem apud hæreticos rite, & a legitimo ministro collatam validam esse, & characterem imprimere, ut iterari sine piaculo nequeat; pro qua sententia tuenda præter Petrum Aurelium Sirmondi adversarium, & alios multos, strenue contra Morinum dimicavit Christianus Lupus in Dissert. *De VIII. Synodo generali*. Morinum sententiam mutasse asserit Continuator Theol. Witasse Quæst. II. art. 6. §. 7. In *Orthodoxa confessione Ecclesiæ Orientalis* Quæst. CV. statuitur quidem hoc Sacramentum *numquam repeti*, sed hæc adjicitur exceptio, *nisi in illis, qui a nominis Christi ejuratione, ad professionem ejusdem postliminio redeunt*. Hunc errorem *posterioribus* Græcis exprobat Petrus Arcudius in Lib. *Concordiæ Ecclesiæ occident. & orient. in septem Sacram. administr.* cap. 18.

tur Christiani ab infidelibus, & per sacram Ordinationem Clerici a laicis; sed Confirmatio nullam affert distinctionem; pugna enim contra omnes fidei nostræ hostes communiter præcipitur omnibus, quia per baptismum omnes adscribuntur militiæ Christi.

120. Respondet Angelicus in hoc art. 5. ad 1. „ quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles „ omnibus competit; sed contra hostes visibiles, „ idest contra persecutores fidei, pugnare, nomen „ Christi publice confitendo, est confirmatorum, „ qui jam sunt perducti spiritualiter ad virilem „ ætatem, secundum quod dicitur I. Joan. II. 15. „ *Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, & „ verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum*. Et ideo character Confirmationis est si„ gnum distinctivum, non infidelium a fidelibus, „ sed spiritualiter provectorum ab his, quibus di„ citur 1. Petri II. 2. *Sicut modo geniti infan„ tes*." Et in resp. ad 2. addit Angelicus, confirmatum accipere potestatem publice fidem Christi profitendi, *quasi ex officio*.

121. Notat vero idem S. Doctor ibid. art. 6. ad 1., „ quod virtus divina non est alligata Sacra„ mentis; unde potest conferre homini spirituale „ robur ad confitendum publice fidem Christi „ absque Sacramento Confirmationis; sicut etiam „ potest consequi remissionem peccatorum sine ba„ ptismo. Sicut tamen nullus consequitur effectum „ baptismi sine baptismi voto, ita nullus conse„ quitur effectum confirmationis sine voto ipsius, „ quod potest haberi etiam ante susceptionem ba„ ptismi." Et sic intelligitur, potuisse aliquos sine Confirmatione, immo etiam sine baptismo fidem Christi libere profiteri, & sanguinem pro illius confessione fundere.

122. Ob. *secundo*. Sacramenta, quæ imprimunt characterem, iterari non possunt; at vero Confirmationem fuisse repetitam, multis, gravibusque momentis constat. Id certe observabatur olim in Ecclesia Græca. Canon enim 7. Synodi Laodicenæ jubet Novatianos, Photinianos, & Quartodecimanos *sacro chrismate inunctos sancto mysterio communicare*. Ad hunc canonem procul dubio respiciebat S. Basilius, quando in epist. sua I. *Canonica* ad Amphilochium, postquam dixisset, debere nos *accurate canonum observationi servire*, loquens de Novatianis, Encratitis, Apotactitis, & Hydroparastatis, *omni ratione*, inquit, *statuatur, ut ii, qui ab illorum baptismo veniunt, ungantur coram fidelibus & ita demum ad mysteria accedant*. Ita reipsa postea statutum fuit in II. œcumenica Synodo an. 381., ubi can. 7. decernitur, Arianos, Macedonianos, Novatianos, Quartodecimanos, Sabbatianos, & Apollinaristas, postquam dederint libellos, & omnem hæresim anathematizaverint, recipi, *signatos, sive unctos primum sancto chrismate frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus: signaculum doni Spiritus sancti;* quæ verba, ut supra observavimus n. 94. formam Confirmationis apud Græcos continent. Hanc autem disciplinam fuisse in Oriente accurate servatam ad minus usque ad finem sæculi VII., liquet ex can. 95. Synodi Trullanæ, seu Quinisextæ, ubi illa lex iisdem fere verbis renovata fuit (*a*).

123. Etiam apud Latinos repetitam fuisse Confirmationem in iis, qui ab hæresi revertebantur ad Ecclesiam, constat ex Concilio Arelatensi I., quod can. 8. iis hæreticis, qui in Patre, & Filio, & Spiritu sancto baptizati fuerant, vult *manus tantum imponi, ut accipiant Spiritum sanctum*. Huic autem Concilio præter Legatos S. Sylvestri R. P. etiam aliquos Episcopos Italiæ interfuisse certum est. Siricius item Papa in epist. I. ad Himerium cap. 1. *Baptizatos*, inquit, *ab Arianis nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus; quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit*.

124. Ut huic difficultati certe gravissimæ occurrant illi Theologi, qui validum esse putant Sacramentum confirmationis ab hæreticis rite administratum, non minus quam baptismum, duas ineunt vias. *Primo* aliqui cum Petro Arcudio Lib. II. cap. 18. dicunt, canonem Constantinopolitanum, aliosque similes non respicere nisi illos hæreticos, qui baptismum quidem susceperant, non tamen fuerant confirmati, quos propterea confirmandos esse, recte statutum fuit, ut plene, & integre Deo consecrarentur. Hæc multorum sententia eo fit probabilior, quod in laudato canone Constantinopolitano nominentur Novatiani, quos Sacramentum Confirmationis simul cum baptismo conferre non consuevisse, ac propterea debuisse confirmari, aperte testatur Theodoretus Lib. *Hæret. fabul.* cap. 5., inquiens: *iis, quos baptizant, sanctissimum chrisma non præbent; quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres* (Constantinopolitani) *inungi præceperunt*. Fortasse hoc Sacramentum illi prætermittebant, ut hac etiam in parte Patriarcham suum Novatianum imitarentur, quem propter hujus Sacramenti omissionem jure reprehendebat Sanctus Cornelius Papa in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 43.

125. Sabbatiani his adjunguntur; sed ab istis si-

(*a*) Famosus ille Marcus Ephesius, qui decreto unionis in Synodo Florentina solus obstitit, & tantum postea fraudibus suis valuit, ut chrisma malo fato renovaretur, in schismatica sua oratione ad omnes Christianos ex hoc canone probabat, omnes Latinos a Græcis semper habitos fuisse, ut hæreticos, quia si aliqui se Græcis adjungebant, statim Confirmationis Sacramento ungebantur.

similiter fuisse neglectam Confirmationem, ex eo conjicere possumus, quod essent propago quædam Novatianorum, qui non errores mutarunt, sed nomen, dicti *Sabbatiani*, quod *Sabbato* adhæserint, ut discimus ex Socrate Lib. V. cap. 21., & Sozomeno Lib. VII. cap. 18.

126. Adjungit item laud. canon Arianos, Macedonianos, Tetraditas, seu Quartodecimanos, & Apollinaristas, quos pariter signari, & *sacro chrismate ungi*, jubet. Suspicari tamen cum fundamento possumus, Arianos, Macedonianos, & Apollinaristas, qui de Spiritu sancto prave sentiebant, aut nullatenus, aut non rite Sacramentum Confirmationis post baptismum tradidisse. De Quartodecimanis fortasse id minus credibile videri posset. Attamen Socrates loco sup. laud. Sabbatium Paschalis festi solemnitatem, quam Novatiani innovaverant, *defendere instituisse*, testatur, unde & Quartodecimanos cum Novatianis conspirasse constat: hinc facile fieri potuit, ut & ipsi Sacramentum Confirmationis omitterent.

127. Hæ quidem sunt conjecturæ, non firma documenta, sed in re obscura debent & ipsæ suum pondus habere. Ex alia parte nulla apparet ratio, cur Synodus illa solos hos hæreticos, non autem ceteros voluerit *sacro chrismate* ungi. Sic etiam de solis Arianis, Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, Tetraditis, seu Quartodecimanis, & Apollinaristis, non autem de ceteris hæreticis loquitur antiquissimus Codex euchologicus Barberinus, cui consonant alii duo pariter vetustissimi Codices liturgici Crypto-Ferratensis, & Regius Parisiensis. Ut quid autem hæc distincta istorum hæreticorum enumeratio, si omnes hæretici non recipiebantur, nisi per novam Confirmationem? Quantum equidem reor, quia hi soli Confirmationem aut non dabant, aut rite non dabant (*a*).

128. Dices. Methodius celebris, & sanctus Constantinopolis Patriarcha, qui sæc. IX. floruit, jussit indiscriminatim omnes hæreticos, etiam illos, qui in Ecclesia catholica baptizati, & confirmati, in hæresim desciverant, cum ad Ecclesiam redirent, sacro chrismate deliniri, addita Confirmationis formula: *signaculum doni Spiritus sancti:* ergo &c. (*b*).

129. Resp., hoc Methodii testimonium iis non prodesse, qui contendunt, Confirmationem datam in Ecclesia catholica imprimere characterem indelebilem, & solum dubitant de Confirmatione extra Ecclesiam ab hæreticis administrata (V. sup. not. ad num. 118.). Methodius enim aperte loquitur de iis, qui ad Ecclesiam catholicam, a qua defecerant, revertuntur; quo fieret, eum illam præformasse nonnullorum sententiam, quæ vult, characterem Confirmationis in hæresi amitti, quæ sententia consensione omnium Catholicorum falsa omnino est, & erronea. Vid. supra in fine not. ad n. 118. Quamobrem nonnulli existimarunt, titulum Methodiani Euchologii falsum esse, nempe non *de apostatis*, sed universim *de hæreticis* redeuntibus ad Ecclesiam illum Methodianum canonem fuisse inscriptum, & nihil aliud continere, quam ordinem præscriptum in can. 7. Synodi Constantinopolitanæ, magis tamen explicatum.

130. Petrus Arcudius huic difficultati respondens cap. 18.: *primo* dubitat, an iste Methodius sit ille vir sanctus, qui S. Ignatium in Patriarchatu Constantinopolitano præcessit, & multa ab impio Photio passus est, an alius schismaticus, qui sæc. XIII. illam sedem obtinuit; *deinde* dubitat, an ritum de ungendis, & lavandis, qui ab hæresi revertebantur, sit genuinus, an vero a recentioribus Græcis additus, quia in nonnullis codicibus, teste etiam Jo. Matthæo Caryophilo, desideratur. Morinus quoque illud euchologium fuisse adulteratum censet. Si hoc admittatur, dubitari etiam poterit, an illa verba, *signaculum doni Spiritus sancti*, adscititia sint, quibus demptis luculenter apparet, omnes illas cæremonias non esse, nisi pœnitentiales, & reconciliatorias.

131. Aliis tamen doctissimis viris, ut nostro Jac. Goario, hæc Arcudii responsio minus probata fuit; ac propterea aliam inierunt viam explicandi tum Euchologium Methodii, tum præcipue canonem septimum Synodi II. generalis; quod scilicet illa unctio; quæ adhibebatur hæreticis redeuntibus ad Ecclesiam, non fuerit *Sacramentalis*, & *confirmatoria*, nisi quando alii antea confirmati non erant, sed solum *pœnitentialis*, & *reconciliatrix*, ad supplendum scilicet defectum Confirmationis in hæresi acceptæ, in qua character quidem imprimebatur, Spiritus tamen sanctus dari non poterat; vel etiam ad recuperandum eumdem effectum, nempe gratiæ, receptum quidem in Ecclesia catholica, sed amissum per apostasiam a recta fide. Totus ergo hic ritus, quamquam ritui confirmatorio simillimus, Confirmationis effectum producere non poterat *ex opere operato*, quia solius Sacramenti id proprium est:

(*a*) Non desunt, qui hunc canonem Concilii III. suspectum habent propter *Sabbatianos* in eo memoratos, quod nomen esse Synodo Constantinopolitana posterius, colligitur ex Socrate Lib. V. cap. 21. Sed præter hunc canonem alia multa monumenta occurrunt usitatæ unctionis S. Chrismatis in receptione hæreticorum, non solum apud Græcos; sed etiam apud Latinos, ut supra n. 123. dictum est, ut proinde difficultas etiam sine can. 7. Synodi Constantinopolit. adhuc subsisteret. Hanc laud. Canonum explicationem præter multos alios Theologos usurpat etiam noster Card. Jos. Aug. Orsi in Dissert. De baptismo P. II.

(*b*) P. Jac. Goar in not. ad Methodii Euchologium probat contra Petrum Arcudium, hunc Methodium alium esse non posse, quam sanctissimum illum Patriarcham, qui floruit circa annum 840.; non vero alium Methodium schismaticum, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfuit circa annum 1240.; probat insuper, hoc ipsius euchologium esse genuinum.

est; producere autem poterat similem effectum *ex opere operantis*, impetrando a Deo gratiam vel nunquam habitam, vel infeliciter deperditam.

132. Difficultas tamen semper remanet, quomodo iidem ritus eadem materia, eademque forma in aliquibus verum efficerent Sacramentum, in aliis non item. Huic objectioni ita respondet Ren. Hyac. Drouven: „ Non externo ritu, sed ex ejusdem „ observandi causa, ex subjecti capacitate, aliisque adjunctis circumstantiis debet Sacramenti „ veritas æstimari. Quam regulam nisi tenuerimus, Sacramentum ubi revera non est, positari sumus. Sic ex. gr. Diaconissæ olim ritu „ ordinationi Diaconorum plane simili, ministerio „ Episcoporum consecrabantur. Numquid ideo dicturi sumus, verum iis fuisse collatum diaconatus Sacramentum? Absit: muliebris enim sexus tantæ dignitatis est incapax. Pariter ex antiqua disciplina certum est, Clericos ab Episcopis hæreticis, schismaticis, simoniacis, intrusis, excommunicatis promotos, iterato sacræ Ordinationis ritu, nec aliter ad Ordinum suorum „ functiones fuisse admissos. Numquid ideo Sacramentum ordinationis iterabatur? Nequaquam: „ constans enim est, eratque majoribus, per ordinationem sacram in quacumque hæresi, & a „ quolibet, quantumvis pravo ministro, susceptam characterem imprimi, adeoque iterari non „ posse. Erat igitur hæc mulierum, & clericorum, ordinatio mera institutionis ecclesiasticæ „ cæremonia, quæ licet externam speciem Sacramenti haberet, Sacramentum tamen non erat. Idem „ dicimus in præsenti de unctione chrismatis, manuumque impositione, erga redeuntes ab hæresi ex veteri instituto observari solita &c.".

133. Præter hæc, multorum recentium Græcorum objicitur auctoritas, qui Confirmationem repeti posse docuerunt, quos recenset, & refellit Petrus Arcudius in sup. laud. Lib. II. cap. 19. & seq. Veruntamen *primo* non adeo gravis est istorum auctoritas, ut multum curanda sit. *Præterea* qui ipsorum testimonia penitius examinarunt, eadem explicari posse putant de quibusdam unctionibus cum sacro chrismate, quæ vere Sacramentales non sunt.

134. Supersunt explicanda ea, quæ ex Ecclesia latina allata sunt sup. n. 123. Et *primo* certa habemus monumenta, in Ecclesia latina iteratam non fuisse Confirmationem, etiam ab hæreticis datam. Id constat ex celebri decreto B. P. Stephani contra Rebaptizantes, quo baptizatis in hæresi (qui utique ex veteri more erant etiam confirmati) nihil aliud fieri præcipit, quam *ut manus imponantur ad pœnitentiam* (*a*); quo titulo *pœnitentiæ* Confirmationem indicatam fuisse nunquam legimus. Ulterius Eusebius Lib. VII. *Histor. Eccl.* cap. 2. loquens de hæreticis conversis, inquit: *Antiqua consuetudo invaluerat, ut in hujusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur.* Alcimus Avitus, qui sub initium Sæc. VI. Viennensem in Galliis regebat Ecclesiam, interrogatus a Stephano Lugdunensi de ritu, quo Donatista quidam recipi deberet, ita respondit Epist. XXIV.: *Manus impositionem personæ, de qua scribitis, adhibete, quam constat... cum ministerio baptismatis etiam chrismate confirmatam.* Eademque fuerat praxis Ecclesiæ Africanæ, in cujus nomine inquiebat Donatistis S. Optatus Milevitanus Lib. VII. contra Parmenianum: *Si a vobis ad nos aliquis transitum fecerit, sic a nobis servatur, quomodo a vobis dimittitur.*

135. Præterea recolendum est, quod superius Diss. III. n. 346. seq. observavimus, baptismum in fictione inutiliter receptum, recedente fictione, seu quocumque alio obice remoto, suum producere effectum, nempe gratiam sanctificantem. Qui igitur in hæresi baptismum valide quidem, sed inutiliter receperant, cum ad Ecclesiam pœnitentes revertebantur, Spiritum sanctum, nempe gratiam Spiritus sancti, recipere dicebantur. Atque ut hoc apertius constaret, immo ad hoc cæleste donum efficacius impetrandum, consueverat Ecclesia Romana manus in pœnitentiam imponere, & quasdam preces super pœnitentes addere. *Manus impositio*, inquit S. Augustinus Lib. V. *de bapt.* cap. 23., *si non adhiberetur ab hæresi venienti, tamquam extra omnem culpam judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti.... manus hæreticis conversis imponitur.* Non itaque hæc impositio manuum erat Sacramentum Confirmationis, quod iterari non potest, sed ecclesiastica cæremonia. Hoc etiam declaravit Siricius Papa in epist. ad Himerium cap. 1., ubi postquam morem alicubi in Hispania invectum rebaptizandi hæreticos improbasset, ita subdit: *Quos nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus Episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus: quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit.* Atque hoc eodem sensu Sanctus Leo Papa in Epist. CLXVII., alias II. ad Rusticum cap. 18., & alibi de quibusdam baptizatis in hæresi inquiebat: *Per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.* Omittimus alia ejusdem generis argumenta, quibus manifeste docemur, in Ecclesia latina impositionem manuum, qua recipiebantur hæretici, per invocationem Spiritus sancti, non fuisse Confirmationis Sacramentum, sed tantum cæremoniam, qua denotabatur, extra Ecclesiam dari qui-

(*a*) Morinus ut hujus argumenti vim declinaret, nobis persuadere voluit, loco verborum *in pœnitentiam*, legendum esse *in Spiritum sanctum*. Sed hoc est contra fidem S. Cypriani, qui in suis epistolis non semel legit *in pœnitentiam*, contra fidem Eusebii, & omnium scriptorum.

quidem posse Sacramenta baptismi, & Confirmationis, quantum ad rem, & characterem, non autem quantum ad effectum primarium, seu gratiam Spiritus sancti, quam recipiebant duntaxat in reconciliationem cum Ecclesia catholica.

136. Fatendum est nihilominus, aliquando etiam apud Latinos impositioni manuum additam fuisse *chrismationem*, seu unctionem cum sacro chrismate, quod pluribus documentis constat; unde & Walafridus Strabo *De origine usuum Eccles.* cap. 26. loquens de hæreticorum receptione, *Chrismate*, inquit, *& manus impositione, quod imperfectum erat, perfici debet: hoc in canonibus, & decretis Patrum frequens habetur*. Imperfectum porro vocat Sacramentum, quod propter obicem hæresis, aut schismatis suum *plenum* non obtinuerat effectum: *perficiebatur* autem remoto obice per reconciliationem. Eamdem disciplinam viguisse in Hispania, discimus ex S. Isidoro Hispalensi Lib. II. *De officiis* cap. 24., ubi de hæreticis rite baptizatis inquit: *Solo chrismate, & manus impositione purgandi sunt*. Et Gregorius Turonensis *Hist. Franc.* Lib. V. n. 39. de Hermenegildo ad fidem converso dicit: *Dum chrismaretur, Joannes est vocitatus* (*a*).

137. Ex his paucis antiquis monumentis, quæ ex multis selegimus, nos satis probabiliter erui posse putamus, impositionem manus, addita etiam sacri chrismatis unctione, qua conversi ab hæresi hæretici Ecclesiæ reconciliabantur, non fuisse *confirmatoriam*, sed pure *cæremonialem*, ad impetrandam, ac significandam gratiam Spiritus sancti, quam baptizati, vel confirmati extra Ecclesiam Catholicam recipere non poterant. Quod si antiqua hæc consuetudo Ecclesiæ clarius, & certius illustrari nequit, non propterea in dubium revocari potest certum ejusdem Ecclesiæ dogma, quod Sacramentum Confirmationis indelebilem imprimat characterem, non minus quam alia duo Baptismi, & Ordinis, ut propterea sine grandi piaculo iterari non possit.

138. Illud denique monendum ducimus, non unam, eamdemque fuisse in omnibus Ecclesiis recipiendorum hæreticorum disciplinam. Nam S. Gregorius Magnus in epist. 67. Lib. XI. *Ab antiqua*, inquit, *Patrum institutione didicimus, ut quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ catholicæ Oriens reformat. Monophysitas vero, & alios ex sola vera confessione recipit &c.* Quæ tamen verba non ita presse accipienda sunt, quasi in Oriente nunquam fuerit manus impositio adhibita, & in Occidente nunquam fuerit addita chrismatis unctio: contrarium enim ex iis, quæ hactenus dicta sunt, manifeste apparet; sed quod ut plurimum ita fieri soleret: quod etiam editores Benedictini erudite notarunt (*b*).

139. Obj. *postremo* nonnulla veterum testimonia, quibus indicatur aperte, Confirmationem ab hæreticis datam fuisse a catholicis iteratam. *Primo* S. Cyprianum pro certo habuisse videtur, R. S. Stephanum, qui baptizatos in hæresi rebaptizari vetabat, iterum tamen confirmasse eos, qui in hæresi erant confirmati; unde eumdem incohærentiæ ita arguebat in Epist. LXXIV. *Si potest qui extra Ecclesiam natus templum Dei fieri* (per baptismum), *cur non possit super templum & Spiritus sanctus infundi?* Nimirum sanctus iste Episcopus illam manuum impositionem, cui revertentes ab hæresi Stephanus subjectos esse volebat, nihil aliud esse arbitrabatur, quam novam confirmationem. *Secundo* S. Augustinus Lib. III. *De Bapt.* cap. 16. *Manus impositio*, inquit, *non sicut baptismus repeti non potest;* nemo autem ignorat, apud veteres, præcipue apud latinos, *manuum impositionem* nihil esse aliud, quam Sacramentum Confirmationis. *Tertio* Auctor anonymus Cypriano coævus, qui Rebaptizantium errorem egregie confutavit, manuum impositionem datam hæreticis resipiscentibus vocat *signum fidei iteratum*, *atque consummatum:* quæ epitheta Sacramentum Confirmationis manifeste significant. Addit, *hæreticos baptizatos aqua, tantum in Spiritu sancto baptizandos esse:* baptismus autem in Spiritu sancto, diversus a baptismo aquæ, aliud esse non potest, quam Sacramentum Confirmationis.

140. Resp. ad *primum*, S. Cyprianum, licet doctum, & acutum, æstu tamen disputationis, ut alias Diss. II. n. 168. adnotavimus, abreptum, mentem Stephani non fuisse bene assecutum, atque in eo vehementer errasse, quod Sacramentum ab ejus effectu non distinxerit. Hinc quia Stephanus doce-

(*a*) Hoc primum apparet exemplum nominis in Confirmatione mutati, quod postea nonnulli imitati sunt, fortasse ad significandam novam vitæ inchoationem a præterita diversam.

(*b*) Consul. doctissimus Edm. Martene *De ant. Ecclesiæ ritibus* Tom. II. Lib. III. cap. 6. Ceterum etiam in Oriente variam fuisse recipiendorum hæreticorum disciplinam, multis discimus monumentis. Theodorus Studita celebris Sæc. IX. Imaginum defensor in epist. ad Naucratium, alios dicit fuisse baptizatos, alios unctos, alios solum hæresim anathematizasse. Idem etiam constat ex tribus antiquissimis *Euchologiis*, scilicet *Barberino*, dicto Sancti Marci, quia ex Bibliotheca FF. Præd. Sancti Marci Florentiæ in Bibliothecam Cardinalis Francisci Barberini translatum fuit; *Cryptoferratensi*, quod illi monasterio donavit Card. Bellarion: & *Regio Parisiensi*, ex quo multa extraxit Petrus de Marca in Dissert. *De Primatu Lugdunensi*, & *ceteris Primatibus*.

celo in hæresi recipi quidem Sacramentum baptismi, ejusque characterem, non tamen effectum principalem, scilicet gratiam Spiritus sancti, ad quam recipiendam opus erat manus impositione ad pœnitentiam, Cyprianus eum accusabat, quasi doceret, in hæresi recipi quidem Baptismum, non autem Sacramentum Confirmationis, quæ certe fuisset incohærentia palpabilis. Unde etiam in epist. ad Jubajanum suo præjudicio præoccupatus dicebat, parum esse hæreticis revertentibus *manum imponere ad accipiendum Spiritum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum: tunc enim demum plane sanctificari, & esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur*, eadem semper chorda oberrans, scilicet non posse Sacramentum baptismi recipi, nisi simul Spiritus sanctus accipiatur, juxta illud Christi Domini: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* quibus verbis utebatur Cyprianus, ut probaret baptismum extra Ecclesiam datum esse irritum, quia extra Ecclesiam nemo nasci potest ex Spiritu sancto, scilicet semper errans in hoc, quod Sacramentum non distingueret ab ejus effectu.

141. Alterum testimonium S. Augustini communiter intelligitur, non de ea *manus impositione*, in qua confertur Sacramentum Confirmationis, sed de illa impositione manus, quæ olim fiebat in reconciliandis peccatoribus, quæ cæremonia erat Sacramentalis, non Sacramentum. Equidem fateor, per impositionem manuum frequenter designari Sacramentum Confirmationis, immo in illo ipso capite S. Doctorem loqui etiam de illa manus impositione, qua olim visibiliter dabatur Spiritus sanctus, nunc autem invisibilis ejus gratia confertur; sed hanc manuum impositionem repeti posse, non dicit. Alteram vero dicit repeti posse, quia hæc nihil est aliud, *nisi oratio super hominem*.

142. Postrema ex Anonymo objectio facile solvitur, observando, eum non in propria, sed in sententia Rebaptizantium esse locutum, qui manuum impositionem a Stephano præceptam dicebant *præstare signum fidei iteratum, atque consummatum;* cum tamen dumtaxat fieret ad pœnitentiam, ne scilicet, *si hæc non fieret ab hæresi venientibus, tamquam extra omnem culpam esse judicaretur*, ut loquitur Augustinus Lib. V. *De Bapt.* cap. 23. Quando vero hic scriptor asserit, hæreticos baptizatos in aqua, *tantum in Spiritu sancto baptizandos esse*, facile explicatur de hæreticorum reconciliatione, qua Spiritum sanctum recipiebant, quem baptismo in hæresi ipsis collato recipere non potuerunt. Hujus autem scriptoris Anonymi doctrina erat Stephani Rom. Pontmenti omnino conformis, & Rebaptizantibus opposita.

CAPUT V.

De Sacramenti Confirmationis Ministro.

143. Ceterum in Ecclesia catholica dogma est, *ordinarium* Confirmationis ministrum non esse nisi Episcopum, quidquid a paucis sæculis hæretici nonnulli in hoc etiam fidei articulo innovare præsumpserint (*a*). Distinguunt tamen Theologi alium hujus Sacramenti ministrum, quem *extraordinarium* appellant, cui ex concessione Ecclesiæ facultas confirmandi tribuitur. Hanc duplicem veritatem tuetur S. Thomas 3. P. quæst. 72. art. 11., cum quo sit

PROPOSITIO I.

Ordinarius Sacramenti confirmationis minister est solus Episcopus.

144. Hæc propositio est certissimum nostræ religionis dogma. Nam sacrosancta Trident. Synodus Sess. VII. *De Confirm.* cap. 4. ita definivit: *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Et antea Eugenius IV. in *Instruct. Armenorum* dixerat: *Ordinarius minister* (Confirmationis) *est Episcopus; & cum ceteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre.*

145. Et quidem *primo* hæc veritas constat exemplo Apostolorum, in quorum Actibus cap. VIII. narratur, fuisse a Philippo Diacono baptizatos in Samaria viros, ac mulieres; quod cum audissent A-

(*a*) Primus, qui a veteri Ecclesiæ doctrina de Ministro Confirmationis recedere ausus fuerit, videtur fuisse Photius, qui cum omnes quæreret occasiones, se a legitima R. Pontificis jurisdictione subtrahendi, hunc etiam prætextum arripuit, quod Nicolaus I. Bulgaros a Græcis Presbyteris confirmatos, iterum ab Episcopis confirmari jusserit. Hac de causa in schismatica illa epistola, quam ad omnes Orientis Episcopos scripsit, inter alios errores hunc immiscuit, nulla Apostolorum, aut Sanctorum Patrum, aut Synodica lege, solos Episcopos fuisse constitutos *ordinarios* Confirmationis ministros. Photianas calumnias depulit ipse Nicolaus in sua Epis. LXX. ad Hincmarum: tum postea Hincmarus, Æneas Episcopus Parisiensis, Odo Bellovacensis, & Ratramnus Monachus Corbejensis, Photii Epistolam confutarunt Sæc. XII. Waldenses mirari solitos fuisse, scribit Reynerius, *quare solis Episcopis liceat confirmare.* Addit vero noster clar. P. Richinius in Dissert. II. De Waldensibus cap. 4. n. 5., eos putasse, etiam a bonis laicis per manus impositionem dari Spiritum sanctum. Hos pestiferos hæreticos, ut in nonnullis aliis erroribus, ita in hoc secuti sunt Sæc. XIV. & XV. Wiclefistæ, & Hussitæ, quorum hæc impia propositio in Concilio Constantiensi damnata fuit, *Confirmatio ..... reservatur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis.* De Luthero, Calvino, aliisque Novatoribus nihil attinet dicere, cum isti Confirmationem e numero Sacramentorum expunctam voluerint, & solam esse cæremoniam a quolibet ministro peragendam.

Apostoli, qui erant Jerosolymis, *miserunt ad eos Petrum, & Joannem*, qui pro illis baptizatis oraverunt, *ut acciperent Spiritum sanctum*, nempe per Sacramentum Confirmationis. Jam vero cur Apostoli ad hoc Confirmationis Sacramentum neophytis conferendum missi fuerint, non vero illud contulerit ipse Philippus, qui eosdem baptizaverat, nulla alia reddi potest ratio, quam quod Christus Dominus voluerit, illud nonnisi per Apostolos dari, adeoque per Episcopos, qui sunt Apostolorum successores.

146. Hoc Apostolorum exemplum sancti Patres frequenter usurparunt, ut probarent, ad solos Episcopos pertinere baptizatos sacro chrismate consignare. Paucos ex multis enumerabimus. S. Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum postquam laudatum textum ex cap. VIII. Act. Apost. memorasset, hæc subdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo divino consignentur*. S. Jo. Chrysostomus Hom. XVIII. in cap. VIII. Act. Apost. *Philippus*, inquit, *unus ex septem* (Diaconis) *erat secundus a Stephano, ideo & baptizans Spiritum sanctum non dabat; neque enim facultatem habebat; hoc enim donum solorum Apostolorum erat ... Unde & præcipuos* (hoc est Episcopos) *videmus hoc facere*. S. Hieronymus in *Dial. adv. Lucifer.* nobis exponit *Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat*, nempe sicut fecerunt Apostoli Petrus, & Joannes, ut Samaritis a Philippo baptizatis manus imponerent. Denique, ne longior sim, S. Augustinus Lib. XV. *De Trinit.* cap. 26. de Apostolis loquens, qui orabant, ut Spiritus sanctus in eos veniret, quibus manus imponebant, *Quem morem*, inquit, *in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia*,

147. His sanctorum Patrum documentis addimus Conciliorum, & summorum Pontificum decreta. Concilium Eliberitanum can. 38. loquens de baptizato in periculo mortis, jubet, *ut si supervixerit, ad Episcopum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit*. Innocentius I. in Epist. ad Decentium Episcopum Engubinum cap. 3. *De consignandis infantibus*, inquit, *manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopis fieri licere: nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum, & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum*. Post autem distinguit inter unctionem in vertice capitis, quæ in baptismo fieri solet, & unctionem frontis in Confirmatione, subdens: *Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paraclitum*. Atque hoc modo sanctissimus ille Pontifex initio sæculi V. abusum, qui in Eugubina Ecclesia inoleverat, sublatum voluit. Nec dissimiliter Sanctus Gregorius Magnus labente Sæc. XI. eumdem abusum in Ecclesiam Calaritanam invectum sustulit data ad Januarium ejusdem Ecclesiæ Episcopum epistola, quæ est IX. in Lib. IV.

148. Hanc dogmaticam veritatem Angelicus noster præceptor art. sup. laud. hac ratione confirmat. „ Fideles Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud 1. Corinth. III. 9. *Dei ædificatio estis*. Sunt etiam quasi quædam *epistola Spiritu Dei scripta*, sicut dicitur 2. Corinth. III. 3. Hoc autem Confirmationis Sacramentum est quasi ultima consummatio Sacramenti baptismi; ita scilicet quod per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis epistola: sed per Sacramentum Confirmationis, quasi domus ædificata, dedicatur in templum Spiritus Sancti, & quasi epistola conscripta signatur signo crucis: & ideo collatio hujus Sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia: sicut & in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Act. VIII. "

149. Ob. *primo*. Ut supra dictum est Diss. III. cap. 12. Presbyteri sunt ministri *ordinarii* Sacramenti baptismatis, quod multo efficacius est Sacramento Confirmationis, cum in baptismo fiat plena remissio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam; quæ remissio non habetur in Sacramento Confirmationis; ergo multo magis &c.

150. Respondet S. Thomas in hac 3. P. quæst. 72. art. 11. ad 2., *quod Sacramentum Baptismi est efficacius, quantum ad remotionem mali, eo quod est spiritualis regeneratio, quæ est mutatio de non esse in esse. Hoc autem Sacramentum* (Confirmationis) *est efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum. Et ideo hoc Sacramentum digniori ministro committitur*. His addi potest, baptismum esse Sacramentum summæ necessitatis: unde divina providentia voluit, ut quemadmodum ejus materia communis est, & semper in promptu, ita etiam minister esset quilibet Sacerdos, immo necessitate urgente quilibet homo, ut alias cum S. Thoma observavimus, Sacramentum autem Confirmationis adeo necessarium non est: quamobrem nil mirum, voluisse Deum illud per solos Episcopos administrari.

151. Ob. *secundo* cum Calvino, ejusque sectariis

riis contra primam nostram probat ex sacris litteris. Apostoli non erant Episcopi, sed Presbyteri, eisque non solum Episcopi, sed etiam Presbyteri successerunt: eorum igitur exemplo non solum Episcopi, sed etiam Presbyteri poterunt Confirmationis Sacramentum conferre. Res patet in alio exemplo communionis sub utraque specie, quam ideo contendimus, Presbyteris dandam esse, quia Christus in ultima cœna eam Apostolis dedit (*a*). Præterea Ananias, qui non erat Apostolus, immo fortasse nec Sacerdos, nec Diaconus, manus imposuit Saulo, *ut impleretur Spiritu Sancto* Act.. IX., nempe per Confirmationem.

152. Resp., omnes Apostolos Episcopali, idest supremo Ecclesiasticæ hierarchiæ gradu eminuisse; ac propterea communem esse doctrinam, solos Episcopos in suprema hac dignitate eis succedere; atque hac de causa ex quo Apostoli Petrus, & Joannes missi fuerint ad confirmandos Samaritas a Philippo Diacono jam baptizatos, Patres concordi sententia docuerunt, nonnisi ad summos Pastores Confirmationis administrandæ munus pertinere, ut vidimus num. 145. Presbyteri etiam succedunt Apostolis in quibusdam officiis, puta consecrandi Eucharistiam, illam sumendi sub utraque specie &c., non tamen in amplissima Apostolatus, vel Episcopatus dignitate.

153. Quod de Anania objectum est, jam supra n. 20. solutum fuit. Nec desunt etiam, qui Ananiam, quamvis non vocetur nisi *Discipulus*, fuisse Episcopali dignitate insignitum, suspicentur, quia S. Augustinus Lib. II. *Quæst. Evang.* cap. 40. id innuere videtur, dicens: *Paulus ad Ananiam missus est, ut illo sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet*.

154. Ob. *tertio* cum Dallæo. Tertullianus a nobis laudatus Diss. III. n. 402., Episcopis, Presbyteris, Diaconis, immo & ipsis laicis, *cum urget circumstantia periclitantis*, baptizandi facultatem tribuit; atqui ea ætate una cum baptismo tribuebatur Confirmationis Sacramentum, neque vero antiquus hic scriptor ullam ingerit mentionem, quod isti baptizarent duntaxat, non autem baptizatum confirmarent: ergo &c.

155. Resp., vanum esse hoc Dallæi argumentum. Quod enim Tertullianus non memorat, memorarunt alii Patres, qui clarius Confirmationem a Baptismo distinxerunt, & hunc etiam a Præsbyteris, & Diaconis, immo & a laicis in mortis periculo conferri posse nobis tradiderunt, propter summam Sacramenti necessitatem, non autem Confirmationem. Hoc constat pariter ex facto Novatiani, qui in lecto decumbens baptismum susceperat, cum autem supervixisset, Confirmationem ab Episcopo petere neglexit, quod illi a summo Pontifice Cornelio ut indignum facinus exprobratum fuit, ut alias notavimus.

156. Ob. *quarto*. S. Ambrosius in Lib. *De Mysteriis* cap. 6. asserit, *unctionem unguenti*, quæ certe nihil est aliud, quam Confirmatio, *fieri a Sacerdote*. Item S. Hieronymus in *Dial. adv. Luciferianos* n. 9. postquam dixisset, *Hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a majoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manus impositurus excurrat*, subdit, hoc factum esse *ad honorem potius sacerdotii, quam ad legem necessitatis*, hanc addens rationem: *alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in villulis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros, & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur*. Rursus celebre est illud ejusdem Doctoris maximi dictum in Epist. CI. ad Evagrium: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non facit? Tertio* Vener. Beda in Ps. XXVI. nos docet, unctionem, *quæ fit per manuum impositionem ab Episcopis, & vulgo Confirmatio dicitur, eamdem esse cum secunda* (quæ fit in baptismo): *propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia*.

157. Resp. ad *primum* haud raro apud veteres Patres nomen *Sacerdotis* sumi antonomastice pro Episcopo, quamvis communiter Episcopus, vel proprio nomine *Episcopus*, vel *summus Sacerdos* appellatur, quomodo ipse Ambrosius cap. 2. ipsum appellat. Deinde videtur Ambrosius loqui non de unctione Confirmationis, sed de unctione baptismi, quæ a Sacerdote baptizante fit in vertice capitis baptizati. Ibidem enim S. Antistes de solo baptismo loquitur; de Confirmatione postea dicit in cap. 7.: *Repete, quia accepisti signaculum spirituale &c.*; & quanquam ibi nullam memoret unctionem, est tamen subintelligenda: neque enim in eo opere Sanctus Ambrosius minutatim, & ex ordine omnia exponit, quæ in his Sacramentis conferendis observabantur.

158. Ad *secundum*. Quamvis verba Hieronymi obscuriora videantur, si tamen conferantur cum toto contextu, facile apparebit, illa solummodo significare, non eam esse summam hujus Sacramenti necessitatem, ut si qui sine eo decedant, ita infelix, & lugenda sit eorum sors, quemadmodum aliorum sors lugenda, qui sine baptismo infeliciter pereunt. Nam quantum ad necessitatem illud accipiendi ab Episcopo, hæc dixerat immediate ante: *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia*

(*a*) Minime probandus est Durandus, dum in IV. Dist. VII. quæst. 3. num. 11. in dubium vocat, an Apostoli Confirmationem contulerint ex episcopali dignitate, an ex solo sacerdotali charactere. Omne dubium sustulit antiqua Patrum traditio, quæ solis Episcopis, tamquam successoribus Apostolorum, confirmandi officium detulit.

clesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disces, hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Quod vero subdit, id factum esse *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis*, verissimum est. Poterat enim Jesus Christus ad alios Clericos hoc munus absolute deferre, sed voluit hunc honorem Episcopis reservari, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia, quia, ut nuper vidimus cum Angelico, *hoc Sacramentum est quasi ultima consummatio Sacramenti baptismi.*

159. Majorem præsefert difficultatem vulgatum illud S. Doctoris effatum: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus &c.?* Sed attendendus est ejusdem scopus, redarguendi quorumdam sciolorum impudentiam, qui Diaconos Presbyteris coæquabant, aut etiam præferebant: unde Hieronymus cogebatur Presbyterorum excellentem dignitatem magnificare, *ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur;* non autem verisimile est, voluisse S. Doctorem Presbyteros adeo extollere, ut eos Episcopis coæquaret, aut in sola ordinandi potestate eosdem Episcopis inferiores asserere: ignorare enim non poterat, Episcopos in multis aliis Presbyteros antecellere, atque in hoc ipso jure Sacramentum confirmationis fidelibus conferendi, quod in *Dial. adv. Luciferianos* diserte professus est.

160. Eodemque modo explicandus est S. Joannes Chrysostomus, dum in Hom. XI. in Epist. I. ad Timoth. asserit, a Paulo Presbyteros aliquando Apostolorum nomine comprehendi: *non enim*, inquit, *multum distant; nam & Presbyteris Ecclesiæ cura promissa est, & magisterium: & quæ de Episcopis dixit, etiam Presbyteris congruunt: sola quippe Ordinatione superiores illi sunt.* Chrysostomum de more fere exscribunt Theophilactus, & Oecumenius. Dixi, eodem modo hæc verba explicari posse, ac illa S. Hieronymi, ut scilicet præcipua, non autem sola Episcoporum præeminentia indicetur. Vel, ut aliis placet, quod cetera Episcoporum munia possint etiam ad Presbyteros delegari, excepta tamen ordinandi potestate.

161. Ad *tertium*. Petrus Aurelius sine dubitatione asserit, locum Bedæ esse manifeste vitiosum, & emendandum ita, ut Beda velit verticis unctionem eamdem esse cum unctione frontis, *non usquequaque*, sed materia, & unguento, & communi *chrismationis* nomine; efficientia enim hæ duæ unctiones admodum inter se distant. Sane idem egregius Sæc. VIII. Auctor in Cap. VIII. Act. Apost. notat cum aliis Patribus, atque interpretibus, Philippum non potuisse Samaritis dare Spiritum Sanctum: *hoc enim*, inquit, *solis Pontificibus debetur. Nam Presbyteris, sive extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Paracletum baptizatis.*

162. Ob. *quinto*, nonnullos veteres canones, quibus non minus Presbyteris, quam Episcopis signandi baptizatos facultas asseritur. Primo in Lib. VII. *Constit. Apostol.* cap. 23. hæc leguntur; *De Baptismo Episcopus, aut Presbyter, jam ante constituimus, & nunc rursus dicimus: Unges autem prius Oleo Sancto, deinde baptizabis aqua, postremo signabis unguentó chrismatis.* *Secundo* Concilium Toletanum I. an. 400. can. 20. *Statutum est*, inquit, *Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente vero, si ab ipso fuerit ordinatus.* *Tertio* in can. 1. Synodi I. Arausicanæ concessum fuit, *hæreticos in mortis discrimine positos, si desit Episcopus, a Presbyteris chrismate, & benedictione consignari.* *Quarto* in Concilio Regiensi an. 439. Presbytero *in Ecclesia, in qna ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum, jus tribuitur.* *Demum* in Concilio Barcinonensi can. 2. ita statutum fuit: *Cum chrisma Presbyteris diœcesanis datur pro neophytis confirmandis, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Supponit ergo Concilium, etiam Presbyteros diœcesanos posse, & debere neophytos confirmare.

163. Resp. ad *primum*, in laud. textu *Constitut. Apostolic.* tria proponi, sive ab Episcopo, sive a Presbytero facienda, olei unctionem, baptismum, & chrismationem; non autem distingui, quænam ad Episcopum solum, quænam vero etiam ad Presbyterum spectent; sed quæ hic obscura sunt, aliis antiquis monumentis declarata habemus, ut scilicet unctio verticalis, & baptismus ad Presbyteros, chrismatio veró ad solum Episcopum *jure ordinario* pertineat.

164. Ad *secundum* resp., Concilium Toletanum I. loqui de unctione *verticali*, quæ fit in baptismo, non de unctione *confirmatoria*, quæ fit *in fronte*. Concedit itaque Presbyteris baptizantibus, ut absente Episcopo eam dare possint, & etiam ipso præsente, si id fieri jubet. Sunt equidem, qui cum eruditissimo Christiano Lupo illum canonem intelligunt de unctione *confirmatoria* in fronte, sed dicunt, id concessum fuisse *extraordinaria*, & *delegata* facultate.

165. Ad *tertium*. Communis Canonistarum opinio est, in eo canone non agi, nisi de unctione *reconciliatoria*, qua hæretici ad Ecclesiæ unitatem ab Episcopo recipi solebant. Synodus autem permittit, eam etiam a Presbyteris fieri, *absente Episcopo, & in mortis discrimine*.

166. In Concilio Regiensi solum agebatur de Armentario Episcopo exauctorato, cui Parœcia concessa fuit cum facultate exercendi aliquas functiones, quæ jure sui characteris illi competebant,

sci-

scilicet consecrandi Virgines, & confirmationis Sacramentum conferendi.

167. Postremum facile solvitur. Nihil enim in Concilio Barcinonensi statutum legitur de illa unctione, quæ datur in Confirmationis Sacramento, sed de sacro chrismate, quod soli Episcopi consecrare possunt, & quo Presbyteri utuntur in unctione verticali; vel quod Presbyteri servare debebant, ut Episcopis venientibus ad confirmandos fideles paratum esset. Simile suppeditat exemplum Gelasius I. in Epist. IX. ad Episcopos Lucaniæ c. 5., ubi jubet, *ne baptizandis, consignandisque fidelibus Sacerdotes pretia ulla præfigant;* cum tamen idem Pontifex cap. 6. expresse asserat, non licere Presbyteris *consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.*

168. Obj. *sexto*. Hæc facultas unctionis confirmatoriæ Episcopis reservata fuit jure dumtaxat ecclesiastico, non divino. Prima hujus reservationis epocha apparet sub Sylvestro R.P. in ejus vita, quam exhibet *Pontificale pseudo-Damasi*. Id etiam eruitur ex brevi epilogo Concilii Romæ habiti anno 325., ubi dicitur, S. Sylvestrum constituisse, ut Presbyterum Arianum resipiscentem nemo suscipiat, *nisi Episcopus eum reconciliaverit, & sacrosancto chrismate per Episcopalem manuum impositionem Sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaverit*. *Secundo* S. Gregorius Magnus scribens Januario Episcopo Calaritano Lib. IV. Epist. 9. ita decrevit: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in fronte chrismate non præsumant.* Cum autem audisset, quosdam ex hoc suo decreto fuisse contristatos, iterum eidem Episcopo Epist. 26. ita rescripsit: *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus*. *Demum* in cap. 7. Concilii II. Hispalensis dicitur, prohiberi Presbyteris chrismatis confectionem, & unctionem *ex novellis, & ecclesiasticis regulis:* non igitur jure divino.

169. Resp. *ad primum*, *Pontificalis pseudo-Damasi* nullam esse auctoritatem, quod multo post Damasum scriptum fuisse, Baronius, Bellarminus, aliique graves critici animadverterunt. Repugnat autem huic Libro Innocentius I., qui in celebri sua Epist. ad Decentium hanc prærogativam solis Pontificibus deberi, non solum ex consuetudine ecclesiastica demonstrat, verum etiam ex Actibus Apostolorum V. sup. num. 146.; nec ullam facit mentionem supposititii illius decreti S. Sylvestri (*a*). Non minus apocryphus judicatur ille brevis Epilogus Concilii Romani. Sed præterea nihil ex eo contra nos extundi potest: multa enim alia a Romanis Pontificibus, & in Conciliis statuta inveniuntur, quæ non humani, sed divini juris sunt; & nihil prohibet, aliquid divina simul, & humana lege constitui.

170. Ad S. Gregorii auctoritatem non una est Theologorum responsio; sed mihi obvia, & facilis ea videtur explicatio, quam tradit immortalis memoriæ ejus successor Benedictus XIV. *De Syn. Diœc.* Lib. VII. cap. 7. n. 5., scilicet hunc S. Pontificem voluisse abusum in Ecclesiam Calaritanam invectum omnino evellere; sed cum videret, inde scandala majora oriri, concessit illis Presbyteris hoc privilegium ungendi frontem ex delegatione, quod concedi a summis Pontificibus posse, inferius ostendemus. Hunc sanctissimum, & vere magnum Pontificem mitissimi ingenii fuisse scimus; unde Beda in Lib. I. *Hist. Anglic.* cap. 27. hanc illius sententiam refert: *In hoc tempore sancta Ecclesia quœdam per fervorem corrigit, quœdam per mansuetudinem tolerat, quœdam per considerationem dissimulat, atque ita portat, & dissimulat, ut sæpe malum, quod aversatur, portando, & dissimulando compescat.*

171. Ad *tertium*. Si totus canonis illius contextus expendatur, facile apparebit, per *novellas, & ecclesiasticas regulas* non intelligi novas Ecclesiæ leges, sed Novi Testamenti leges. Ibi enim agebatur, non de sola unctione frontis, sed etiam de erigendis altaribus, & consecrandis Basilicis, quæ munia Agapitus Cordubensis Episcopus Presbyteris delegaverat. Probat autem Synodus, id ex veteri testamento solis Pontificibus esse reservatum, *quia solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare*. Itaque Patres illius Synodi dixerunt, *quædam auctoritate veteris legis, quædam novellis, & ecclesiasticis regulis* esse vetita; nempe quantum ad erectionem altarium veterem legem allegabant, quantum ad unctionem frontis legem N. T. & ecclesiasticam. Huic Synodo præerat ille Isidorus Hispalensis, qui Lib. II. *De officiis Eccles.* cap. 26. hæc habet: *Post baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione; hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos*. En unde illi Patres sub eo congregati jus Episcoporum dandi Confirmationem repetebant, scilicet ex novo testamento.

172. Obj. *ultimo*. Apud Græcos ex antiquissima consuetudine simplices Sacerdotes Sacramentum Confirmationis conferunt, ut demonstrant Morinus Dissert. II. *De Sacram. Confirm.*, & Lucas Holste-

(*a*) Movere nos non debet, quod hic liber Pontificalis Damasi fuerit a Vener. Beda laudatus in *Martyrologio* ad VII. Idus Augusti, deinde a Walfrido *De rebus eccles.* cap. 26., ab Amalario Lib. I. *de off. eccles.* cap. 27. & a Rhabano Lib. I. *De Institut. Cleric.* cap. 28. (quamquam apud hunc postremum textus est diversus ab eo, qui nunc legitur), atque etiam ab Hincmaro in Epist. ad Nicolaum I. Critici enim melioris notæ, cum propter multos errores, tum propter styli barbariem hoc opus Damaso adjudicarunt. Vid. Tillemontius T. II. *Monumenti*. Pagius ad an. 384., & communiter alii Critici.

stenius Dissert. I. *De Ministro confirmat.* Eumdem usum invaluisse apud alias Orientales Ecclesias discimus ex Auctore Comment. in Epist. S. Pauli, qui olim putabatur S. Ambrosius: nam in cap. IV. Eph. *Apud Ægyptum*, inquit, *Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus;* item ex Auctore *Quæst. vet. & novi test.* q. 101. inter Opera spuria S. Augustini Tom. III. dicente: *In Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter.* Neque vero dubitari potest, verbo *consignationis* denotari verum Confirmationis Sacramentum, ut ostendit Christianus Lupus in Tom. II.

173. Huic postremæ objectioni respondeo verbis sæpe laud. Benedicti XIV. *De Syn. Diœc.* Lib. VII. cap. 9., esse, qui hanc Græcorum consuetudinem semper ab Ecclesia latina improbatam affirment. Etenim, inquiunt, Nicolaus I. vix exorto Photiano schismate, cum audisset, Græcos Presbyteros, auctoritate, & suasionibus Photii, Sacramentum Confirmationis per Bulgariam administrasse, misit illuc Paulum Populoniensem, & Formosum Portuensem Episcopos Legatos suos, qui omnes Bulgaros a prædictis Presbyteris inaniter confirmatos iterum sacro Chrismate rite signarent. Adhuc autem expressius præfatam consuetudinem damnatam ajunt ab Innocentio III. in cap. *Quanto* IV. *De Consecr.* ubi Lucio Vicario suo in Constantinop. urbe constituto scripsit: *Pervenit ad audientiam nostram, quod quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis.* Quam quidem Innocentii III. Decretalem corroboratam postea fuisse dicunt ab Innocentio IV., qui Othoni Card. Tusculano Legato suo hoc inter alia mandavit: *Soli autem Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet, nisi per Episcopos exhiberi.*

174. At, si Doctoribus, subdit sapientissimus Pontifex, hæc nobis obtrudentibus, assentiremur, cogeremur quoque cum iisdem admittere, vacuam, inanem, atque irritam esse Confirmationem Græcorum. Hæc enim a simplici Presbytero administrata, non potest aliunde vires sortiri, quam a delegatione, sive expresse, sive tacite, eidem Sacerdoti facta a Romano Pontifice: hujus autem delegationis nullum habemus indicium, si Græcorum consuetudini, de qua est sermo, semper Romani Pontifices obstitissent. Asserere vero cum præfatis Doctoribus, quos citant, & sequuntur Sambovius Disput. VII. *De Sacram. Confirm.*, & Du-Hamel Tom. VI. Tract. *De Sacram. Confirm.* cap. 4., Sacramentum Confirmationis ab Ecclesia græca nunc penitus exulare, multis nominibus absurdissimum recte ostendit Goarius in suis notis ad *Euchologium Græcorum* pag. 367. Equidem ex Concilio Florentino certo conjicimus, Græcorum Confirmationem, etsi a simplici Sacerdote administratam, a latinis Patribus ratam habitam. Cum enim Græci inter undecim quæstiones sibi à Latinis post unionem propositas, ad hanc quoque jussi sint respondere: *Quare Episcopi non inungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* plane quoad hanc per Metylensem Præsulem Latinis satisfecisse, ex ejusdem Concilii historia colligimus.

175. Neque Confirmationem Græcorum irritam evincunt facta Roman. Pontificum in contrarium adducta. Etenim Nicolaus I. iterum Bulgaros consignari voluit, tum quia Confirmationem receperant a Sacerdotibus, qui Photii erroribus imbuti eam contulerant jure ordinario, existimantes nimirum, potestatem eam conferendi & Episcopis, & Sacerdotibus pari jure competere; tum quia iidem Sacerdotes delegati fuerant a Photio *mœcho, & invasore*, uti loquebantur Apostolici Legati, hoc est pseudo-Patriarcha, cui propterea legitimi Patriarchæ jura non conveniebant; tum denique, & præcipue, quia Bulgaria pertinebat ad Patriarchatum occidentalem; quod pluribus argumentis ostendit Christianus Lupus cit. T. II. p. 1404. seq. atque ideo delegatio, de qua est sermo, a Rom. Pontifice Græcis Presbyteris, sive expresse, sive tacite facta administrandi Confirmationem in Patriarchatibus Orientis, nequaquam iisdem Presbyteris in Bulgaria id peragere permittebat.

176. Decretalis autem Innocentii III. solos respicit Sacerdotes latinos. Etenim cum tunc temporis urbs Constantinopolitana subjecta esset Imperio Francorum, ejusque Patriarcha esset Venetus, ex Francis, & Venetis incolis magna ex parte conflabatur. Cum autem audierit Innocentius, Sacerdotes latinos ibi degentes Græcorum ritus adoptasse, Græcorumque more Confirmationem ausos conferre, hunc Latinorum abusum compescuit, scribens ad Lucium: *Discretioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne talia de cetero sua temeritate præsumant.* Ita quippe habet integra Decretalis apud Baluzium Tom. I. *Epist. Innoc.* III., & apud Gonzalez. Sed quia in compilatione Decretalium, qua in scholis, & foro utimur, omissum est verbum illud *Latinis*, hinc auctores contrarii ansam acceperunt asserendi, Innocentium irritam pronunciasse Confirmationem a græcis etiam Sacerdotibus collatam; sicut scite animadvertunt Morinus Dissert. cap. 22. & Van-Espen *Juris Eccles. univ.* P. II. tit. 3. cap. 2. n. 4.

177. Innocentius IV. viribus carere voluit Confirmationem administratam a simplici Sacerdote, *sed unice quoad regnum Cypri*, in quo prævalere inceperat ritus latinus ob multitudinem latinorum Antistitum ibidem degentium. Ut enim idem ritus per totum regnum propagaretur, & foret perpetuus, necessarium duxit Innocentius IV. revocare delegationem a Romanis Pontificibus, tacite saltem factam Sacerdotibus græcis conferendi Sa-

Sacramentum Chrismatis. Ceterum in aliis locis, in quibus Chrismatio data a Sacerdotibus græcis non est a Sede Apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda, ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum: cujus quidem privilegii præsumptionem inducit ipsamet conniventia, & tolerantia Roman. Pontificum, qui prædictum Græcorum morem scientes non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt; sicuti cum Goario, & aliis recte ratiocinatur Arcudius *De Cons. Eccles. Occident. & Orient.* Lib. II. *De Confirmat.* cap. 15.

178. Sed, quoniam omnis præsumptio cedit veritati, eadem Confirmatio est irrita reputanda in locis, in quibus certo novimus talem facultatem Græcis, alteriusve Orientalis ritus Sacerdotibus esse ab Apostolica Sede expresse ademptam. Præter autem Sacerdotes in Bulgaria, quibus eam ademptam audivimus a Nicolao I., & Sacerdotes in regno Cypri, quibus eamdem abstulit Innocentius IV., scimus, a Clemente VIII. severe interdictum Sacerdotibus Italo-Græcis, ne baptizatos chrismate consignare præsumant, cujus decretum a Benedicto XIV. confirmatum est in Constit. LVII. & alia CXXIX. Hactenus cum sapientissimo Benedicto.

179. Sed antequam manum a tabula retrahamus, monere debemus, omnes fere hucusque allatas de Ministro ordinario Confirmationis difficultates illi sententiæ inniti, quam nos supra cap. 3. propugnavimus, materiam hujus Sacramenti essentialem esse sacri chrismatis unctionem in fronte baptizati. Qui enim cum Jac. Sirmondo, aliisque Theologis eam reponunt in manuum impositione, & sacram frontis consignationem non esse volunt, nisi cæremoniam, facile se ab iisdem difficultatibus expediunt, dicentes, hanc cæremoniam posse a Presbyteris præstari, dummodo ab Episcopo, tamquam ministro ordinario, *essentialis* materia, & forma baptizatis applicetur. Sed isti dum aliquas hujusmodi difficultates effugiunt, in alias multo graviores incidunt, ut supra observatum est.

PROPOSITIO II.

Presbyteri simplices possunt ex delegatione summi Pontificis Sacramentum Confirmationis conferre (a).

180. Hæc autem propositio evidenter constat ex testimonio superius n. 168. allato S. Gregorii Papæ, qui Præsbyteris Calaritanis, *ne contristarentur*, concessit, *ubi Episcopi desunt, ut etiam in frontibus baptizatos chrismate tangerent*. Neque eorum responsio valet, qui hanc Gregorii permissionem restringunt ad unctionem pure cæremonialem. Nam *primo* tantam curam non habuisset S. Pontifex alicujus unctionis pure cæremonialis, ut eam abolere tantopere satageret, & postea ad tollenda scandala eamdem benigne concederet. Deinde ad hujus Pontificis responsum videtur digitum intendisse Eugenius IV., dum in *Instructione ad Armenos*, postquam declaravit, *Confirmationis ministrum ordinarium solum Episcopum esse*, ita subdit: *Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem ex rationali, & urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*.

181. Deinde non hoc unum extat exemplum similis Pontificiæ dispensationis. Plura enumerat Benedictus XIV. in laud. superius Opere *De Syn. Diœc.* Lib. VII. c. 7., ubi addit, se etiam *potestatem fecisse P. Custodi, & Guardiano S. Sepulchri D. N. J. C. Ord. Minorum de Observantia idem conferendi Sacramentum Confirmationis in locis terræ sanctæ, in quibus actu non degunt Episcopi latini, & quoad fideles græci ritus, ubi desit Episcopus græcus Catholicus, qui in propria resideat Diœcesi, aut ubi istius ibidem residentis accesserit consensus*.

182. Et postea sic concludit: „ Quare non videtur, hodie fas esse potestatem, de qua olim disceptabatur, summo Pontifici abjudicare. Quoniam, ut ait Veracrux in Specul. part. 2. art. 27. *De Pontificis potestate, post quam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est. Esset enim Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiæ suæ providisset*. Et magis ad rem Sotus cit. Dist. 7. quæst. un. art. 11. *Non est dubitandum, quin simplex Sacerdos ex commissione Papæ possit Sacramentum Confirmationis exhibere. Et qui de hoc jam modo hæsitarent, ecclesiasticis sanctionibus adversarentur. Etenim quamvis hæc conclusio ex sacris litteris non plane colligatur, sufficere tamen debet orthodoxis, quod Gregorius* (addimus nos, & alii Pontifices) *illam fecerit dispensationem* “.

183. Sed præstat id uberius confirmare verbis nostri S. Doctoris, qui in 3. P. qu. 72. art. 11. ad 1. inquit: „ Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt su-

(a) Hæc propositio est contra nonnullos Scholasticos, qui dogma a Patribus Tridentinis definitum, quod solus Episcopus sit ordinarius Confirmationis minister, ita stricte intelligendum putarunt, ut negarent, posse hanc facultatem Presbyteris, etiam per delegationem tribui. Atque ita senserunt non infimæ notæ Theologi, ut Robertus Card. Pullus P. V. *Sentent.* cap. 23., Hugo Victorinus Lib. II. *De Sacram.* P. VII. cap. 2., Hadrianus in IV. Dist. VII. art. 3. Durandus ibid. quæst. 3. & 4.; quibus ex recentioribus adhæserunt Estius in IV. Dist. VII. §. 21. & 22., Sambovius Tract. *De Sacram. Confirm.*, l'Herminier, aliique; quorum opinionem nonnullis argumentis roborare conatus est P. Hyac. Serry Disp. V. Prælect. IX. *De Confirmatione*. Sed major est numerus eorum, qui nostræ propositioni patrocinantur; atque imprimis S. Thomas in IV. Dist. VII.

superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicuti quibusdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur".

Quæres, *an ad solius Rom. Pontificis auctoritatem pertineat, Presbyteris facultatem concedere conferendi Confirmationem?*

184. Resp. Sæpius laudatus doctissimus Pontifex Benedictus XIV. *De Syn. Diœc.* Lib. VII. cap. 8. n. 3. jure miratur, adeo diversa esse hominum ingenia, ut eam ipsam potestatem, quam plerique Summo Pontifici abjudicant, alii cuilibet Episcopo asserere non dubitent; atque ita prosequitur: Card. Pallavicinus *Hist. Conc. Trid.* Lib. IV. cap. 7. n. 16., Christianus Lupus *in notis ad can.* VIII. Synodi cap. 5. Tom. II., Thomasinus *De Vet. & nova discipl.* P. I. Lib. II. cap. 23., Franc. Farvacquius *De Sacram. Confirm.* cap. 4. qu. 4. & 5., Van-Espen *Juris Eccl.* P. II. tit. 3. cap. 2. n. 5., Juenin Dissert. III. qu. 3. cap. 2. art. 1. §. 3., Petrus Constant. in *Epist. Sum. Pontif.* Tom. I. col. 857. aliique recentiores opinantur, sola inspecta institutione divina, & seclusa Ecclesiæ prohibitione posse Episcopum simplici Sacerdoti committere, ut chrismate a se confecto fideles consignet, nec secus degentes in locis, ad quæ ipse accurrere nequit, Sacramento Confirmationis perpetuo careant. Nec vero pauca, nec levia sunt rationum momenta, quibus hæc opinio innititur. Hactenus sapientissimus Benedictus.

185. Qui tamen breviter enumeratis illis rationum momentis, ita prosequitur: *Sed licet hæc momentosa sint, non tamen leviora sunt, quæ in contrarium proferuntur;* quorum pleraque adducit, inprimis vero auctoritatem Angelici Præceptoris in loco mox a nobis exscripto, ac demum ita concludit. Ceterum quidquid sit de hac difficili, & valde implexa controversia, omnibus in confesso est, irritam nunc fore Confirmationem a simplici Presbytero latino, ex sola Episcopi delegatione collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit; quam quidem reservationem non tantum ex consuetudine in tota Ecclesia latina jamdiu recepta tacite inductam arbitramur, sed jam ante IX. sæculi finem expresse factam colligimus ex epist. 70. Nicolai I. ad Hincmarum, & ceteros Archiepiscopos, & Episcopos in regno Caroli constitutos, &c. &c.

CAPUT POSTR.

De Confirmationis necessitate, & de præcipuis ejus ritibus.

186. Hoc Sacramentum nullatenus esse Christianis necessarium, & seposito ejus contemptu, qui semper est culpabilis, posse sine peccato omitti docere ausi sunt quidam laxiores Theologi: atque hac de re non levis sæculo elapso in Anglia, & Gallia exarsit controversia (*a*). Non esse hoc Sacramentum necessarium *necessitate medii*, quomodo necessarius est baptismus, certum est apud omnes; quod a Parochis docendum esse, monet

qu. 3. & 3. P. qu. 72. art. 11. Dom. Soto in IV. Dist. VII. q. 2. art. 11., Card. Bellarminus *De Sacram. Confirm.* cap. 12., Card. Gotti Qu. II. *De Ministro Confirm.* dub. 2. §. 1., Drouven Qu. VII. *De Minist. Confirmat.*, P. Laur. Berti Lib. XXXII. cap. 7., Juenin, Tournely, aliique non facile numerandi, *quorum sententia*, ut inquit Benedictus XIV. *De Syn. Diœc.* Lib. VIII. cap. 7., *non videtur posse amplius in controversiam, & dubitationem revocari.*

(*a*) Ejus occasionem, initium, progressum, & finem fuse enarrat auctor *Argumenti* Operum Petri Aurelii. Nos brevi ejus notitia contenti erimus, ne hujus litterariæ historiæ juvenes prorsus jejuni sint. Cum jamdiu Ecclesia Catholica Anglicana propter temporum calamitates suis legitimis careret Episcopis, Urbanus VIII. anno 1625. illuc misit Richardum Smitthæum Episcopum Chalcedonensem cum potestate Episcopi Ordinarii super omnes fideles illius Insulæ. Multos tamen novus hic Pastor refractarios invenit, unde graves contentiones, & turbæ exortæ sunt, ad quas sedandas Doctor Kellisonus, Duacensis Anglorum Collegii Rector, scripsit anglice Tractatum *De Hierarchia Ecclesiastica:* cui illico respondit Eduardus Knottus edita sub fictitio nomine Nicolai Smitthæi *Modesta & brevi discussione assertionum Doctoris Kellisoni*. Clerus Anglicanus nonnullas propositiones ex hoc libro excerptas ad Sorbonicam Facultatem misit, ut merita censura proscriberentur; sed pro earumdem propositionum defensione tunc prodiit *Apologia, auctore Daniele a Jesu,* seu Joanne Fluide, vel Floydo. Non obstante tamen hac apologia Archiepiscopus Parisiensis D. De Gondy censuram edidit an. 1631. in *quasdam propositiones hybernicas, & duos libellos* supra memoratos. Hujus zelum imitati sunt alii Præsules Gallicani in sacris comitiis Lutetiæ congregati, tum Doctores Sorbonici editis suis censuris anno 1631. Non propterea causa finita est; nam multi postea prodierunt ex utraque parte libri ad hoc infaustum bellum prosequendum. Ex parte enim Refractariorum duo libelli apparuerunt sub ementito nomine Hermani Loemelli, quorum tituli erant *Spongia, qua diluuntur calumniæ, nomine Facultatis Parisiensis impositæ, &c.* & *Ecclesiæ Anglicanæ querimonia apologetica*, &c. Horum librorum auctor fuerat Jo. Floydus supra memoratus; qui tamen libelli adversam fortunam in Rhotomagensi Senatu passi sunt, carnificis manu combusti. Aliud subsecutum est opus sub nomine Ant. Goffar multis munitum approbationibus, cui titulus *Vindiciæ pro Nic. Smitthæo &c.* Leodii an. 1601.; deinde *Censura Symboli Apostolorum ad instar nuperrimæ censuræ*, &c. ac demum *Examen juridicum censuræ Facultatis Paris.* &c. auctore Edmundo Ursulano Hyberno Francof. 1631.; quæ omnia scripta confutarunt *primo* Franc. Hallier Doctor Sorbonicus in *Defensione Ecclesiast. hierarchiæ*, &c. *deinde* Joan. Bergerius de Havranne, sub nomine Petri Aurelii Theologi, cujus opera Parisiis prodierunt anno 1632., & ab Episcopis Gallicanis in sacro cœtu congregatis anno 1635. commendata, & præmio digna judicata fuere; sed Auctor obstinate latens illud recipere recusavit. Eorumdem tamen ope-

net Catechismus Rom. P. II. cap. 3. n. 16. : sed facile probari potest, ipsum esse necessarium *necessitate præcepti*, non solum Ecclesiastici, sed etiam Divini.

PROPOSITIO

Sacramentum Confirmationis præceptum est jure divino, & ecclesiastico.

187. Quantum ad præceptum divinum, licet in sacris litteris expressum non habeatur, colligitur tamen satis aperte ex illa cura, & sollicitudine, quam habuerunt Apostoli, ut iis, qui baptizati jam fuerant, manus imponerent, ut Spiritum Sanctum reciperent, ut legitur Act. VIII., XIX., & alibi; quam postea curam, & sollicitudinem reliquerunt suis successoribus Ecclesiæ Præfectis; ita ut teste Hieronymo, num. 155. laudato, Episcopi solerent per villulas, & minores urbes discurrere, ad eos, qui per Presbyteros, & Diaconos baptizati erant, confirmandos. Hæc omnino persuadent, Christum Dominum una cum institutione hujus Sacramenti etiam præcepisse Apostolis, eorumque successoribus, ut illud conferrent, adeoque etiam fidelibus, ut illud ipsum susciperent.

188. Hoc idem præceptum ab Ecclesia fuisse renovatum, ac fidelibus inculcatum ex ejusdem Ecclesiæ consuetudine manifestum fit; ut enim in veteribus monumentis ecclesiasticis supra relatis apparet, voluit, & mandavit, ut qui baptizati erant, ad Episcopos deferrentur, sacro chrismate perficiendi. *Si quis Diaconus*, inquiunt Patres Illiberitani can. 77., *regens plebem, sine Episcopo, vel Presbytero aliquem baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit*. S. Cyprianus Epist. LXX. *Ungi*, inquit, *necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit*. Et Patres Laodiceni can. 78. *Oportet, eos, qui illuminantur, post baptisma inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes*. Quibus, aliisque plurimis, quæ brevitatis amore omittimus, addere satis sit verba Optimi Pontificis Benedicti XIV., cujus inconcussa doctrina sæpius usi sumus in *Constitut. De ritibus Græcorum* §. 3. decernentis, *eos gravis peccati reatu teneri, qui, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt* (a). Hactenus de Confirmationis necessitate: nunc breviter de ipsius ritibus.

189. S. Thomas 3. P. quæst. 73. art. 12. ita generaliter probat, ritus ab Ecclesia præscriptos esse convenientes: „ Dominus Matth. XVIII. 20. fidelibus suis promisit, dicens: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et ideo firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet, ritus, quos Ecclesia observat in hoc, & in aliis Sacramentis, esse convenientes." Hæc Angelici doctrina postea fuit solemniter confirmata in Concilio Tridentino Sess. VII. can. 13. *De Sacram.* his verbis: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

190. Sacramenti Confirmationis ritus hi præcipui sunt. *Primo* unctio sacri chrismatis in *fronte*; in baptismate enim unctio fit in vertice. *Signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per Sacerdotem, per Pontificem vero in fronte*, inquit Rhabanus Lib. I. *De instit. Clericorum* cap. 30.; cujus cæremoniæ duplicem rationem reddit S. Thomas 3. P. quæst. 79. art. 9.: *primo*, quia homo in Confirmatione *insignitur sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens, & manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur; & ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret, se esse Christianum, sicuti Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo latebant. Secundo quia aliquis impeditur a libera* con-

rum novam editionem sacer ille conventus fieri jussit. Sed ut ad rem nostram veniamus, magna illius litterariæ controversiæ pars erat de necessitate Sacramenti Confirmationis, quam penitus inficiebantur, qui Episcopo Chalcedonensi repugnabant; ex quorum propterea libris hæ propositiones a S. Facultate Sorbonica diversis censuris notatæ sunt. *Prima*. „ Catholicos „ chrismate unctos in baptismo, licet ab Episcopo non „ confirmatos, perfectos esse Christianos in sensu Pa„ trum. *Altera*: Chrismatio in baptismo per Sacerdo„ tem, instituta fuit ab Ecclesia, ad supplendum non „ solum significationem Episcopalis chrismatis, sed e„ tiam effectuum, nempe ad conservandos, & confir„ mandos homines in baptismali gratia. *Tertia*: O„ mnes Theologi dicunt, Confirmationem non præcipi, „ nisi cum commode haberi potest, vel uti alii dicunt, „ quando commodissime; " cujus propositionis falsissimum est τὸ *omnes*; plurimos enim laxiores Theologos id docuisse, ostendit P. Dan. Concina Lib. III. *De bapt. & confirm.* Dissert. II. cap. 6.

(a) Supervacaneum videtur omnium fere melioris notæ Theologorum auctoritatem advocare. Prætermitti tamen non potest S. Antoninus, cujus doctrina moralis magnam semper habuit in Ecclesia existimationem. Hic autem III. P. *Summæ* tit. 14. cap. 14. *Etsi*, inquit, *nunquam occurrat infestatio persecutionis, tenetur homo semel in vita confirmari, & si possit, & negligat, licet Sacramentum aliter non contemnat, peccat mortaliter, & damnatur moriens, nisi tunc confirmetur, vel nisi pœniteat, & confiteatur.*

confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, & propter verecundiam... unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt, ut dicitur IV. Ethic. cap. ult., & ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat. Vid. S. August. in Ps. CXLI., ubi hanc ipsam rationem eloquenter exponit. Græci quidem non solam frontem inungunt, sed etiam oculos, aures, nares, & os; prima tamen unctio fit in fronte.

191. Alter ritus consideratione dignus est assistentia patrini, non minus quam in baptismo, *quia*, inquit Angelicus art. 10., *hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis;* ideo indiget eruditore, sicut *in bellis materialibus constituuntur duces, & centuriones, per quos alii gubernantur*. De horum patrinorum dotibus plura in diversis Synodis saluberrime statuta fuerunt, præcipue vero a S. Carolo Borromæo, ut videri potest in *Rituali Ambrosiano*.

192. Displicet aliquibus alapa, qua Episcopus confirmati genam leviter cædit dicens: *Pax tecum*, tum quia recens admodum putatur hic ritus, tum etiam quia illius cæremoniæ significatio ignoratur. Sed quantum ad primum, ritus ille non admodum recens est, cujus meminit Durandus Mimatensis Episcopus, qui floruit sæc. XIII. Quantum ad secundum idem Durandus aliquas rationes affert, quæ tamen omnes a viris eruditis minus probantur (*a*). Omnium probabilissima illa est, quam affert Catechismus Rom. P. II. cap. 3. in fine, inquiens: *Deinde vero qui jam unctus & confirmatus est, ut meminerit, se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Episcopo cæditur* (*b*).

(*a*) Illa præcipue improbanda, quod *hæc percussio repræsentet manuum impositionem, quoniam Apostoli per manuum impositionem confirmabant*. Illam merito irridet Kemnitius. Sed immerito postea solito hæreticorum more hanc peculiarem Durandi opinionem, quasi universalem Pontificiorum sententiam carpit.

(*b*) Cl. Muratorius in *Ant. p. Ital.* Diss. LIII. antiquum morem describit, quo Equitibus, qui creabantur, alapa soleret infligi ad denotandum animi fortitudinem, qua parati erant ad mala quæcumque toleranda.

FINIS TOMI OCTAVI.

FRATRIS

PETRI MARIÆ GAZZANIGA

ORD. PRÆD.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

HABITÆ

IN VINDOBONENSI UNIVERSITATE

NUNC VERO METHODO DISPOSITÆ

EMENDATÆ ET AUCTÆ

ACCEDIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS EJUSDEM AUCTORIS

TOMUS IX. PARS II.

DE SACRAMENTIS EUCHARISTIÆ, PŒNITENTIÆ, ORDINIS,
EXTREMÆ-UNCTIONIS, ET MATRIMONII

BASSANI 1832.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT

INDEX

CAPITUM ET PROPOSITIONUM

QUÆ

IN HOC VOLUMINE IX. CONTINENTUR

****

DISSERTATIO V.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ

Nullum est inter Sacramenta, quod hujus dignitatem superet, aut adæquet, cum ipsum Dominum nostrum Jesum Christum totius sanctitatis fontem, & auctorem contineat, ut S. Thomas ostendit 3. P. quæst. 65. art. 3. Non magna quidem videri alicui poterit in eo pertractando difficultas; cum nemo sit vel inter ipsos hæreticos, ac schismaticos, qui hanc summam ejusdem excellentiam non agnoscat, immo & magnifice non extollat, sed contra accidit. Tot enim, & tantis falsitatibus hanc materiam heterodoxi contaminarunt, tot subtilibus cavillationibus veram, & antiquam majorum nostrorum doctrinam corrumpere conati sunt, ac denique tot diversa errorum monstra eruperunt, ut non solum valde prolixa, sed etiam admodum difficilis evaserit vera hujus sacratissimi mysterii expositio, & defensio. Ne tamen voluminis moles plusquam par est, excrescat, omissis quæstionibus minus necessariis, nos ad hæc sola capita restingemus. *Primo* de Eucharistia agemus, ut Sacramentum est, ejusque veram, & essentialem notionem explicabimus, & vindicabimus, de ejusdem materia, & forma tractantes; ac postea realem corporis, & sanguinis Christi in eo præsentiam, necnon sic dictam *transubstantiationem* omni argumentorum genere demonstrabimus; quo loco plurimos, & perniciosos heterodoxorum errores detegemus, & refellemus. Demum de Eucharistia disseremus, prout verum est, & incruentum novæ legis sacrificium. Deo itaque auspice, suæque gratiæ auxilium suppeditante sit

CAPUT I.

De variis hujus Sacramenti nominibus, ejusdemque definitione, atque institutione.

1. Angelicus Præceptor sapienter observat 3. P. quæst. 73. art. 4. „ quod Sacramentum habet „ triplicem significationem: unam quidem respe„ ctu præteriti, inquantum scilicet est commemo„ rativum Dominicæ passionis, quæ fuit verum „ sacrificium, & secundum hoc nominatur *Sa„ crificium*. Aliam autem significationem habet „ respectu rei præsentis, scilicet ecclesiasticæ u„ nitatis, cui homines aggregantur per Sacramen„ tum, & secundum hoc nominatur *Communio*, „ vel συνάξις. Tertiam significationem habet re„ spectu futuri, inquantum scilicet vel Sacramen„ tum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit „ in patria, & secundum hoc dicitur *Viaticum*, „ quia hic præbet nobis viam illuc pervenien„ di; & secundum hoc etiam dicitur εὐχαριστία, „ idest *bona gratia*, quia *gratia Dei vita æter„ na* Rom. VI. 23., vel quia realiter continet Chri„ stum, qui est plenus gratia. “ Dicitur etiam a S. Jo. Damasceno Lib. IV. *De fide orthodoxa* cap. 13. μετάληψις, seu *participatio*, quia per hoc Sacramentum *divinitatis Jesu redlimur participes*. Alii tamen volunt hoc Sacramentum appellatum εὐχαριστίαν a *gratiarum actione*, de qua Evangelistæ loquuntur, cum Christus illud instituens *gratias egit;* quam significationem etiam S. Justinus tradit in *Apologia II.*

2. Sectarii non alio nomine hoc Sacramentum designant, quam *Cœnæ Domini*, abutentes verbis S. Pauli 1. Cor. XI. 20. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est, Dominicam cœnam manducare;* hoc enim nomen magis convenire vident suis erroribus, quibus nolunt hoc Sacramentum esse etiam sacrificium, nec asservari posse &c. Dixi, eos abuti allatis S. Pauli verbis: verisimilius est enim, S. Paulum non de hoc Sacramento ibi loqui, sed de Christianorum conviviis, quæ ἀγάπαι vocabantur. Jo. Maldonatus in cap. XIII. 2. Joan. *Eucharistia*, inquit, *nunquam, nisi a novis hæreticis, cœna vocata est.* Quomodocumque res sit (neque enim volumus de nomine disputare) nos ab hac voce abstinebimus, ut non solum ab hæreticorum erroribus, sed etiam a suspectis eorum phrasibus abstineamus. Et hæc de nominibus, quorum plura alia facile colligi possunt ex sanctis Patribus.

3. Quantum vero ad rem ipsam, Eucharistia definiri potest *Sacramentum corporis, & sangui-*

nis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritalem fidelium refectionem a Christo Domino institutum. Quæ definitio satis ex se clara, non indiget explicatione. Duntaxat monendum est cum Catechismo Romano, specie panis, & vini *verum, & absolutam* Sacramenti rationem habere, quamvis a sacris Scriptoribus nomen *Sacramenti* interdum consecrationi, aut perceptioni, aut etiam ipsi Corpori, & Sanguini Domini nostri tributum legamus. Ratio hujus est, quia cum Sacramentum debeat esse signum sensibile gratiæ invisibilis, hoc signum non est nisi in speciebus. Quamobrem S. Thomas 3. P. quæst. 73. art. 1. ad 2. comparat species panis, & vini aquæ baptismi, *ut sicut se habet virtus Spiritus sancti ad aquam baptismi, ita se habet Corpus Christi verum ad species panis & vini*. Ceterum Latini aliquo sensu ipsum Corpus, & Sanguinem Christi dici posse *Sacramentum*, non denegant, qua ratione Concilium Tridentinum Sess. XIII. cap. 5. latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic *Sanctissimo Sacramento* exhibendum esse decrevit. Hac de re curiosius disputant Scholastici. Nos ad utiliora properabimus.

4. Tantummodo observare oportet cum nostro Angelico 3. P. quæst. 73. art. 1. ad 3. hoc inter Eucharistiam, & alia Sacramenta discrimen, *quod Eucharistia continet aliquod sacrum absolute, scilicet ipsum Christum; aqua vero baptismi continet aliquod sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandum: & eadem ratio est de chrismate, & similibus. Et ideo Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ: alia vero Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum*. Hinc Eucharistiæ Sacramentum tamdiu manet, quandiu species sensibiles panis, & vini durant incorruptæ; alia vero Sacramenta transeunt cum actione, qua minister formam cum materia conjungit.

5. Hujus Sacramenti institutio facta est a Christo Domino in postrema cœna, quam cum suis Apostolis habuit, & in qua, ut nobis S. Paulus narrat 1. Corinth. XI., *accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*. Id ipsum nobis exponunt tres Evangelistæ Matthæus XXVI., Marcus XIV., & Lucas XXII. S. Thomas 3. P. qu. 73. art. 5. in ultima cœna ideo fuisse institutum hoc Sacramentum observat, *ut in majori veneratione haberetur*. Quod antea observaverat Sanctus Augustinus Epist. LVI. ad Januarium cap. 6. inquiens: *Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat*.

CAPUT II.

De materia Sacramenti Eucharistiæ.

6. Quando de hujus Sacramenti materia inquiritur, non instituitur quæstio de illo signo sensibili, quod peracta consecratione in eo permanet, scilicet de speciebus Sacramentalibus, sub quibus corpus, & sanguis D. N. Jesu Christi invisibiliter latent, sed de illa materia, in qua consecratio fit, facta autem consecratione non amplius remanet.

7. Tria autem ad plenam hujus Sacramenti confectionem tamquam materia concurrunt, scilicet panis, vinum, & aqua, de quibus singulis agendum est, ac primum de pane. Qua in re observante S. Thoma quæst. 74. art. 1. a veteribus hæreticis multipliciter erratum est (*a*). Modo vero adhuc perdurat acris illa contentio, quæ contra Ecclesiam latinam medio Sæc. XI. a Cerulario Photiani schismatis infelici restauratore excitata fuit, scilicet materiam hujus Sacramenti esse non posse panem azymum, quo nos utimur, sed solum panem fermentatum (*b*). Contra utrumque errorem sit

PRO-

(*a*) Ita habet Angelicus loco citato: *Quidam, qui dicuntur Artotyritæ* (a duobus vocibus græcis ἄρτος *panis*, & τύρος *Caseus*, quasi *panicasearii*) *ut Augustinus dicit De Hæres. num. 28., offerunt panem, & caseum in hoc Sacramento, dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas. Alii vero, scilicet Cataphryges, & Pepuziani* (hæretici Montanistæ) *de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes*. Quidam vero, *qui dicuntur Aquarii, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc Sacramento offerunt*. Hactenus S. Thomas. Sed multo pejora inveniuntur hæreticorum errata apud sanctos Patres. Obscœnissima, & quæ exscribere horret animus, de Gnosticis refert S. Epiphanius *Hæresi* XXVI., quæ nec credere se posse dicebat S. Irenæus Lib. I. *adv. hæreses* cap. 25. Quidquid sit, S. Augustinus *De Hæres*. n. 6. asserit, Gnosticos fuisse appellatos *Borboritas, quasi cœnosos propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur*. Plura de iis dicere non attinet, quorum nonnisi infausta memoria in veteribus monumentis superest.

(*b*) De Photiano schismate a Mich. Cerulario restaurato vid. quæ diximus Tom. III. Quantum vero ad hanc controversiam pertinet, anno 1053. impius iste Patriarcha Constantinopolit. suo, & Leonis Acridani Archiepiscopi nomine famosam scripsit epistolam ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum, qua execrandis dicteriis, atque infamibus calumniis Romanam proscindebat Ecclesiam: maxime vero ejusdem usum consecrandi Eucharistiam in azymo reprehende-

PROPOSITIO I.

Materia Sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus, & vinum de vite.

8. Id constat luculenter *primo* ex ipsa institutione Eucharistiæ; ut enim narrat S. Matthæus XXVI. 26., *accepit Jesus panem, & benedixit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Matthæo consentiunt Marcus XIV. 22., Lucas XXIV. 19., & Paulus 1. Corinth. XI. 24. Similiter de Calice dicitur: & quamquam ibi non nominetur vinum, subintelligitur tamen, tamquam potus usualis, qui in calice sumebatur. Et præterea hoc ipse Christus aperte significavit in loco laud. Matth. vers. 29. subdens: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

9. Solum autem vinum de vite esse hujus Sacramenti materiam, probat Angelicus 3. P. quæst. 74. art. 5. „ *primo* propter institutionem Christi, „ qui in vino vitis hoc Sacramentum instituit, ... „ *secundo*, quia ad materiam Sacramentorum as„ sumitur id, quod proprie, & communiter ha„ bet talem speciem. Proprie autem vinum dici„ tur, quod de vite sumitur; alii vero liquores „ vinum dicuntur secundum quamdam similitudi„ nem ad vinum vitis: *tertio*, quia vinum vitis „ magis competit ad effectum hujus Sacramenti, „ qui est spiritualis lætitia: quia scriptum est Ps. „ CIII. quod *vinum lætificat cor hominis.* "

10. Idipsum confirmat antiquissimus, & universalis consensus omnium Ecclesiarum, quæ non aliter hoc Sacramentum olim confecerunt, nec hodie conficiunt, quam in pane, & vino. Et quantum ad vinum, S. Cyprianus in Epist. LXIII. ad Cæcilium graviter reprehendit quosdam ignavos Sacerdotes, qui in aqua consecrabant, ne ex odore vini a Gentilibus ut Christiani deprehenderentur. Prolixe hac de re agit S. Martyr, omnesque illorum Sacerdotum excusationes invicte refellit.

11. Etiam S. Agustinus *De hæresibus* n. 64. *Aquarios* recenset inter hæreticos, quod *aquam offerrent in poculo Sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia*, scilicet vinum. Et ante Augustinum Clemens Alexandrinus Lib. I. *Stromatum*, atque Irenæus Lib. IV. *adv. hæreses* cap. 1., & multi alii hoc Ecclesiæ dogma confirmarunt. Unde merito Concilium Bracarense III. celebr. anno 675. can. 2. illos damnavit, qui *schismatica ambitione detenti contra divinos ordines, & apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicabant*; atque statuit, ut juxta exemplum Jesu Christi, *præter panem, & vinum* nihil aliud offeratur in Missæ sacrificio. Ac denique Eugenius IV. in Instructione Armenorum definivit, materiam Sacramenti Eucharistiæ esse *panem triticeum, & vinum de vite.*

12. Hanc autem materiam fuisse *rationabiliter* a Christo institutam, ita probat Angelicus laud. q. 74. art. 1. pluribus de causis „ *primo* quidem, „ quantum ad usum hujus Sacramenti, qui est „ manducatio. Sicut enim aqua assumitur in Sa„ cramento baptismi ad usum spiritualis ablu„ tionis, quia corporalis ablutio communiter fit „ in aqua: ita panis, & vinum, quibus commu„ nius homines reficiuntur, assumuntur in hoc „ Sacramento ad usum spiritualis manducationis. „ *Secundo* quantum ad passionem Christi, in qua „ sanguis est a corpore separatus; & ideo in hoc „ Sacramento, quod est memoriale Dominicæ pas„ sionis, seorsim sumitur panis, ut Sacramentum „ corporis, & vinum ut Sacramentum sanguinis. „ *Tertio* quantum ad effectum consideratum in „ unoquoque sumentium ... *Quarto* quantum ad „ effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ consti„ tuitur ex diversis fidelibus, *sicut panis conficitur ex diversis granis, & vinum fluit ex* „ *diversis acinis*, ut dicit Augustinus Tract. XXVI. „ in Jo. "

13. Ob. *primo*. Nec triticum, nec vinum de vite ubique terrarum producuntur: non ergo &c.

14. Respondet S. Thomas laud. art. 1. ad 2., facile ad omnes terras adsportari de utroque *quantum sufficit ad usum hujus Sacramenti*, ad quem non magna requiritur utriusque quantitas. *Nec propter defectum alterius*, subdit Angelicus, *est unum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum*. Incredibilem pene esse tritici multiplicationem, tradunt rerum naturæ peri-

bat. Leo IX. summus Pontifex, qui sanguinis nobilitati multam etiam conjungebat doctrinæ copiam, Cerularii epistolam solidissime refutavit, ita ut Michael visus fuerit pacis, ac reconciliationis vias quærere. Ad hanc procurandam Leo IX. tres legatos Constantinopolim misit, Humbertum Sylvæ Candidæ S. R. E. Cardinalem, Fridericum Archidiaconum, & Cancellarium, & Petrum Amalphitanum Episcopum. Hi primum disputationem habuerunt cum Niceta *Stethato*, seu *Pectorato* Monacho doctissimo, qui librum contra Latinos conscripserat *De azymo, de sabbatis, & de nuptiis Sacerdotum*. Sed evidenti veritati postea cedens eumdem librum coram Imperatore Constantino Monomacho igni tradidit (quidquid Guill. Cave, aliique heterodoxi contradicant, non alio innixi fundamento, quam silentio Græcorum). Non sic Michael, qui in erroribus suis pertinax a Pontificiis Legatis anathemate percusus fuit. Ipse autem furiis percitus Legatos vicissim excommunicare, & Rom. Pontificis nomen e sacris Dypticis eradere ausus est: postea vero exilio mulctatus in sua dæmoniaca obstinatione obiit anno 1058., vel 1059. Multi tamen Græci propter hanc causam nullum fieri debuisse schisma confessi sunt, ut testatur noster P. Franc. Combesisius Tom. II. *Auctarii Biblioth. Patrum* in not. ad Tract. *De Hæres. Jacobitarum.*

riti, ut Plinius Lib. XVII. *Hist. Natur.* cap. 8.; & moderni non pauci.

15. Dices. Christus Dominus in hujus Sacramenti institutione ideo pane, & vino usus est, quia hæc erant in Judæa communia ad cibum, & potum. Ceterum nihil aliud voluit, nisi veram alimoniam spiritualem veluti ob oculos repræsentare. Igitur defectu panis, aut vini poterit hoc Sacramentum alio cibo, & potu confici. Reipsa Innocentius VIII. Norvegis concessit, ut calicem sanctificarent sine vino, propter vini defectum. Id refert Raph. Volaterranus Lib. VII. suæ *Geografiæ* (a).

16. Resp. ad *primum*, non sine magna temeritate dici posse cum Beza, & Calvino, Christum in determinanda materia Sacramenti Eucharistici nihil aliud voluisse adhiberi, quam illud quod ad cibum & potum generaliter pertinet; tum quia ipse ex omnibus cibis, & potionibus usitatis nonnisi panem, & vinum selegit, tum etiam quia Ecclesia nonnisi panem, & vinum in hoc Sacramento adhibuit; & ubi defectus harum rerum habebatur, eas ex aliis regionibus adsportari curavit, quod non fecisset, si quocumque cibo, vel potu hoc Sacramentum confici posse putasset.

17. Volaterrani autem relatio ut commentitia passim contemnitur. *Primo*, quia nemo alias hanc concessionem commemorat, quæ utique, si vera esset, commemoratione digna erat: *secundo*, quia dicens, concessum fuisse, calicem consecrari *sine vino*, debuisset addere, quidnam loco vini substitutum fuerit; *tertio*, quia falsissima est ratio a Volaterrano adducta, quod vinum non possit in Norvegiam adsportari, quia propter nimium frigus *acescit*; calor enim potius, quam frigus acorem vini promovet; & aliunde experientia constat, etiam in Norvegia, aliisque frigidissimis regionibus vinum aliunde adsportatum haberi. Attamen Benedictus XIV. *De servor. Dei beat.* Lib. II. cap. 31. concedit, Breve Innocentianum editum fuisse, sed fraude, & dolo Dominici Viterbiensis, & Franc. Maldente, qui tanti criminis subinde pœnas luerunt, laqueo primum strangulati, postea cremati. Vid. Odoricus Raynaldus ad an. 1490., & Abr. Bzovius ad eumdem annum (b).

PROPOSITIO II.

Valida, & licita est consecratio Eucharistiæ in pane azymo, cujusmodi fit in Ecclesia latina (c).

Sanctus Thomas 3. P. quæst. 74. art. 4. probat hanc veritatem *ex institutione Christi, qui hoc Sacramentum instituit prima die azymorum, ut habetur Matth. XXVI.* 17., *Marci XIV.* 11., *& Lucæ XXII.* 7., *qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, ex lege divina Exodi XII.* 15. Hoc maxime argumento Græcos schismaticos premebant Leo XI. in illa erudita, & prolixa epistola *Adv. præsumptiones Michaelis Constantinopolit. Patriarchæ*, & Humbertus a Sylva Candida S. R. E. Cardinalis in Libro *contra Græcorum calumnias*; utrumque opus exscripsit eminentissimus Baronius in Append. Tomi XI. Hoc argumentum certe validissimum est, & decretorium; sed quoniam nos pertraheret in celeberrimam illam, & nondum definitam controversiam sæculo elapso magna animorum contentione agitatam de die, in qua Christus cœnam cum discipulis suis celebravit, ideo aliis rationibus nostram propositionem demonstrare pergimus. De illa autem controversia pauca postea subdemus.

19. Dices. Si Christus pane azymo usus est, non licebit panem fermentatum consecrare.

20. Resp. neg. cons. Solum enim voluit Christus nos docere, materiam hujus divini Sacramenti esse panem triticeum; &, ut multi observarunt apud Card. Bonam Lib. I. *Rerum liturg.* cap. 23., ideo fortasse Christus Dominus azymis usus est, quia quando Sacramentum instituit, panis fermentatus præsto non erat, utpote quia ex lege Mosaica in diebus azymorum omne fermentatum accuratissime a domibus Israelitarum auferri debebat. Hinc

(a) Ita Theodorus Beza epist. 1. ad Tillium, qui alibi epist. 25. auctoritate magistri sui Calvini se tuetur. Calvinus enim rogatus a fratribus, qui tunc in America erant, liceretne defectu vini uti in cœna Domini vel aqua, vel alio potionis genere? *respondit*, *fuisse Christi in hoc instituendo Sacramento consilium, ut spiritualis alimoniæ, idest sui ipsius* κοινωνίας *nobis sub communis cibi, ac potus symbolis repræsentaret; ac proinde si non fuisset tum in Judæa communis vini usus, proculdubio alia vulgari potione usurum fuisse*. Eumdem errorem adoptavit etiam Melanchthon, & alii nonnulli; immo & Ger. Jo. Vossius in Disp. I. *De sacris Dominicæ cœnæ symbolis*.

(b) Hac in re patenter falsa necesse non est confugere ad responsionem Vener. Card. Bellarmin. L. IV. *De Rom. Pont.* cap. 14., Innocentium VIII. non edidisse decretum, quo universæ Ecclesiæ declararet, liceret sine vino sacrificium offerre; itaque si erravit, *errasse facto, non dogmate*. Deinde solum permisisse, ut in altera tantum specie Eucharistia consecraretur, *quod quidem aut nullus error est, aut certe exploratus non est*. Reipsa Benedictus XIV. Lib. II. *De servorum Dei beatif.* cap. 31. testis est, cujusdam viri (quem non nominat) beatificationi minime nocuisse hanc sententiam, quam tenuerat.

(c) Calvinistæ, & Lutherani, quamvis fermentato communiter utantur, concedunt tamen etiam in azymo consecrari posse; sicut possumus æque uti vino rubro, vel albo. Dimicamus ergo hic cum Græcis schismaticis, qui post Cerularium non solum ut illicitam, sed plane ut invalidam condemnant Ecclesiæ latinæ consuetudinem consecrandi in pane azymo. A quo errore non recessisse Cerularii posteros liquet ex celebri censura Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani contra Augustanam Lutheranorum Confessionem, de qua verba fecimus superiore. Volum.

Hinc Ecclesia latina nunquam Græcos reprehendit, quod in fermentato consecrarent (a).

21. Alterum invictum argumentum suppeditat antiqua Ecclesiæ latinæ consuetudo, quæ ante Cerularium nemine reclamante Eucharistiæ Sacramentum etiam in pane azymo conficiebat, quin tamen aliam Ecclesiæ græcæ praxim consecrandi in pane fermentato reprobaret, quia uterque panis creditus fuit apta hujus Sacramenti materia. Utriusque consuetudinis testis est omni exceptione major Leo IX. in superius laud. epistola adversus Michaelem Constantinop. Patriarcham, qui certe ausus non fuisset id sine dubio affirmare, si potuisset falsitatis redargui. Idipsum testatur Innocentius III. Lib. IV. *De Missa* cap. 9. addens, Romanam Ecclesiam suum ritum consecrandi in azymo ab Apostolis accepisse. Sane Photius, primus ille magni, & luctuosissimi schismatis præformator, cum undique prætextus accusandi Ecclesiam latinam conquisivisset, nunquam legitur nostris vitio vertisse, quod in azymo consecrarent; non id profecto omissurus, si hoc illicitum esse, saltem suspicari potuisset.

22. Neque fingi potest, Photium latinæ Ecclesiæ ritum ignorasse, cum esset plane communis. Alcuinus etiam, qui paulo ante Photianum schisma floruit, ita de Ecclesiæ Romanæ consuetudine scribebat ad Lugdunenses epist. 75. anno 798. *Panis, qui in Corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis, debet esse mundissimus*. Adhuc clarius Rhabanus Maurus Alcuini discipulus Lib. I. *De Instit. Clericorum* cap. 31., postquam dixit, non licere in Sacramentis a Christi exemplo recedere: *Ergo*, subdit, *panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sanctificari oportet*. Porro hanc Ecclesiæ occidentalis consuetudinem jam vigentem ignorasse Photium, aut dissimulasse, verisimile non est. Fuit enim omnium Græcorum doctissimus, vaferrimus, & qui non solum nullum Latinorum usum a Græcorum usibus diversum dissimulavit, sed aliquos etiam peculiares quorumdam abusus vitilitigandi prurigine toti Ecclesiæ malitiosa calumnia attribuit. Si ergo nullam de azymis litem movit, non alia esse potuit causa, nisi quia optime noverat, nullum hic esse criminandi locum (b).

23. Id confirmatur ex eo, quod in articulo isto facillima fuit Græcorum cum Latinis conciliatio in Synodo Florentina anno 1439. In Decreto enim *Unionis* utrisque consentientibus statutum fuit, *sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, occidentalis, sive orientalis consuetudinem*. Quamquam postea renovato schismate etiam de hac re litem renovarunt, attamen inter schismaticos ipsos inveniuntur non pauci, qui panem azymum idoneam Eucharistiæ materiam, non secus ac fermentatum fatentur, nec furiosos illos approbant, qui una cum impio Cerulario pertinaciter pergunt nos *hæreticos Azymitas* vocare. Ita sentiunt Joannes Episcopus in epist. ad Constantinum Archiep. Gyrrachiensem, Theorianus Philosophus epist. ad Sacerdotes, aliique apud Allatium Exercit. XXIV. adv. Creigtonum.

24. Objiciebat *primo* Cerularius in epist. ad Tranensem Episcopum, *Azymum* non esse vere, & proprie panem, sed potius aridum lutum ex farina; eum autem, qui a Christo consecratus fuit, vocari apud S. Matthæum XXVI. 26. Græce ἄρτον idest *elevatum*, quæ elevatio nonnisi ope fermenti obtinetur. Suum errorem confirmabat exemplo Sacerdotis Melchisedech, secundum cujus ordinem Christus Sacerdos fuit: Melchisedech autem panes obtulit fermentatos, non azymos, Gen. XIV.

25. Resp. ad *primum* cum S. Thoma in IV. Dist. XI. qu. 2. art. 2. ad 6., in pluribus Scripturæ locis *azyma* vocari *panem*, non secus ac fermen-

(a) S. Thomas 3. P. quæst. 74. art. 4. affert hanc in rem verba S. Gregorii Magni in *Registro* dicentis: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem: sed græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ*. Critici communiter dicunt, S. Doctorem vitiato aliquo codice fuisse innocenter deceptum; laudata enim verba neque in *Registro*, neque in aliis S. Gregorii Operibus inveniuntur. Verumtamen eruditissimus Mich. Le-Quien Dissert. VI. *Damascen.* n. 41. observavit, verba S. Gregorii desumpta fuisse non ex *Registro*, neque ex *Dialogis*, sed ex ejusdem Gregorii vita græco sermone conscripta, cujus quædam excerpta exhibet Photius Cod. 252. Jueninus autem dicit, *illum textum se tantum reperisse, apud Gregorium VII., qui Sæc. XI. Ecclesiæ Romanæ præerat*.

(b) Jac. Sirmondus Dissertationem edidit *de azymo*, contendens, Ecclesiam latinam per octingentos, & amplius annos nunquam azymis in consecratione Eucharistiæ fuisse usam. Placuit hæc Dissertatio Eminentissimo Card. Bonæ Lib. I. *de rebus liturg.* c. 23., quamquam usum azymorum primis octo sæculis non omnino excluserit, ut Sirmondus excluserat. Postea vero cum Dissertationem Sirmondi valide impugnatam vidisset a doctissimo Benedictino Jo. Mabillonio in Dissert. *De azymo, & fermentato*, tum etiam ab Augustiniano Lupo in Dissert. *De Actis Leonis IX.*, in altera suorum Operum editione sententiam pristinam temperavit, solum negans, *aliquod testimonium hucusque productum esse, quod perpetuæ, & in omnibus Ecclesiis occidentalibus usitatæ azymorum consuetudini clare, & legitime suffragetur*. Immo sæculo IX. universalem fuisse apud Latinos azymorum usum, ex eo potissimum colligit, quod Photius nullam iis propter azyma litem moverit, cum tamen non omiserit leviora quædam objicere, in quibus Latini discrepabant a Græcis. Quamquam probabile etiam existimet, quod nos supra observavimus, ideo Photium noluisse de azymis contendere, *quia omnino indifferens credidit, azymo, aut fermentato uti, cum uterque sit panis*.

mentatum. Ita Exodi XII. 8. & 39., item XXXIX. 2., Josue V. 11., & alibi. Unde recte Theodoretus in cap. X. Danielis, Graecos suos, qui azyma negabant posse *panem* vocari, magnæ inscitiæ accusare non dubitat. Frigida autem est Cerularii observatio ex Græca voce ἄρτον, quæ significat *elevatum*. Nemo enim ignorat, non semper vocum significationem ex eorum etymo derivari, sed plerumque ex hominum arbitrio, qui mixtum ex farina, atque igne subactum vocarunt *panem*, sive cum fermento, sive absque fermento coctus sit. Videri potest Leo Allatius *De perpetuo Occident. & Orient. Ecclesiæ consensu.*

26. Alterum levissimus est. Oblatio Melchisedech fuit quidem figura sacrificii Eucharistici; sed ad hanc figuram adimplendam tam panis azymus, quam fermentatus inservit, cum uterque sit verus panis.

27. Obj. *secundo*. Apostoli, eorumque primi successores in domibus privatis sacra peragentes, non poterant panes azymos sibi parare: consecrabant igitur in pane fermentato, qui ubique obvius erat. Ulterius invenimus, Sacramentum Eucharistiæ, fuisse appellatum *fermentum*. Ita Romani Pontifices Melchiades, Siricius, & Innocentius I. Denique multa afferri possunt veterum Patrum testimonia, quibus panem Eucharisticum dixerunt esse panem communem, & usitatum.

28. Resp. ad *primum*, etiamsi verum esset, Apostolos, & veteres Sacerdotes fuisse sæpius usos pane communi ad consecrandum, id nostram propositionem non everteret, qua dicimus, in utroque pane valide consecrari Eucharistiam. Verumtamen nihil facilius, quam panes azymos conficere, ut proinde etiam in privatis domibus ad sacrificia præsto essent.

29. Ad *secundum* dico, voce *fermenti* fuisse apud veteres sæpius significatas *eulogias*, seu panes benedictos, quos Pontifex, & Episcopi mittebant ad alios Clericos, quasi suæ communionis tesseras. Ita sentiunt plerique doctissimi viri. Quod si contendatur, ut alias placet, nomine *fermenti* fuisse ipsum panem Eucharisticum significatum, dicimus, non propterea inde posse inferri, panem illum fuisse fermentatum: debuisset enim appellari *fermentatum*, potius quam *fermentum*; sed hoc nomen usurpatum fuit, vel ad tegendum mysterium propter disciplinam arcani, vel ad designandam communionem fidelium; ut quemadmodum per fermentum simul conglutinantur partes farinæ in pane, ita per Sacramentum Eucharistiæ simul conglutinantur fideles (*a*).

30. Ad *tertium*. Facile explicantur dicta Sanctorum, quod panem Eucharisticum vocaverint *usitatum*, & *communem*: nihil enim aliud significare voluerunt, quam discrimen, quod est inter panem ante consecrationem, & post consecrationem. Prius enim erat panis *usitatus*, & *communis*, postea autem est panis cælestis, & divinus. Unde S. Irenæus Lib. IV. cap. 34. *Jam non communis est panis*, inquit, *sed Eucharistia*. Et S. Cyrillus Jeros. *Catech. Mystag. III. Panis*, inquit, *Eucharistiæ post Spiritus sancti invocationem non amplius est panis communis, sed Corpus Christi*.

31. Obj. *tertio*. Jesus Christus venerat ad abrogandas legis Mosaicæ cæremonias: debuit ergo cessare cæremonia azymorum. Hinc in Can. 11. Synodi Trullanæ azymorum usus prohibitus fuit his verbis: *Nemo eorum, qui in sacro canone censentur, aut laicus, Judæorum azyma comedat*. Etiam S. Epiphanius *Hær. XXX.* Ebionitarum Pascha reprehendit, quod illud in pane azymo perficerent. *Demum* magna Synodus Nicæna statuit, Pascha non esse celebrandum luna XIV. Martii, ne cum Judæis in illius celebratione consentiamus.

32. Primam hujus objectionis partem ita breviter diluit Angelicus noster Præceptor 3. P. qu. 74. art. 4. ad 2.: *Conficientes ex azymo, non intendunt cæremonias legis servare, sed conformare se institutioni Christi, & ideo non judaizant; alioquin & celebrantes in pane fermentato judaizarent, quia Judæi panes primitiarum fermentatos* offerebant. Hac responsione usus est etiam Card. Humbertus ita Græcos perstringens: *Unde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cortinæ, sanctum chrisma, & thymiama, aspersiones aquæ, thuribulum, & cetera sancti ministerii vasa, seu ornamenta, aut vestimenta sacerdotalia? Unde vobis encœnia, Pentecostes, & Pascha? Unde vobis Pontifices, Sacerdotes, & Levitæ?* Quemadmodum igitur hæc, & alia a Synagoga mutuavit Ecclesia, nec tamen animo judaizandi, ita, &c.

33. Canone Concilii Trullani prohibetur solum, accipere a Judæis *azyma* ad comedendum, non autem Eucharistiam in azymo consecrare. Primum esse quodammodo judaizare, alterum vero Christi institutionem sequi, qui, ut probavimus, hoc Sacramentum in *azymo* instituit. En verba illius canonis: *Nemo eorum, qui in sacro canone censentur, aut laicus, Judæorum azyma comedat, nec ullam cum eis familiaritatem habeat, vel in morbis eos accerseat*.

34. S. Epiphanius Ebionitas non reprehendit, quia

(*a*) Magna est eruditorum dissensio de *Fermento*, quod olim Episcopi mittebant ad Titulos, & Ecclesias, prout constat ex decreto Roman. Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii. Nonnulli cum Baronio ad an. 310. n. 40. per hoc fermentum non intelligunt, nisi sacras eulogias, seu panem benedictum, qui ab Episcopo iis mittebatur, qui ipsius sacrificio adesse non poterant. Sed alii verum panem consecratum fuisse missum, multo probabilius putarunt; ut ostendit Benedictus XIV. *De sacrificio Missæ*. Car. Du-Fresne in *Glossario* quæstionem hanc spissis adeo tenebris involutam esse putavit, ut nihil certi pronunciari possit.

quia sacrificabant in *azymis*, sed quia hoc non faciebant, nisi in Paschate animo judaizandi; & insuper, quia vino omisso solum in aqua consecrabant. Inquit enim: *Mysteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia, quotannis in azymis: alteram autem mysterii partem in aqua solum*.

55. Demum Synodus Nicæna nihil statuit de usu *azymorum*, sed solum prohibuit Christianis cum Judæis convenire in die celebrationis Paschatis, damnans Quartodecimanos, qui Pascha una cum Judæis luna XIV. Martii, in quamcumque diem incideret, celebrandum esse docebant.

56. Nonnullæ aliæ difficultates minoris momenti solutæ inveniuntur a doctissimo Nat. Alexandro in *Panoplia adv. hæreses* Sæc. XI., & XII. Diss. XI., ubi explodit tamquam *summo veterum silentio falsitatis convictam* illam rationem a S. Thoma in IV. Dist. XI. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 5., ab Alexandro Alensi, a S. Bonaventura, Scoto, Durando, aliisque scholarum Principibus allatam, scilicet Rom. Ecclesiam ab usu azymorum aliquamdiu abstinuisse propter hæresim Ebionæorum, qui dicebant, simul cum Evangelio observanda esse legalia; cessante autem illa hæresi, Ecclesiam Romanam ad pristinum morem rediisse, sed Græcos servasse fermentatum. Mabillonius in Dissert. *De azymo, & fermentato* Scholasticos excusat, quod a spuriis quibusdam scriptis decepti fuerint. Quantum vero pertinet ad S. Thomam, notare oportet, eum in *Summa Theol.* 3. P. qu. 74. art. 4., ubi idem argumentum pertractat, illam historiam penitus omisisse, proculdubio, quia ejus falsitatem olfecerat.

APPENDIX.

Qua ostenditur, Christum Dominum ante passionem suam celebrasse Pascha more Judæorum, adeoque Sacramentum Eucharistiæ instituisse in pane azymo (a).

27. Ad hoc demonstrandum satis esse videtur aperire sacros Evangeliorum libros. Matth. enim XXVI. 18. seq. ita res tota describitur: *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum*

(a) Hoc pertinaciter negant Græci schismatici, quibus nonnulli Latini ex parte consentiunt. Sed isti omnes in varias distrahuntur sententias. Duas refert, & refellit S. Thomas 3. P. qu. 46. art. 9. Prima est eorum, qui dicebant, Christum passum esse luna XIV. quando Judæi Pascha immolabant, adeoque cœnam cum Discipulis manducasse ante Pascha Judæorum. Altera eorum, qui volebant, Judæos occupatos in procuranda morte Christi, celebrationem Paschæ distulisse in alteram diem contra legem. Hanc secundam opinionem primus inter Latinos renovavit Sæc. elapso Paulus Burgensis, cui fortiter contradixit Alph. Tostatus in *Defensorio* P. II.; sed eam postea adoptarunt non pauci, nec ignobiles sacr. litter. Interpretes, ut Cornel. Jansenius, Jo Maldonatus, P. Manduit, ac doctissimus Petavius Lib. XII. *De doctrina temporum* cap. 15., atque in eamdem propendet noster Nat. Alex. Dissert. XI. in Sæc. XI. & XII. Hanc sententiam nos non oppugnabimus, quia non negat, Christum Pascha judaico more celebrasse in azymo pane.

Sed tertia enata est opinio, seu potius denuo suscitata, Christum eo anno, quo passus est, Pascha minime celebrasse. Id primus omnium commentus est Marcion secundi sæculi hæresiarcha, ne cogeretur concedere, Christum legem veterem, utpote bonam, observasse. Marcionem confutavit S. Epiphanius *Hær. XIII.* Postea sæc. VI. Jo. Philoponus suis erroribus famosus eamdem opinionem suscitare, & propagare frustra conatus est. Nonnisi duos ignobiles suffragatores invenit, quos Photius in sua *Bibliotheca* Codd. 115., & 116. sine nomine memorat. Sed quando sub impio Cerulario Græci consecrationem Latinorum in pane azymo impugnare cœperunt, ut argumentum ductum ex Christi institutione refellerent, antiquam, & obsoletam sententiam, quod Christus postremum Pascha non celebraverit, in scenam denuo revocarunt.

Novis hisce Græcorum conatibus Latini omnes restiterunt, usque ad sæculum mox elapsum, in quo Nicolaus de Villa Gaznonis, Rhodiensis eques, non minus litteris, quam armis illustris, Græcis hac in parte consensit; quem Salmeron, Vasquezius, Suarez, Mambertus, aliique acriter impugnarunt. Sed postea eadem sententia placuit M. Ant. de Dominis Spalatensi Apostatæ; ac deinde Hieronymo Vecchietti Florentino in suo Opere *De anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato*. Quod opus a M. Antonio Capello Ord. Seraphici confutatum, ac Romæ flammis damnatum fuit, & auctor utpote impœnitens perpetuo carceri mancipatus. Vid. Janus Nicius Erythræus in *Pinacotheca* n. 114. Placuit insuper Grotio, ac nonnullis Arminianis, & Socinianis, reclamantibus tamen non solum Catholicis, sed etiam nonnullis Protestantibus, inter quos Sam. Bonchartus in *Hierozoico* Lib. II. cap. 50., duo Basnagii Samuel, & Jacobus, & Jo. Lighfootus nominari merentur.

Anno autem 1689. prodiit in Galliis *Harmonia Evangelica* Bern. Lami celeberrimi Scriptoris ex cœtu Oratoriano, in qua memorata sententia toties refutata, ac reprobata novis munita argumentis apparuit. Eam illico strenue oppugnarunt Pienudus, Tillemontius, P. Manduit, Harduinus, aliique doctissimi viri, quibus tunc Gallia abundabat. Illis tamen fasces non submisit Lamius, sed multis editis responsionibus se impavide defendit, donec aliquos magni nominis suffragatores invenit, scilicet Nicol. Thoynardum in *Harmonia quatuor Evangeliorum*, P. Tourneminium in *Thesibus* Parisiis vulgatis ann. 1691. & 1692. & in epist. ad Honoratum a S. Maria, ac demum August. Calmet in Dissert. *De ultimo Paschate D. N. J. C.*, quem impugnavit D. Plumyoen.

Nostram vero sententiam præter memoratos Scriptores strenue defendunt P. Honoratus a S. Maria Tom. II. *Animadversionum*, &c. P. Jo. Laurent. Berti Lib. XXXIII. *De theol. Disc.* cap. 1., ac nonnulli illustres Dominicani, Mich. Le-Quien Dissert. VI. *Damascenica*, Jac. Hyac. Serry *Exerc. LI. & LII.* Ign. Hyac. De Graveson *De annis, & Myst. Christi* Dissert. XIX. eminentissimus Card. Vinc. Gotti, tum in Tract. *De Eucharistia*, tum in *Veritate Religionis Christ.* T. IV. P. II. cap. 23., ac postremo Ren. Hyac. Drouven *De Sacram.* Lib. IV. cap. 2.

sum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam (seu ad talem hominem, qui ab aliquibus putatur fuisse Joannes cognomento Marcus) *& dicite ei: Magister dicit: tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis... Cœnantibus autem illis, accepit Jesus panem, &c.* Matthæo adamussim consonant alii duo Evangelistæ Marcus, & Lucas, quorum primus adhuc expressius notat primam diem azymorum, *quando Pascha immolabant*. Lucas autem, *in qua necesse erat occidi Pascha:* quibus verbis apertissime significatur, Christum Dominum, non solum Pascha celebrasse, sed tunc celebrasse, quando Judæi *Pascha immolabant*, & ea die, qua *necesse erat*, secundum legem, *occidi Pascha;* ut nihil disertius desiderari queat. Ex hac autem concordi trium Evangelistarum narratione duo patentissime liquent, *primo* Christum celebrasse Pascha ante suam passionem, *secundo* illud celebrasse more Judaico *in prima die azymorum*, quando scilicet omne fermentatum diligentissime removebatur; ut proinde institutio Eucharistiæ nonnisi in pane azymo fieri potuerit.

38. Frustra autem quidam Græci cum Euthymio verba illa *prima die azymorum* ita accipiunt: *appropinquante die azymorum*. Frustra inquam. Si enim Christus legem violasset, Paschæ celebrationem anticipando, hoc crimen ipsi objecissent Judæi: neque enim ipsis ignotum esse potuisset post Judæ proditionem.

39. Hæc etiam perpetua fuit Ecclesiæ Romanæ sententia; quamobrem in hymno Corporis Christi canit cum S. Thoma:

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Et iterum: *Noctis recolitur cœna novissima,*
Qua Christus creditur, agnum & azyma
Dedisse fratribus juxta legitima
Priscis indulta Patribus.
Post agnum typicum expletis epulis.
Corpus Dominicum datum Discipulis, &c.

40. Concilium autem Tridentinum Sess. XXII. cap. 1. de Jesu Christo loquens ita pronunciat: *Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha.* Quæ verba attendentes nonnulli Theologi eorum sententiam, qui negant, Christum postremum Pascha celebrasse, ut *hæreticum* notare non dubitarunt. Ita inter alios Franc. Suarez in 3. P. S. Thomæ q. 50. art. 6. sect. 3. Præstat tamen in censuris ferendis oraculum Ecclesiæ expectare (*a*).

41. Ceterum notare placet etiam judicium Photii in *Bibliotheca* Cod. CXVI., ubi postquam recensuisset librum quemdam anonymum, in quo negabatur, Christum Pascha celebrasse eo anno, quo proditus fuit, subdit, *Chrysostomum, & Ecclesiam docere, ipsum legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam institueret cœnam.* Addo testimonium Jobi Ludolphi, qui Tom. II. *Hist. Æthiopum* in procemio refert Abissinos, qui Jacobitarum Patriarchæ Alexandrino subsunt, cum toto anno celebrent in fermentato, tamen Ferià quinta majoris Hebdomadæ azymis uti; certe non alia de causa, nisi quia noverunt illa die Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ in azymis.

42. Objicunt *primo* Græci, & qui eis consentiunt, verba S. Joannis cap. XIII. 1. seq. dicentis: *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus, &c. .... & cœna facta, &c.* cœnam ergo, in qua Eucharistiæ Sacramentum institutum est, Christus cum suis Discipulis peregit *ante diem festum Paschæ*, scilicet antequam azyma comederentur, & proinde in pane fermentato. *Secundo* idem Evangelista adhuc clarius loquitur cap. XVIII. 28. dicens, Judæos non introiisse in prætorium, *ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, nondum ergo azyma Paschalia una cum agno comederant. *Tertio* idem dilectus Apostolus cap. XIX. 24. addit: *Erat autem parasceve Paschæ*, seu vigilia Paschæ, quando Pilatus Christum condemnavit. Et rursus vers. 31. *Judæi ergo (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus ille dies sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur:* per *magnum* diem sabbati non potuit indicari, nisi Paschatis festum, quod inciderat in sabbatum. Nondum igitur illa dies illuxerat, qua Judæi Pascha celebrabant, ut proinde nec Christus illud celebrare potuerit.

43. Resp., difficilem semper visam fuisse conciliationem Evangelistæ Joannis cum aliis tribus; unde teste S. Thoma in IV. Dist. XI. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 3. aliqui stolide dixerunt, tres Evangelistas *falsum scripsisse, & a Joanne fuisse correptos*. Alii tamen aliquanto modestius conten-

(*a*) Quamquam non admodum repugnaverim iis, qui hanc sententiam contrariam menti sapientissimorum Patrum Synodi Tridentinæ saltem *temeritatis* accusare non dubitant. Sic etiam T. III. p. 12. una cum Estio, & Melch. Cano *temerariam* diximus eorum opinionem, qui Angelos corporeos esse defendere audent, postquam Patres Concilii IV. Lateranensis eos incorporeos esse senserunt. Sapientissimus Benedictus XIV. *De festis D. N. J. C.* Lib. I. cap. 6. n. 7. *nimis audacem* appellat eorum opinionem, qui negant Christum postremum Pascha manducasse.

tenderunt, Joannem cæteris præferendum, quia cum post alios suum Evangelium scripserit, potuit aliorum sensum magis declarare, & determinare. Veruntamen cum tres priores sacri Evangelistæ adeo diserte, & concorditer asserant Christum *prima die azymorum* Pascha comedisse, illa nobis sequenda est notissima regula, ut quæ obscura sunt, per clariora explicemus.

44. Et quidem prima S. Joannis verba *Ante diem Paschæ* post S. Thom. 3. P. q. 46. art. 9. ad 1. omnes fere Theologi explicant de die Paschæ *naturali*, cum alii Evangelistæ locuti sint de prima die Paschæ *sacra*, & *legali*. Hæc dies sacra incipiebat a primis vesperis, scilicet hora tertia post meridiem, & in secundis vesperis absolvebatur. Levitici XXIII. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*, hoc est dies sacros, & solemnes. Itaque dies *prima azymorum*, qua Christus una cum Discipulis agnum Paschalem comedit, incidit in Feriam quintam, & hanc accurate notarunt tres Evangelistæ, describentes, quando, quomodo, & ubi Christus Pascha celebraverit. S. Joannes vero intelligendus est de die Paschatis *naturali*, quæ incipiebat a media nocte, & usque ad dimidium alterius noctis protrahebatur; & ante hanc diem naturalem Paschæ, scilicet Feria quinta, Christus Dominus suam cœnam jam peregerat.

45. Neque vero, ut aliqui objiciunt, minus proprie locutus est S. Joannes dicens: *ante diem festum Paschæ*; quia etiam Scriptura solemnem diem Paschæ vocat lunam XIV. Sic Levit. XXIII. 5. *Decima quarta die mensis ad vesperum, phase Domini erit* (& de hac loquuntur Matthæus, Marcus, & Lucas) *& decimaquinta die solemnitas azymorum est*, nempe Paschæ, unde Joannes recte dixit, Christum fecisse cœnam, in qua comedit agnum, *ante diem festum Paschæ*, scilicet ante diem naturalem, & civilem. Quod autem solemnitas azymorum appellaretur etiam *Pascha*, nos docet S. Lucas XXII. 1. inquiens: *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha*.

46. Sunt tamen, qui contendant, τὸ *ante diem festum Paschæ*, Græce πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα esse partem primam diei festi Paschæ, quomodo πρόλογος est pars orationis, πρόδομος pars domus, &c.; & sic illud *ante diem Paschæ* sit pars præcedens ipsam diem, nempe *in ipso festi exordio*, seu in primis vesperis Paschalis festivitatis. Ita Sam. Bochartus, & nonnulli alii hanc difficultatem expediunt.

47. *Secundam* difficultatem solvit idem Angelicus observando, ibi a S. Joanne non sumi *Pascha* pro *agno Paschali*, qui immolatus, & comestus jam fuerat luna XIV., idest Feria quinta in vesperis præcedentibus lunam XV., sed intelligi *cibos Paschales*, idest azymos panes, quos oportebat comedi a mundis. Præter azymos panes toto illo septiduo comedebantur aliæ victimæ, quæ Deo offerebantur, & quæ ab Hebræis vocabantur *chagiga*. Hæ hostiæ pacificæ simul cum azymis ab iis comedi non poterant, qui aliqua immunditia legali tenebantur. Dicitur enim Levit. VII. 20.: *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum ... peribit de populis suis:* ac propterea Judæi noluerant in prætorium introire, *ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Ita hunc locum intellexit etiam S. Augustinus Tract. CXIV. in Joann. inquiens: *Dies enim agere cœperant azymorum*. Et rursus observat, eos dixisse Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam; propter diei festi sanctitatem, quem celebrare jam cœperant:* certe non alio tempore, quam in vesperis præcedentibus.

48. Quod autem nomine *phase*, seu *Paschæ* non solum significetur *agnus Paschalis*, qui immolabatur, & comedebatur in primis vesperis lunæ XIV., sed etiam veniant hostiæ pacificæ, quæ toto septiduo immolabantur, & simul cum azymis comedebantur, patet ex Lib. II. Paral. XXX. ubi describitur solemnitas Paschalis celebrata sub piissimo Rege Ezechia. Dicitur enim vers. 21. seq. *Feceruntque Filii Israel ... solemnitatem azymorum septem diebus ..... & comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum*. Id etiam patet ex Deuter. XVI. 2., ubi ita Moyses populo præcepit: *Immolabisque phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus* (seu litteraliter ex fonte hebraico) *Sacrificabis phase Domino Deo tuo oves, & boves*. Quem locum ita interpretatur Car. Houbigant hebraicæ linguæ peritissimus: „ *Phase* hic late sumitur pro victimis, „ quæ in Paschate Deo litabantur: quæ victimæ „ *phase* nominantur, quomodo ipse agnus Paschalis, ob transitum, quia in illis commemoratio „ est transitus Israelitarum ab Ægypto in desertum, non secus ac in agno Paschali" (a).

49. Dices *primo* contra hanc responsionem. Illæ victimæ, quæ appellatæ sunt *phase*, erant holocausta, quæ comedi non poterant: non ergo de iis intelligi possunt objecta sancti Joannis verba.

50. Resp., debuisse quidem in diebus azymorum holocausta offerri ex lege Num. XXVIII. lata; sed præter illa victimæ quoque pacificæ Deo immolabantur, ut simul cum azymis comederentur, & quæ ei-

(a) S. Jo. Chrysost. Hom. LXXXVI. in Matth. putavit nomine *Paschæ* hoc loco designatum fuisse agnum Paschalem; sed Principes Sacerdotum ira inflammatos in Jesum Christum *Pascha comedere neglexisse*, & propterea noluisse ingredi in prætorium, ut possent alia die Pascha comedere. Hæc sententia singularis hujus sancti Patris nobis contraria non est, quibus sufficit ostendere, Jesum Christum agnum Paschalem comedisse Feria quinta ante suam passionem. Idem fere sensit Theophilactus, Chrysostomum secutus, qui tamen sine hæsitatione affirmat, Christum Pascha suum fecisse *die prima azymorum*.

etiam *phase* vocatæ sunt, ut constat ex locis mox allatis.

51. Dices *secundo*. Non pauci Interpretes locum Deuter. XVI. sic explicant, ut duo Moyses præceperit mactanda, scilicet *phase*, seu agnum Paschalem, & postea oves, & boves; unde inferunt, verba S. Joannis, *ut manducarent Pascha*, non posse intelligi, nisi de agno Paschali, quem Judæi nondum manducaverant.

52. Resp. *primo*, cum nostra Vulgata plures versiones conspirare, ut ostendunt Sam. Bouchart, & alii eruditi scriptores. *Deinde* nomine *phase* venire non solum agnum Paschalem, qui in primis vesperis comedebatur, sed etiam victimas pacificas, quæ in tota illa solemnitate comedebantur, patet ex eodem loco Deuter., ubi commate 3. subditur: *Non comedes in eo* (vel ut hebraicus textus habet, *super eo* עליו scilicet *phase*) *panem fermentatum*; nempe præcipitur, ut septiduana sacrificia, quæ indicantur nomine Paschatis, comedantur cum azymis.

53. *Tertia* difficultas nullo negotio expeditur, observando, *parasceven* ab Hebræis communiter fuisse sumptum pro Feria sexta, seu pro sabbati pervigilio, quia in eo parari debebant, quæ die Sabbati peragere fas non erat. Id Marcus clare exprimit XV. 42. inquiens de die, qua Christus mortuus est: *Erat parasceve, quod est ante sabbatum*. Non dicit, quod est ante *Pascha*, quia Pascha illo anno inciderat in ipsum *parasceve*. Immo & ipse Joannes hoc indicavit, quando dixit, curasse Sacerdotes, *ut non remanerent in cruce corpora sabbato*: parasceve ergo, de quo loquitur ibi, non erat parasceve Paschæ, sed sabbati. Neque refert, quod S. Evangelista addit: *Parasceve Paschæ*; nihil enim aliud significare voluit, quam diem solemnem paschæ eo anno incidisse in Feriam sextam, quæ communiter dicebatur *parasceve*. Sicut nos festum Paschatis, aut Pentecostes dicere solemus Dominicam Paschæ, aut Pentecostes. Vel etiam dictum est *parasceve Paschæ*, quia parasceve illud inciderat intra solemnitatem Paschalem. Ceterum sacri Interpretes bene notant, nullibi legi, diem præcedentem Paschæ fuisse appellatum *parasceve*, nisi hoc loco, quia Pascha inciderit in Feriam sextam, communiter dictam *parasceve*.

54. Neque iterum negotium facessat, quod idem Joannes subdit, *Erat magnus ille dies sabbati*. Non enim ita vocatum fuisse illud sabbatum putamus, quod in ipsum prima dies azymorum incidisset; nempe illæ primæ vesperæ, in quibus agnus immolandus, & comedendus erat; sed quod in illud sabbatum inciderit dies secunda *naturalis* azymorum, quæ ut supra dictum est, incipiebat a media nocte paresceve; unde in eo sabbato duæ concurrebant solemnitates, nempe sabbati, & secundæ diei azymorum, qua offerebantur victimæ pacificæ, & spicarum manipulus; ac proinde illud sabbatum non erat commune, sed ceteris solemnius, ut merito *magnus dies sabbati* appellari posset. Atque hæc est nobilissimorum Interpretum hujus loci explicatio, quam tamen Petavius *minime tolerabilem* appellare non dubitat.

55. Ipse autem doctissimus vir iis subscribit, qui volunt, Christum una cum Discipulis Pascha celebrasse juxta præscriptum legis in vesperis lunæ XIV. mensis; Nisan, Judæos vero, aut saltem Sacerdotes, Pharisæos, & Scribas illud distulisse in diem sequentem. Quæ sententia, quamvis nullo firmo fundamento innixa, & multis difficultatibus obnoxia, nostro systemati non opponitur, qui de hoc tantum solliciti sumus, ut contra Græcos refractarios evincamus, Christum Dominum reipsa postremum Pascha una cum Discipulis celebrasse *prima die azymorum*, adeoque nonnisi in azymis Eucharistiæ Sacramentum instituere potuisse. Eamdem cum Petavio sententiam amplexus est, & illustravit noster P. Mich. Le-Quien, contendens, eo anno θόρυβον, idest *confusionem*, *vel dissensionem de legitimo Paschate consignando incidisse*, *ut duobus diebus Pascha immolatum*, *comestumque fuerit*, quod S. Epiphanius innuere videtur (*a*).

(*a*) Qui volunt, Christum Pascha celebrasse una die ante Judæos, in plures sententias dividuntur. *Prima* est celebris Pauli Burgensis Episcopi in Hispania in comment. ad cap. XXVI. Matth., quem non pauci, nec indocti secuti sunt, ut supra innuimus, contendentes, eam fuisse legem, vel consuetudinem introductam, ut quotiescumque duo festa sibi succederent, unum in alterum transferretur, ne populus biduo abstinens ab operibus servilibus, nimio incommodo afficeretur: itaque Judæos transtulisse diem Paschæ in sabbatum, Jesum vero una cum Discipulis legem Mosaicam accurate observasse, celebrando Pascha Feria quinta, seu luna XIV. mensis Nisan. *Altera* sententia est Ægidii Bucherii *De Paschali Judæorum Cyclo*, & Pezronii ad *calcem Evangel. historiæ*, Hebræos lunares menses diversimode supputasse, nempe vel a conjunctione lunæ cum sole, vel a prima phase, seu apparitione lunæ, quæ nonnisi die sequenti conspiciebatur; & sic Christum observasse diem XIV. a conjunctione duorum luminarium, Judæos autem, vel saltem Sacerdotes, & Scribas observasse diem XIV. ab apparitione lunæ, & sic celebrasse Pascha in primis vesperis sabbati. *Tertia* sententia fuit Jo. Harduini, qui commentus est, Galilæos non convenisse cum Judæis Jerosolymitanis in die Paschatis determinando, sed una die eos præcessisse: ac propterea Christum una cum Discipulis, qui ex Galilæa erant, Feria quinta ad vesperas agnum Paschalem, & azyma comedisse, Judæos autem Jerosolymitanos Feria sexta. Facile nobis esset has omnes sententias convellere, cum vel nullis, vel frivolis stent fundamentis. Sed extra aleas vagaremur, cum nobis nil aliud sit constitutum, quam contra Græcos ostendere, Christum Pascha celebrasse, atque in azymis consecrasse, quod nulla ex allatis tribus sententiis negat. Sententiam Pauli Burgensis, quæ plausibilior visa est, multis argumentis confutavit noster Dominicus Soto in IV. *Sentent.* Dist. IX. qu. 1. art. 4.

56. Instit. Idem S. Evangelista Jo. cap. XIII. 27. seq. nobis refert, cum Christus dixisset Judæ proditori: *Quod facis, fac citius*, Discipulos putasse, quod Christus ei jussit, ut ea emeret, quæ *opus erant ad diem festum*. Nondum ergo in ultima cœna dies festus Paschalis fuerat celebratus; si enim Paschalis solemnitas jam fuisset incepta, id Discipulis in mentem venire non potuisset.

57. Resp., potuisse Judam, si voluisset, cœna peracta, illa emere, quæ necessaria erant ad diem Paschæ celebrandum, scilicet hostias pacificas; quandoquidem lege prohibitum non erat, illa emere, *quæ ad vescendum pertinent* Exodi XII. 17.; ac proinde facile id suspicati sunt Discipuli.

58. At vero quomodo, inquiunt aliqui, potuit Judas tam brevi tempore post cœnam Paschalem Principes Sacerdotum adire, cum eis de pretio proditionis pacisci, & postea cum cohorte ad Jesum comprehendendum venire? Respondeo, Judam ante cum Principibus Sacerdotum de proditione jam tractasse, ut proinde post cœnam nihil aliud agendum superesset, quam ipsos monere de occasione jam opportuna.

59. Ob. *secundo*. In die mortis Jesu multa leguntur facta, quæ quieti diei solemnis Paschæ repugnant. *Primo* enim Judæi in nocte præcedente Jesum in horto Gethsemani per vim comprehensum duxerunt ad Annam, & Caipham, totamque integram in eo interrogando, calumniando, atque affligendo insumpserunt; die autem illucescente traduxerunt ad Pilatum, magnis clamoribus ejus mortem petentes. Porro eo minus verisimile est, Principes Sacerdotum id ausos fuisse in die solemni Paschæ, cum sciamus, in concilio ab ipsis coacto, ut Jesum dolo tenerent; & occiderent, fuisse decretum, ne hoc fieret *in die festo* Math. XXVI. 5. *Ulterius* id confirmatur exemplo Herodis Agrippæ, qui cum comprehendisset Petrum, eum servabat in carcere, ut post Pascha eundem populo produceret Act. XII. 4. seq. *Demum* non soli Judæi Paschæ solemnitatem violassent, sed etiam Petrus, qui cum gladio secutus est Jesum, & religiosi illi Discipuli, Nicodemus, & Joseph ab Arimathæa, qui corpus Jesu obtentum a Pilato e cruce deposuerunt, & syndone eadem die coempta involutum, atque aromatibus conditum sepulturæ tradiderunt, ut S. Joannes refert cap. XIX. Piæ etiam mulieres ipsa die, qua Christus mortuus est, *paraverunt aromata, & unguenta* ad ungendum Jesum, Lucæ XXIII.

60. Resp. ad *primum*, mirum non esse, Judæos tanto erga Christum odio obcæcatos, ut omnia divina, & naturæ jura conculcarent, nullam habuisse rationem legis Mosaicæ de quiete in diebus festis servanda. Sic ex Evangelio Joannis VII. 32. scimus, eos in magno festo Scenopegiæ *misisse ministros, ut apprehenderent Jesum*, & in festo Encæniorum *tulisse lapides* contra eum Joann. X. 31. Quod si in concilio malignantium decreverant, ne Jesus in die festo comprehenderetur, non id decreverant propter festi religionem, *sed ne tumultus fieret in populo*. Quod tamen consilium mutaverunt, oblata ipsis per Judæ proditionem opportuna occasione comprehendendi Jesum; quod frustra in aliis solemnitatibus facere tentarunt. Id observavit etiam Chrysostomus Homil. LXXX. in hunc locum, nempe Judæorum Principes non Deum timuisse, sed populum; *ira tamen inflammatos, postquam proditorem invenerunt, expectare non potuisse, sed ipsa solemnitate Jesum occidisse*. His addendum, consuetudinem fuisse apud Hebræos, ut majorum criminum rei in festis solemnioribus supplicio afficerentur, quando major erat populorum concursus. Sic servati erant in festo Paschatis plectendi duo insignes latrones, qui cum Christo crucifixi fuerunt, & Barabbas latro, quem populus ingratus loco Christi sibi donari petiit.

61. Quod si Herodes aliter se gessit cum Petro, parum interest, tum quia Herodes nihil habebat timendum a plebe, etiamsi diutius Petrum servasset in vinculis; tum etiam quia non adeo vehementi odio flagrabat contra Petrum, quanto Judæi contra Christum. Interea tamen religionem festi & ipse parum curavit, quando Petrum apprehendi jussit in diebus azymorum. Act. XII.

62. Quod additur de Petro, qui gladio armatus secutus est Jesum, non repugnat diei festo, postquam Machabæi decreverant, licitum fuisse se defendere in sabbato. Multoque minus repugnant pia virorum, ac mulierum erga Christum officia, ut patet exemplo Tobiæ, qui, ut legitur in ipsius Libro cap. II., in die festo Pentecostes hominem mortuum domum adsportavit, ut postea ejus sepulturam curaret; quod indicat, in diebus festis non fuisse opera charitatis interdicta. *Deinde* certum est, in festis ipsis solemnioribus non omnia opera fuisse tam severe prohibita, sicut in die sabbati; unde etiam qui Jerusalem veniebant, ut agnum Paschalem immolarent, & comederent, poterant sequenti die, quæ erat festum Paschæ, redire in tabernacula sua, Deut. XVI. 17. Immo ne discedamus ab hoc ipso loco, narrat S. Lucas in fine cap. XXIII. mulieres, quæ paraverant aromata, & unguenta in die Paschæ, *sabbato siluisse secundum mandatum*, & post sabbatum venisse ad monumentum *portantes, quæ paraverant aromata*. Demum & ipsa imminens sabbati solemnitas urgebat, ut Jesus de cruce depositus sepulturæ traderetur.

63. Ob. *tertio*. Festum Pentecostes a Judæis celebrabatur 50. diebus post Pascha. Si ergo illo anno Pascha incidisset in diem Parasceven, qua Christus crucifixus est, festum Pentecostes debuisset incidere in diem sabbati: atqui tamen vetus, & constans est omnium opinio, Pentecostes festum incidisse in diem Dominicam, atque in die Dominica Spiritum sanctum super Apostolos descendisse.

se: ergo &c. Atque hoc maxime argumento triumphant Lamius, Thoynardus, & Calmetus.

64. Hanc difficultatem duo doctissimi Purpurati, Baronius ad an. 34. n. 259., & Bellarminus Lib. IV. *De Euch.* cap. 9., ac Lib. III. *De Ecclesia triumphante* versus finem, solvunt, observantes, eo anno numerationem 50. dierum non incepisse a die secunda azymorum, sed a tertia, quia secunda dies inciderat in sabbatum, quo non licebat messes colligere, ut earum manipuli in templo offerrentur. Unde Levit. XXIII. 15. in præceptum erat: *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest quinquaginta dies*. Et Deut. XVI. 9. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab illa die, qua falcem in segetem miseris*. Et sic omnia simul consonant, Christum Dominum pascha celebrasse prima die azymorum, passum esse die paschatis, & festum Pentecostes fuisse in die Dominica celebratum. Atque huic responsioni, tamquam solidiori innitendum censemus.

65. Sed non desunt, qui cum Sam. Bocharto negant, festum Pentecostes incidisse eo anno in diem Dominicam, indeque ortam consuetudinem Ecclesiæ celebrandi diem festum in Dominica; hanc enim consuetudinem potius repetendam volunt ex lege lata contra Quartodecimanos celebrandi pascha non in ipsa luna XIV. Martii, ut eam celebrant Hebræi, sed in Dominica proxime subsequenti; unde factum est, ut etiam festum Pentecostes debuerit celebrari in Dominica.

66. Alii autem duplicem eo anno distinguunt Pentecosten, alteram Judaicam, quæ incidit in sabbatum, alteram Christianam, quæ incidit in Dominicam, numerando scilicet 50. dies, non a paschate Judæorum, sed a Christi resurrectione, quæ fuit prima die post sabbatum, nempe Dominica.

67. Alii festum Pentecostes incidisse volunt in diem sabbati, illapsum vero Spiritus sancti in Discipulos in diem sequentem, nempe Dominicam. Verba autem S. Lucæ Act. II. 1. *Cum complerentur dies Pentecostes*, ex Græco textu explicant de tempore præterito: *Cum completi essent &c.* Textus græcus sic habet: *ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς*: *In compleri diem Pentecostes*; quo potest significari etiam tempus præteritum, *cum completus esset dies Pentecostes*. Reipsa duo veteres Interpretes, Syrus, & Arabs, ita verterunt: *Quum igitur impletus esset dies Pentecostes*, nempe Judaicæ, quæ, ut diximus, inciderat in sabbatum.

68. Demum sunt, qui negant, antiquam esse illam traditionem, quod Spiritus sanctus descenderit super Apostolos in die Dominica: eam enim inniti observant potissimum *Constitutionibus* S. Clementis, quarum non magna est aqud eruditos auctoritas, & Serm. S. Augustini CLIV., quem accuratissimi Patrer Maurini inter apocryphos rejecerunt. Cum autem ipsis opponitur auctoritas S. Leonis magni in Serm. I. & II. *De Pentecoste*, & in Epist. IX. ad Dioscorum (alias 81.), fidenter respondent, S. Leonem, qui floruit Sæc. V., idoneum priscæ traditionis testem non esse; quasi vero magnus hic Ecclesiæ Pontifex antiquam traditionem compertam habere non potuerit. Legi meretur sapientissimus Benedictus XIV. in Opere *De Festis D. N. J. C.* Lib. I. cap. 11., ubi sui Prædecessoris vindicias agit.

69. Inst. *tertio*. Antiqua olim fuit in utraque Ecclesia consuetudo jejunandi feria IV. in memoriam concilii habiti a Principibus Secerdotum comprehendi Jesum, & infamis proditionis Judæ, ut refert S. Augustinus Epist. XXXV. ad Casulanum cap. 13.; atqui hoc infame concilium celebratum fuit *biduo* ante Pascha; quod colligitur ex Matth. XXVI. 2., ubi referuntur verba Christi ad discipulos: *Scitis, quia post biduum pascha fiet*; & postea immediate subditur: *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum &c.* cui concordat Marcus XIV. 1. inquiens: *Erat autem pascha, & azyma post biduum, & quærebant summi Sacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent*. Christi ergo comprehensio, quæ facta est feria quinta nocte concubia, præcessit pascha, quod debuit incidere in feriam sextam, si *biduo* post illud nefarium concilium esse debebat.

70. Ulterius. S. Joannes cap. XII. refert, Jesum venisse Bethaniam *ante sex dies Paschæ*: hoc autem inter esse non potuit in sabbato, lege id vetante: ergo in die Dominica. Cum igitur adhuc superessent *sex dies*, Pascha debuit incidere in feriam sextam, qua Jesus passus & mortuus est, ut proinde illud comedere non potuerit.

71. *Tertio*. Huic sententiæ suffragatur nonnullorum veterum Patrum auctoritas, qui diserte negant, postremum pascha esse a Christo celebratum; cujus rei hanc non ineptam rationem reddunt, quia ipse erat verum pascha pro peccatis nostris immolandum, cujus totius pascha nonnisi umbra erat, & figura. Reipsa, Deo sic disponente, Christus mortuus est luna XIV. in vesperis præcedentibus lunam XV., quo tempore pascha Mosaicum mactandum erat. Veteres Patres, qui citantur, sunt Victor Antiochenus scriptor sæc. V., Epiphanius in *Panario* Hær. LII.; *Præfatio Chronici Alexandrini*, quæ tribuitur Petro ejusdem urbis Episcopo; Auctor item ejusdem *Chronici*, qui laudat testimonium S. Hyppoliti Martyris, asserentis contra Quartodecimanos, Jesum Christum a legali paschate degustando prohibitum fuisse; *Fragmentum* Apollinaris Episcopi Hierapolitani; Auctor *Quæst. ad orthodoxos* quæst. 65., Euthymius in *Comment.* ad Matth., ubi vult Christum pascha quidem celebrasse, sed Luna XIII., & Eucharistiam consecrasse in pane fermentato. Mitto alios Græcos recentiores, & schismaticos, quos Calmetus nescio quo jure oppone-

re

re non dubitavit universali plane traditioni, cui innititur communis opinio, Christus debito tempore agnum paschalem, & azymos panes ex ritu Judaico comedisse.

72. Resp. ad *primum* cum laud. S. P. Augustino, *biduum* esse computandum a feria quarta mane usque ad eam noctem, qua traditus est Jesus, quæ jam ad parasceven, *qui dies passionis ejus fuit*, *pertinebat*. Et mirum est contra nos allegari S. Doctorem, ubi diserte asserit, Christum manducasse pascha cum discipulis suis feria quinta ad Vesperam, qui dies, inquit, *primus azymorum fuit a vespera incipiens*. *Deinde* quamvis hæc duo ab Evangelistis simul conjungantur, scilicet prædictio Jesu Christi futuræ suæ necis *post biduum*, & collectio diabolici concilii ad perdendum Jesum, non sequitur, utrumque accurate eodem tempore contigisse. Evangelistæ enim facile hæc duo simul conjungere potuerunt, quamvis inter se aliquo exiguo temporis intervallo distarent. Quod igitur Christus prædixit: *Post biduum pascha fiet* &c. debet assignari feriæ tertiæ, quod autem sequitur, *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum &c.* potest sine ullo incommodo intelligi de feria quarta sequenti.

73. Altera objectio facile dispungitur. Nam *primo* lex sabbati brevia itinera non vetabat, cujusmodi erat iter a Jerusalem usque Bethaniam; præcipue quia potuit Jesus hoc iter post vesperas sabbati peragere. Certe consuetudo universæ Ecclesiæ celebrandi festum *Palmarum* die Dominica ante Pascha, ostendit Christum juxta communem opinionem pernoctasse in Bethania die sabbati, deinde sequenti die venisse in Jerusalem, ubi a plebe triumphali more cum ramis olivarum exceptus fuit. *Deinde* nil vetat, ut Joannes intelligatur de die paschatis naturali, quæ incidit in feriam sextam. Christus autem pascha celebraverat in primis vesperis hujus solemnitatis, nempe feria quinta; quemadmodum supra n. 44. explicatum est.

74. Quod postremo loco objectum fuit, ideo infirmum est, ut ipse Calmetus, magnus adversæ sententiæ patronus, fateri debuerit, *receptam apud utramque Ecclesiam, Græcam scilicet, Romanamque, sententiam tenere, celebratum a Jesu una cum discipulis legale pascha vesperis feriæ quintæ die 14. Nisan, tum vero altera die 15. ejusdem mensis supplicio crucis affectum interiisse. Cœptum inde in Ecclesia latina morem pane azymo conficiendi mysteria &c.* Idemque confessus antea fuerat Bern. Lami in sua *Præfat.* sibi adaptans illud dictum de Ismaele: *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.*

75. Quæ autem allegantur veterum Patrum testimonia, si vel leviter excutiantur, statim corruunt. Victor ille Antiochenus Presbyter ignotus ferme est, nulliusque auctoritatis. Epiphanius tantummodo vult, Judæorum plerosque, & cum iis Jesum pascha celebrasse *biduo*, ante alios: quæ opinio etiamsi vera esset, nobis minime adversaretur, qui solum contendimus, Christum ante suam passionem postremum pascha cum discipulis suis in azymis celebrasse. Sed illa opinio nullum suffragatorem invenit. *Præfatio Chronici Alexandrini*, sicut & *Chronicum* ipsum, opus est suppositititium, & magno illi Petro Alexandrino Episcopo, qui S. Athanasium præcessit, longe posterius, ut ostendit Tillemontius Tom. I. & II. *Monumentorum*. Atque hoc ipsum dicendum est de excerptis ex S. Hyppolito, & ex Apollinari, quæ ob maximam suppositionis suspicionem communiter a Criticis exploduntur. Alii item Scriptores nec auctoritate, nec numero cum iis conferri merentur, qui communem Ecclesiæ sententiam diserte confirmant, ut sunt Origenes Tract. XXXV. in Matth., Epiphanius *Hæresi* XXX. S. Jo. Chrysostomus Hom. LXXXI. in Matth., aliique, quorum testimonia coacervare supervacaneum ducimus, cum nec adversarii id audeant inficiari.

76. Non multi autem ponderis est illa ratio, Christum propterea mori debuisse ea ipsa hora, qua agnus paschalis immolabatur, quia hæc immolatio erat typus, & figura Christi mortis. Neque enim necesse erat, ut accurate etiam tempus typi responderet antitypo; sed satis erat, ut quemadmodum agnus immolabatur in memoriam liberationis populi Hebræi a servitute Pharaonis, ita Christus immolaretur pro liberatione omnium a servitute dæmonis.

77. Inst. S. Irenæus Lib. IV. cap. 23. dicit, Christi passionem fuisse a Moyse prædictam, quantum ad diem, & horam, scilicet ipsum esse immolandum in die Paschæ ad vesperam. Significat ergo, Christum fuisse mortuum lunæ XIV. ad vesperam, quando scilicet agnus immolari debebat; non itaque potuit Christus ante passionem pascha celebrare. Secundo simile quid habet Tertullianus in Lib. contra Judæos, Moysen scilicet prophetasse, eos Christum esse interempturos, *cum omne vulgus filiorum Israel ad vesperam agnum esset immolaturum*. *Tertio* S. Epiphanius *Hæresi* L. *Oportebat*, inquit, *Christum immolari in XIV. die secundum legem*: ergo in ipsa die, qua comedebatur agnus paschalis. *Quarto* S. Augustinus Lib. III. *De consensu Evangelistarum* cap. 13. refert quorumdam sententiam, quod in anno emortuali Jesu Christi pascha inciderit in sabbatum, & ideo diem, qua Christus mortuus est, fuisse appellatum *parasceve Paschæ*. Idemque habet Vener. Beda in cap. XIX. Jo. Rursus idem Augustinus Tract. CXX. in Jo. dicit, Judæos curasse Christum sepulturæ tradi in Parasceve propter cœnam *puram*, quam manducare debebant, scilicet cœnam paschalem; quod iterum exscripsit Beda loco cit.

78. Resp. ad *primum*, recte dici ab Irenæo Christum occisum in *paschate*, quia vere obiit in ipsa die Paschæ, non quidem in primis vesperis, quando agnus immolabatur, sed in secundis vesperis, ut sæpius jam explicatum est.

79. Tertullianus pariter vere dicere potuit Jesum Christum fuisse ea die occisum, qua Judæi agnum immolabant, quia illa dies paschæ durabat a primis vesperis usque ad secundas.

80. Ad tertium, si totus contextus Epiphanii expendatur, facile constabit, eum loqui de immolatione agni, qui typus erat immolationis Christi. Ceterum de ipso Christo aliter loquitur.

81. S. Augustinus loco cit. *de consensu Evangelist.* n. 50. aliorum sententiam exponit, quam ipse non probat, scilicet diem, qua Christus crucifixus est, dictam esse *parasceve paschæ* Judæorum, non Christianorum, quia illud parasceve, seu præparatio mortis Christi jam nocte præcedente inceperat. Solum vult, etiam in hac sententia verum esse quod dicit Marcus, Christum fuisse crucifixum hora tertia parasceve, de quo solum ibi sollicitus erat S. Doctor, ut Marcum conciliaret cum Joanne, quorum primus dixerat, Christum fuisse crucifixum hora tertia, Joannes vero hora sexta. In altero autem loco nihil aliud dicit S. Doctor, quam cœnam parasceve fuisse ab Hebræis *cœnam puram* vocatam.

82. Solent Græci etiam auctoritatem S. Joann. Damasceni nobis objicere propter duo opuscula *de Azymis*, in quibus aperte negatur, Christum comedisse Mosaicum pascha ipso pridie, quam pateretur. Sed doctissimus P. Michael Le-Quien Dissert. Damascenica *De azymis* luculenter ostendit, utrumque opusculum esse apocryphum, & Damasceno contrarium, qui Lib. IV. *De fide orthod.* cap. 13. Christum cum discipulis suis *vetus pascha manducasse*, diserte asserit.

83. Supersunt demum leves quædam difficultates expediendæ. *Primo* agnus paschalis debebat in templo offerri; unde Josephus Lib. VII. *De bello Jud.* cap. 17. narrat, cum Cestius scire cuperet, quanta esset in Palæstina Judæorum multitudo, curasse numerari agnos in paschate immolatos: nam ex eorum numero poterat facile comedentium calculus iniri; fuisse autem eo anno immolata agnorum millia 250. Præterea Christus in cœna *discubuisse* dicitur; agnus autem paschalis debebat a stantibus comedi.

84. Resp., omissa eorum opinione, qui dicunt, agnum paschalem non in templo, sed in privatis domibus debuisse immolari (de qua videri potest noster Drouven *De re Sacram.* Lib. IV. quæst. 5. cap. 2. §. 3.) respondeo, dubitandum minime esse, hanc etiam cæremoniam fuisse accurate a Christo observatam quamquam eam recensere sacri Scriptores necessarium non duxerint; & probabiliter id a Patrefamilias, apud quem Christus cum Discipulis fecit pascha, præstitum jam fuerat.

85. Similiter etiam Christus potuit juxta legem *stando* agnum comedere, & postea *discumbendo* cœnam peragere. Quamquam multi Interpretes eam legem Mosaicam nonnisi pro prima cœna in Ægypto latam fuisse putant, in qua Hebræi debebant esse ad imminens iter parati.

Quæres *primo*, *an tota Ecclesia Orientalis azymum panem excludat?*

86. Resp., Armenos, & Maronitas azymis uti in sacrosancto Missæ sacrificio. De primis id testatur Demetrius Cizicenus in Tract. *De hæresi Jacobitarum* (quem noster Franc. Combefisius latinitate donatum publici juris fecit) inquiens: *Oblationem faciunt azymum, quia quem Christus panem discipulis tribuit in cœna mystica, azymi erat.* Etiam Nicephorus Callistus Lib. VIII. *Hist. Eccl.* cap. 53. de iisdem dicit: *Azymo, non pane utuntur.* De Maronitis idipsum asserit, & probat Joan. Morinus in Præfat. ad Maronitarum ordinationes.

Quæres *secundo*, *an liceat promiscue azymo, aut fermentato pane, in sacrosancto Missæ sacrificio uti?*

87. Resp. *negative*: nam summus Pontifex Benedictus XIV. in sua Constit. super ritibus Græcorum §. VI. n. 10. ita præcipit: *Cum in sacro Generali Florentino Concilio præsriptum sit, ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum, sive latinæ, sive græcæ, in azymo, seu fermentato conficere debeat, vetitumque a summis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ne latinus Sacerdos græco ritu, aut græcus latino utatur, districtius inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a Divinis, ne Presbyteri Græci latino more, & Latini græco ritu sub quovis licentiarum, & facultatum Missas, & alia divina officia Græci latino more, & Latini græco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore existente obtentarum prætextu, Missam, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.*

88. Idipsum multo antea tradiderat noster S. Magister 3. P. quæst. 74. art. 4. ubi postquam docuisset, non esse de necessitate Sacramenti, quod panis sit azymus, vel fermentatus, *quia in utroque confici potest*, subdit: *Conveniens autem est, ut unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione .... Unde sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum.*

89. Idem summus Pontifex Benedictus prohibuit, ne Parochi latini suis Ciboriis Pyxidem cum particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, aut Græci sub specie azymi pro communione Latinorum retineant: *cum unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive græco, sive latino ritu Eucharistiam fidelibus porrigere debeat.* Prohibuit item laicis Latinis communionem a Græcis Presbyteris sub specie fermentati recipere. Græcis tamen laicis permittit, ut ubi parochiam Græcam non habent, possint, si velint, in Ecclesia latina Eucharistiam sub specie azymi a litinis Sacerdotibus sumere.

Quæ-

Quæres tertio, an reprehendi possit consuetudo Ecclesiæ latinæ, adhibendi parvas, exiles, ac rotundas hostiolas in consecratione Eucharistiæ?

90. Resp., id ausos esse non paucos Novatores, tam Lutheranos, quam Calvinistas, qui per contemptum eas vocant *hostias nummularias*, *minutias nummarias*, *lentorem viscosum*, *nebulas*, & *spumam panis*. Easdem rejicit Ger. Jo. Vossius in Disp. XIX. *primo*, quia iis usus non est Christus: *secundo*, quia non repræsentant analogiam inter signum, & signatum; neque enim eam nutritionem corporalem exhibent, quæ sit signum nutritionis spiritualis: *tertio*, quia nec possunt vere, & proprie *panis* appellari, cum non habeat partes panis integrantes, scilicet nec inferiorem, sive basim, nec superiorem seu crustam, nec interiorem nempe medullam, nec subiguntur, aut coquantur ad modum, quo pinsitur panis a pistoribus; *demum*, quia earumdem usum a mille annis ignoravit Ecclesia.

91. Sed hæ rationes exigui admodum momenti sunt. Nam quantum ad Christi institutionem, ipsi Calvinistæ, & Lutherani moderatiores fatentur, nihil aliud voluisse Christum nobis præcipere, quam hujus Sacramenti materiam esse panem triticeum. Ita & nos exemplo Christi usi sumus ad evincendum, posse Eucharistiam consecrari in pane azymo; non tamen inde intulimus, validam non esse consecrationem in pane fermentato.

92. *Secunda*, & *tertia* ratio prorsus infirmæ sunt; cum ut supra n. 25. probatum est, panis azymus sit verus panis, & nutritioni aptissimus; unde potest spiritualem nutritionem non minus, quam alius panis repræsentare. Neque interest, quod non pinsatur, nec coquatur, nec habeat partes integrantes sicut alius panis; sufficit, quod verus sit panis ex farina, & aqua compactus, ac igne coctus.

93. Postrema difficultas majoris est momenti; neque enim in promptu est determinare, quomodo, & quando hæc forma, & exilitas hostiarum inceperit. Antiquus certe fuit mos, ut non panis quicumque a fidelibus oblatus in sacrificio altaris adhiberetur, sed potius a fidelibus acceptaretur farina, ex qua panis pro sacrificio præparabatur. *Olim*, inquit Honorius Augustodunensis Scriptor XII. sæculi in *Gemma animæ* cap. 58., *Olim Sacerdotes a singulis domibus, & familiis farinam accipiebant, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant*. Conficiebatur autem hic panis summa diligentia, ac devotione vel ab ipsis Sacerdotibus, aut Clericis, vel a sacris Virginibus, aut piis Matronis.

94. His hostias fuisse sæculo VI. nostris multo grandiores, colligitur ex Cardinali Humberto, qui in sua azymorum defensione dicebat, *ex Oblatis*, nempe hostiis, *post consecrationem fractis cum populo communicari*; unde hostias grandiores fuisse oportet pro numero communicantium dividendas. Ut vero notat laud. mox Honorius, cum postea cœperit populus raro communicare, etiam hostiæ minoris magnitudinis fieri cœptæ sunt, ut *denarii formam* non excederent. Ceterum fateri oportet cum erudito P. Franc. Berlendo in Tract. *De oblationibus ad altare*, determinari non posse tempus, quo cæptum est adhiberi in Eucharistia hostias ex subtilissima materia, quæ non in clibano coquuntur, sed ferro ignito parantur. Interim nihil prorsus refert, sive antiquitus mos iste invaluerit, sive serius introductus fuerit: potuit enim Ecclesia illum jure suo adoptare, tum pro majori Sacramenti reverentia, ut scilicet fragmenta non facile decidant, tum pro communicantium commodo, quibus olim *particulæ* ex majori hostia recisæ distribuebantur; unde nunc etiam *particulæ* nomen servatum est pro iis minoribus hostiis, quæ pro communione fidelium consecrantur.

CAPUT III.

De aqua, quæ vino ante consecrationem permiscetur.

95. Tria in hoc capite, præeunte Angelico Præceptore, nobis exponenda sunt, nempe *primo* esse præceptum in Eucharistico sacrificio admiscendi vino paululum aquæ; *secundo* hoc præceptum non esse divinum, sed Ecclesiasticum, ita ut sine illa admixtione sit quidem illicita, valida tamen consecratio calicis: *tertio*, aquam illam ita admixtam converti in sanguinem Christi. Sit itaque

PROPOSITIO I.

Præceptum est, ut in consecratione calicis paululum aquæ vino admisceatur (a).

96. Hanc propositionem probat Angelicus 3. P. qu. 74. art. 6. „ *primo* quidem ex Christi institu-

(a) Primi, qui hanc mixtionem sustulerint, fuere Monophysitæ, quos Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ, *vinum merum sine aqua offerre* testatur, *ut exinde deprehendatur confiteri, Christum nuda, & simplici Deitate constare*. Idem tradit Nicephorus Lib. XVIII. *Histor.* cap. 53. Ab his edocti fuere Armeni, ad excludendam aquam a sacrificio Missæ: nam ut refertur apud P. Galanum Theatinum Tom. 1., Jo. Oznensis Patriarcha coacta Synodo Armenorum, & Assyriorum in urbe Manaschierti definivit, *unam in Christo esse naturam, voluntatem unam, operationem unam, & esse a sacris auferenda fermentum, & aquam*. Hunc Armenorum errorem damnavit Synodus Trullana can. 32. In eo tamen illos obstinate perseverasse, colligitur ex Instructione Eugenii IV. qua jussit, *ut Armeni cum universo orbe Christiano conformentur, & eorum Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admisceant vino*. De Armenis videndus P. Christianus Lupus Aug.

,, tutione: *probabiliter* enim creditur, quod Domi-
,, nus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua
,, permixto, secundum morem illius terræ; unde
,, & Prov. IX. 5. dicitur: *Bibite vinum, quod mi-*
,, *scui vobis*. *Secundo*, quia hoc convenit repræ-
,, sentationi Dominicæ passionis: unde dicit Ale-
,, xander I. Papa (Distinct. II. *De Consecr.* cap.
,, 1. *Sacramentorum*): *Non debet in calice Do-*
,, *mini aut vinum solum, aut aqua sola offer-*
,, *ri, sed utrumque permixtum; quia utrumque*
,, *ex latere ejus in passione sua profluxisse le-*
,, *gitur*. *Tertio*, quia hoc convenit ad significan-
,, dum effectum hujus Sacramenti, qui est unio
,, populi Christiani ad Christum. *Quarto*, quia
,, hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacra-
,, menti, qui est introitus ad vitam æternam; un-
,, de Ambrosius dicit in Lib. V. *De Sacram.* cap.
,, 1. *Redundat aqua in calicem, & salit in vi-*
,, *tam æternam*".

97. Tres priores rationes attulit etiam sacrosancta Trident. Synodus Sess. XXII. cap. 7. inquiens: *Monet deinde S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur*. Deinde vero in can. 9. ita definit: *Si quis dixerit .... aquam non miscendam vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit*.

98. Frustra autem Ger. Jo. Vossius ineptis cavillationibus has symbolicas rationes explodere nititur; *primum*, quia exemplum Christi incertum est, Scriptoribus sacris silentibus, & quia etiam desumptum est ex vinis Orientalibus, quæ cum fortiora sint, aqua temperari postulant, quod proinde exemplum ad nostra vina leviora trahi non potest, in quam rem adducit auctoritatem Durandi a S. Porciano, qui in IV. Dist. XI. quæst. 5. hanc primam congruitatem ex Christi exemplo, ut minus aptam, rejecit. *Secundam* rationem explodit Vossius, quia sancti Patres per aquam ex latere Christi defluxam intelligunt Sacramentum baptismi. *Tertiam* rationem infirmam putat, quia est symbolica: & *symbolica Theologia non est argumentativa*.

99. Sed non opus est multa attentione, ut cognoscamus, has esse meras nugas ex vitilitigandi prurigine ortas. Nam quantum ad primam, quamvis fateamur in Scripturis aperte non exprimi, Christum usum fuisse in institutione hujus Sacramenti vino aqua temperato, id tamen habemus ex veteri traditione; unde enim hic mos, qui in Ecclesia, fatentibus ipsis adversariis, est antiquissimus, oriri potuit, nisi ab exemplo Christi, & Apostolorum? S. Irænεus Lib. IV. cap. 55. de prima institutione loquens hæc habet: *Accipiens Dominus panem, suum esse corpus confitebatur, & temperamentum calicis, suum sanguinem confirmavit*. Et iterum Lib. V. cap. 2. *Quando*, inquit, *mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis, & Corpus Christi* (a). Nemo autem ex antiquis illam rationem indigitavit, hoc factum fuisse a Christo, vel ab Apostolis, quia vina erant nimis fortia, ut propterea necesse fuerit aquæ mixtione eorumdem vim retundere. Quæ ratio etiam ridicula esset ex alio capite, quod vinum Eucharisticum in tam modica quantitate sumatur, ut nihil ab ejus nativa vi metuendum sit.

100. Multo facilius exsufflatur alia Vossii cavillatio. Quid enim refert, quod aliquando Patres per aquam e latere Christi defluxam intellexerint Sacramentum baptismi? Annon potuerunt etiam asserere, aquam in calice vino mixtam repræsentare mixtionem aquæ, & sanguinis, quæ ex Christi latere prodivit? Quanta est repugnantia, ut eadem res plura, & diversa, non tamen contraria, repræsentet? Græci ut hoc expressius indicent, lanceola panem transfigunt dicentes: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, statimque exivit sanguis, & aqua*; atque interea Diaconus aquam in calicem infundit.

101. Tertia demum ratio, ait Vossius, est *symbolica*, adeoque nihil probat. Sed quis unquam asseruit, hanc rationem fuisse a S. Thoma, & a Patribus Trident., ut demonstrativam adhibitam ad probandum, aquam esse vino miscendam? Id evincitur ex veteri Ecclesiæ consuetudine, & postea hujus consuetudinis mystica, & rationabilis causa affertur. Ceterum S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium *Videmus*, inquit, *in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur &c.* (b).

102.

stinianus ad can. 23. Concilii Trullani. Idem error fuit Græcis objectus ad Innocentio III. Lib. IV. *De sacrificio Missæ* cap. 32., a Guidone Carmelita in *Catalogo hæresum*, ab Alphonso de Castro, & nonnullis Scholasticis, auctoritate Magistri sententiarum deceptis; sed immerito, ut ostendit Jac. Goarius in not. ad Liturgiam Chrysostomi. Immo laud. mox Eugenius IV. asserere non dubitavit, *Romanam Ecclesiam, & antiquas omnes tum Latinorum, tum Græcorum Ecclesias semper in sacrificio obtulisse vinum aqua temperatum*. Nostri Novatores haud multum videntur hac de re solliciti, quamvis olim Lutherus contra Henricum VIII. scribens, mixtionem aquæ cum vino appellaverit *humanum figmentum*.

(a) Solet afferri etiam S. Hieronymus in cap. XIV. S. Marci dicens: *Format Christus sanguinem suum in calice vino, & aqua mixtis*. Sed ille commentarius in novissimis editionibus Martianæi, & Valarsii, ut spurius, rejectus est.

(b) Benedictus XIV. De *Sacros. Missæ sacrificio* c.

102. Hæc porro Ecclesiæ consuetudo constat *primo* ex Constitutionibus vulgo Apostolicis, in quibus Lib. VIII. cap. 17. de Christo dicitur: *Miscens calicem ex vino, & aqua &c.* Deinde ex pervetustis liturgiis, ut sunt illæ S. Basilii, S. Cyrilli, & S. Joannis Chrysostomi, quæ in usu sunt apud Græcos; tum ex aliis S. Jacobi, & S. Marci, quæ quamquam falso illorum nomen præferant, sunt tamen admodum antiquæ. Eruditissimus Renaudotius in *Collect. Liturgiar. Orientalium* pag. 194. de aquæ mixtione loquens, *quam*, inquit, *omnes ecclesiasticæ Orientalium leges præscribunt*.

103. *Secundo* id etiam constat ex veteribus Patribus: nam Sanctus Justinus Martyr in *Apologia* II. quosdam Eucharisticæ mensæ ritus memorans, *Deinde*, ait, *ei qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ, & vini*, & subinde: *Panis offertur, & vinum, & aqua*. Irenæi testimonium supra attulimus. Plura in rem nostram habet S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium, ubi disputans contra Aquarios: *In sanctificando calice Domini*, inquit, *offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest*. Et postea adaptat mixtioni aquæ in calice illud propheticum: *Bibite vinum, quod miscui vobis*. Ab aliis recensendis otium nobis faciunt moderni Sectarii, qui negare non possunt, consuetudinem admiscendi aquam cum vino in altari esse perantiquam, eam tamen ut *adiaphoram* habent, vel etiam ut *humanum commentum* rejiciunt, solita nempe audaci libertate non solum præsentem, sed etiam antiquam Ecclesiam contemnendi.

104. Objiciuntur verba can. 4. Concilii Aurelianensis celebrati anno 541., in quo statuitur, *ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod fructu vineæ speratur, & hoc sine aqua mixtum, offerre præsumat*.

105. Resp., ita quidem legi in veteribus editionibus, sed mendose; & legendum esse, dempta particula *sine*, & *hoc aqua mixtum*: ut legerunt Collectores conciliorum. Vossius haud inverisimiliter putat, Librariorum incuria fuisse positam particulam negativam *sine* loco particulæ *nisi*, & legi debere: & hoc *nisi* aqua mixtum; qui error Librarii facile contingere potuit, propter litterarum similitudinem.

PROPOSITIO II.

Permixtio aquæ cum vino non est necessaria, ut valide Sacramentum Eucharistiæ conficiatur (a).

106. Prob. a S. Thoma art. 7. auctoritate S. Cypriani, qui in laud. Epist. ad Cæcilium, postquam dixisset, aquam esse vino in calice exemplo Christi admiscendam, subdit; *Si aliquis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit, potest simplicitati ejus venia concedi*. Si autem, subdit Angelicus, aqua esset de necessitate Sacramenti, sicut est vinum, vel panis, non fuisset ille error tolerabilis.

107. Hoc argumento communiter post S. Thomam usi sunt Theologi, quibus tamen non subscribit Gaspar Juenin, qui putat, S. Martyrem eo loci non fuisse sollicitum de aqua vino miscenda, sed solum de vini usu, quem ignavi quidam Sacerdotes omittebant, propter persecutionis metum. Veruntamen ex hoc non evincitur, S. Cyprianum etiam de aquæ mixtione non fuisse locutum, quamquam eam nollet præcepti esse divini; quia facere oportet, quod Christus fecit, & *quod faciendum esse mandavit*; nullibi vero hanc mixtionem præcepisse legitur.

108. Sed quid aliis argumentis opus est, cum Ecclesia ipsa id declaraverit? Nam Synodus Tridentina superius nu. 97. laudata expresse asserit, præceptum esse *ab Ecclesia* Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, Catechismus autem Romanus optimus ejusdem Synodi interpres P. II. cap. 4. num. 97. ita declarat: „ Sed „ quamvis aquæ admiscendæ rationes ita graves „ sint, ut eam *sine mortali peccato* prætermittere non liceat, ea tamen si desit, *Sacramentum constare potest*..... Hujus igitur Sacramenti hæc duo tantum elementa sunt; ac merito „ pluribus decretis sancitum est, ne quid aliud „ præter panem, & vinum, quod nonnulli facere „ non verebantur, offerre liceat (b)".

109. Obj. *primo*. S. Cyprianus laud. mox Epist. LXIII. ad Cæcilium, *Calix Domini*, inquit, *non est aqua sola, & vinum solum, nisi utrumque misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest* e-

10. n. 11. ex Durando observat, aquam a Sacerdote benedici, non vinum; quia hoc Christum significat, cui nulla opus est benedictione; aqua vero significat populum, qui cum non sit omnino purus, benedictione indiget. In Missa autem Defunctorum aquam non benedici, quia nec populus in fine Missæ benedicitur.

(a) Hæc propositio est contra veteres aliquos Scholasticos, qui putarunt consecrationem calicis cum solo vino esse irritam.

(b) Quamvis autem præceptum admiscendi paululum aquæ vino consecrando non sit divinum, Ecclesia tamen ab eo nunquam dispensavit. Sacra Congregatio anno 1635. die 30. Jan. consulta, an Armenis, qui uniri cum Ecclesia Romana petebant concedi posset, ut calici non admiscerent aquam, respondit negative, pluribus de causis, quarum quarta hæc erat, *quia semper Armeni petierunt a Sede Apostolica, ut ritus hujusmodi* (non permiscendi aquam) *eis permitteretur, & nihilominus eis semper fuit negatum. Nam Gregorius VII., ut in ejus Epist. L. 7., Alexander III., Calixtus III., Eugenius III. Eugenius IV., in dicto Concilio Florentino, Joannes XXII., Benedictus XI, & demum Paulus V. in Apostolicis litteris ad Melchisedech Patriarcham, nuncupatum Catholicum, hujusmodi ritum permittere expresse renuerunt*.

esse farina sola, nisi utrumque (scilicet farina, & aqua) *fuerit adunatum:* sed admixtio farinæ, & aquæ est de necessitate hujus Sacramenti: ergo pari ratione &c.

110. Resp. cum S. Thoma 3. P. qu. 74. art. 7. ad 1. similitudinem a S. Cypriano adhibitam esse attendendam, *quantum ad id, quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem: nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini*. Id etiam patet ex ratione, quam S. Cyprianus affert, ut probet, aquam esse necessariam, nempe ut significetur coadunatio populi fidelis cum Christo; quam tamen coadunationem etiam per panem significari ibidem docet, inquiens: *In hoc ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus: ut quemadmodum grana multa in unum collecta, & commixta panem unum faciunt, sic in Christo, qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus, & adunatio*.

111. Dices. Idem S. Pater in eadem Epist. hæc habet: *Si in sacrificio, quod Christus est, nonnisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire, & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit:* atqui Christus, ut nos supra probavimus, vinum limphatum consecravit: ergo & nos exemplum ejusdem sequi tenemur, & quidem ex divino ipsius mandato. Quamquam enim hoc mandatum non constet expresse ex sacris litteris, constat tamen ex Apostolica traditione. Immo Concilium III. Carthaginense can. 24. hanc traditionem vocat *Dominicam*.

112. Resp., exemplum Jesu Christi sufficere, ut idem & nos faciamus; non tamen semper includit præceptum idipsum faciendi. Sic nobis exemplum dedit consecrandi in pane azymo; neque propterea condemnatur ritus Ecclesiæ græcæ consecrandi in fermentato. Quando autem S. Cyprianus dicit, sequendum esse Christi exemplum, & mandatum, loquitur de consecratione facienda in vino, & non in aqua, ut contendebant *Aquarii*, & etiam quidam ignavi Sacerdotes, qui non audebant consecrare in vino, ne propter odorem cognoscerentur ut Christiani. Et hic erat S. Martyris scopus. Mixtio autem aquæ potest aliquo sensu appellari *Apostolica*, & *Dominica*, quia reipsa Christus hanc mixtionem adhibuit, & Apostoli eam servarunt, non tamen ut *essentialem* sacrificio altaris, quemadmodum panis, & vinum *essentialem* hujus sacrosancti sacrificii materiam constituunt.

113. Obj. *secundo*. Ex latere Christi Domini morientis exivit sanguis, & aqua; sed in hoc Sacramento fit commemoratio passionis Dominicæ: ergo sicut necessarium est vinum ad repræsentandum sanguinem, ita necessaria est mixtio aquæ ad repræsentandam aquam, quæ simul cum sanguine exivit.

114. Respondet Angelicus laud. art. 7. ad 2., in hoc esse discrimen, *quod effusio sanguinis directe pertinebat ad ipsam Christi passionem: est enim naturale corpori humano vulnerato, quod ex eo profluat sanguis. Sed effusio aquæ non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum passionis, qui est ablutio a peccatis, & refrigerium contra ardorem concupiscentiæ. Et ideo aqua non seorsim offertur a vino in hoc Sacramento, sicut vinum offertur seorsim a pane: sed aqua offertur vino permixta, ut ostendatur, quod vinum per se pertinet ad hoc Sacramentum, tamquam de ejus necessitate existens, aqua autem, secundum quod adjungitur vino*.

115. Obj. *tertio*. Non licet miscere vino aquam artificialem, puta rosaceam, sicut non licet panem hujus Sacramenti compingere ex aqua artificiali; atqui hoc secundum ideo non licet, quia verus panis est materia essentialis hujus Sacramenti: ergo nec primum licebit ob eamdem rationem, quia mixtio aquæ est de necessitate Sacramenti.

116. Resp. cum S. Thoma in eodem art. 7. ad 3. utique posse aquam artificialem vino misceri, quantum ad Sacramenti valorem, quia, ut dictum est, mixtio aquæ cum vino non est de necessitate Sacramenti; non autem posse, quantum ad præceptum, quod exigit aquam *naturalem*, non *artificialem*. Subdit Angelicus, id etiam illicitum esse, *quia de latere Christi pendentis in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad ostendendum, quod corpus Christi erat vere compositum ex quatuor elementis... Quia vero admixtio aquæ ad farinam est de necessitate hujus Sacramenti, utpote constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non posset ex eo confici Sacramentum, quia non esset verus panis*.

117. Obj. *quarto*. S. Bernardus Epist. LXIX. saltem dubius hæsisse videtur, an sine aquæ admixtione possit hoc Sacramentum perfici: inquit enim: *Ajunt tamen, nescio quem alium aliud sensisse scriptorem, non posse videlicet absque tribus, idest pane, vino, & aqua, hoc sacrificium esse; ut si quodlibet horum deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de hujusmodi unusquisque in suo sensu abundet*.

118. Resp., scopum S. Abbatis non fuisse dirimendi hanc quæstionem de mixtione aquæ cum vino, quæ ei proposita non erat, sed examinandi, quod contigerat, quando nempe cum vinum non fuerit post consecrationem repertum in calice, Sacerdos immisit vinum non consecratum *super hostiæ sacratæ partem;* quod factum laudat Bernardus, putans liquorem, non quidem in sanguinem Christi mutatum, *sacrum tamen fuisse ex contactu corporis sacri:* quod præter Scholasticos sensisse etiam Jacobum de Vitriaco adnotat Mabillonius ibidem. Bernardus autem pergens dicit: *Ajunt tamen &c.;* unde verba postrema,. *sed hujusmodi &c.*, videntur restringi de-

de-

bere ad *sanctificationem* solam, de qua sermo erat.

PROPOSITIO III.

Aqua vino permixta convertitur in Sanguinem Christi.

119. S. Thomas probat 3. P. quæst. 74. art. 8. hanc propositionem, refutando opiniones contrarias. Quidam enim dicebant, vino converso in sanguinem Christi, aquam remanere in sua natura. Sed hoc est falsum, ,, quia, inquit S. Doctor, in Sa-,, cramento altaris post consecrationem nihil est, ,, nisi corpus, & sanguis Christi. Sicut enim Am-,, brosius dicit in Lib. *De initiandis* cap. 9., *an-,, te benedictionem alia species nominatur*, *post ,, benedictionem corpus Christi significatur*: alio-,, quin non totum adoraretur veneratione latriæ".

120. ,, Alii vero dixerunt, prosequitur Doctor ,, Aquinas, quod sicut vinum convertitur in san-,, guinem, ita aqua convertitur in aquam, quæ ,, de latere Christi fluxit. *Sed nec hoc rationa-,, biliter dici potest, quia secundum hoc, aqua ,, seorsim consecraretur a vino, sicut vinum a ,, pane*".

121. His repudiatis opinionibus Angelicus aliam amplectitur, quam Innocentius III. cap. *Cum Marthæ* ut *probabiliorem* proponit, *quæ asserit*, *aquam cum vino in sanguinem transmutari*. Ex quo autem doctissimus ille Pontifex hanc sententiam solum *probabiliorem* appellaverit, inferunt bene multi Theologi, eamdem in certis fidei dogmatibus numerari haud posse; quibusdam tamen aliis reclamantibus, qui oppositam opinionem ut *hæreticam* reprobare non dubitant.

122. Paulo ante Innocentium, qui ann. 1198. Apostolicam Petri Cathedram conscendit, hæc quæstio in Galliis fuerat excitata, ut videri potest apud Baronium ad ann. 1188., ubi prolixam affert Epistolam Gaufridi Monachi Cisterciensis ad Cardin. Episcopum Albanensem varias veterum, & eorum, qui tunc florebant, Theologorum hac de re sententias exponentis. Quid Cardinalis responderit incompertum est; & nonnisi divinando Baronius scribere potuit, *aliud non respondisse*, *quam quod credidit*, *& custodivit semper S. Romana Ecclesia*, *nempe aquam simul & vinum transubstantiari in sanguinem Christi*. Sed, ut mox vidimus, Innocentius III. hoc solum *probabilius* judicavit. V. Drouven *De re Sacr*. Lib. IV. q. 2. cap. 3. §. 4.

Quæres, *an aqua immediate convertatur in sanguinem*, *an prius in vinum*, *& deinde in sanguinem Christi?*

123. S. Thomas in 3. P. q. 74. art. 8. docuit, *probabilius* aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem: unde colligit, nonnisi parum de aqua esse vino miscendum: *præcipue si vinum sit debile*, *quia si tanta fieret appositio aquæ*, *ut solveretur species vini*, *non posset perfici Sacramentum*. Reipsa Eugenius IV. in sæpe memorata Instructione ad Armenos præcipit, ut *modicissima* aqua vino admisceatur.

124. Huic Angelici doctrinæ non pauci suffragati sunt ex veteribus Theologis. Immo & Innocentium III. ejusdem fuisse opinionis in loco sup. n. 121. citato colligitur ex toto contextu, & ex iis, quæ habet Lib. IV. *De Sacrificio Missæ* cap. 29. Tam multi autem numerabantur olim hujus doctrinæ patroni, ut vere dicere potuerit Catechismus Rom. P. II. cap. 4. n. 17., *Ecclesiasticorum scriptorum sententia*, *& judicio aquam illam in vinum converti*. Sed pro hac opinione consulendus omnino noster Card. Raym. Capisucchi in prima suarum Controversiarum, quas Romæ edidit anno 1670. Aliqui inde repetunt ritum FF. Prædicatorum, Carthusianorum, aliorumque, qui ante inchoationem Missæ aquam vino miscent, ut sufficiens habeatur tempus, quo possit in vinum converti. Verum ergo potius crediderim, id convenienter fieri, ut quemadmodum panis, ita & vinum, antequam inchoetur Sacrificium, paratum sit.

125. Haud sum nescius, hanc opinionem conversionis aquæ in vinum communiter explodi a modernis Philosophis, qui præter rationes varia afferunt experimenta, ut ostendant, aquam posse, etiam post longum tempus, a vino separari. Illis assentitur noster Drouvenius *De re Sacram*. Lib. IV. cap. 3. §. 4. Sed illud mihi explicatu difficile videtur, quomodo hæc sententia conciliari possit cum doctrina Theologorum communi, quod si tantum aquæ calici infundatur, ut vini species solvatur, aut sensibiliter alteretur, Sacramentum non perficiatur. Vinum enim semper remanet incorruptum in memorata Philosophorum sententia, & semper poterunt ipsius particulæ a particulis aquæ separari; aqua autem *immediate* in Christi sanguinem convertitur: quid ergo deerit perfectioni Sacramenti? Clarissimus, & acutus Theologus P. Laurentius Berti putavit, salvari posse S. Thomæ, aliorumque sententiam de conversione aquæ in vinum, quatenus particulæ aquæ, licet propriam naturam conservent, ita tamen cum vini particulis commiscentur, *ut propriam formam*, *& consistentiam amittant*, *ac prorsus videantur evanuisse*. Certe Philosophi moderni, qui rejectis formis substantialibus Peripateticorum, solam agnoscunt in diversis mixtis diversam partium combinationem, facile admittere possunt, aquam dissolutis suis partibus in vinum converti, quomodo in vapores ignis actione dissolvitur. Sed hæc viderint alii.

CAPUT IV.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

126. Præmittendam existimo doctrinam nostri S. Magistri, quæ multam lucem afferet iis, quæ dicetu-

cturi sumus de forma hujus Sacramenti. Observat igitur 3. P. qu. 78. art. 1. „ hoc Sacramentum ab aliis Sacramentis differre in duobus. „ *Primo* quidem quantum ad hoc, quod hoc Sacramentum perficitur in consecratione materiæ, „ alia vero Sacramenta perficiuntur in usu materiæ consecratæ. *Secundo*, quia in aliis Sacramentis consecratio materiæ consistit solum in „ quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit *instrumentaliter* quamdam spiritualem virtutem, quæ per ministrum, qui est instrumentum, potest ad instrumenta inanimata „ procedere; sed in hoc Sacramento consecratio „ materiæ consistit in quadam miraculosa conversione substantiæ, quæ a solo Deo perfici potest: unde minister in hoc Sacramento perficiendo non habet alium actum, nisi prolationem „ verborum".

127. „ Et quia forma debet esse conveniens rei, „ ideo forma hujus Sacramenti differt a forma aliorum Sacramentorum in duobus. *Primo* quidem, quia formæ aliorum Sacramentorum important usum materiæ, puta baptizationem, vel „ consignationem; sed forma hujus Sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in „ transubstantiatione consistit: puta cum dicitur: „ *Hoc est corpus meum*, vel *Hic est calix sanguinis mei*. *Secundo*, quia formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex persona ministri, „ sive per modum exercentis actum, sicut cum „ dicitur, *Ego te baptizo*, vel *Ego te confirmo* „ *&c.*; sive per modum imperantis, sicut cum „ in Sacramento Ordinis dicitur, *Accipe potestatem &c.*; sive per modum deprecantis, sicut „ in Sacramento Extremæ-Unctionis dicitur: *Per istam unctionem, & nostram intercessionem* „ *&c.* Sed formam hujus Sacramenti profertur, „ quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi, quod minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi".

128. His præhabitis *primo* inquiremus, an Christus Dominus in institutione hujus Sacramenti aliquam formam protulerit: *secundo*, quænam sit proprie forma consecrationis panis: *tertio*, quænam sit forma consecrationis calicis.

PROPOSITIO I.

Christus Dominus non occulta benedictione, sed certis quibusdam verbis usus est in consecratione panis, & vini (a).

129. Hæc propositio probatur luculentis, atque disertis nonnullorum sanctorum Patrum verbis, ac præcipue S. Jo. Chrysostomi, qui in Hom. V. in Matth. hæc habet: „ Dixit Christus: *Hoc est corpus meum*, & rem simul cum verbo perfecit. „ Et in Homil. *De proditione Judæ* inquit: Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute „ consecrantur, & gratia, *Hoc est*, ait, *corpus meum*. Hoc verbo proposita consecrantur; & „ sicut illa vox, qua dixit: *Crescite, & multiplicamini*, semel quidem edita est, sed de omni tempore sensit effectum, ita & vox illa, „ *hoc est corpus meum* semel quidem a Christo „ dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque „ ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem".

130. S. Joannes Damascenus Lib. IV. *De fide orthod.* cap. 12. „ Sicut, inquit, Deus dicendo, „ *fiat lux*, fecit lucem, ita dicendo, *Hoc est* „ *corpus meum*, *hic est sanguis meus*, perfecit „ hoc Sacramentum."

131. Nec minus aperte loquitur latini Patres: nam Tertullianus Lib. IV. *contra Marcionem* cap. 40. *Acceptum panem*, inquit, *& distributum disci-*

(a) Plures hac de re enumerat veterum Theologorum sententias Christoph. *A capite fontium* Ord. S. Francisci Episcopus Cæsariensis in epist. ad Sixtum V. præmissa Tract. *De necessaria correctione Theologiæ scholasticæ*. *Prima* est, quam S. Thomas 3. P. qu. 78. art. 1. ad 1. refert & refellit, Christum nullis verbis, sed sola arcana, & interna benedictione, seu oratione ad suum Patrem, panem, & vinum consecrasse. Hanc tribuit Christophorus duobus Innocentiis III. & IV., Gabr. Biel, Godofredo Pictaviensi, & Guill. Durando, quibus Alph. Salmeron Tom. IX. *Comment.* Tract. XIII. assentire videtur, addens alios celebres Scriptores, cujusmodi sunt Franc. Mayronius, Odo Cameracensis, Titelmannus, Michael Episcopus Moguntinus ac præcipue Ambrosius Catharinus in duobus Opusculis ad Synodum Tridentinam missis. Concludit autem, Synodum Tridentinam ab hac quæstione dirimenda *prudenter* abstinuisse, quamvis nonnulli Theologi id peterent. Attamen Vasquez in 3. P. Disput. 97. cap. 1. eam reputat aliqua theolog. *nota* dignam, & Suarez Disput. 57. sect. 1. eamdem opinionem ut *temerariam* rejicit. Laudatus Christophorus *A capite fontium* vult, Christum præter internam benedictionem aliquo externo signo usum fuisse. *Altera* opinio, quam S. Thomas ibidem refutat, dicit consecrationem factam a Christo fuisse *quibusdam verbis nobis ignotis*. *Tertia* pariter ab Angelico rejecta concedit, factam quidem fuisse consecrationem iis verbis, *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*, sed bis prolatis, scilicet ante distributionem, & in ipsa distributione, ut nempe *primo* effecerint conversionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, *secundo* autem designaverint eamdem conversionem jam factam. Ita censuit inter alios Steph. Æduensis *De Sacramento altaris* cap. 4. *Postrema* est communior, Christum consecrasse iisdem verbis, quibus nos consecramus, semel prolatis. Sed istius sententiæ patroni adhuc disputant, an *benedictio*, quam referunt sacri Scriptores, fuerit quædam præparatio ad consecrationem, an ipsa consecratio; quod postremum docet Angelicus, ut mox videbimus.

scipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo.

132. S. Ambrosius, seu ut quidam volunt, vetustus auctor Librorum *De Sacram.* inter Opera Ambrosii Lib. IV. cap. 4. *Consecratio*, ait, *quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu .... ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* Quod vero Ambrosius repetit *De initiandis* cap. 9. inquiens: *Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur.* Ab aliis allegandis supersedeo.

133. Ob. *primo*. Ex historia Evangelica Matth. XXVI. 26. habemus, quod *accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex eo omnes; hic est enim sanguis meus &c.* Porro Christi benedictio, & gratiarum actio vana, & superflua existimari non potest, sicuti quando panes benedixit, eos quoque multiplicavit Matth. XIV. Unde etiam ab Apostolo 1. Corinth. X. 17. calix consecratus vocatur *calix benedictionis*.

134. Resp. S. Thomas 3. P. quæst. 78. art. 1. ad 2. post varias relatas, & rejectas Theologorum opiniones respondet *primo*, Evangelistas non semper eumdem ordinem in recitando servasse, quo res sunt gestæ, ut observavit S. Augustinus Lib. *De consensu Evangel.* capp. 30. 31., & 45.; unde intelligendum est, ordinem rei gestæ sic exprimi posse, *Accipiens panem benedixit dicens, hoc est corpus meum, & deinde fregit, & dedit discipulis suis.* „ Sed idem sensus, subdit Angeli-„ cus, haberi potest, etiam verbis Evangelii non „ mutatis. Nam hoc participium *dicens* concomi-„ tantiam quamdam importat verborum prolato-„ rum ad ea, quæ præcedunt. Non autem opor-„ tet, quod hæc concomitantia intelligatur solum „ respectu ultimi verbi prolati, quasi Christus „ tunc ista verba protulerit, quando dedit disci-„ pulis suis: sed potest intelligi concomitantia re-„ spectu totius præcedentis, ut sit sensus: *dum* „ *benediceret, frangeret, & daret discipulis suis,* „ *hæc verba dixit: Accipite &c.*

135. Neque vero vacua, & inanis dici debebit Christi benedictio, etiamsi consecratoria non fuerit; fuit enim, ut aliqui volunt, dispositio ad tanti Sacramenti institutionem (*a*). Quamquam nihil obstat, ut cum nostro Angelico nomine *benedictionis* ipsam consecrationem intelligamus factam iis verbis, *Accipite &c.* Vid. P. Bern. de Rubeis Dissert. XXVII. *De gestis, & scriptis, ac doctrina S. Thomæ* cap. 3., ubi multa sacra eruditione sententiam hanc illustrat, ac confirmat.

136. Calix autem, quem Apostolus vocat *benedictionis*, est ipse calix jam consecratus; sicut cum subdit, *panis, quem frangimus*, intelligit panem consecratum, uti pue iis verbis: *Hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei*.

137. Inst. *primo*. Innocentius III. Lib. IV. *De mysterio Altaris* cap. 6. postquam retulisset eorum opinionem, qui volebant, Christum, cum panem benedixit, protulisse verba formæ, *hoc est corpus meum*, & postea eadem verba repetiisse, quando illud dedit discipulis, subdit: *Sane dici potest, quod Christus virtute divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent.* Hæc Innocentius, antequam Pontificatum adeptus esset.

138. Respondet Angelicus prædicta verba Innocentii *opinative* magis dicta esse, quam *determinative*. Ipse tamen S. Doctor censet, benedictionem Christi *aliquibus verbis* factam esse. Neque vero admittit eorum opinionem, qui dixerunt factam fuisse illam benedictionem *quibusdam aliis verbis nobis ignotis;* non inquam hanc opinionem admittit, *quia*, subdit, *benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum, quæ tunc acta sunt: unde si tunc per hæc verba non est facta consecratio, nec modo fieret.*

139. Pariter refellit Angelicus aliam quorumdam opinionem existimantium. Christum bis protulisse ea verba *Hoc est Corpus meum*, *primo* quidem secrete ad consecrandum, *secundo* manifeste ad instruendum. Hanc inquam opinionem refellit, *quia Sacerdos consecrat, proferens hæc verba, non ut a Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Unde cum non habeant vim hujusmodi verba, nisi ex Christi prolatione, videtur, quod etiam Christus manifeste ea proferens consecraverit.*

140. Instat *secundo* Salmeronius impugnando expositionem Evangelici textus factam a Sanct. Thoma, tamquam *confundentem*, *quæ distincte dicta sunt a Christo*. Addit, *non esse verisimile*, *illa verba tantum durasse*, *quantum fractio pro duodecim*, *atque porrectio*. Demum illam expositionem *aperte litteræ græcæ repugnare*, quæ habet: *Et cum benedixisset, & fregisset, dedit discipulis suis dicens: hoc est corpus meum*.

141. Resp., commentitiam prorsus esse illam *confusionem*, quam Salmeronius objicit expositioni S. Thomæ, & quam nec Angelicus acutissimo suo ingenio, nec alii doctissimi Interpretes viderunt. Sane Estius gravissimus Scripturæ sacræ Commentator ad hunc locum ita pronunciare non dubitavit: „ *Errant autem vehementer*, qui pu-„ tant hac benedictione, & non prolatione verbo-„ rum

(*a*) Guill. Estius in Commentar. ad hunc loc. *Ista benedictio*, inquit, *fuit quædam invocatio cum gratiarum actione pro institutione tanti Sacramenti .... Quamvis enim Dei benedicere sit benefacere, Christus tamen ut homo, sicut multa petiit orando, ita & bene precatus est interandum, expectans effectum a Deo, & simul effectum tribuens, ut Deus.* Ita Comment. autem 1. Corinth. X. 16. multis ostendit, hæc tria *benedicere*, *gratias agere*, *& consecrare* esse inter se diversa.

„ rum *Hoc est corpus meum* Dominum conse-„ crasse corpus suum." Conjectura autem Salmeronii, quod non sit *verisimile illa verba tantum durasse &c.* laborat falso supposito, quod S. Thomas docuerit, haec verba *Accipite &c.* tamdiu durasse, quamdiu facta fuerit benedictio, fractio, & distributio: cum potius nihil aliud innuat, quam illud participium *dicens* conjungendum esse cum actionibus, quae praecesserant, benedicendi, & frangendi, & postea cum ipsa porrectione. Postrema observatio Salmeronii ex fonte graeco est plene falsa. Ita enim habet sacer textus: εὐλογήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε, &c. *Benedicens fregit, & dedit discipulis suis, & dixit: accipite, comedite, hoc est corpus meum.*

142. Sic pariter intelligi debet, quod habet S. Marcus cap. XIV. 23. seq. *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes: & ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, &c.* Patet enim esse in his verbis aliquam transpositionem, ut prius Christus ea verba protulerit: *Hic est sanguis meus*, & postea discipulis dederit calicem, ex quo omnes biberint. Et reipsa ita rem narrant alii Evangelistae, atque etiam S. Paulus 1. Corinth. XI. 25.

143. Instat *tertio* Salmeronius, Christus sola benedictione consecravit panem, quem duobus discipulis euntibus in Emmaus porrexit: dicitur enim Lucae ult. 20., quod *accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*, nulla facta verborum consecrationis mentione. Illum enim panem fuisse consecratum, aliqui Sancti Patres docuerunt.

144. Resp., argumentum hoc esse negativum. Quamquam enim Lucas nihil de consecratione memorat, illa tamen subintelligi debet, cum in institutione Sacramenti illam adhibuerit. Certe mirum esset, Discipulorum apertos fuisse oculos, ut Dominum cognoscerent, si nihil aliud ipse fecisset, quam frangere panem, illumque porrigere.

145. Ob. *quarto* Salmeronius nonnullas rationes, sed illam praecipue, qua qui nostram sententiam tuentur, *in multos incidunt scopulos pene inextricabiles;* nempe quid demonstret pronomen *hoc*, tum verbum *est* quid significet, tum etiam an tota illa clausula *enuntiative*, an *recitative* sit accipienda: quae omnes difficultates facile evitantur, dicendo Christum illis verbis non consecrasse, quibus nos consecramus. Unde infert, hanc sententiam esse alteri praeferendam, secundum illud dictum Salomonis Prov. XIV. *Doctrina prudentium facilis.*

146. Resp., alium omnino esse verborum Salomonis sensum, ut minime possit praesenti materiae adaptari. In Hebraeo est *viro prudenti sapientia res est facilis*, nempe prudentiam suppeditare media ad scientiam facile acquirendam. Porro jactata contrariae sententiae emolumenta possent quidem nos allicere ad eam libenter amplectendam, si certis inniteretur fundamentis; non autem illam reddere aut veram, aut saltem probabilem. Ceterum difficultates, quas Salmeronius dicit *inextricabiles*, suo loco enodabuntur.

147. Ob. *postremo*. Multi Theologi Orientales crediderunt, Christum panem, & vinum consecrasse, antequam eadem symbola suis discipulis distribueret. Ita Gregorius Abulfaragius in *Demonstrationibus intellectualibus*, Dion. Barsalibi in *Commentar. in Liturgiam S. Jacobi* cap. 13., aliique apud Renaudotium in *Collect. Liturgiarum Orient.:* ergo facta jam fuerat donorum conversio, antequam Christus ea discipulis distribuens verba illa proferret: *Hoc est corpus meum &c.*

148. Resp., mirandum non esse, aliquos inter Orientales Theologos ita sensisse, quandoquidem, ut supra num. 129. in nota dictum est, etiam inter Latinos non defuerunt, qui putarent, Christum potestate *excellentiae* absque omni forma verborum hoc Sacramentum perfecisse, post autem verba protulisse, sub quibus alii postmodum consecrarent. Sed hanc nonnullorum sententiam una cum S. Thoma, aliisque Theologis falsam esse ostendimus.

PROPOSITIO II.

Forma consecrationis panis in sacrificio Altaris sita est in istis Jesu Christi verbis: Hoc est corpus meum; *& vini in his aliis:* Hic est calix sanguinis mei. (*a*)

149. **H**aec veritas satis demonstrata videri potest ex iis, quibus mox ostensum est, a Christo Do-

(*a*) Hac propositione primo impugnatur error Novatorum, qui nos calumniantur, quasi *hisce verbis vim quamdam, veluti magicam, panem, & vinum in corpus, & sanguinem Domini mutandi tribuamus*. Ita Jo. Franc. Buddeus in *Instit. Theol. Dog.* Lib. V. cap. 1. §. 13., addens, in Ecclesia Lutherana consecrationem fieri *per verba institutionis, accedente usu, ut cum pane, & vino corpus, & sanguis Christi ad veram manducationem, & bibitionem uniri credantur*. Hac doctrina viam sibi sternunt Lutherani ad alios capitales errores contra transubstantiationem, & praesentiam Christi realem extra usum Eucharistiae; quos errores suo loco confutabimus. Calvinistae, & Sociniani, qui conversionem panis, & vini in verum corpus, & sanguinem Christi inficiantur, nullam agnoscunt, nec agnoscere possunt veri nominis consecrationem; ac propterea verba Christi nulli alii usui esse volunt, quam ad fidem in nobis excitandam. Ita Calvinus Lib. IV. *Instit.* 17. §. 39.

Sed alia hic nobis sententia confutanda est, nempe Graecorum, & quorumdam Latinorum, qui eis consentiunt, contendentium, ad plenam symbolorum consecrationem non sufficere illa Christi verba, sed necessario requiri invocationem Spiritus sancti, quam vocant ἐπίκλησιν, & quae a Latinis praemittitur verbis consecratoriis, a Graecis autem iisdem subjicitur; unde Marcus Ephesius librum, quem contra Latinos de hoc argumento conscripsit, hoc titulo nuncupavit *Quod non solis verbis Dominicis Eucharistia consecratur.*

Domino panem, & vinum iisdem verbis in ultima cœna fuisse consecratum, ut proinde nobis exemplum, & præceptum reliquerit, sicut de materia, ita etiam de forma hujus sacrosancti sacrificii, ut quemadmodum ille fecit, ita & nos faciamus in ejus commemorationem.

150. Probatur *secundo* ex sanctis Patribus latinis, & græcis. Inter primos Tertullianus Lib. IV. *contra Marcionem* cap. 40., & Ambrosius, sive vetustus auctor sub ejus nomine *de Sacramentis* cap. 4., tum verus Ambrosius in Lib. *De initiandis* cap. 9. supra allegati n. 131., & 132. id aperte asserunt.

151. S. Augustinus in Serm. CCXXVII. *Panis ille*, inquit, *quem videtis in altari*, *sanctificatus per verbum Dei*, *corpus est Christi*. *Calix ille*, *immo quod habet calix*, *sanctificatum per verbum Dei*, *sanguis est Christi*. Ac de Patribus latinis nemo fere dubitat. De Græcis potissimum lis movetur. Nonnulla itaque ipsorum testimonia afferenda sunt.

152. Et *primo* nobis favet S. Irenæus Lib. V. *contra Hæreses* cap. 2. inquiens: *Quando ergo mixtus calix*, *& fractus panis percipit verbum Dei*, *fit Eucharistia sanguinis*, *& corporis Christi*.

153. Favet deinde S. Gregorius Nyssenus in *Orat. Catechetica* inquiens: „ Panis statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est a Christo: *Hoc est corpus meum*. "

154. Denique omissis aliis nonnullis, Joan. Chrysostomus, cui plurimum deferunt Græci, Hom. II. in 2. epist. ad Timoth. *Sacra ipsa oblatio*, inquit, *sive illam Petrus*, *sive Paulus*, *sive cujusvis meriti Sacerdos offerat*, *eadem est*, *quam dedit Christus ipse discipulis suis*, *quamque Sacerdotes nunc quoque conficiunt*. *Nihil habet ista minus*, *quam illa*. *Quamobrem? quia non hanc sanctificant homines*, *sed Christus*, *qui illam ante sacraverat*. *Quemadmodum enim verba*, *quæ locutus est*, *eadem sunt*, *quæ Sacerdos nunc quoque pronunciat*, *ita & oblatio eadem est*. Ex his porro Ss. Patrum dictis aperte sequitur, conversionem sacrorum munerum non fieri, nisi virtute verborum quæ Sacerdos profert ex persona Christi: *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*.

155. Prob. *tertio* hæc veritas ex ipsa liturgia Græcorum, in qua hæc Christi verba: *Hoc est corpus meum*, *quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*; atque hæc alia: *Hic est sanguis meus novi testamenti*, *qui pro vobis*, *& pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, hæc inquam verba clara, & elata voce a Sacerdote sacra operante pronunciantur; populus autem eadem confirmans respondet; *Amen*. Ex hoc doctissimus Cardinalis Bessarion *De Sacram. Euchar.* suis contribulibus ostendebat, proprie dictam donorum conversionem iis verbis perfici; quia nempe populus respondens *Amen* contestatur verum esse, quod Sacerdos de corpore, & sanguine Christi elata voce pronunciaverat, utrumque scilicet sub iis speciebus contineri: non ergo in subsequenti Spiritus sancti invocatione hanc conversionem fieri, cum facta jam sit. Ita doctissimus Cardinalis.

156. His accedit illa ratio Catechismi Rom. P. II. n. 19. „ Forma ea est, qua illud significatur, „ quod in hoc Sacramento efficitur: cum autem „ hæc verba id, quod fit, significent, ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum „ Domini nostri corpus, sequitur formam in illis „ ipsis verbis constituendam esse. "

157. Accedit & illa, veritatem illorum verborum, quæ Sacerdos ex persona Christi profert, *Hoc est &c.* constare non posse, nisi in eorumdem pronunciatione reipsa fiat panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi conversio. Et quidem, ut scite docet S. Thomas quæst. 78. art. 2., non debuit significari conversio *in fieri*, seu quæ tunc incipiat fieri, sed in *facto esse*, *quia hæc conversio non est successiva*, *sed instantanea*. Alias rationes afferunt Petrus Arcudius, in *Concordia* Lib. III. cap. 31., Leo Allatius, Card. Bessarion, aliique contra Græcos, eorumque fautores disputantes.

158. Jure igitur, meritoque Eugenius IV. in Instruct. pro Armenis ita definivit: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris*, *quibus hoc confecit Sacramentum*. *Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*. *Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi*, *& substantia vini in sanguinem convertuntur*. Et Concilium Trident. Sess. XIII. cap. 3. *Semper*, inquit, *hæc fides in Ecclesia Dei fuit*, *statim post consecrationem verum Domini nostri corpus*, *verum ejus sanguinem sub panis*, *& vini specie una cum ipsius anima*, *& divinitate existere*. Etsi autem ex-

pres-

Hæc quorumdam Græcorum sententia inter Latinos aliquos invenit patronos initio hujus sæculi. Nam doctissimus P. Anton. Augustinus Toutteus e Congregatione S. Mauri in sua præclara editione Operum S. Cyrilli Jerosolymitani Dissert. III. invocationem Spiritus sancti adeo necessariam esse vult, ut sine illa conversio donorum in corpus, & sanguinem Christi non fiat. Eamdem sententiam majori adhuc conatu propugnavit Petrus Le Brun ex cœtu Oratoriano in Tom. III. suæ *Explicationis litteralis*, *historicæ*, *& dogmaticæ precum*, *& cæremoniarum Missæ*, contendens, plenam, & adæquatam consecrationis formam non constitui, nisi ex omnibus precibus simul cum verbis Christi Domini conjunctis; quam suam opinionem mordicus postea defendit contra P. Bougeant, & contra Ephemerides Trevoltianas. Hæc tamen duorum Gallorum sententia fuit a communi Theologorum choro impugnata, præcipue vero a clarissimo nostræ Familiæ lumine Jos. August. Orsi in Dissert. *De invocatione Spiritus sancti in Liturgiis Græcorum*, *& Orientalium* Mediol. 1731.

presse ibidem minime dicatur, quibusnam verbis hæc consecratio fiat, facile tamen constat, Concilium loqui de illa eadem consecratione, qua Christus Dominus hoc tam mirabile Sacramentum in ultima cœna instituit, *cum post panis, vinique benedictionem, se suum ipsisus corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus est*. Ita enim habet ibidem cap. 1. (*a*).

159. Ob. *primo* cum Apostata Spalatensi Lib. V. *De Republ. Ecclesiast.* cap. 6. neque Evangelistæ, neque S. Paulus, cui ab ipso Christo revelatum creditur totum illud, quod in Eucharistiæ institutione factum fuit, peculiarem consecrandi formam tradiderunt, sed tantummodo εὐλογίας καὶ εὐχαριςτίας *benedictionis*, *gratiarum actionis* generali vocabulo mentionem faciunt, ut proinde eamdem consecrationis formam Christus libertati Ecclesiæ reliquisse videatur. *Præterea* nec liquido constat, quanam formula Apostoli usi sunt, unde natæ sunt in diversis Ecclesiis diversæ, & dissimiles liturgiæ. *Tertio* in quibusdam liturgiis Jacobitarum, Syrorum, præcipue vero in illa, quæ dicitur S. Sixti Papæ, & in alia, quæ inscribitur Petri II., verba ipsa Dominica desiderantur. Earum nonnullas refert Eusebius Renaudotius in sua *Collectione Liturgiarum Orientalium*. Faustus Naironus in *Evoplia fidei Catholicæ* (Romæ 1694. in 8.), & ex eo Rich. Simonius putarunt, Jacobitas expunxisse ab iis liturgiis verba Dominica, ut ostenderent, se totam consecrandi vim tribuere invocationi Spiritus sancti.

160. Resp. ad *primum*, huic molestæ, & perpetuæ Novatorum objectioni, semper ab fidei professoribus responsum fuisse, non ex solis Scripturis, sed etiam ex veteris, communisque traditionis fonte repetendam esse plenam, & integram Ecclesiæ doctrinam. Ut hoc capitale principium confirmaret S. Basilius in Lib. *De Spiritu sancto* c. 27. hoc inter alia exemplum attulit, inquiens: *Invocationis verba, quum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus, aut Evangelium mentionem fecit &c.?* Deinde, cum sacri Evangelistæ, & S. Paulus tam perspicue verba referant, quibus Christus usus est in hujus Sacramenti institutione, annon id satis erit, ut ejusdem formam teneamus?

161. Eadem responsione eliditur *secunda* objectionis pars. Quid enim fecerint Apostoli, eorumque primi successores, non melius cognoscere possumus, quam ex perpetua Ecclesiæ doctrina, qua, ut probavimus, constat, virtutem consecrandi oblata, verbis Dominicis tributam fuisse. Varietas autem, & diversitas nonnisi in quibusdam precibus,

(*a*) Non desunt, qui veritatem hactenus probatam ad fidem pertinere existiment. Certe doctissimus Cardinalis noster Turrecremata in Concilio Florentino Græcos erroris postulavit. Sed injustam fuisse hanc accusationem, putavit se posse ostendere vir eruditissimus Eusebius Renaudotius, contendens, toleratam fuisse Græcorum opinionem, non obstantibus Turrecrematæ conatibus, quibus ejusdem condemnationem urgebat. Iniquior tamen hac in parte sapientissimo Cardinali videtur fuisse Renaudotius, quasi vero doctissimus ille Theologus litem Græcis intentaverit, quod post consecrationem ponerent invocationem Spiritus sancti, *ut panem corpus, & calicem sanguinem Christi efficiat*, eamdemque ab eorum liturgia expungendam esse voluerit. Fallitur Renaudotius, & qui totam illam controversiam non oscitanter expenderit, statim percipiet, ad hoc solum fuisse Græcos adactos, ut pravus illius invocationis sensus, quod scilicet consecratio divinis Christi verbis nondum facta fuerit, removeretur: unde Græcis allegantibus auctoritatem illorum, qui liturgias confecerant, respondebat Turrecremata, & ipse Eugenius Papa: *Viri sanctissimi non aliter crediderunt, quam alii, qui omnes tenuerunt, quod solis verbis Domini conficeretur* (consecratio).

Minus sincere etiam hujus controversiæ exitum exponit Renaudotius in Comment. ad Liturgiam Copticam S. Basilii, videlicet *Bessarionem cum aliis quinque Episcopis, inconsulto Patriarcha, & reliquis Antistitibus, eam professionem edidisse, quæ Turrecrematæ rationibus congruebat; Jo. vero Palæologum, & Episcopos Marcum Ephesium hortatos, ad Ecclesiæ suæ doctrinam paucis exponendam, quod ille brevi scripto præstitit, quo probare aggressus est, non solis verbis Dominicis, sed adjunctis precibus, præsertim invocatione Spiritus sancti, Eucharistiam consecrari. Illius sententiam Imperatorem, Josephum Patriarcham, & Episcopos, sex exceptis, omnes probasse, nec ab ea avelli potuisse*.

Sed Renaudotius falsis narrationibus deceptus fuit. Summus criticus Mabillonius in suo *Musæo Italico* Tom. I. refert a se visum *autographum* codicem Actorum Concilii Florentini latinæ versionis, qui in Archivio Magni Ducis Etruriæ asservatur, in quo sub die 5. Julii 1439. continetur Professio facta hac de re in generali Congregatione coram summo Pontifice, Cardinalibus &c. a Bessarione Archiepiscopo Nicæno, suo, ac aliorum Patrum *Ecclesiam Orientalem repræsentantium* nomine, nempe *verba Dominica esse illa, quæ mutant, & transubstantiant panem, & vinum in corpus verum Christi, & sanguinem*.

Quod autem nihil de hac re fuerit positum in *Decreto unionis*, non illa fuit causa, quam Renaudotius allegat, quod scilicet existimatum fuerit, id ad fidem catholicam non pertinere, sed alia, quam Cardinalis Sanctæ Sabinæ adducit, nempe, quia Græci viva voce confessi fuerunt, se semper tenuisse *solis verbis Dominicis confici:* unde dixerunt, non esse necessarium, ut id poneretur in definitione; *immo si poneretur, Ecclesia ipsorum reciperet ignominiam, ac si hactenus tenuissent aliud*.

Ceterum opinionem illam, quod pronunciatis verbis Dominicis non illico fiat panis, & vini transubstantiatio, pro hæretica habent Vener. Bellarminus Lib. IV. *De Sacram. Euch.* cap. 12., Vener. Cardinalis Jo. Bona Lib. II. *Rerum Liturg.* cap. 13., & nonnulli alii graves Theologi. Sed Toutteus aliter sensit, fidenter scribens, *totam hanc controversiam ad fidem nihil pertinere*.

bus, & cæremoniis sita est, quæ ad sacrificii substantiam minime pertinent.

162. Ad *tertiam* object. partem resp., nullam habendam esse rationem paucarum, atque obscurarum liturgiarum, in quibus manifesta deprehenditur depravatio, undecumque illa orta fuerit (*a*). Jure enim exigimus, ut iis paucis liturgiis innumeræ aliæ præponantur, quæ licet in cæremoniis valde discrepent, in eo tamen nobiscum conveniunt, ut verbis Dominicis in consecratione utantur. Ita Græcæ plane omnes, Coptitarum sex, Æthiopum duodecim, tres Nestorianorum, & Syrorum ultra triginta.

163. Inst. *primo*. In Liturgia Jerosolymitanæ Ecclesiæ, quæ, ut notum est, fuit omnium aliarum Ecclesiarum mater, nulla est verborum Domini Jesu mentio. Nam S. Cyrillus ejusdem Ecclesiæ Episcopus in *Cateches.* XXIII. n. 7. eamdem liturgiam explicans, ubi de consecratione disserit, solam memorat invocationem, inquiens: *Postquam nosmetipsos per has laudes spirituales* (nempe trisagion) *sanctificavimus, Deum benignum exoramus, ut emittat sanctum Spiritum super dona proposita; ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi: omne enim quodcumque attigerit Spiritus sanctus, id sanctificatum, & transmutatum est.*

164. Resp. Quamquam S. Cyrillus consuetam consecrationis formulam hic non memoret, credibile tamen non est, eamdem in liturgia Ecclesiæ Jerosolymitanæ fuisse omissam, cum ubique locorum obtineret; ac præcipue in ea liturgia, quæ vulgo S. Jacobi nuncupatur, qui primus fuit illius urbis Episcopus. Et licet hæc liturgia non sit ab eodem Apostolo confecta, ut passim Critici arbitrantur, ea tamen continet, quæ ab eodem S. Jacobo observata, & tradita illi Ecclesiæ creduntur (*b*).

165. Inst. *secundo*. Idem S. Cyrillus *Catech.* XIX. n. 7. *Panis*, inquit, *& vinum Eucharistiæ ante sanctam adorandæ Trinitatis invocationem nudus panis, & vinum erat; invocatione autem peracta, panis fit Corpus Christi, & vinum Sanguis Christi:* quod etiam repetit Catech. XXI. n. 3., & alibi.

166. Resp., certe hæc verba duriora esse, & talia, ut si obvio sensu acciperentur, plus probarent, quam Græci adversarii docerent. Probarent enim, verba evangelica nullam omnino habere vim ad dona sanctificanda, & transmutanda, totamque virtutem, & efficaciam consecrationis esse ab invocatione repetendam; cum tamen adversarii doceant, utrumque ad veram transubstantiationem requiri. Ad hæc, si totum contextum inspiciamus, videri poterit S. Cyrillus non veram transubstantiationem admisisse. Inquit enim, quod sicut per invocationem Trinitatis panis fit corpus, & vinum sanguis Christi, ita illa, quæ in idolorum solemnitatibus suspendi solent, *esculenta, ad pompam satanæ pertinentia, quam ex natura sua nuda, & communia sint, invocatione dæmonum profana, & contaminata redduntur.* Ne itaque suspicemur, tantum Ecclesiæ pastorem in hæc absurda incidisse, emollienda erunt ejus verba, ut nihil amplius docere voluerit, quam quod alii Patres græci, & latini docuerunt, ad perfectionem sacrificii requiri non solum verba Dominica, quæ vere consecratoria sunt, sed etiam liturgicam invocationem Spiritus sancti, quæ apud Latinos præcedit consecrationem, apud Græcos autem subsequitur.

167. Inst. *tertio*. Recitatio verborum Christi: *Hoc est corpus meum &c.* est tantum historica ad ejus commemorationem excitandam: ergo illis tribui non potest virtus consecrandi. Prob. ant., quia Sacerdos non loquitur in propria persona, sed mere historice refert, quod Christus gessit, inquiens: *Qui pridie, quam pateretur, accipiens panem in sanctas, ac venerabiles manus suas &c.* Qui autem *historice* aliquid narrat ab alio dictum, non censetur illud reipsa dicere, ut qui alterius mendacium refert, non propterea mentitur.

168. Resp., antecedens esse omnino falsum. Sacerdos enim in persona Christi loquitur, ut inquit Eugenius IV. (Vid. nu. 158.) ac propterea in ejus nomine dicit: *Hoc est corpus meum. Forma*, inquit Angelicus q. 78. art. 1., *hujus Sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis: ut detur intelligi, quod minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi.* Vid. etiam art. 5. Et S. Jo. Chrysostomus Hom. II. in epist. 2. ad Timoth. *Sacra*, inquit, *oblatio &c.* Vid. supra n. 154. Qui autem alterius mendacium referret illius personam gerens, sine dubio mentiretur.

169. Obj. *secundo* ritum Græcorum liturgicum, in quo post verba Dominica invocatur Spiritus sanctus, ut *panem, & vinum immutando faciat pretiosum corpus, & sanguinem Jesu Christi.* Ita in Liturgiis S. Joann. Chrysostomi, S. Marci, S. Clementis, S. Basilii, aliisque communiter: quin etiam in quibusdam Latinis, ut in *Gothicis*, quas Mabillonius, & Card. Thomasius ediderunt. Censet ergo Ecclesia Orientalis, consecrationem non fieri

(*a*) Renaudotius conjicit, in illis locum vacuum relictum fuisse, ut verba consecratoria minio scriberentur, ut in nonnullis exemplaribus invenit. Sed Jo. Simonius Assemanus in *Bibliotheca Orientali* Tom. II. pag. 200. defectum hunc ex solo amanuensium vitio repetit.

(*b*) Ipse Ant. August. Touttées in Dissert. III. cap. 12. n. 94. dicit, Cyrillum nullam verborum evangelicorum mentionem fecisse, *non quod in liturgia prætermissa essent* (*id enim ne cogitare quidem permittitur*) *sed quod historice tantum recitata nullam habere in sacra actione vim existimasse videatur.*

ri per verba Dominica, sed per preces post illa recitatas; a qua sententia nec omnes Latini sunt alieni.

170. Resp. huic objectioni, quæ potissima est, plures factas fuisse a nostris Theologis responsiones (*a*). Sed ego puto, illam præferendam esse eorum verborum explicationem, quam ipsi Græci in Concilio Florentino tradiderunt, cum hac de re ferveret controversia; & quam Summus Pontifex Eugenius probavit, scilicet in præfatis liturgiis solum invocari Spiritum sanctum, ut Fideles Sacramenti hujus fructum percipiant. „ Fateri nos „ dicimus, (inquiebant Græci, accusationem Latinorum refellentes), per hæc verba (*Hoc est* „ *corpus meum &c.*) transmutari sanctum panem, „ & fieri corpus Christi: sed postea quemadmodum „ dicitis vos ipsi Latini: *supplices te rogamus*, „ *omnipotens Deus*, ... *ut quotquot ex hac al-* „ *taris participatione sacrosanctum Filii tui cor-* „ *pus*, *& sanguinem sumpserimus*, *omni bene-* „ *dictione cœlesti*, *& gratia repleamur*, ita „ nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus sanctus „ descendat super nos, *& faciat in nobis* panem „ hunc pretiosum corpus Christi, & quod est in „ calice, pretiosum sanguinem Christi, transmutet- „ que illa Spiritu sancto suo, *ut fiant accipien-* „ *tibus in emundationem animæ*, *in remissio-* „ *nem peccatorum*, *non vero in judicium*, *aut* „ *condemnationem* ". Hanc esse totius Ecclesiæ Orientalis fidem credere possumus, quidquid postea sit de quibusdam schismaticis scriptoribus, quorum mentem diligentius perscrutari operæ pretium non est.

171. Addimus explicationem S. Fulgentii, qui Lib. II. ad Monimum cap. 9. expendens, quid significet invocatio Spiritus sancti ad consecrandum sacrificium altaris, quæ etiam in liturgia Africana erat usitata, respondet, *nihil aliud* postulari, *nisi ut gratiam spiritualem in corpore Christi* (*quod est Ecclesia*) *charitatis unitas jugiter indisrupta servetur*; quod repetit in capitibus subsequentibus. Hæc explicatio nonnisi verbis ab aliorum explicatione abludit, scilicet Spiritum sanctum invocari, non ut donorum transmutatio fiat, sed ut nobis sacri mysterii communio sit fructuosa.

172. Inst. *primo*. Verbum illud *transmutandi*, quod Orientales pleræque liturgiæ habent, nostram interpretationem non patitur: alias contra Protestantes ex similibus Ss. Patrum locutionibus dogma *transubstantiationis* probari efficaciter non poterit. Quod noster Mich. Le-Quien observavit in not. ad cap. 13. Lib. IV. S. Jo. Damasceni *De fide orthod.* Immo & Calvinistæ, ac Lutherani sæpius hoc effugio vim nostrorum argumentorum pro reali Christi corporis præsentia, & transubstantiatione declinare solent.

173. Resp., hanc certe esse ejus verbi obviam significationem, *nisi cetera obsint*. In nostro autem casu, cum exploratum jam sit, ac firmissimis monumentis confirmatum, transubstantiationem verbis consecratoriis factam jam esse, necessario cogimur, alium illi voci sensum adaptare; ut nempe non aliud significet, quam ut factam jam donorum transmutationem Spiritus sanctus sua gratia nobis proficuam reddat. Quando autem agitur de transubstantiatione contra Protestantes, ostendimus, hanc vocem *transmutationis* esse in proprio, & nativo sensu accipiendam, tum quia nihil obstat, tum multo magis quia contextus, scopus, ac potissimum communis Ecclesiæ fides id postulant. Nec novum est, ut eadem vox modo in sensu proprio, modo in alio sumi debeat.

174. Inst. *secundo*. S. Basilius panem, & vinum ante invocationem Spiritus sancti vocat *antitypa* corporis, & sanguinis Christi, quod scilicet nondum transmutata sint. Et mentem Basilii ita perspicue interpretatur S. Joann. Damascenus Lib. IV. *De fide Orthod.* cap. 13.: *Quod si nonnulli panem*, *vinumque corporis*, *& sanguinis Domini* ἀντίτυπα, *seu imagines*, *figurasque vocaverunt*, *veluti divinus Basilius*, *non hoc post consecrationem dixerunt*, *sed antequam oblatio ipsa consecraretur*. Sic etiam verba Basilii interpretati sunt Joannes, & Epiphanius Diaconi in Synodo VII. ann. 787.

175. Resp. *primo* cum nostro Mich. Le-Quien in not. ad hunc Damasceni locum, ἀντίτυπα aliquando significare ipsam rem, quæ figuris adumbratur; quam significationem confirmat etiam Elias Cretensis in Orat. I. S. Gregorii Nazianzeni n. 165. Alter autem noster Dominicanus in græcis liturgiis versatissimus Jac. Goar. not. 3. in Liturgiam

(*a*) Celebris Card. Bessarion respondet, non esse insolens, præcipue apud Orientales, orare, ut dona jam sanctificata, & consecrata iterum sanctificentur, & consecrentur, ut mystica fidelium unio cum vero corpore, & sanguine Christi exprimatur; tum etiam ut exprimatur ardens, & vehemens hujus unionis desiderium; ac demum, ut populus cognoscat, donorum transmutationem esse Spiritus S., ac totius Trinitatis mirabile opus. Renaudotius in Comment. ad Liturgiam Copticam S. Basilii hanc repetitionem significare putat hoc ipsum ardens Sacerdotis desiderium, ut concedatur, quod jam concessum fuit. Addi potest & alia explicatio, illam repetitionem eo tendere, *ut Deus nobis sua munera servet*, quemadmodum loquitur S. Paulinus epist. XII. ad Severum Sulpicium. Sic etiam S. Hieronymus epist. CVI., al. CXXXV. ad Sunniam & Fratelam interpretabatur olim ea verba Orat. Dom. *Sanctificetur nomen tuum*, *non quo nobis orantibus sanctificetur*, *quod per se sanctum est*: *sed quo petamus*, *ut quod per naturam sui sanctum est*, *sanctificetur in nobis*. Card. Petronius Lib. II. *De Euchar.* cap. 15. respondet, illam Spiritus S. invocationem non esse disjunctam a verbis consecratoriis, immo eam esse ejusdem invocationis constructionem, ut ad tempus antecedens referatur, vel saltem concomitans sit. Vid. duo doctissimi Græci, Leo Allatius, & Petrus Arcudius, tum Jo. Harduinus in Dissert. *De Sacr. Altaris* c. 8.

giam S. Basilii putat, *antitypa* hic nihil esse aliud, quam symbola, seu species panis, ac vini, quæ remanent post consecrationem, & sunt figuræ, & umbræ spiritualis convivii futuri in cœlis. Hæc explicatio confirmatur ex ipsius Damasceni verbis, quibus illud caput ita concludit: *Antitypa vero futurorum dicimus, non quod non sint vere corpus, & sanguis, sed quia per ipsa divinitatis Christi nunc sumus consortes: tunc autem intellectuali ratione per solam visionem percipiemus*.

176. Alii putant, verba Basilii, & Damasceni esse referenda ad tempus præcedens invocationem Spiritus sancti, quasi in illa oratione Spiritus sanctus invocetur, ut descendat super illa dona, quæ ante consecrationem erant *antitypa*, seu symbola corporis, & sanguinis Jesu Christi. Vid. Bellarminus Lib. II. *De Sacram. Euchar.* cap. 15. & Lib. IV. cap. 14., Arcudius Lib. III. *Concordiæ* cap. 34., & Card. Petronius *De Sacr. Euch.* Lib. II.

177. Obj. *tertio* nonnulla testimonia utriusque Ecclesiæ Patrum, qui veram, & perfectam consecrationem panis, & vini non ex verbis Evangelicis, sed ex precibus Ecclesiæ repetunt. Ex Græcis objicitur *primo* Justinus, qui Apologia II. consecrationem in gratiarum actione reponit (*a*). *Secundo* Iræneus, qui Lib. IV. cap. 34. *Panis*, inquit, *percipiens invocationem Dei*, *jam non communis panis est*, *sed Eucharistia*. *Tertio* Origenes Tom. XI. in Matth. num. 14. de eodem pane ait: *Sanctificatur per verbum Dei*, *perque obsecrationem*. *Quarto* eadem verba habet Gregorius Nyssenus in Orat. catechetica cap. 37. *Quinto* Theophilus Alexandrinus in *Epist. paschali* I. panem Dominicum, & sacrum calicem *per invocationem*, & *adventum sancti Spiritus sanctificari*, dicit.

178. Nec dissentiunt Patres latini. Nam *primo* S. Ambrosius Lib. IV. *De fide* cap. 5. *Quotiescumque*, ait, *Sacramenta sumimus*, *quæ per sacræ orationis mysterium in carnem transfigurantur*, & *sanguinem*, *mortem Domini annuntiamus*. S. Hieronymus epist. CXLVI., al. LXXXV. ad Evangelum, ut Presbyterorum dignitatem vindicet, *ad quorum preces*, inquit, *Christi corpus*, *sanguisque conficitur*. S. Augustinus multis in locis contra Pelagianos disputans ostendit, Sacramentorum efficaciam ab Ecclesiæ precibus pendere. Et Lib. III. *de Trinit.* cap. 4. illud dicit esse *corpus Christi*, *quod ex fructibus terræ acceptum*, & *prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem*, *in memoriam pro nobis Dominicæ passionis*. Denique omnium aliorum instar sit S. Gregorius magnus, qui Lib. VII. Epist. LXIII. *Orationem Dominicam*, inquit, *idcirco mox post preces dicimus*, *quia mos Apostolorum fuit*, *ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent*. Multa ejusdem generis occurrunt in quibusdam aliis veteribus Ecclesiæ Patribus.

179. Resp. verissime a sanctis Patribus dictum esse, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum Ecclesiæ precibus confici, non per exclusionem verborum Jesu Christi, quæ sola *essentialem* hujus Sacramenti formam constituunt, sed quia illæ preces disponunt, ut *causæ impetrantes* ad sacrificium rite perficiendum. Quamobrem etiam in latinis liturgiis semper ponitur supplicatio, *ut nobis corpus*, & *sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi*. Nec tamen ea oratio est causa efficiens transubstantiationis, sed tantum dispositio, qua etiam omissa, solisque Dominicis verbis recitatis eadem transubstantiatio haberetur. Sane cum aliqui Patres, præcipue S. Augustinus, non de sola Spiritus sancti invocatione, sed communiter de precibus, gratiarum actione, ac de tota augusta illa actione loquantur, sequeretur, non solis verbis evangelicis, nec sola Spiritus sancti invocatione, sed integra liturgia consecrationem fieri, quod nec Adversarii contendunt. Sed breviter expendamus singula objecta testimonia.

180. S. Justinus, qui primævam liturgiam accuratius, quam alii veteres, exposuisse videtur, invocationis Spiritus sancti, a qua Græci transubstantiationem repetunt, ne meminit quidem, sed jam memorat *gratiarum actionem*, post quam Diaconi distribuunt panem, & vinum unicuique præsentium, *ut participent eum*, *in quo gratiæ actæ sunt*. Quamvis autem consecrationis verba suo loco non ponat (fortasse propter disciplinam arcani) de iisdem tamen non omnino silet, inquiens, hanc gratiarum actionem fieri, vel concludi *per preces verbi ejus ab ipso* (Christo) *profecti*; cui conclusioni populus fauste acclamabat *amen*, fidei nempe suæ testimonium dans. Deinde subdit, eam *alimoniam incarnati Jesu Christi carnem*, & *sanguinem* esse, quemadmodum nos docent Apostoli, narrantes, Christum Jesum pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in mei recordationem: Hoc est corpus meum:* & poculo similiter accepto, & gratiis actis dixisse: *Hic est sanguis meus*. Quibus satis manifeste insinuat, hoc idem a Sacerdotibus sua ætate præstitum fuisse.

181. Irenæi locum ita doctus Fevardentius exponit: *Panis percipiens invocationem Dei*, idest verba per Christum prolata, & instituta. Quæ expositio iis concordat, quæ idem S. Pater postea dicit Lib. V. cap. 2.: *Quando ergo* & *mixtus calix*, & *fractus panis percipit verbum Dei*, *fit Eucharistia sanguinis*, & *corporis Christi*.

182. Origenis, Gregorii Nysseni, Theophili, aliorumque Græcorum testimonia facile explicantur, ut significare velint, sanctificationem panis in

(*a*) Hunc Justini locum putant adversarii esse decretorium, quia integram fere liturgiam ibi describit. Ita Christoph. Matth. Pfaffius in Dissert. *De consecrat. vet. Euchar.*, & Salom. Deylingius in *Observ. Miscellan.* P. I.

in Eucharistia fieri *essentialiter* per verbum Dei consecratorium, *adæquate* autem, & *perfecte* per orationes consecrationi adjunctas. Et quidem Nyssenus se in eodem cap. clarius explicat, subdens: ,, quod statim per verbum (panis) in corpus ,, transmutetur, sicut dictum est, a verbo: *Hoc* ,, *est corpus meum* ".

183. S. Ambrosii doctrinam sup. n. 150. attulimus. Cum autem diserte asserat, hoc Sacramentum *confici Christi sermone*, nempe illis verbis: *Hoc est corpus meum*, manifestum est, eum per *sacræ orationis mysterium* nihil aliud intelligere, quam usitata consecrationis verba.

184. Eodemque sensu intelligendus est S. Hieronymus, cujus unicus scopus erat, eos Diaconos refellendi, qui se Presbyteris æquabant. Presbyterorum autem supra Diaconos excellentiam maxime repetebat ex potestate solis Presbyteris concessa Eucharistiam consecrandi, ibi nullo modo sollicitus, quibusnam verbis hæc consecratio fieret, unde inquiebat: *Quid patitur mensarum, & viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur?*

185. De S. Augustino vid. dicta n. 151. Cum autem corpus Christi vocat *prece mystica* consecratum, totam quidem sacram actionem, seu liturgiam intelligit, non ita tamen, ut singulæ preces sint ad consecrationem *essentialiter* necessariæ, sed solum ad integram, & plenam incruenti sacrificii confectionem. Sic etiam alicubi Sacramentorum virtutem, & efficaciam a ministrorum precibus repetit S. Doctor, ut scilicet nobis prosint ad divinam gratiam impetrandam, sed non ad ipsam Sacramenti essentiam; cum adversus Donatistas invicte semper ostenderit, Sacramenti valorem neque a fide, neque a probitate ministri pendere, *quia Deus adest verbis evangelicis suis .... & ipse sanctificat Sacramentum suum*. Lib. VI. *De baptismo* cap. 25.

186. Postremum ex S. Gregorio magno depromptum ita communiter explicatur, quod ibi agat, non de verbis consecratoriis, quæ supponit, sed de integra liturgia, quæ varia erat in diversis Ecclesiis, & alicubi prolixior, alibi autem brevior, ita tamen, ut oratio Dominica nunquam omitteretur, quia hæc ex Apostolorum more descendebat.

187. Obj. *postremo*. Scotus censuit, saltem illa Canonis verba: *Qui pridie quam pateretur, &c.* ad essentialem consecrationis formam pertinere; quod hac ratione probat. Si omissis illis verbis Sacerdos ea tantum proferat: *Hoc est corpus meum*, fiet sensus falsus, quasi Sacerdos in persona sua loqueretur.

188. Resp. Hanc difficultatem sibi objicit S. Thomas 3. P. qu. 78. art. 1. n. 4., ipsi autem sic respondet: *Si Sacerdos sola verba prædicta* (scilicet *hoc est corpus meum*) *proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur, quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret Sacerdos, sic conficiens hoc Sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans*. Ceterum Doctor subtilis non negat consecrationem fieri solis his verbis: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*; sed solum vult, alia requiri ad illorum sensum determinandum; quemadmodum & nos contendimus, ministri intentionem requiri ad valide consecrandum.

Quæres, *an in consecratione calicis sola illa verba:* Hic est calix sanguinis mei, *sint consecratoria?*

189. Respondet Angelicus 3. P. qu. 78. art. 3., duas hac de re esse opiniones, scilicet *primo* quorumdam, dicentium sola illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, esse *de substantia* hujus formæ. *Sed hoc videtur inconveniens*, subdit S. Doctor, *quia ea, quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, idest sanguinis Christi: unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis*.

190. Rejecta igitur hac opinione, aliam *ut meliorem* amplectitur, quæ dicit, ,, quod omnia se- ,, quentia sunt *de substantia* formæ usque ad hoc, ,, quod postea sequitur: *Hæc quotiescumque fe-* ,, *ceritis*, quod pertinet ad usum hujus Sacramen- ,, ti; unde non est *de substantia* formæ. Et in- ,, de est, quod Sacerdotes eodem ritu, & modo, ,, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc ,, verba profert. Lucæ etiam XXII. interponun- ,, tur verba sequentia verbis præmissis, cum di- ,, citur: *Hic calix novum testamentum est in* ,, *meo sanguine*. Dicendum est ergo quod omnia ,, prædicta verba sunt *de substantia* formæ. Sed ,, per prima verba, cum dicitur: *Hic est calix* ,, *sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini ,, in sanguinem ... per verba autem sequentia de- ,, signatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ ,, operatur in hoc Sacramento, &c. "

191. Hunc tamen Angelici locum non eodem modo omnes interpretantur. Sunt, qui presse illum intelligunt, quasi omnia illa verba sint *de essentia* consecrationis calicis. Sic ipsum intellexit Card. Cajetanus, & propterea S. Thomam deseruit, ut aliis Theologis adhæreret, qui nonnisi priora verba esse vere consecratoria, communiter docent (*a*).

192. At vero alii fideles S. Thomæ Discipuli aliter ejus doctrinam exponunt, ut gravissimus Theologus Dominicus Soto, qui in IV. Dist. XI. quæst.

(*a*) Cardinalis Cajetanus in Comment. ad art. 1. hujus quæstionis vult, S. Thomæ mentem esse, verba sequentia in consecratione calicis ita pertinere ad consecrationem, ut illis omissis non sit forma *perfecta*; quod si, subdit, auctor (nempe S. Thomas) *oppositum sensit*, *opinative locutus est*. Sed S. Pius V., ut nonnulla alia, ita etiam hoc ex commentariis ipsius tradi jussit.

quæst. 1. art. 3. hæc habet: „ Distinguendum est „ inter *essentiam*, & *substantiam* Sacramenti. „ Id enim dicitur *de essentia*, sine quo nullatenus fieret consecratio. Sed de *substantia* id, „ credo, censet D. Thomas, quod est *de integritate*: nempe quod ad consecrationem concurrit, „ nihilominus sine illo fieri posset. Igitur prima „ verba: *Hic est calix sanguinis mei*, seu *Hic* „ *est sanguis meus*, sunt *de essentia*, reliqua „ vero *de substantia*, puta de integritate, quod „ non sit de essentia. Digitus enim, & manus „ substantiæ hominis sunt, seu partes, quas ajunt „ integrales, & tamen non eatenus sunt de essentia, quominus sine illis possit homo vivere."

Quæres secundo, *utrum conversio panis in corpus Christi fiat statim post verba consecrationis, antequam consecretur vinum?*

193. Respondet S. Thomas 3. P. quæst. 78. art. 6. *affirmative; quia statim dictis verbis consecrationis panis, hostia consecrata proponitur populo adoranda: quod non fieret, si non esset ibi corpus Christi, quia sic ad idololatriam pertineret*. Ulterius id confirmat Angelicus hac ratione. „ Ad veritatem hujus locutionis *Hoc est* „ *corpus meum* requiritur propter verbum præsentis temporis, quod res significata simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis: alioquin si in futurum expectaretur res significata, „ apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum præsentis, ita scilicet quod non diceretur: *Hoc est corpus meum*, sed *hoc erit* „ *corpus meum*. Significatio autem hujus locutionis completur statim completa prolatione horum „ verborum, & ideo oportet, rem significatam „ statim adesse, quæ quidem est effectus hujus „ Sacramenti: alioquin locutio non esset vera."

194. Objicit postea sibi S. Doctor, quod facta consecratione solius panis, & vini, corpus Christi esset exangue. Respondet autem, quod *facta consecratione panis, est quidem Corpus Christi ibi ex vi Sacramenti, & Sanguis ex reali concomitantia; sed postmodum per consecrationem vini fit ibi e converso sanguis Christi ex vi Sacramenti, corpus autem ex reali concomitantia; ita quod totus Christus est sub utraque specie*. Eamdemque doctrinam tradit Lect. VI. in cap. XI. Epist. primæ ad Corinthios, addens, etiam Divinitatem esse in hoc Sacramento *propter indissolubilem unionem ipsius ad corpus Christi, licet nullo modo substantia panis in divinitatem convertatur. Et similiter est ibi anima, quæ conjuncta est realiter ipsi corpori. Si vero in triduo mortis Christi fuisset corpus Christi ab aliquo Apostolorum consecratum, non fuisse ibi anima, quæ tunc realiter erat a corpore separata*.

CAPUT V.

De reali præsentia Corporis, & Sanguinis D. N. Jesu Christi in Eucharistia.

195. Explicatis, quæ ad materiam, & formam divini hujus Sacramenti pertinent, alia sese offert capitalis controversia, ante duo sæcula agitari cœpta cum Sacramentariis, qui antiquam, & universalem Ecclesiæ fidem de *reali* Christi Domini præsentia in Sacramento altaris evertere se posse frustra sperarunt, docentes nonnisi in figura ipsum esse in illo præsentem (a). Hunc perniciosissimum errorem omni argumentorum genere impugnabimus,

(a) Primus, qui contra hoc universæ Ecclesiæ dogma vocem extollere ausus fuerit, communiter censetur Jo. Scotus Erigena sæc. IX. in libro nunc deperdito *De corpore, & sanguine Domini*, quem confutavit Adrevaldus quidam, cujus Tractatus legitur in *Spicilegio Dacheriano*. De Jo. Scoto Erigena consul. Dissert. Anselmi Parisii Canonici Regularis S. Genovefæ posita ad calcem I. Tomi *De perpetua fide Ecclesiæ circa Eucharistiam*. Postea medio sæc. XI. Berengarius natione Turonensis, sed Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, impiam Erigenæ doctrinam revocare cœpit, a Summis Pontificibus Leone IX., Victore II., Nicolao II., & Gregorio VII. in variis Synodis Romæ habitis, deinde in Conciliis Vercellensi, Parisino, Rothomagensi, & Turonensi sæpius condemnatus, atque ad palinodiam recantandam coactus. Tres autem habentur solemnes ejusdem retractationes: eumdemque, quamvis semel, & iterum in hæresim relapsum, tandem vere ante mortem resipuisse, ostendit Mabillonius *De multiplici Berengarii damnatione, & relapsu, deque ejus pœnitentia* in Tom. II. *Veter. Analectorum*. Confer. etiam ejusdem Mabillonii Præf. II. in Sæc. VI. Benedict., Franc. Roye in Opusc. *De vita, hæresi, & pœnitentia Berengarii*, tum Nat. Alexander Dissert. I. in Sæc. XI., aliique passim Historici. Non multos habuit Berengarius sui erroris discipulos: & inter illos *nullum sinceræ vitæ hominem, nullum penitus sapientem*, ut inquiebat Guitmundus Episcopus Aversanus Lib. I. *De verit. corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia*.

Berengario e vivis sublato anno 1088. adhuc ejus error contra præsentiam Christi realem in Eucharistia superstes fuisse creditur in Albigensibus, qui Petrobrusiani, & Henriciani dicti sunt; qui propterea in duabus Synodis, Tolosana anno 1119., & Lateranensi anno 1139., proscripti fuere. Calvinistæ iis addunt etiam Waldenses, qui post Albigenses eruperunt auctore Petro Waldo mercatore Lugdunensi. Sed de hoc eorum errore altum silent ii scriptores coævi, qui eosdem confutarunt, Eberardus, Alanus, Conradus, Abbas Urspergensis, Bernardus Abbas Fontiscaldi, ac Patres Concilii IV. Lateranensis, qui anno 1215. hos hæreticos condemnarunt. Accedit noster Raynerius Sacconus Placentinus, eo majori fide dignus, quod diu fuerit eorum erroribus implicatus, immo etiam illius sectæ pastor, ac dux; contra quam postea, veritate agnita, invicte pugnavit. Sed quantum ad Eucharistiam [illegible] dumtaxat Waldenses reprehendit, quod eam a malis Sacerdotibus confici non posse docerent; tum etiam quod laicis eamdem conficiendi potestatem tribuerent. Quos errores in eorum nepotibus, qui [illegible] & vulgo *Barbets* nuncupantur, deprehendit etiam sæc. XVI. magnus earum alpium Apostolus Claudius Seys-

mus, scilicet ex sacris litteris, deinde ex sanct. Patrum traditione, ac denique argumento *præscriptionis* ex perpetua, ac constanti omnium Ecclesiarum doctrina. Quod ut commode fiat, hoc caput in varios articulos partiemur.

ARTICULUS I.

Ex sacris litteris invicte demonstratur, Jesum Christum esse vere, realiter, ac substantialiter in Eucharistia præsentem.

196. Hujus catholici dogmatis fundamentum non alibi quærimus, quam in loco S. Scripturæ maxime proprio, scilicet ubi sacri Evangelistæ ipsam hujus augustissimi Sacramenti institutionem unanimi consensu referunt. *Accepit Jesus panem*, inquit S. Matthæus, qui unus ex cœnantibus fuit, cap. XXVI. 26. *& benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus &c.* Matthæo perfecte concordant duo Evangelistæ Marcus XIV., & Lucas XXII. ac S. Paulus 1. Cirinth. XI. 24. Jam vero, cum nemo inficiari audeat, Deum infinita sua potentia efficere posse, ut panis, & vinum in corpus, & sanguinem Jesu Christi transmutarentur, & Christus Dominus summe verax id factum esse manifestissime testetur, nonnisi impie, & contra sanam rationem vera, realis, ac substantialis Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ negari potest.

197. Accedit & illa S. Pauli gravissima admonitio, & comminatio 1. ad Corinth. XI. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quibus verbis Apostolus non aliud voluit significare, quam pa-

sellius, Episcopus Taurinensis. Quamvis deinde opera Farelli Genevensis Ministri iidem Waldenses ad Calviniana castra transierunt. Vide nostrum I. Tomum.

Sæculo XIV. Jo. Wiclefus Ecclesiæ de Lutteworth in Lecestrensi provincia Pastor, non sine fundamento accusatur, quod male de præsentia reali J. C. in Eucharistia senserit, quia in *Trialogo* Lib. IV. c. 7. docuit, illa verba: *Hoc est corpus meum* esse de Christo *figurate* intelligenda, sicut *figurate* de Baptista dictum est, *Ipse est Elias*. Quamobrem merito in Concilio Constantiensi Sess. VIII. hæc ejus propositio damnata fuit: *Christus non est in eodem Sacramento identice, & realiter in propria præsentia corporali*. Alibi tamen præsentiam Christi realem confiteri visus est, saltem in hostia, a justo Sacerdote consecrata; unde etiam Missam non sine magna externæ pietatis simulatione frequenter celebrabat.

Hactenus male nata hæc hæresis nec multos, nec claros patronos invenit. Verum Sæculo XVI. occasione luctuosissimi schismatis a Luthero excitati repullulavit, & brevi temporis spatio latissime propagata est. Lutherus quidem realem Christi præsentiam nunquam negare potuit, convictus nimia evidentia verborum Evangelicorum. Sed unus ex primis ipsius assectis Andreas Carlostadius homo ferocissimus anno 1524. palam prædicare ausus est, Eucharistiam esse meram figuram corporis Christi, non ipsum Christi corpus: hæc tamen Carlostadii novitas non multis in Germania arrisit. Multo latius, & facilius pestifera hæc hæresis in Helvetia grassata est, ubi Ulricus Zwinglius Ecclesiæ Tigurinæ pastor, jam ab anno 1519. vexillum rebellionis contra catholicam religionem erexerat, & anno 1525. a Tigurino Senatu impetravit, ut Missa, & Eucharistiæ adoratio abrogaretur, docens: Eucharistiam esse quidem Sacramentum, sed non continere nisi panem, & vinum; & *edere corpus Christi* nihil aliud esse, quam *credere, corpus Christi pro nobis esse mortuum*.

Zwinglio in prælio contra Helvetos catholicos anno 1532. occiso, successit ad hunc pestiferum errorem propagandum Jo. Calvinus. Hic acri & excellenti ingenio, quo fuerat a Deo donatus, infeliciter abutens, anno ætatis suæ 26. quatuor *Institutionum christianæ religionis* libros eleganti stylo exaratos publici juris fecit, quibus ingentem fidelium numerum miris fraudibus, ac captiosis astutiis seduxit, sectamque suo nomine insignitam a Lutheranis diversam, ac sæpius iisdem oppositam constituit; & frustra ab acuto, & versipelli Bucero, aliisque adlaboratum est, ut geminæ illæ sectæ, & fere coævæ simul convenirent. Præcipuum autem dissensionis caput semper fuit de reali corporis Christi præsentia in Eucharistia, quam Lutherani constanter professi sunt, & adhuc profitentur, cum qua tamen etiam panis vinique substantiam inveniri contendunt; quem errorem cap. seq. confutabimus. Etiam a Zwinglio dissidebat Calvinus, docens, Sacramentum Eucharistiæ non esse signum vacuum corporis, & sanguinis Christi, sed signum plenum virtute, & efficacia: ad quod explicandum miris ambagibus, & æquivocationibus utebatur. De his, præter Historicos, legendum immortale Bossueti Opus *De variationibus Ecclesiarum Protestantium* Lib. II., & IX.

Demum & Socinianorum, ac Remonstrantium pessima doctrina commemoranda est. Hi enim a Calvinistis edocti, verba institutionis esse intelligendi in sensu *figurato* longius progressi sunt, & pronomen δέικτικον *hoc* ad totam actionem frangendi, & comedendi panem referendum esse voluerunt, ita ut ex his Christi verbis *Hoc est corpus meum* hic emergat sensus; „ *Hoc*, seu „ hæc actio frangendi, & comedendi panem *est cor-* „ *pus*, idest commemoratio Christi corporis pro nobis „ fracti. “ Ita Valent. Smalcius Disput. XII. A Socinianis vix differunt Arminiani; & utrique eliminato mysterio Eucharistiam nihil aliud esse putant, quam commemorationem eorum, quæ Christus in ultima cœna fecit. Absurdam hanc Remonstrantium doctrinam non ita pridem pugnacissime defendit in Anglia Benjaminus Hondley Episcopus primo Bangoriensis, deinde Salisberiensis: ac demum Vintoniensis in impiissimo libro, cujus titulus gallicæ versionis est *Traité sur la nature, le but, & les effets du Sacr. de la Sainte Cene* 1735. in 8.: unde acres controversiæ inter ipsos Calvinistas excitatæ sunt, quas referre non vacat. Notamus solum, rejecto semel litterali verborum Christi sensu, innumeris erroribus, ac litibus, januam fuisse apertam; quod evenire necesse erat; veritatis enim via una est, falsitatis autem multiplex.

panem illum, & vinum non esse aliquem cibum, & potum communem, sed ipsum corpus, & sanguinem Jesu: unde qui manducat, & bibit indigne, reus est gravissimi sceleris, non *dijudicans*, seu non discernens corpus Domini a pane communi: *idest ex eo, quod non discernit corpus Domini ab aliis cibis, indifferenter ipsum assumens, sicut alios cibos*, ut commentatur S. Thomas Lect. VII. in hunc locum.

198. Unicum & consuetum Sacramentariorum effugium est, verba Christi, atque etiam Apostoli non proprio, atque obvio sensu, sed *tropico, & figurato* esse intelligenda. Verum hoc miserabile, & vanissimum effugium variis argumentis præcluditur. *Primo* enim & sancti Patres, quorum testimonia inferius expendemus, & omnes Scripturæ sacræ interpretes, & universæ toto orbe dispersæ Ecclesiæ, immo & ipsi hæretici, & schismatici laudata Christi Domini verba in nativo, ac litterali sensu semper intellexerunt, exceptis solis Sacramentariis, qui post quindecim, & amplius sæcula novam eorumdem verborum intelligentiam nobis obtrudere conati sunt. Anne ipsis solis vera hujus Sacramenti notio reservata erat? Anne ceteri omnes, qui Christiano nomine in quatuor mundi partibus comprehenduntur, hactenus ita cæcutierunt, ut germanam, ac veram trium Evangelistarum, ac S. Pauli mentem videre minime potuerint? Sane hic universalis, ac perpetuus hominum consensus ad certissimam demonstrationem sufficeret, nisi cum obstinatissimo hominum genere disputaretur.

199. Præterea, ut Bellarminus, aliique post ipsum scite observarunt, cum nonnisi apud laudatos tres Evangelistas, & apud S. Paulum accurata institutionis Eucharistici Sacramenti historia habeatur, si ipsi verum, & naturalem verborum Christi sensum non exhibent, nullibi in toto novo testamento genuina tanti Sacramenti notio habebitur. Quæ enim ab adversariis afferuntur divina oracula, hinc inde e sacris libris excerpta, certe clariora non sunt iis verbis, in quibus non obiter, sed data opera de sacrosancti hujus mysterii institutione agitur. Peccant ergo enormiter contra primas, & communes hermeneuticæ regulas adversarii, dum hæc verba, *Hoc est corpus meum*, radiis solaribus clariora ad tropicos, & figuratos sensus violenter detorquent, cum potius quæ alibi obscurius dicta occurrunt, debeant per clariora explicari. Et si hanc adversariorum viam insistamus, non solum hoc Eucharistiæ sacrosanctum mysterium, sed reliqua omnia religionis dogmata nutabunt; & Increduli de eversa religione triumphum agent, illudque Lucretii repetent:

...... *Pedibus calcata vicissim*
Religio teritur, nos exæquat victoria cœlo.

200. *Tertio*. Ipse verborum contextus, & temporis circumstantia declarant, Christum noluisse figuris, & tropis uti in Sacramento omnium maximo instituendo. Non solum enim dixit, *hoc est corpus meum*, sed ne ulla esset dubitatio, de quo corpore loqueretur, addidit, *quod pro vobis datur*, idest *offertur*, ut habet Lucas; vel, ut dicit Paulus, *quod pro vobis tradetur*. Similiter etiam porrigens discipulis calicem dixit: *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur*, ut duo Evangelistæ Matthæus, & Marcus habent; Lucas vero, *qui pro vobis fundetur*. Nempe Christus ut sensum litteralem magis exprimeret, se dare dixit ad manducandum illud ipsum suum corpus, quod postea tradendum erat, & offerendum in cruce, & ad bibendum illum ipsum sanguinem, qui pro nobis effundendus erat in passione.

201. Est etiam notanda circumstantia temporis, quando nempe in suprema cœna morti proximus suum condebat testamentum, ultimum vale dicens discipulis suis: æquum igitur erat, ut sine tropis, aut figuris postremam suam voluntatem exprimeret. Nam etiam homines, si unquam satagunt perspicuis verbis suam mentem luculenter exponere, id maxime curant in ultimo testamento. Quod si Christus voluisset suo arbitratu hic parabolis, & figuris uti, debuisset animos suorum discipulorum præparare, ne per simplicem, ac litteralem sensum in perniciosissimum errorem inducerentur, putantes eum divina sua omnipotentia ex pane, & vino corpus, & sanguinem suum vere effecisse, ut omnes præter Sacramentarios reipsa putant.

202. Neque vero audiendus est Edm. Albertinus, qui has rationes, quibus communiter utuntur Orthodoxi ad præsentiam realem comprobandam, ausus est vocare *stolidissima argumenta*. Sed quare? Quia Deus frequentissime per metaphoras locutus est, quin tamen homines pii, ac religiosi fuerint in errorem inducti. Et hæc vulgaris est Calvinistarum evasio.

203. Sed antequam eam præcludamus, non erit abs re breviter notare intestinam illorum pugnam, qui repudiato sensu litterali ad peregrinos, tropicos, & figuratos confugiunt. Præcipuas tantum referemus eorum expositiones: omnes enim referre, & refutare nimis longum esset. (a) Et *primo* aliqui audaciores, ut omnem difficultatem evitarent, negarunt, veram de Sacramento Eucharistiæ doctrinam esse quærendam in verbis *Institutionis*, uti

(a) Lutherus de se ipso fatetur, plurimum laborasse, ut rejecto sensu litterali aliquem figuratum inveniret, *sciens*, inquit, *hoc maxime modo posse me incommodare Papatui* (oh finem egregium interpretandi Scripturam!) nec tamen invenire potuisse. Sic ad Argentinenses scribebat. Postea inaniter gloriabatur, quod *ipsi Pontificii eam ipsi laudem tribuere cogerentur, quod Sacramentum corporis, & sanguinis Domini longe melius ipsis propagnavit*. Ita apud Hospinianum in *Hist. Sacram.* pag. n. 228.

uti nos fecimus, quia, inquiebant, de ipsorum verborum sensu disputatio est. Ita Bullingerus, & Theologi Tigurini contra Jacobum Andreæ, immo Calvinus ipse in *Admonit. ultima*; quasi vero in ipsa institutione hujus Sacramenti minus aperte, quam alibi locutus sit Christus.

204. Alii vero a tam absurda quorumdam responsione longe absunt. Sed dum rejecto sensu litterali *figuratum* quærunt, seu, ut loqui amant, *metonymiam Sacramentalem*, mirum, quantum inter se dissident. Nam Carlostadius, quem Melanchthon appellabat primum *tragœdiæ* hujus auctorem, sic distinguebat locutionem Christi, ut sententia finiatur in iis verbis: *accipite*, & *comedite*, sequentia autem verba: *Hoc est corpus meum*, nihil aliud significent, quam Christum fuisse in cœna præsentem. Hanc interpretationem ut sibi cælitus *revelatam* homo ille fanaticus venditabat, quam tamen ut monstruosam ipsi Sacramentarii exploserunt. Ab hac tam absurda Carlostadii expositione non multum discrepat alia Svvenkfeldii, qui ita seriem verborum Christi immutabat: *Accipite, edite: corpus meum, quod traditur, est hoc:* vel *quod pro vobis traditur, est corpus meum*. Leon. Christoph. Sturmius, qui deserto Luthero ad Calvinum deflexit, mutans vocem τȣτο *hoc* in aliam τοιοῦτο *similiter*, talem efformabat sensum: *comedite*, nimirum panem pro corporis nutrimento; & *similiter* corpus meum *spiritualiter* pro alimento animæ.

205. Zvvinglium postquam integrum quinquennium insumpsisset, ut ab hac molestissima difficultate se liberaret, eo tandem devenit, ut intactam relinquens sacrorum verborum seriem, vocem *est* interpretaretur per *significat*, quasi Christus dicere voluisset: *panis hoc significat corpus meum*. Hanc autem suam glossam antea inauditam a nocturno quodam *Monitore* se didicisse narrat (*a*).

206. Joann. Oecolampadius in libro *De genuina verborum Domini &c. expositione* edito ann. 1525. tropum reposuit in illa voce *corpus*, quam interpretatus est *figuram* corporis; ejusque interpretationem plerique inter Sacramentarios adoptarunt, eam vocantes *metonymiam Sacramentalem*, quia *signatum* ponitur pro *signo*. Aliis vero displicet vox illa *figura* corporis, metonymiam tamen retinent, dicentes: *Hoc est corpus meum*, nempe μνημόσυνον, *seu commemoratio corporis mei*. Quidam addiderunt *pignus*, *teseram*, & *sigillum corporis*, putantes voces illas *figuræ*, & *signi*, & *commemorationis* non satis explicare hujus Sacramenti essentiam, *vim*, & *efficaciam*, qualem se admittere profitentur Calvinistæ. Oecolampadium statim confutarunt Jodocus Clichtoveus duobus libris, & Joann. Fischerus Roffensis Episcopus libris quinque.

207. Sed jam piget omnes aliorum expositiones, seu verius depravationes referre, quas Pelargus in Disput. *De fractione panis* anno 1606. vigintiocto numerabat: unde aliquis haud illepide dicebat: *Itque, reditque tropus, nec certum novit asylum*. Ex his autem colligere licet, quam a communi hominum intelligentia sensus figuratus alienus sit: ac proinde hac etiam de causa necessarium omnino esse Christi verba in obvio, ac litterali sensu intelligere: qui enim illo rejecto ad mysticum confugiunt, non habent, ubi certo pedem figant. Verum audiamus, quæ ad tuendum suum mysticum sensum nobis objiciunt Zvvinglius, Calvinus, Beza, potissimum vero recentiores, & acutiores Sacramentarii, Albertinus, Claudius, Picterus, Abadias, aliique ejusdem furfuris.

208. Objiciunt primo quamplurima sacrorum librorum loca, in quibus propositiones similes huic: *Hoc est corpus meum*, sumantur *metonymice*, *figurate*, & *significative*. Gen. XVII. 10. de Circumcisione dicitur *Hoc est pactum meum;* quæ tamen propositio in comm. seq. sic exponitur, ut circumcisio non sit proprie pactum, sed *signum fœderis*. In eodem Libro cap. XLI. 26. Joseph Pharaoni explicans somnium dicit: *Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*, idest *significant*. Exodi XII. 11. Agnus Paschalis dicitur *phase*, id est *transitus Domini*, cujus tamen transitus non erat nisi commemoraratio. Daniel Propheta explicans regi Nabucodonosor somnium statuæ dicebat cap. XXII. 28. *Tu es caput aureum*. Nec desunt similia exempla in novo testamento; nam Apostolus 1. Corinth. X. 4. loquens de prodigiosa petra Mosaica inquit, *Petra autem erat Christus*, nempe Christum significabat. Unde Augustinus Tract. XLV. in Joann. n. 9. *Ibi*, inquit, (in deserto) *petra Christus*, *nobis Christus*, *quod in altare Dei ponitur*. Apud Luc. XXII. 20. & apud Paulum 1. Cor. XI. 25. Christus postquam de pane dixerat: *Hoc est corpus meum*, accipiens calicem inquit: *Hic est calix novum testamentum*, idest signum novi testamenti. Alia hujus generis non pauca improbo labore collegerunt Sacramentarii; quibus

209.

(*a*) Operæ dispendium non erit, si propria Zwinglii verba referamus ex Libro inscripto *Coronis de Eucharistia* P. II. Operum pag. 249. *Vera*, inquit, *narro, adeoque vera, ut celare volentem conscientia cogat effundere, quod Dominus impertiit, non ignorans, quantis me contumeliis, risibusque exponam. Cum tredecima Aprilis lux adpareret, visus sum mihi in somnio multo cum tædio denuo contendere cum adversario scriba, sicque obmutuisse, ut quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem...... visus est Monitor adesse; ater fuerit, an albus, nihil memini: somnium enim narro, qui diceret, quin ignave respondes, quod Exodi XII. scribitur, est enim phase, idest transitus Domini &c.* Videri potest Gretseri Disceptatio *De somnio Zwinglii*, contra quam impotenter debaccatus est Albertinus, frustra contendens, illa verba, *Ater, an albus fuerit*, nescio esse elegantissimam phrasim ad significandam personam ignotam.

209. Resp. *primo* generaliter, ex quo alicubi vox illa copulativa *est* sumitur *figurative*, non sequi semper in eodem sensu esse sumendum. Quid enim, quæso, respondebimus Socinianis, quando eodem argumento utentes, illam æterni Patris vocem e cœlo delapsam: *Hic est Filius meus dilectus* ita explicant, *Hic est figura Filii mei dilecti?* Aut illud celebris Joannis dictum *Deus erat Verbum* eadem licentia interpretantur, ut Verbum non sit nisi imago Dei? Sed breviter examinemus singula.

210. Circumcisionem non esse ipsum fœdus hominum cum Deo, sed tantum signum fœderis, ex ipsa rei natura facile quisque cognoscit, ut nullus esse possit deceptioni locus; panem autem esse signum corporis Christi, nemo certe suspicabitur ex iis verbis: *Hoc est corpus meum*. Deinde ipse Deus Abrahamo aperte subdit: *Circumcideris carnem præputii, ut sit signum fœderis inter me, & vos.* Ubinam vero Christus Apostolos docuit, panem esse sui corporis *signum?* Cur ipsis aperte non dixit: accipite, & comedite, hoc est *signum* corporis mei, sicut Deus dixit Abrahæ circumcidendam carnem præputii, ut esset *signum fœderis?*

211. Aliud exemplum ex Gen. XLI. potius probat contra adversarios, verbum substantivum *est* non posse sumi in sensu figurato, nisi quando circumstantiæ sermonis id omnino exigunt, cujusmodi erat illa circumstantia somnii Pharaonis, cujus *significationem* ibi Joseph tradebat. Exigitne circumstantia institutionis Sacramenti Eucharistiæ, ut ejus verba, similiter ac verba somnii Pharaonis, figurate sumantur? Anne Apostoli a Christo quæsiverunt, quid verba illa significarent? Vel Christus illos admonuit, ea non esse in propria significatione sumenda? Nihil prorsus istorum omnium.

212. Agnum Paschalem non esse transitum Domini, sed sacrificium institutum in commemorationem ejusdem transitus, optime noverant Hebræi ex Mosaica descriptione illius sacrificii Exodi XII. Adde, cum Agnus Paschalis dicitur *phase*, subintelligi *sacrificium*, ita ut Agnus sit sacrificium *phase*, seu *transitus*, quod Moyses ipse eodem loco declaravit, subdens vers. 26. seq.: *Et cum dixerint vobis filii vestri: quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est.* Hæc omnia debuisse Monitor Zwinglio in somnio suggerere, si albus fuisset, non ater.

213. Cum Daniel Propheta dicebat Nabucodonosori: *Tu es caput aureum*, necesse non habebat regem monere, quod reipsa caput aureum non erat, sed solum per illud caput aureum repræsentatus: res enim per se loquitur. Necesse autem omnino erat, Discipulos edoceri, illum panem, quem Christus manibus gestabat, & suum corpus dicebat, nonnisi figuram, aut signum sui corporis esse: alias ab obvio, & litterali verborum sensu fuissent decepti.

214. Ita etiam necesse non erat, ut Apostolus Corinthiis explicaret, illam petram, unde fluxerunt aquæ in deserto, non fuisse veram Christi personam: quis enim hoc somniasset? Sed facile omnes intelligebant, in illa petra fuisse Christum tantummodo significatum; eoque facilius id intelligebant, quo jam ibidem admoniti erant ab eodem Apostolo, quod Israelitis *omnia in figura contingebant*. Attamen idipsum clare explicuit, dicens de Israelitis: *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus.* S. Augustinus loco laud. asserit quidem, petram illam prodigiosam, de qua Israelitæ bibebant, Christum præfigurasse, non autem dicit, in Eucharistia Christi figuram, aut signum nobis dari, sed potius oppositum insinuat subdens: *Illi pro magno Sacramento ejusdem Christi biberunt aquam profluentem de petra; nos quid bibamus, norunt fideles.*

215. Postremum exemplum calicis, qui apud Lucam, & apud Paulum vocatus fuit *novum testamentum*, aliquam vim haberet, nisi alii duo Evangelistæ Marcus, & Matthæus illorum verborum sensum diserte aperuissent, ita Christi verba referentes: *Hic est sanguis meus novi testamenti*, ut omnes facile intelligere possimus, fuisse a Christo novum testamentum, seu fœdus conditum, ac firmatum per sanguinem suum. Unde S. Thomas Lect. VI. in laud. Apostoli locum, scite observat, quod sicut vetus testamentum fuerat sanguine victimarum confirmatum, cum nempe Moyses *sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Exodi XXIV. 8., ita novum testamentum, seu pactum confirmatum fuit in sanguine Christi, qui per passionem est effusus. Quod mirifice declarat S. Paulus ad Hebr. cap. IX.

216. Et quia nimis longum, & fastidiosum esset singula exempla, quæ Sacramentarii undique coacervant, ex adjunctis explicare, quilibet poterit a seipso inter illa exempla, & verba institutionis Eucharistiæ discrimen animadvertere. Nam in illis ita figuratus sensus in omnium oculos incurrit, ut nemo prudens decipi possit; non sic autem in verbis consecratoriis, quæ omnes Christiani cujuscumque communionis in sensu proprio, & naturali semper intellexerunt, usque ad illa infelicissima tempora, quibus Novatores hoc capitale fidei nostræ dogma per figuras, & tropos corrumpere ausi sunt.

217. Et sic intelligebantur parabolæ in sensu figurato, quia omnes norunt, eas afferri ad aliquid aliud significandum. Sic nullus est deceptioni locus, quando quis Pontificis, aut Cæsaris imaginem indigitans, aut tabulam geographicam Germaniæ, vel Italiæ, dicit: Hic est Pius VI. Summus Pontifex, hic est Franciscus II. Rom. Imperator, hæc est Germania, hæc Italia, &c. Fuissent autem Apostoli periculo errandi expositi, si &c. Sic pariter nemo decipi potest, cum illa Christi verba audit: *Ego sum pastor, ostium, via,*

vitis &c.; aut quando audit, Christum vocari *agnum*, *leonem*, *petram*, vel quid simile.

218. Instabis *primo*. Verba a Christo prolata in Eucharistiæ institutione: *Hoc est corpus meum* iis similia sunt, quæ Christus ipse in cruce protulit, quando dixit Matri: *Mulier ecce filius tuus*; Joanni autem: *Ecce mater tua*: atqui his secundis nulla mutatio facta est: ergo nec primis.

219. Resp., longe disparem esse rationem. Nam ex circumstantiis omnibus apparebat, Christum iis verbis nihil voluisse aliud, quam matrem suam dilecto Joanni commendare, & vicissim Joannem matri; qua in re nulla fieri debebat mutatio interna, sed solum externa, ut nempe dilectus discipulus curam matris susciperet: quod factum est, referente enim ipso Joanne XIX. 27., *ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*.

220. Inst. *secundo*. Fortior videtur illa Christi expressio apud Joannem XV. *Ego sum vitis vera*, quam illæ: *Hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*. In prima enim additur *vera*, quod non additur in aliis: nec tamen prima illa accipitur in sensu litterali: ergo &c.

221. Resp. neg. maj. Si enim contextus attendatur, nemo est, qui statim non olfaciat sensum metaphoricum. Ita enim prosequitur divinus Magister: *Et Pater meus agricola est*. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum*, *tollet eum*, *& omnem*, *qui fert fructum*, *purgabit eum*, *ut fructum plus afferat.... Sicut palmes non potest ferre fructum*, *nisi manserit in vite*, *sic nec vos nisi in me manseritis*, *&c.* Estne aliquid simile in verbis institutionis Sacramenti Eucharistiæ? Præterea dicentne, Jesum Christum esse *figuram vitis*, sicut dicunt, panem esse figuram corporis Christi?

222. Instant *tertio*, & conantur sensum tropicum, & figuratum evincere ex adjunctis. *Primo* enim Christus dicens: *Hoc est corpus meum*, addidit, *quod pro vobis tradetur*, seu potius ex textu Græco apud Paulum, *quod pro vobis frangitur τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον*; nempe significans panem, quem benedixerat, *fregerat*, & discipulis dederat: nam corpus verum Christi in passione frangendum non erat. *Præterea* Lucæ XXII. de vino dixit: *Accipite hoc λάβετε τοῦτο*, *& dividite vobis ipsis καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς*; *dico enim vobis*, *quod non bibam de generatione vitis*, *donec regnum Dei veniat*; & Matth. XXVI. 29. postquam dixerat: *Hic est sanguis meus novi testamenti*, subdit: *Dico autem vobis*, *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, *usque in diem illum*, *cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*. Ista autem verba nonnisi in sensu figurato intelligi possunt; neque enim Christus biliturus est verum vinum in suo regno. *Tertio*, in sensu pariter figurato intelligi debent illa duo verba *Calix*, & *Testamentum*; nempe ponitur *Calix* metonymice pro vino contento in calice, & *testamentum* pro signo novi fœderis: quidni ergo & alia verba figurate accipiantur? *Quarto*, Christus præcipit, ut corpus, & sanguis sumatur a nobis in sui *commemorationem*. Si ergo Christus est in hoc Sacramento substantialiter præsens, idem prorsus erit *commemoratio*, *& commemoratum*; quasi dicat: *me sumite in mei commemorationem*, quod fuisset ineptissimum; ut enim S. Augustinus in Psalm. XXXVII. inquiebat, *nemo recordatur*, *nisi quod in præsentia non est positum*. *Demum*, Apostolus addit, in hoc Sacramento mortem Domini esse annuntiandam, *donec veniat*: non igitur est ibi præsens; alias frustra expectaretur, ut veniat. Unde etiam Matth. XXVI. 11. dicebat ipse Christus: *Pauperes semper habetis vobiscum*, *me autem non semper habetis*; quod falsum esset, posita ejusdem reali in Eucharistia præsentia.

223. Resp. ad *primum*, de vero suo corpore Christum dicere potuisse, *quod pro vobis frangitur*, nempe sub speciebus panis, quas tunc *fregerat*, & singulis discipulis distribuerat; & similiter dicere potuit, verum suum sanguinem *effusum* in speciebus vini, quod e calice effundebatur in ora discipulorum. Unde Apostolus cap. X. 16. ejusdem Epist. dicebat: *Calix benedictionis*, *cui benedicimus*, *nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis*, *quem frangimus*, *nonne participatio corporis Domini est?* Supra autem n. 134. cum Angelico observavimus, Christum in ipsa actione benedicendi, frangendi, & distribuendi panem verba consecratoria pronunciasse (*a*).

224. Ad *secundum* resp., facile in his verbis metaphoram deprehendi, tum quia Christus addidit, se bibiturum vinum *novum* in regno Patris sui; non ergo illud materiale, quod bibebatur in cœna; tum etiam propter aliam ejusdem Christi promissionem Lucæ XXII. 29. *Et ego dispono vobis*, *sicut disposuit mihi Pater meus regnum*, *ut edatis*, *& bibatis super mensam meam in regno meo*, *& sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel*. Quam promissionem nonnisi carnales Millenarii in sensu litterali intelligere potuerunt. Res autem non ita se habet in verbis consecratoriis, quæ litteraliter semper omnes fideles acceperunt.

225.

(*a*) Paucis arridet expositio Cajetani, qui fractionem illam intelligi voluit de ipso corpore Christi, quod in passione multipliciter fractum fuit, scilicet *quantum ad cutem*, *quando flagellatus est*, *& quantum ad carnem in manibus ac pedibus cruci affixis*, *ac demum in latere lancea perforato*. Sed Cajetanus ab obvio & litterali sensu hic recedere videtur, ut non raro solebat; proprie enim corpus *frangi* dicitur quando ejusdem ossa confringuntur, quod in Christo fieri non debuisse Joannes testatur cap. XIX. 36. *ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo*. Nihilominus S. Thomas Lect. V. in hunc locum Pauli non dubitavit dicere, hostiæ consecratæ divisionem significare passionem Christi, per quam *corpus ejus fuit vulneribus fractum*.

225. *Tertia* objectio consueta est cavillatio. Calicem enim ibi significare vinum contentum, nemo dubitare potest, ut propterea nullum sit erroris periculum; non sic autem est de verbis consecratoriis, quæ si essent in sensu figurato intelligenda, debuisset Christus Discipulos præmonere, ne in re tanti momenti turpiter errarent, & tota Ecclesia in sacrilegam idololatriam pertraheretur, quæ, ut postea videbimus, sub speciebus panis, & vini verum Christi corpus, & sanguinem adesse semper credidit, illudque cultu latriæ adoravit. Vox autem *testamenti* in sensu proprio sumitur, ad significandum novum fœdus a Christo nobiscum initum, & consummatum in sanguine, qui *per passionem est effusus, & in calice Sacramentaliter continetur*, ut S. Thomas explicat Lect. VI. in cap. XI. Epist. 1. ad Corinthios.

226. *Quarta* objectio illico evanescit, si contextus attendatur. Ut enim recte observat Angelicus loco mox laud., τὸ *in meam commemorationem*, debet intelligi de memoria passionis Christi. Quamobrem Apostolus pergit ibidem dicens: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Ulterius, præsens quidem est Christus in Eucharistia, sed sacramentali, & invisibili modo, ita ut non inepte præceperit, fidem, & memoriam sui esse in hoc Sacramento excitandam (*a*).

227. Addit postremo idem Paulus: *Donec veniat, idest* (commentatur Aquinas) *usque ad ultimum ejus adventum, in quo datur intelligi, quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit usque ad finem mundi*. Puerilis autem argutia est illa ducta ex verbis Christi: *me autem non semper habetis*; quia hæc verba, interprete Angelico 3. P. qu. 75. art. 1. ad 2., referuntur ad Corpus Christi *visibile* sub propria specie: *invisibiliter tamen sub speciebus hujus Sacramenti est, ubicumque hoc Sacramentum perficitur*. Hoc declararunt Patres Tridentini Sess. XIII. cap. 1. his verbis: *Non enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissime credere debemus*.

228. Obj. *secundo*. Apostolus Paulus 1. Corinth. X. 1. seq. *Patres nostri*, inquit, *omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt*; atqui illi non manducaverunt escam spiritalem, nec biberunt potum spiritalem, nisi per fidem: ergo etiam nos &c. Hæc enim verba Pauli ita commentatur Augustinus Tract. XXVI. in Joann. *Omnes eamdem escam spiritualem, quam nos; nam temporalem alteram, quia illi manna, nos aliud; spiritalem vero, quam nos*.

229. Resp., Apostolum, cum dicit, omnes Israelitas *eamdem* escam spiritalem manducasse, & omnes *eumdem* potum spiritalem bibisse, non significare, eos *eamdem*, quam nos escam manducasse, & *eumdem*, quem nos potum bibisse, quasi scilicet voluerit Israelitas fuisse in Sacramentis nobis pares. Magnum enim inter nostrum, & illorum cibum, ac potum discrimen Christus ipse posuit Jo. VI. 48. inquiens: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur*. Loquitur ergo ibi Apostolus de solis Israelitis, qui omnes eamdem escam *spiritalem* manducaverunt, scilicet manna, & *omnes* eumdem potum *spiritalem* biberunt, nempe aquam fluentem de petra, & tamen *non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo*, quia non omnes cum fide in Jesum Christum manducaverunt, ac biberunt, & propterea in deserto *prostrati sunt*.

230. S. Augustinus autem vult, in illa esca, illoque potu spiritali fuisse quidem præfiguratum Eucharistiæ Sacramentum, in quo nos sumimus ipsum Christi corpus, ejusque sanguinem bibimus; unde dicere potuit, Israelitas eamdem escam spiritalem manducasse, eumdemque potum spiritalem bibisse; non vult tamen, nec dicit, eamdem prorsus esse utriusque cibi, & potus rationem; unde in Psalm. LXXVII. eadem fere repetens, clarius suam mentem exponit dicens, eumdem fuisse cibum, & potum illorum, qui noster, *sed significatione eumdem, non specie*. Vide quæ diximus in Vol. super. Diss. I. n. 106.

231. Inst. *primo*. Christus ipse apud Joannem cap. VI. 64. postquam dixisset: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, &c.*, ne Judæi in errorem inducerentur sumentes hæc verba in sensu litterali, & obvio, subdidit: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam: quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*. Ita divinus Magister nos docuit, quonam sensu verba institutionis essent intelligenda, scilicet, non *carnaliter*, sed *spiritualiter* (*b*). Id confirmatur ex S. Augustino, qui in Psalm.

(*a*) Nullam esse hujus argumenti vim, agnovit etiam Œcolampadius, qui ad probandum etiam rerum præsentium oblivionem esse posse, illud attulit Maronis: *Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto*.

(*b*) Multi, gravesque Theologi præsentiam corporis Christi realem probant ex hoc ipso capite VI. Joannis, in quo promissam fuisse credunt hujus Sacramenti institutionem. *Verum*, inquit Estius in IV. Dist. X. §. 1. *hæc probatio propter varias SS. Patrum, & Doctorum interpretationes, quibus eum locum exponunt, ut agnoscit Trident. Concilium Sess. XXI. c. 1. non proinde efficax est, ut alia sunt*. Ejusdemque sententiæ fuerunt præter alios Jansenius Gandavensis, & Ruardus Tapperus. Narrante Card. Pallavicino in *Hist.*

Psalm. XCVIII. ita Christum seipsum explicantem inducit: *Spiritualiter intelligite, quæ locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum autem, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos: caro autem non prodest quidquam.*

232. Resp. cum S. Thoma 3. P. q. 75. art. 1. ad 1., Christum voluisse hoc loco corrigere carnalem illam quorumdam Capharnaitarum imaginationem, qui verba a se prolata: *Caro mea vere est cibus* eo sensu acceperant, quasi ipsis daturus esset suam carnem dentibus laniandam, quomodo alii cibi comeduntur. *Carnem quippe*, inquit S. Augustinus Tract. XXVII. in Joan., *intellexerunt, quomodo in cadavere laniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur*. Idem Sanctus Doctor Augustinus in eodem loco illa ejusdem Christi verba: *Caro non prodest quidquam* explicat de manducatione carnis Christi *sine charitate*, inquiens: „ Sic dictum est: *Caro* „ *non prodest quidquam*, quomodo dictum est: „ *Scientia inflat:* sola sine charitate: ideo adjun„ xit, *Charitas vero ædificat*. Adde ergo scien„ tiæ charitatem, & utilis erit scientia, non per „ se, sed per charitatem: sic etiam nunc *caro* „ *non prodest quidquam*, sed sola caro. Accedat „ spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad „ scientiam, & prodest plurimum ". Ceterum, etiamsi ex hoc celebri Joannis loco non posset præsentia realis corporis Christi invicte demonstrari, non propterea nutaret hoc præcipuum religionis nostræ dogma, quod in aliis Scripturæ sacræ locis Spiritus sanctus apertissime revelavit, & quod Ecclesia Catholica semper professa est.

233. Obj. *postremo* nonnullas cavillationes contra verba consecrationis; quarum præcipua est illa, qua a nobis moleste sciscitatur, quid pronomen *hoc*, quod est subjectum propositionis, significet? Vel enim significat ipsum Christi corpus, & tunc exsurget hæc propositio identica, & nugatoria: *Corpus meum, quod vobis ostendo, est corpus meum*, quo quid dici potest ineptius? Vel designat panem, quem Christus in manus acceptum benedixit, ac fregit; & tunc propositio hunc sensum reddet: *hic panis est corpus meum;* quod repugnantiam involvit: nam panis vere, & proprie non potest esse aliud quam panis: vel designat accidentia panis, & tunc propositio est falsa, quia hæc non sunt Christi corpus; superest ergo, ut illud pronomen *hoc* intelligatur de pane benedicto, & fracto, qui sensu mystico, & tropico corpus Christi significabat (*b*).

234. Resp. cum S. Thoma 3. P. q. 78. art. 5. „ quod hæc locutio (*hoc est corpus meum*) ha„ bet virtutem factivam conversionis panis in cor„ pus Christi .... Et ideo oportet quidem intelli„ gere prædictam locutionem secundum ultimum „ instans prolationis verborum, non tamen ita, „ quod præsupponatur ex parte subjecti id, quod „ est terminus conversionis, scilicet quod corpus „ Christi sit corpus Christi: neque etiam illud, „ quod fuit ante conversionem, scilicet panis; sed „ id, quod communiter se habet; quantum ad u„ trumque, scilicet contentum in generali sub i„ stis speciebus. Non enim faciunt hæc verba, „ quod corpus Christi sit corpus Christi, neque „ quod panis sit corpus Christi, sed quod con„ tentum sub his speciebus, quod prius erat pa„ nis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non „ dicit Dominus: *Hic panis est corpus meum*... „ neque: *Hoc corpus meum est corpus meum*... „ sed in generali: *Hoc est corpus meum*, nullo „ nomine apposito a parte subjecti, sed solo pro„ nomine, quod significat substantiam in commu„ ni, sine qualitate, idest forma determinata ".

235. Non itaque illa propositio erit *identica;* ea enim propositio est *identica*, in qua subjectum eodem modo exprimitur, ac prædicatum; sicut si dicerem: *Homo est homo;* non illa, in qua prædicatum est quidem idem cum subjecto, sed clarius exprimitur; alias omnis propositio vera esset identica, ut cum aliquis dicit: *Hoc est aurum;* quamvis enim attributum idem sit cum subjecto, clarius tamen id exprimit. Et sic non est *identica* Christi propositio dicentis: *Hoc est corpus meum;* quia attributum *corpus meum* clare exprimit, quid illud subjectum *hoc* vere sit, cum antea confusa esset illius significatio.

236. Quod si etiam illud subjectum *hoc* acciperetur pro pane, ut quidam Theologi esse accipiendum putant, nulla tamen inde sequeretur repugnantia; esset enim sensus, quod illud, quod initio prolationis verborum erat panis, absoluta illa prolatione factum sit corpus Christi. Sic si ipse Christus simili verborum formula voluisset in

Concil. Trid. Lib. XVII. cap. 11. non casu, sed post varias disputationes illa verba posita fuere: *Utcumque* (sermo ille apud Joannem cap. VI.) *juxta varias Ss. Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur;* quia nempe, ut aliqui Theologi observaverant, a multis Patribus sermo ille Christi Domini explicatur de sola manducatione suæ carnis spirituali, non de Sacramentali. Nos itaque hanc probationem omittendam duximus, secuti exemplum quorumdam aliorum insignium Theologorum. Sed si quis cupiat illam probationem optima in luce collocatam legere, adeat Nat. Alexandrum, Dissert. XII. in Sæc. XI. & XII. art. 1.

(*b*) Ab hac difficultate se facile liberant, qui consecrationem panis & vini a Christo factam fuisse dicunt *potestate excellentiæ* secreta benedictione; unde postea vere dicere potuit: *Hoc est corpus meum*, ut pronomen *hoc* referretur ad corpus. Verum, ut supra ostendimus nu. 145. aliæ postea occurrunt difficultates graviores. Nec satis considerate scripsit Catharinus, Scholasticos suos adversarios in tot tantaque absurda præcipitare, ut qui eos sequi voluerit, pene insanire videatur.

in nuptiis Canæ Galilææ aquam in vinum convertere, dicendo: *Hoc est vinum*, omnes facile intellexissent, illud, quod prius erat aqua, fuisse in vinum conversum. Hæc enim est vis propositionum, quæ appellantur *practicæ*, & *operativæ*, quia mutando subjectum, æquivalent duabus simul unitis, nempe *hoc*, *quod prius erat panis*, *modo est corpus meum*. Sic si quis alteri donans librum dicat: *Hic liber est tuus*, perinde est, ac si dicat: *Hic liber*, *qui antea meus erat*, *modo tuus est* (a).

257. Inst. Ista locutio: *Hoc est corpus meum* est Sacramentalis: ergo ejusdem propositionis sensus hic est: *Hoc est Sacramentum & corpus meum*: sed Sacramentum definitur *signum*: ergo idem erit, ac dicere: *Hoc est signum corporis mei*. Hinc decantata illa apud Calvinistas *metonymia Sacramentalis*, qua omnia per tropos, & figuras explicantur.

258. Resp., hoc totum purum, putumque esse sophisma, quod facile ex hactenus dictis exsufflatur. Non enim omnia, quæ de Sacramentis dicuntur, ad locutionem Sacramentalem, seu figuratam pertinent; sed quædam rem proprie, & vere exprimunt, quædam autem interiorem gratiæ operationem significant; ut in baptismo aqua, & ablutio est propria, vera, & realis, hæc autem externa corporis ablutio internum animæ lavacrum significat. Ita in Eucharistia verba illa: *Hoc est corpus meum* veram, ac realem corporis Christi præsentiam exprimunt; quæ autem remanent species panis, qui frangitur, & vini, quod effunditur, repræsentant cruentam illam immolationem, quam Christus ipse pro nostra redemptione æterno Patri in cruce obtulit.

ARTICULUS II.

Ex veterum Patrum traditione ostenditur, Christum esse in Eucharistia vere, realiter, & substantialiter præsentem (b).

259. Et *primo* observatione dignum est, nunquam Patres fuisse sollicitos monendi fideles, verba illa Dominica *Hoc est corpus meum* non esse in sensu proprio intelligenda, sed in sensu figurato, quod certe monere debuissent, ne ex obvia illorum significatione in turpissimum errorem laberentur; præcipue cum hanc sollicitudinem sæpius ostenderint in aliis Scripturæ locis explicandis; ut ex. gr. in illo textu Gal. III. 13., quod Christus *factus sit pro nobis maledictum*; tum in

(a) Hac ratione facile conciliantur ii Theologi, qui pronomen *hoc* intelligunt de pane, cum aliis, qui illud intelligunt de Christi corpore. Primi enim considerant illud primum momentum, in quo mutatio nondum facta est; alii momentum sequens, quo virtute divina panis conversus jam est in corpus Christi; quomodo si Christus in nuptiis Canæ Galilææ dixisset: *Hoc est vinum*, pronomen *hoc* potuisset referri tam ad aquam, antequam transmutaretur, quam ad vinum, postquam transmutatio facta jam erat. Sed de hoc sophismate, quo inanes triumphos agunt Albertinus, & Chamierus, videri possunt Lib. II. *Defens. Perpetuit.* cap. 8. tom. 2. & Nat. Alexander in laud. Dissert. XII. in Sæc. XI. & XII.

(b) Quamquam Sacramentarii, non minus quam alii Novatores, ex solis sacris litteris Christianæ Religionis dogmata depromenda esse contendant, quando tamen agitur de augustissimo hoc Sacramento, etiam ad veterum Patrum doctrinam fidenter nos provocant. Hanc aliis viam primum mostrasse videtur Phil. Mornæus Du-Plessis, infensissimus Rom. Ecclesiæ hostis in Libris 4. *De Eucharistia* an. 1594. quem solide confutavit doctissimus Card. Jo. David Du-Perron variis scriptis, quæ simul collecta inveniuntur in Tomo I. ejusdem Operum; postquam ipsum ore devicerat in celebri Colloquio Fonti-Bellaquei, anno 1600. Eumdem Mornæum feliciter impugnavit Dominicanæ Familiæ decus Coeffeteau Episcopus Massiliensis, quem laud. mox Card. Perronius magno in pretio habebat. Malam tamen Mornæi causam non pauci ex Pseudo-reformatis defendere agressi sunt; sed nonnisi tres aut quatuor commemorari merentur, scilicet Dan. Chamierus ferocis ingenii homo, qui anno 1621. in obsidione Montis-Albani, dum suos ad pugnam contra Catholicos cohortaretur, similiter ac ejus antesignanus Zwinglius, in prælio occisus fuit. Illius *Panstratiam* edidit Bern. Turrettinus an. 1626. Chamiero successit in certamine eucharistico Edmundus Albertinus editis anno 1654. tribus libris *De Eucharistiæ Sacramento*. Cum postea prodiisset an. 1659. *Officium S. Sacramenti* a Petro Nicolio elaboratum, in quo præfationis loco ostendebatur perpetua Ecclesiæ fides de reali præsentia corporis & sanguinis Christi, Jo. Claudius pseudo Minister Carentonianus huic se controversiæ immiscuit, Nicolii libellum confutans. Claudio respondit Nicolius an. 1664. iterum impressa eadem Præfat. cum hoc titulo: *La perpetuité de la foy de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie*. Cumque hoc Nicolii opus refellere aggressus esset Claudius, eum impugnavit P. Jac. Novetus S. J. in libro *La présence de J. C. dans le Sacrament*, cui mox Claudius respondit in *Tract. de Euchar.* an. 1668. Tunc demum prodiit opus illud immortale Ant. Arnaldi sub eodem titulo *Perpetua fides Ecclesiæ Cath. circa Eucharistiam defensa contra librum Claudii*, Lib. XI. quibus accessere Dissert. duæ *De Jo. Scoto*, *& de Bertramo* elucubratæ ab Anselmo Paris Canonico S. Genovefæ. Suam postea addidit operam Eus. Renaudotius in Defensione *Perpetuitatis fidei*, ubi non solum Claudianæ argutiæ & cavillationes dissipantur, sed nova etiam afferuntur monumenta ad perpetuam Ecclesiæ fidem magis magisque confirmandam. Alios ex utraque parte scriptores commemorare non vacat; prætermittendus tamen non est Natalis Alexander, cujus Dissertatio XII. in Sæc. XI. & XII. & minus prolixa, & Tyronum usui magis erit accommodata.

Obiter addendum, non defuisse inter Sacramentarios, qui veterum Patrum doctrinam sibi omnino adversari faterentur, ut inferius notabimus. Quidam etiam affirmare ausi sunt, sanctos Patres inter se minime concordes esse, immo aliquos sibi ipsis quandoque repugnare, adeoque in hac controversia seponendos. Id insinuare videtur Lutheranus Chemnitius *De vera & substant. præsentia, &c.* cap. 10.

in alio 2. Corinth. V. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Cur ergo hanc cautionem non adhibuerunt, monendi fideles, ac præcipue Neophytos, ne verba Christi *Hoc est corpus meum* in sensu obvio, & litterali intelligerent? Cur nullam in iisdem explicandis difficultatem notarunt? Nisi quia nullum tunc dubium erat, in iis doctrinam realis præsentiæ corporis Christi perspicue, & aperte contineri.

240. Et quidem innumera ad id confirmandum turmatim se se offerunt sanctorum Patrum testimonia, in quibus nulla prorsus indicata sensus *figuralis* mentione absolute dicitur, in hoc Sacramento nobis dari ipsum verum, & proprium corpus, & sanguinem Jesu Christi: sed brevitatis causa nonnisi pauca seligemus. Ignatius gloriosissimus Sæc. II. Episcopus, & martyr in Epist. ad Smyrnæos Eucharistiam appellat *carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est* (*a*). S. Justinus alter ejusdem sæculi martyr in *Apol. II.* Eucharistiam dicit esse non *panem communem, nec communem potum*, sed *incarnati Jesu carnem, & sanguinem*. Tertullianus Lib. IV. *Cont. Marc.* cap. 40. de Christo loquens, *Acceptum panem*, inquit, *& distributum discipulis corpus illud suum fecit*. Missis aliis non paucis præstat audire duos insignes Sæc. IV. Patres, Cyrillum Jerosolymitanum, & Gregorium Nyssenum; quorum prior *Catechesi* IV. de hoc Sacramento fideles edocens inquit: *Cum Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, ac dicente: Hic est sanguis meus, quis unquam dubitet, & dicat, non esse illius sanguinem?* Gregorius autem Nyssenus in *Orat. Catechetica* cap. 37. *Credo*, inquit, ... *quod statim a Verbo* (panis) *in corpus transmutetur per verbum: Hoc est corpus meum*. Multo plura luculentissima utriusque testimonia brevitatis studium nos omittere cogit.

241. Ita profecto loquentes Patres sensum obvium, & litteralem verborum Christi confirmant, atque arbitrarios Sacramentariorum tropos, ac *figuras* excludunt; unde etiam aliqui usi sunt exemplo ejusdem Christi, quando in nuptiis Canæ Galilææ aquam in vinum convertit, aut Aaron, quando suam virgam in serpentem, & rursum serpentem in virgam transmutavit. Sic S. Cyrillus Jerosol. in *Catech.* IV. *Mystagog. Aquam*, ait, *aliquando mutavit in vinum, ... & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem suum transmutasset?* Exemplo autem virgæ Aaronicæ usus est S. Ambrosius in Lib. *De initiandis* cap. 9. Unde postea Anastasius Sinaita, scriptor egregius Sæc. VII. in opere inscripto Ὁδηγὸς *Dux viæ* Hæretico Gajanitæ ajenti: *Absit, ut dicamus, sacram communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus, & sanguinem Christi Filii Dei incarnati*, ita nomine Orthodoxorum respondet: *Sic credimus, & sic confitemur juxta dictum Christi ad Discipulos in cœna mystica* (*b*). Et Sæc. seq. S. Joann. Damascenus Lib. IV. *De fide orthodoxa* cap. 13. doctrinam veterum exponens: *Nec vero*, inquit, *panis, & vinum Christi corporis, & sanguinis figura sunt* (*absit*), *sed ipsum Domini corpus Deitate donatum*.

242. Neque vero hujus argumenti vim elevant aliqua loca, quæ inutili labore Sacramentarii ex veteribus Patribus conradunt, quibus Eucharistia dicta est *signum*, vel *figura* corporis Christi.

243. Nam præterquam quod hæc loca rarissima sunt, frequentatissima vero illa, in quibus sine ulla restrictione asseritur præsentia realis corporis, & sanguinis Christi, potest etiam Eucharistia dici *signum*, & *figura* corporis Christi, quia ibi non est in propria specie, quomodo apparebat, cum in terris versaretur, & quomodo nunc a Beatis videtur in cœlis; sed ibi est tantum Sacramentaliter *ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissime credere debemus*, ut sup. n. 227. cum Patribus Concilii Tridentini diximus.

244. *Secundo*. Iidem sancti Patres, qui nullam in obvio verborum Christi sensu amplectendo difficultatem invenerunt, maximam postea difficultatem experti sunt in mysterio, quod illa verba includunt, intelligendo, & explicando; quæ tamen difficultas nulla esse poterat, si cum Sacramentariis putassent, in eo Sacramento non contineri, nisi figuram, & commemorationem Christi corporis, & sanguinis. Sic Sancti Cyrillus, & Nyssenus sup. n. 240. laudati, ut omne dubium circa hoc mysterium averterent, hoc esse objectum fidei dicebant: *Credimus*; quod non erit necesse, si dicamus, in eo non esse, nisi Christi corporis, & sanguinis figuram. Expressius autem S. Joan. Chrysostomus Hom. LXXXIII. in Matth. *Credamus*, inquit, *ubique Deo, nec repugnemus, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum es-*

(*a*) Frustra conatus est Jo. Dallæus *De scriptis suppositis Dionysio, & Ignatio* verba hæc ut supposititia rejicere; cum illa etiam referat Theodoretus in Dial. III. contra Eutychianos. Dallæum confutavit Jo. Bapt. Cotelerius Tom. II. *Patrum Apostolic.* in not. ad illam epistolam.

(*b*) Obiter notandum, non ex publica Ecclesiæ fide, sed ex privato suo ratiocinio Anastasium contra hæreticos Gajanitas intulisse, ex quo species panis & sanguinis in hoc Sacramento corrumpantur, necessarium esse, *ut unum ex duobus fateantur, aut id, quod sumunt, non esse verum corpus Christi ... aut corpus Christi ante resurrectionem corruptioni subjectum fuisse*. Non enim Corpus Christi in Eucharistia corrumpitur, sed solæ panis vinique species.

esse videatur, quod dicit; superet & sensum, & rationem nostram sermo ipsius ... Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Et S. Gaudentius Brixianus Tract. II. in Exodum: *Quod*, inquit, *annuntiatum est, credas, quia quod accipis, corpus est illius panis cælestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est*, &c. Denique S. Ambrosius in Lib. *De initiandis* cap. 8. ad omne dubium submovendum, *Quid*, inquit, *hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipsa Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius est Sacramentum. Ipse clamat Dominus Jesus: Hoc est corpus meum*. Tantane erat necessitas excitandi fideles ad credendum hoc eximium, ac sublimissimum mysterium, si in eo nihil aliud nobis proponeretur, nisi Christi figura?

245. Quid plura? Aliqui Patres hoc Eucharistiæ mysterium comparant cum ineffabili mysterio Dominicæ Incarnationis. Sic Justinus loco supra n. 240. laud. *Quemadmodum*, inquit, *per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster carnem, & sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eumdem modum etiam eam ... alimoniam, unde sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesus carnem, & sanguinem esse, edocti sumus*. S. Hilarius Lib. I. *De Trinit. Si enim*, ait, *Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus*. S. Joann. Damascenus Lib. IV. *De fide orthod.* cap. 14. ad hujus mysterii explicationem hac utitur aptissima comparatione: „ Quæsivit Virgo, *quomodo fiet mihi istud?* „ Respondit Gabriel Archangelus: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis nunc fiat Corpus Christi? „ Tibi quoque respondeo: *Spiritus sanctus* „ *pervenit*, eaque efficit, quæ orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt." Hunc responderent Zwinglius, Calvinus, aliique sensus figurati defensores.

246. Postremo, antiquissima est in Ecclesia hujus Sacramenti adoratio, quæ absurda omnino esset, & idololatrica, nisi in eo vera Christi humanitas divinitati conjuncta contineretur. Reipsa Sacramentarii ab hoc cultu omnino abhorrent. Non sic antiqui fideles; nam in vetustissimis liturgiis hæc adoratio apparet (*a*). Præterea eamdem veteres Patres fidelibus maximopere commendarunt. S. Ambrosius Lib. III. *De Spiritu S.* cap. 12. adorationem, quæ fit in Sacramento Eucharistiæ, eam ipsam esse dicit, qua Apostoli Dominum adorarunt, inquiens de carne Christi, *quam hodie in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt*. Et S. Augustinus in Psal. XCVIII. loquens de carne Christi, *Nemo*, inquit, *illam carnem manducat, nisi prius adoraverit*, Eucharistiæ cultum memorant quoque Origenes Hom. V. in diversa loca Evangelii, & S. Joann. Chrysostomus Hom. XXIV. in Epist. ad Corinth.

247. Hinc etiam diligentissime fideles cavebant, ne aliquid vel minimum ex speciebus consecratis in terram decideret. *Calicis*, inquiebat Tertullianus in Lib. *De Corona militis* cap. 3., *aut panis etiam nostri aliquid decidi in terram, anxie patimur*. Et Origenes Hom. XIII. in Exodum ita scribebat: *Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione servetis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquis dilabatur; reos enim vos creditis, si quid inde per negligentiam decidat*. Tanta porro reverentia erga species Sacramentales, & scrupulosa cautela non aliunde oriri poterat, quam ex interna persuasione præsentiæ realis corporis, ac sanguinis Christi. Nonnulla alia Sanctorum Patrum testimonia in solutionibus argumentorum afferenda erunt (*b*).

248.

(*a*) Hoc argumentum uberrime pertractatum est in sæpius memorato Opere *De perpetua Ecclesiæ fide* &c. & ab Eus. Renaudotio in *Collectione Liturg. Orientalium*. Symbolam suam iis addidit celeberrimus Muratorius in *Liturgia Roman. veteri complectente tria Sacramentaria, Leonianum, Gelasianum, & antiquum Gregorianum*. Ex hac autem adoratione magis confirmatur sensus illarum precum, quibus in iisdem liturgiis Deus invocatur, ut omnipotenti sua virtute sacra dona transmutet in corpus & sanguinem Jesu Christi. Si enim, ut falso commentantur Sacramentarii, hæc invocatio ad nihil aliud dirigeretur, quam ut sacra illa dona virtutem & efficaciam quamdam nos sanctificandi acquirerent: non possent illa dona, utut hac virtute repleta, esse nostræ adorationis objectum. Ceterum Hugo Grotius in *Voto pro pace ecclesiast. contra Rivetum, aliosque irreconciliabiles*. T. IV. Opp. pag. 670. *Consensus*, inquit, *liturgiarum per omnia loca & tempora in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum Sanctum sanctificet, eaque faciat corpus & sanguinem Christi, me dubitare non sinit, venire hoc a prima Apostolorum institutione*.

(*b*) Quamquam, ut supra dictum est, Mornæus, Chamierus, Albertinus, La-Roque, Claudius, & quidam alii conati sint, veteres Patres in novam Sacramentariorum sententiam invitos pertrahere, non defuerunt tamen, qui nimia veritatis luce coacti frustraneum esse hunc laborem confessi sunt. Œcolampadius unus ex primis Sacramentariorum coryphæis (referente Hospiniano *Hist. Sacram.* P. altera pag. n. 56.), ut quæ conceperat de reali Christi præsentia, dubia exueret, *antiquorum Doctorum* lectione infirmitatem suam vincere studebat; sed *pendens ab aliorum judicio parum recte sentiebat* (ad mentem Sacramentariorum). *Tandem semota hominum auctoritate* (nempe Ss. Patrum) *veritas ei fulgidior affulsit*. Eademque fuit aliorum ejusdem sectæ Scriptorum confessio. *Maior*, inquiebat Scaliger in *Scaligerianis*, *qui fieri potuerit*,

248. Post tam diserta sacr. litter., & SS. PP. testimonia jure meritoque Ecclesia hanc pretiosissimam veritatem maxima cura conservare, & custodire sategit. Statim enim ac Berengarius Sæc. XI. ineunte communem hujus divini Sacramenti fidem labefactare conatus est, fuit a Rom. Pontificibus Leone IX., Victore II., Nicolao II. in variis Synodis Romæ habitis, deinde in Conciliis Vercellensi, Parisino, Rothomagensi, Turonensi, aliisque damnatus, atque ad palinodiam, semel, iterum, ac tertio coactus. Eamdem veritatem postea definiverunt Concilia œcumenica, Lateranense sub Innocentio III., Constantiense Sess. VIII., Florentinum in *Decreto Unionis;* ac demum Tridentinum Sess. XIII. cap. 1., ubi hæc leguntur: *Principio docet S. Synodus, & aperte, ac simpliciter profitetur, in almo S. Eucharistiæ Sacramento, post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, Deum, atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri, &c.* & can. 1. *Si quis negaverit, in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, ac substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit* (*a*). Nunc præcipuæ adversariorum objectiones diluendæ sunt: *præcipuæ* inquam; ad omnes enim huc afferendas vix integrum sufficeret volumen. Exordiemur autem a Latinis, & postea progrediemur ad Græcos.

Solvuntur objectiones ex Patribus Latinis.

249. Opponunt *primo* ex Patribus latinis Tertullianum, qui in Lib. IV. *cont. Marc.* cap. 40. verbis a nobis superius num. 241. allegatis hæc subdit; *idest figura corporis mei*. Et antea in Lib. III. cap. 19. dixerat, Christum appellasse panem *corpus suum*, ut intelligamus, *corporis sui figuram pani dedisse*. Et Lib. 1. cap. 14. Christum in pane *ipsum corpus suum repræsentare* asserit: quod ineptissimum foret, si panis fuisset in corpus Christi conversus.

250. Resp. cum Card. Perronio, aliisque Theologis polemicis, in primo, & secundo loco Tertullianum per hyperbaton verba illa, *idest figura corporis mei*, non retulisse ad *corpus*, sed ad *panem*, antequam per consecrationem in Christi corpus convertatur, quasi diceret: *Hic panis*, qui olim erat *figura* corporis mei in vet. testam., modo mutatus est in corpus meum. Id non semel occurrere in Tertulliano norunt, qui in ejus lectione versati sunt; ut quando contra Praxeam cap. 29. ait: *Christus mortuus est, idest unctus;* nempe *Christus, idest unctus, mortuus est*. Id etiam exigebat hujus Africani scriptoris scopus, probandi scilicet, a Christo fuisse adimpletas figuras veteris testamenti, inter quas illa erat panis, & vini, quæ Sacerdos Melchisedech Deo obtulerat. Volebat insuper Tertullianus, verum corpus Christi fuisse olim in pane præfiguratum; unde ea verba Jeremiæ XI. 19. *Mittamus lignum in panem ejus* ita explicabat: *idest crucem in corpus ejus*. Denique id luculenter ostendunt verba sequentia, cum subdit: *Ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc* (in vet. test.) *vinum in sanguine figuravit*.

251. Quantum vero ad *tertium*, dico, verbum *repræsentare* apud Tertullianum idem significare, ac *præsens aliquid facere*. Nam Lib. *De resurrect. carnis* cap. 14. dicit: *Plenitudinem, perfectionemque judicii nonnisi de totius hominis repræsentatione constare*, idest de totius hominis præsentia ante tribunal judicis. Pariter Lib. IV. *contra Marc.* cap. 22. scribit, Deum Patrem Apostolis Filium suum *repræsentasse*, quando eis dixit: *Hic est Filius meus dilectus*. Immo apud profanos scriptores vox *repræsentare* sumitur pro *exhibere*, ut *repræsentare pecuniam*. Unde etiam Ecclesia Deum orat pro animabus defunctorum, ut Sanctus Michael *repsæsentet eas in lucem sanctam, &c.* Quod vero Eucharistiam *panem* nominent, negotium facessere non debet: sine dubio enim nomine *panis* non intellexit Africanus Doctor, nisi species panis, quæ post consecrationem remanent; nam substantiam panis factam esse Corpus Christi luculenter asserit laud. Lib. IV. cap. 40.

252.

ut Patres omnes crediderint, panem in verum Christi corpus converti. Socinus in epist. ad Radecium, si Patrum auctoritate sit standum, omnibus Sacramentariis *causam cedendam esse*, asserebat. Isaac Casaubonus scribebat Vytenbogarto (in epist. *præstantium virorum* p. m. 329.) *Me, ne quid dissimulem, hæc tanta diversitas a fide veteris Ecclesiæ non parum turbat. Ne de aliis dicam, in re Sacramentorum a majoribus discessit Lutherus, a Lutero Zwinglius, ab utroque Calvinus, a Calvino qui postea scripserunt ... Si sic pergimus, qui tandem erit exitus?* Postea ita Molinæi sententiam exponit: *Omnes veterum libros suæ doctrinæ contrarios respuit ... Falsus illi Cyrillus Jerosol. Episcopus, falsus Gregorius Nyssenus, falsus Ambrosius, falsi omnes, &c.* Denique celebratissima est illa confessio ingenua Jo. Enr. Grabii ad Lib. V. Irenæi, ubi Cyrillum Jerosol., Gregorium Nyssenum, Jo. Damascenum, *aliosque fortasse plures* persuasos fuisse dicit, Spiritum Sanctum divina sua potentia ipsam panis substantiam in carnem Christi *transmutare*. Vid. Dissert. III. P. Massuet in S. Irenæum art. 7. n. 97.

(*a*) In hac definitione adhibita sunt illa verba *vere, realiter, ac substantialiter* ad excludendas æquivocationes Calvini, qui contra Zwinglium docebat, Eucharistiam non continere mera signa, nudasque figuras corporis & sanguinis Christi, sed signa *efficacia;* non tamen concedebat contineri ipsam corporis, sanguinisque substantiam. De æquivocationibus Calvini, & Buceri, vid. Bossuet. Lib. IX. *Variationum*, &c.

252. Neque obest, quod Albertinus sophistice observat, Tertullianum illo in loco *pani* adjunxisse *aquam*, *oleum*, *mel*, & *lac*; quæ omnia in sensu proprio intelliguntur, ut proinde æquum sit, etiam *panem* in sensu proprio intelligere, non de solis speciebus.

253. Non inquam id obest: ipse quippe Tertullianus nobis fundamentum præbet, ut aliter intelligamus *aquam*, *oleum*, *lac*, & *mel*, aliter *panem*: de illis enim solum asseruit, nunquam fuisse a Christo in Sacramentis reprobata; unde inferebat contra Marcionem, non esse a Deo malo; de pane autem addidit, ipsum fuisse factum *corpus Domini*. En ipsius verba: *Usque nunc* (Christus) *nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis, aut lactis societatem, qua suos infantat, nec panem, quo ipsum corpus repræsentat, etiam in Sacramentis propriis egens mendicitate Creatoris*.

254. Ob. *secundo*. S. Hieronymus in cap. XXVI. Matthæi de Christo hæc scribit: *Postquam typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei Sacerdos panem, & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem corporis sui, & sanguinis repræsentaret*. Nihil ergo aliud S. Hieronymus in Eucharistia agnoscit, quam *repræsentationem*, seu figuram corporis, & sanguinis Domini; quemadmodum oblatio Melchisedech fuit figura, & repræsentatio Sacramenti a Christo instituti. Et Lib. II. adv. Jovinianum Eucharistiam vocat *typum sanguinis Domini*.

255. Resp., quantum ad vocem *repræsentandi*, jam mox num. 251. observatum est, ipsam denotare *rem præsentem facere*. Quantum vero ad comparationem inter oblationem Melchisedech, & Eucharistiæ Sacramentum, manifeste declarat Doctor maximus, illam fuisse *figuratam*, hoc autem *veritatem*. Unde in cap. I. Epist. ad Titum inquiebat: *Tantum interest inter panes propositionis, & corpus Christi, quantum inter umbram, & corpus, inter imaginem, & veritatem*. Et pluribus in locis asserit, nos verum Christi corpus, & sanguinem sumere. Sic in Epist. ad Hedibiam: *Nec Moyses*, inquit, *dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva, & convivium, ipse comedens, & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, &c.* Sic pariter quando S. Doctor vocat Eucharistiam *typum sanguinis Domini*, aut *mysterium corporis, & sanguinis Christi*, non negat realem corporis, & sanguinis Christi præsentiam, sed loquitur de externis speciebus, quæ vere, & proprie dici possunt *typus*, *signum*, *figura*, *symbolum*, *mysterium*, *&c.* corporis, & sanguinis Christi, quæ sub ipsis speciebus latent. Eodemque sensu accipiendæ sunt similes voces, quæ aliquando apud alios Patres inveniuntur.

256. Inst. Idem S. Hieronymus in cap. LXVI. Isaiæ rotunde negat, corpus, & sanguinem Christi recipi ab impiis; de iis enim dicit: „ Nec comedunt carnem Jesu, neque bibunt sanguinem „ ejus, de quo ipse loquitur: *Qui comedunt carnem meam, & bibunt sanguinem meum habent vitam æternam*. " Idem repetit in cap. XXII. Jeremiæ, & in cap. VIII. Osææ. Non igitur Hieronymus nostræ doctrinæ consentit, de *reali* corporis, & sanguinis Christi præsentia; sed Calvinianæ de præsentia tantum *spirituali*, & per fidem. Nam in nostra sententia etiam impii verum Christi corpus, & sanguinem recipiunt.

257. Resp. cum S. Thoma 3. P. quæst. 80. art. 3., hæc, & similia verba, quæ haud raro apud veteres Patres occurrunt, esse intelligenda *de spirituali manducatione, quæ peccatoribus non convenit*. Nimirum verum Christi corpus, & sanguis potest dupliciter sumi; uno modo sine fructu, non ad vitam, sed ad mortem, & isto modo sumitur ab impiis; alio modo sumitur a solis justis utiliter, ad sanctificationem animæ, atque ad vitam æternam. Hoc tantum modo negat S. Doctor sumi ab impiis corpus, & sanguinem Christi. Vere tamen impios sumere corpus, & sanguinem Domini diserte asserit in cap. 1. Malachiæ inquiens: *Polluimus panem, idest corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus*.

258. Ob. *tertio*. S. Augustinus pluribus in locis realem Christi præsentiam ab Eucharistia manifeste excludit. Præcipua hæc sunt. *Primo* in Epist. XCVIII. ad Bonifacium Episcopum: *Si enim*, inquit, *Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam earum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est*. Non itaque S. Pater credidit, in Eucharistia vere, & substantialiter corpus, & Sanguinem Christi esse; *sed quodam modo*, scilicet secundum genericam signorum, & Sacramentorum naturam, qua *plerumque* earum rerum, quas significant, nomina accipiunt. *Secundo* S. Pater non semel Eucharistiam vocat *panem*. Ita in Serm. ad recens baptizatos (apud S. Fulgentium in Lib. *De baptismo Æthiopis* cap. ult.) inquiens: *Quod videtis, panis est, & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant*. Et rursus interrogationi: *Quomodo est panis corpus ejus, & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus?* respondet: *Ista, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.*

lem. *Tertio* ibidem explicans, quid significetur per Corpus Christi in Eucharistia, hæc habet: *Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi, & membra. Si ergo vos estis corpus Christi, & membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, &c. Quarto* celebris est illa S. Augustini regula Lib. III. *De doctr. Christ.* cap. 16. ad distinguendum sensum figuratum a litterali, ubi inquit: *Si præceptiva locutio est aut flagitium, aut facinus vetans, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus, vel flagitium videtur jubere: figura est ergo præcipiens passioni Dominicæ communicandum, & suaviter, atque utiliter recondendam in memorata, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata sit.* Ex his potissimum locis triumphum canunt Sacramentarii, jactantes, hunc summum Ecclesiæ Doctorem totum esse suum Sed frustra.

259. Resp. enim ad *primum*, Sacramentum Corporis Christi dici ab Augustino esse ipsum Corpus Christi *secundum quemdam modum;* quatenus consideratur tantummodo quantum ad externas species panis, & vini, quæ proprie dicuntur Sacramentum, hoc est *signum rei sacræ*. Hoc tamen Sacramentum adæquate sumptum, & secundum internam veritatem, & rem Sacramenti esse ipsum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi sæpius asseruit S. Antistes. Mirandum vero non est, nihil tale in hoc loco reperiri, quia nonnisi obiter Eucharistiam commemoravit. Id autem diserte exposuit aliis locis, ubi data opera de illa agit; veluti in Lib. IX. *Confessionum* cap. 13., ubi de piissima sua matre Monica loquens, *memoriam sui*, inquit, *ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari Victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, &c.* Dicentne Sacramentarii, hanc *Victimam sanctam* non fuisse in vero Christi Corpore, & Sanguine Deo oblatam? Sic pariter, ut alia multa loca omittam, idem S. Pater Enarr. in Psal. XXXIV. inquiebat: *Cum datum est, quod promissum est, ablata sunt verba promissiva, data sunt completiva. Sacrificia ergo illa, tamquam verba promissiva, ablata sunt. Quid est, quod datum est completivum? Corpus, quod nostis, &c.*

260. Ad illa S. Doctoris testimonia, in quibus Eucharistiam vocat *panem*, facilis est responsio, Eucharistiam vocari *panem* secundum externam speciem, sub qua oculis exhibetur, & renuntiatur; non autem secundum rei veritatem, secundum quam verum Christi Corpus manducari, & Sanguine sumi multis in locis diserte testatur Augustinus. Unus sufficiat ex Lib. II. *Cont. Advers. legis, & Prophetarum*, cap. 9. ubi inquit: *Mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde, atque ore suscipimus.* Anne ore nos suscipere carnem, & Sanguinem Jesu Christi dicere potuisset Augustinus, si solum panem nos manducare putasset, Christum vero nonnisi *corde* suscipere?

261. Ad *tertium* dico, ibi a S. Augustino sermonem institui non de Corpore Christi vero in Eucharistia, sed de ejusdem Christi Corpore mystico, quod est Ecclesia, cujus Eucharistia est Sacramentum. Nec raro S. Pater in suis sermonibus de hoc mystico Ecclesiæ corpore verba faciebat. Non tamen propterea excludebat verum Christi Corpus, quod a fidelibus *in Dominica mensa præparatur, de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium*, ut ipse loquitur Tract. XXVI. in Joann. Ideo autem S. Pater in suis sermonibus rarius, aut obscurius de Corpore Christi Sacramentali loquebatur, quia adhuc illo tempore vigebat notissima *Disciplina arcani*, ne Gentiles ansam arriperent nostra Sacramenta irridendi. Sic Enarr. in Ps. XXXIII. *Nondum*, inquit, *erat sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, quod fideles norunt*, infidelibus autem celabatur.

262. Ad *quartum*, manifestum est, S. Augustinum eo loci non excludere tamquam *flagitiosam* manducationem Corporis Christi *Sacramentalem*, de qua ibi non loquebatur; sed *carnalem*, in sensum Capharnaitarum, quibus *durus* videbatur sermo Christi dicentis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo*, Joann. VI. 57. & qui propterea scandalizati sunt, putantes, carnem Christi esse discerpendam, *quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur*, ut loquitur ipse Augustinus.

263. Inst. S. Augustinus in Lib. contra Adimantum Manichæum cap. 12. *Non dubitavit*, inquit, *Dominus dicere: Hoc est Corpus meum, cum signum daret Corporis sui;* qua loquendi ratione, ut Albertinus contendit, significavit S. Doctor, Christum sensu quidem vero, sed non naturali, & obvio appellasse corpus suum illud, quod dabat; neque enim si quis aurum daret, de eo diceretur: *Non dubitavit aurum appellare, quod dabat. Propterea* ibidem addit, Christum vocatum fuisse ab Apostolo *petram*, utique non in sensu proprio, sed figurato. Apertius autem S. Pater Enarrat. in Psalm. III. ait, Christum Dominum *Discipulis suis Corporis, & Sanguinis sui figuram commendasse, & tradidisse. Secundo* Tract. XXV. in Joann. loquens de manducatione Corporis Christi, inquit: *Ut quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducasti:* & Tract. XXVI. *Credere in eum hoc est manducare panem vivum; qui credit, manducat. Tertio* idem S. Doctor putavit, Corpus Christi ab indignis reipsa

psa non sumi; nam Tract. LIX. in Jo. Apostolos opponens Judæ ait: *Illi manducabant panem Dominum, ille panem Domini contra Dominum: illi vitam, ille pœnam*. *Quarto*, in Psal. XCVIII. Christum sic loquentem inducit: *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum; non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi: spiritualiter intellectum vivificabit vos*. *Quinto* Lib. contra Faustum cap. 21. *Hujus sacrificii*, inquit, *caro, & sanguinis ante adventum Christi per victimarum similitudinem promittebatur; in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur*. *Demum* in Epist. CCV. respondens Consentio, qui eum interrogaverat, *utrum nunc Corpus Domini ossa, & sanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta?* respondet; *Ego Domini Corpus ita in cœlo esse credo, ut erat in terra, quando ascendit in cœlum*. Postea subdit: *Nisi forte de sanguine requirendum est, quia cum dixisset: palpate, & videte quia spiritus carnem, & ossa non habet, non addidit sanguinem;* ac concludit: *Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere; & de compendio, si placet, finita sit quæstio*. Si autem credidisset Augustinus, vinum in sanguinem transmutari, non hæsitasset respondere, in Christi corpore sanguinem esse.

264. Resp. ad *primum*, S. Augustinum appellare Eucharistiam *signum* Corporis Christi, non absentis, sed præsentis: nam in eodem loco appellat etiam sanguinem signum animæ, utique præsentis, non absentis. Quamquam hic S. Doctor de Sacramento Eucharistiæ ex professo non agit, propterea opus non habuit, rem clarius explanandi. Quod additur in objectione, non est ad rem; certe enim ludicra, & inepta esset illius locutio, qui de dante aurum diceret, *non dubitavit aurum appellare, quod dabat:* verum ludicra non esset hæc alia locutio, si externa species aurum reipsa non repræsentaret, sed potius occuleret; tunc enim recte dici posset: *Non dubitavit aurum appellare, quod dabat*. Cum itaque verum Corpus Christi sub externa specie panis lateat, aptissime affirmavit magnus Doctor, Christum *non dubitasse dicere*: *Hoc est Corpus meum*. Quod autem Apostolus Christum vocaverit *petram*, nullum facessit negotium, cum obvius esset sensus mysticus & figuratus. Unde Augustinus Tract. 26. in Joann. *Petra*, inquit, *Christus in signo: verus Christus in verbo, & carne*. Vid. sup. num. 214.

265. Alterum S. Patris testimonium ex Enarr. in Psal. III., sicut & aliæ similes aliorum Patrum locutiones facile explicantur, quod Eucharistia dicatur, & sit *figura, & signum* Corporis Christi, quantum ad externas species, quæ sensibus subjiciuntur; cui tamen *figuræ, & signo* ipsum Corpus Christi conjunctum est. Duplex quippe signorum, ac figurarum genus distinguere oportet cum Cardinali Perronio: alia enim signa sunt vacua, & solum instituta ad rem absentem repræsentandam, qualia fuerunt agnus Paschalis, manna, petra deserti, panes propositionis &c.: alia vero signa sunt plena, quæ ipsam rem significatam realiter, quamquam invisibiliter, in se continent. Sic columba, quæ in Jordane super Christum visa est, & linguæ igneæ, quæ super Apostolos descenderunt, signa erant, & figuræ Spiritus sancti, latentis quidem, sed tamen præsentis, & conjuncti: atque hoc modo symbola panis, & vini dicuntur *signa, & figuræ* Corporis, & Sanguinis Jesu Christi, non absentium, sed ibidem præsentium, & latentium.

266. Dici etiam potest cum aliquibus, verum Christi Corpus *Sacramentaliter, & invisibiliter* in Eucharistia contentum esse *imaginem, figuram, typum, & signum* sui ipsius sub alio respectu; nempe quatenus olim in *statu naturali* videbatur in terris, & modo gloriosus sedet ad dexteram æterni Patris, & oculis Beatorum *visibilis* est in cœlis. Hoc sensu S. Jo. Damascenus Lib. IV. *De fide orth.* cap. 13. hæc divina mysteria *ἀντίτυπα* appellabat, *non quod vere Christi Corpus, & Sanguis non sint; sed quod nunc quidem divinitatis Christi participes efficiamur, tunc autem intelligentia per solum aspectum* (a).

267. Frustra autem cavillantur Albertinus, La-Roque, aliique Calvinistæ, dicentes, *figuram* relative opponi *figurato*, ut proinde impossibile sit, Eucharistiam esse ipsum Christi corpus, si ejus sit figura; *figura* enim, *non veritas, sed imitatio veritatis*, inquit S. Gaudentius Tract. II. in Exodum: & Epiphanius Diaconus in refutatione Synodi Iconomachorum inquiebat: *Si imago corporis est, non potest esse ipsum divinum Corpus*. Si ergo S. Augustinus Eucharistiam appellat *figuram, &c.*

268. Frustra inquam cavillantur. Nemo quippe ignorat, *figuram*, ut *figuram*, seu ut loquuntur Logici, *reduplicative* sumptam, idem esse non posse cum figurato; quod supervacanee Sacramentarii multis SS. Patrum testimoniis confirmare laborant; sed numquam probare potuerunt, rei veritatem, & præsentiam simul cum figura sub diverso respectu non posse reperiri. Sane Christus Dominus, quando in cruce pendens latroni promisit paradisum, *jam significabat, quod facturus esset de vivis, & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram*, inquit S. Augu-

(a) Vid. P. Mich. Le-Quien in not. ad hunc locum Damasceni, & Nic. du Mortier Cleric. Regu. Ministrantium infirmis, in *Etymologia sacra Græco-Latina*.

gustinus Tract. XXXII. in Jo., adeoque sui ipsius, ut judicis futuri, figura erat, & signum, & tamen ipse vere præsens erat.

269. Ad *secundum* resp. cum. S. Thoma 3. P. qu. 80. art. 3. ad 1. *Illa* (Augustini) *verba*, *&* *similia esse intelligenda de spirituali manducatione*, *quæ peccatoribus non convenit*, utpote quæ requirit fidem charitati conjunctam. Vid. sup. num. 257. Alii autem volunt, Augustinum hoc in loco, ut in quibusdam aliis, locutum esse de Eucharistia, non prout est Sacramentum Ecclesiæ, continens verum Christi Corpus, & Sanguinem, sed prout significat unionem cum Corpore Christi mystico, sive hæc unio fiat per baptismum, sive per Eucharistiam, sive quocumque alio modo. Quam S. Augustini interpretationem tradit etiam Angelicus 3. P. qu. 73. art. 3., ubi agens de necessitate Eucharistiæ ad salutem, inquit: *In hoc Sacramento duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, & rem Sacramenti. Dictum est autem, quod res hujus Sacramenti est unitas Corporis mystici, sine qua non potest esse salus; nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe, quæ significat Ecclesiam*. Postea vero in resp. ad 1. affert Augustini testimonium ex ipso loco objecto Tract. XXVI., ubi per Corpus Christi *societatem vult intelligi corporis*, *&* *membrorum suorum*, *quod est Ecclesia in prædestinatis*, *&* *vocatis*, *&* *justificatis*, *&* *glorificatis sanctis*, *&* *fidelibus ejus*. Unde etiam parvulis Eucharistiam hoc sensu acceptam necessariam esse docet.

270. Ceterum ibidem non excludit verum, & proprie dictum Eucharistiæ Sacramentum; nam quasi immediate subdit. *Hujus rei Sacramentum*, *idest unitatis Corporis*, *&* *Sanguinis Christi*, *alicubi quotidie*, *alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur*, *&* *de mensa Dominica sumitur*, *quibusdam ad vitam*, *quibusdam ad exitium; res vero ipsa*, *cujus Sacramentum est*, *omni homini ad vitam*, *nulli ad exitium*, *quicumque ejus particeps fuerit*. En quomodo Augustinus distinguat Sacramentum Eucharistiæ, quod ipsum Corpus, & Sanguinem Christi continet, & rem significatam per Sacramentum, quæ est *societas Corporis Christi & membrorum*.

271. Atque ex his solvitur *tertia* objectio. Certissimum enim semper fuit Augustino, ipsum Corpus, & Sanguinem Christi tam ab indignis, quam a dignis manducari, & bibi, quamvis diverso effectu. In Lib. ad Donat. post collationem num. 27. dicit, malos, ac bonos *simul manducare*, *&* *bibere Corpus*, *&* *Sanguinem Domini*, *sed cum magna distinctione*. Et Lib. V. *De bapt.* cap. 8. de indigne sumente Dominicum Sacramentum loquens, *non efficit*, inquit, *ut quia ipse malus est*, *malum sit*, *aut quia non ad salutem accepit*, *nihil acceperit*. *Corpus enim Domini*, *&* *Sanguis Domini nihilo minus erat etiam in illis*, *quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indigne*, *&c.* Ac demum Serm. 71. in Matth. cap. 11. Judam Magistri venditorem, & traditorem ait *primum ipsum manibus ejus confectum Sacramentum Carnis*, *&* *Sanguinis ejus cum ceteris Discipulis manducasse*, *&* *bibisse*. Quam verissimam doctrinam, Sacramentariorum erroribus e diametro oppositam, multis aliis in locis inculcat. Verba autem objecta solum de pessimo affectu, & effectu, quo impii una cum Juda verum Christi Corpus comedunt, intelligenda sunt.

272. Ad *quartum* dico, S. Augustinum, cum vult *spiritualiter* esse intelligenda verba Christi, non excludere veram, & Sacramentalem manducationem ejusdem Corporis; sed illam, qua verba Christi Capharnaitæ *stulte*, *&* *carnaliter* acceperunt, putantes, *quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo*, *&* *daturus illis*, ut in eodem loco paulo ante idem S. Doctor dixerat. Vid. sup. n. 262.

273. Inepte autem hanc responsionem impugnabat Albertinus, observans, quod si illud *spiritualiter* manducari dicitur, quod dentibus non comminuitur, dicendum quoque sit, a nobis non manducari nisi spiritualiter medicinales pillulas, quia tenuibus quibusdam foliis involutæ sine masticatione deglutiuntur; & piscem illum magnum, qui Jonam vivum absorpsit, illum nonnisi *spiritualiter* manducasse. Inepte inquam; Christus enim Dominus in illis verbis, quæ commentatur Augustinus, loquitur de manducatione spirituali, & Augustinus ipse loquitur de manducatione *spirituali* Corporis Christi, qua comeditur quidem vera caro Christi, sed non ad modum aliarum carnium, quæ dentibus comminuuntur.

274. Ad *quintum* dico, utique per Sacramentum Eucharistiæ recoli memoriam illius sacrificii, quod in vet. test. per victimas promittebatur, & quod in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur; sed id minime significat in hoc Sacramento ipsum Christi Corpus, & Sanguinem non contineri. Nam etiam Ecclesia ita solemniter orat: *Deus*, *qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti*, *tribue quæsumus*, *ita nos Corporis*, *&* *Sanguinis tui sacra mysteria venerari*, *&c.* nec tamen aliquis inde concludet, Ecclesiam in sacris istis mysteriis non credere, & venerari Jesum Christum reipsa præsentem. Immo ipse S. Augustinus in eodem libro cap. 17. jam dixerat, *Christianos peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrare sacrosancta oblatione*, *&* *participatione Corporis*, *&* *Sanguinis Christi*.

275. Ad *ult.* resp., S. Augustinum noluisse ingredi quæstionem de Christi sanguine motam a Consentio, *ne accepta occasione sanguinis*, *urgeret ipsum molestior perscrutator*, *&* *diceret: Si sanguis*, *cur non* *&* *pituita*, *cur non* *&* *fel flavum*, *&* *fel nigrum*, *quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari*, *etiam medicinæ disci-*

pli-

plina testatur? Sed quidquid sit de quæstione illa, an Christus resurgens habuerit sanguinem (vide, quæ diximus Tom. V. Sect. II. Diss. III. cap. 4.), S. P. Augustinus sexcentis in locis mentionem fecit pretiosissimi Sanguinis Christi, qui in hoc Sacramento ad bibendum datur; non secus ac caro datur ad manducandum.

276. Ob. *quarto*. Facundus Hermianensis sæculi VI. scriptor Lib. IX. cap. ult. hæc habet. *Sicut Sacramentum Corporis, & Sanguinis ejus, quod est in pane, & poculo consecrato, Corpus ejus, & sanguinem dicimus, non quod proprie Corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quod in se mysterium Corporis, sanguinisque contineant .... sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit ipse dici adoptione filiorum recepisse*. Ubi *primo* Facundus aperte negat, Corpus, & Sanguinem Christi esse in hoc Sacramento, licet id dicatur in sensu quodam figurato. Deinde comparando Eucharistiam, quam fideles suscipiunt, adoptioni, quam Christus recepit, magis confirmat, *proprie*, & sensu litterali Corpus & Sanguinem Christi non recipi a fidelibus, sicut proprie adoptionem non recepit.

277. Resp., Facundum eo in loco nomine *Sacramenti* intelligere species panis, & vini, quæ *proprie* non sunt Corpus, & Sanguis Christi, *sed in se mysterium Corporis ejus, sanguinisque continent*. Hoc ut probe percipiatur, observandum est, scopum Facundi non fuisse accuratam Sacramenti Eucharistiæ doctrinam tradendi, sed Theodori Mopsuesteni defensionem contra Synodum V. adornandi. Fuerat Theodorus, tamquam præformator Nestorianæ hæresis condemnatus, quia dixerat, Christum adoptionem filiorum accepisse, *& quando circumcisus est, & quando baptizatus est*. Facundus hæc verba Theodori excusat, quia *potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari*, quamvis *proprie* adoptio non sit. Ad hoc autem declarandum utitur exemplo Sacramenti Corporis, & Sanguinis Christi, quod *Corpus ejus, & Sanguinem dicimus, non quod proprie Corpus ejus sit panis, & poculum sanguis* (hoc est non quod *proprie* species panis, & vini sint Corpus, & Sanguis), *sed quod in se mysterium Corporis ejus, sanguinisque contineant*. Unde in rem suam ita concludebat. *Quocirca sicut Christifideles, Sacramentum Corporis, & Sanguinis ejus accipientes, Corpus, & Sanguinem Christi recte dicuntur accipere: sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse*. Quidquid autem sit de vi hujus similitudinis, qua ad malæ suæ causæ patrocinium utebatur Facundus, nobis satis est, ab hoc Africano scriptore non fuisse negatam præsentiam realem, quam Ecclesia illa, una cum Romana, cæterisque totius orbis Christiani unanimi consensu profitebatur; sed potius confirmatam, cum expresse dicat, Corpus, & Sanguinem Christi non esse quidem panem, & poculum, sub iisdem tamen, seu sub eorumdem speciebus contineri; immo addat, Christifideles accipientes Sacramentum *Corporis*, & *Sanguinis* ejus *recte* dici accipere *Corpus, & sanguinem Christi*.

Solvuntur objectiones ex Patribus Græcis.

278. Ob. *primo*. S. Irenæus Lib. IV. adv. hæreses cap. 34., dicit, *corpora nostra nutriri, & augeri Corpore, & Sanguine Christi*, quod repetit Lib. V. cap. 2. Hoc autem de panis, vinique substantia intelligi quidem potest, qua corpora nostra nutriuntur: nullatenus autem de vero Corpore, & Sanguine Christi, quo nonnisi anima spiritualiter nutriri, & augeri potest. *Ulterius* ibidem, addit, *Eucharistiam ex duabus rebus consistere, terrena, & cœlesti*, idest, ut conjicere possumus, ex pane, & vino, quæ res terrestres sunt, & cœlesti Dei gratia, quam in hoc Sacramento acquirimus.

279. Resp. *primo*, aliquo sensu dici posse, Sacramento Eucharistiæ etiam corpora nostra *nutriri, & augeri*, non prout stolide putarunt Stercoranistæ, nempe Corpus Christi in sanguinem, & carnem nostram converti, ut alii cibi convertuntur, sed per species, & accidentia panis, & vini, quæ divina virtute, quemadmodum possunt dentibus teri, & manducari, ac bibi, ita etiam possunt, ad nutrimentum, & augmentum corporis conferre (*a*). Probabilior tamen mihi videtur illa Card. Perronii, Claudii Sanctesii, ac præcipue Ren. Massueti interpretatio, Irenæum nempe locutum fuisse de nutritione, atque augmento corporis spiritualis, quatenus per hoc Sacramentum digne susceptum disponitur ad incorruptionem, & immortalitatem illam, qua in resurrectione donabitur. Hæc interpretatio omnino cohæret cum toto contextu, & scopo S. Martyris. Erat enim ejus scopus errorem refellendi hæreticorum, negantium resurrectionem corporum, quos ita redarguit: *Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ corpore Domini, & sanguine alitur? .... Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens* in-

(*a*) S. Thomas 3. p. quæst. 77. art. 6. aperte docet, quod sicut species Sacramentales possunt converti in cineres, vel in vermes, ita possunt converti in corpus humanum, ita ut homo diu sustentari posset, si panem, & vinum consecratum sumeret in magna quantitate: quia *licet illæ species non sint substantia, habent tamen virtutem substantiæ*. Quomodo autem hoc *miraculose* contingat, explicabimus infra cum eodem Angelico cap. VI., ubi agemus de transubstantiatione, & de accidentibus, quæ in hoc Sacramento remanent sine subjecto.

invocationem Dei, *jam non communis panis est*, *sed Eucharistia ex duabus rebus constans*, *terrena*, *& cœlesti*: *sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam*, *jam non sunt corruptibilia*, *spem resurrectionis habentia*. Ita nimirum suum ratiocinium instituebat S. Episcopus, & martyr. Ea caro in corruptionem devenire non potest, quæ percipit vitam: ea autem caro percipit vitam, quæ Dominico corpore, & sanguine alitur, juxta illam Christi promissionem Jo. VI. *Qui manducat meam carnem*, *& bibit meum sanguinem*, *habet vitam æternam*, *& ego resuscitabo eum in novissimo die*.

280. Quando vero ait Irenæus, Eucharistiam ex duabus rebus constare, *terrena*, *& cœlesti*, nihil aliud vult designare, nisi ipsum corpus Christi, ejusque divinitatem contra hæreticos, qui negabant, veram carnem fuisse a Verbo divino assumptam: hanc carnem vocat *rem terrenam*, quia de Virgine sumpta fuit. Verbum autem divinum huic carni hypostaticæ unitum recte dicitur *res cœlestis*.

281. Ceterum ex hoc ipso Irenæi loco fidem præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi luculenter erui, optime observarunt eruditissimi auctores *Perpetuitatis fidei*. Ibidem enim inquit: *Qui est a terra panis*, *percipiens invocationem Dei* (nempe solemnem illam consecrationis formulam, quam Græci vocant ἐπίκλησιν *invocationem*, *jam non communis panis est*, *sed Eucharistia*, *ex duabus rebus constans*, *terrena*, *& cœlesti*. Hæc enim illum sensum reddunt, qui communis est apud Græcos, præcipue apud Cyrillum Jeros., qui *Catechesi I.* inquit, *invocatione facta panem fieri Corpus Christi*: & Catech. V. *Rogamus Deum misericordem*, *ut S. Spiritum mittat super proposita*, *& faciat panem quidem Corpus Christi*, *vinum autem Sanguinem Christi*. Quibus verbis veram transubstantiationem exprimi, nec ipsi Calviniani sinceriores negare potuerunt, ut Ernestus Grabius, aliique. Vid. sup. not. ad num. 247.

282. Ob. *secundo* nonnulla Origenis loca, quibus maxime gloriantur Sacramentarii. *Primo* Comment. in Matth. Tom. XI. n. 14., postquam disseruisset de Eucharistia, illam vocans *panem Domini*, qui *a simplicioribus existimatur sanctificare*, concludit: „ Nec panis materia, sed super „ eum prolata oratio ea est, quæ illum juvat, „ qui non indigne Deo hanc comedit. Et hæc „ quidem de typico, & symbolico corpore ". Vult ergo Origenes, totum Eucharistiæ Sacramentum, non *litteraliter*, sed *spiritualiter de typico*, *& symbolico* Christi corpore debere intelligi. *Præterea* adhuc clarius idipsum docet Hom. VII. in Levit. n. 7. *Est*, inquit, *& in novo testamento littera*, *quæ occidit eum*, *qui non spiritualiter*, *quæ dicuntur*, *adverterit*. *Si enim secundum litteram sequaris hoc ipsum*, *quod dictum est*: *Nisi manducaveritis carnem meam*, *& biberitis sanguinem meum*, *occidit hic hæc littera*. *Tertio* Comment. in Matth. ad cap. XXVI. n. 85. pag. 898. *Panis iste*, inquit, *quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur*, *verbum est nutritorium animarum*, *verbum de Deo Verbo procedens*, *& panis de pane cœlesti*, *&c.* & postea subdit: „ Non enim panem illum visibilem, quem tene„ bat in manibus, corpus suum dicebat Deus Ver„ bum, sed verbum, in cujus mysterio fuerat „ panis ille frangendus; nec potum illum visibi„ lem sanguinem suum dicebat, sed verbum, in „ cujus mysterio potus ille fuerat effundendus. „ Nam corpus Dei Verbi, aut sanguis quid aliud „ esse potest nisi verbum, quod nutrit, & ver„ bum, quod lætificat cor "? Non igitur verum Christi Corpus Origenes in Eucharistia agnoscit. *Quarto* Lib. VIII. contra Celsum n. 33. *Nos*, inquit, *cum precibus*, *& gratiarum actione oblatos edimus panes*, *qui propter orationem fiunt corpus quoddam sanctum*, *quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur*. *Quinto* Tom. XXXII. in Joan. num. 16. censet, *offulam*, quam Christus porrexit Judæ, fuisse *ejusdem generis* cum ea, quam dedit ceteris Apostolis, dicens: *Accipite*, *comedite*; sed illa erat simplex panis: ergo etiam alia. Cetera, quæ ex Origene contra nostrum dogma Hermannus Bodius, Petrus Martyr, & Albertinus objiciunt, utpote levioris momenti, mittimus.

283. Resp. ad *primum*, cum Origenes dicit, non panis materiam, sed super illum *prolatam Orationem* digne sumentes sanctificare, intelligit mystica illa verba, quæ panis substantiam in Corpus Christi transmutant, & quæ εὐχὴν *Orationem* nonnulli Patres appellarunt, quia precationem, licet non expressam, Sacerdotis involvunt, ut Deus efficiat in altari illud ipsum, quod in cœna olim effecit. Corpus vero Christi vocat *typicum*, *& symbolicum*, non quasi absentis corporis typus, & symbolum sit, sed quia Corpus Christi est in Sacramento absconditum, & sumitur sub panis, & vini symbolis involutum: vel etiam quia, cum reipsa sit Corpus Christi, aliarum rerum symbolum, & typus est; puta sui ipsius extra Sacramentum, ut fuit olim in cruce, & nunc est in cœlo, vel illius corporis, cujus ipse Salvator caput est, nempe Ecclesiæ. Nec insolens erat Origeni *symbolica* appellare ea, quæ realia quidem erant, aliarum tamen rerum symbola, & figuræ. Sic Tom. XXXII. in Joan. n. 13. dicit, Joannem *symbolice* recubuisse in sinu Christi, & n. 16. ait, *symbolice* noctem fuisse, cum Judas exivit, Jesum proditurus, idemque sæpe alias (*a*).

284. Ad *secundum* pariter resp., Corpus Christi

(*a*) Hunc Origenis locum fuisse ab hæreticis depravatum *suspicatus est* Sixtus Senensis *Biblioth. sanctæ*

sti non manducari secundum litteram, quia non manducatur, quomodo alios cibos comedere consuevimus, illos dentibus permolendo, lingua versando, palato degustando, gula sorbendo, & in ventriculum demissos concoquendo; sed *sacramentaliter*, ut sæpius jam dictum est.

285. Ad *tertium* observat Dan. Huetius, qui hæc verba in textum Origenis ex Mss. auctoritate restituit, tria hic Origenem cum veteribus quibusdam in Eucharistia distinguere, nempe speciem externam sensibus subjectam, substantiam intus latentem, & mysticam quamdam Sacramenti significationem. Quando ait de Christo: *Non enim panem illum visibilem, quem tenebat in manibus, corpus suum dicebat Deus Verbum*, respicit ad partem externam oculis apparentem, quam Christus suis manibus gestabat, & hæc certe non est Corpus Domini. Quando vero subdit: *Panis iste, quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur ... Et potus iste visibilis, quem Deus Verbum sanguinem suum esse fatetur* substantiam Eucharistiæ sub externa specie latentem, nempe Christi Corpus, & Sanguinem designat. Denique de mystica Sacramenti significatione postea disserit, verba institutionis hujus Sacramenti allegorice interpretando de Verbo Dei, quod instar cujusdam panis, & potus cœlestis *nutrit, & lætificat, potat, & inebriat præclare corda bibentium*.

286. Ad *quartum* ex Lib. VIII. contra Celsum respondet Huetius, ibi Origenem non agere de pane Eucharistico, sed de cibis communibus, quos Christiani comedebant, eosdem Deo omnium rerum conditori offerentes cum gratiarum actione; & qui propter orationem fiebant corpus quoddam sanctum, quod sanctitatem largiebatur iis, qui sano proposito illos manducabant.

287. Ad *quintum* observat idem Huetius, comparationem ab Origene institui inter offulam porrectam Judæ, & panem Eucharisticum distributum discipulis, non in omni parte, sed solum ad declarandum diversum utriusque effectum pro diversitate suscipientium; ut quemadmodum bucella in Juda proditore pessimum habuit effectum, quia diabolus in cor ejus jam intraverat, ita panis Eucharisticus indigne suscipientibus fit in exitium, ac damnationem. Nonnulla alia Origenis loca videri possunt feliciter explicata a Petro Dan. Huetio in *Origenianis* Lib. II. quæst. ultima.

288. Obj. *tertio*. S. Joan. Chrysostomus in celebri epist. ad Cæsarium (*a*) oppugnans hæreticos, qui aut duas in Christo naturas, aut unam personam negabant, affert contra eos exemplum Eucharistiæ, inquiens: *Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus Domini Corporis appellatione, etiamsi natura in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus; sic & hic divina insidente corpori natura, unum Filium, unam personam utrumque constituit*. In his verbis *primo* triumphant Lutherani, contendentes panis substantiam simul cum Corpore Jesu Christi remanere. *Secundo* triumphant Calviniani, excludentes realem Corporis Christi præsentiam, solumque panem admittentes, qui nomine tenus Corpus Christi appelletur.

289. Veruntamen, etiamsi concedatur, illam epistolam esse Chrysostomi, quod multi, gravesque Critici negant, nullam neque Lutherani, neque Calviniani ex ea habent gloriandi causam. Amborum enim error iis verbis aperte confutatur: *Et non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus*, nempe in Eucharistia, non itaque sunt ibi duo corpora panis, & Filii, ut volunt Lutherani: & Corpus Filii ibi est, quod negant Calviniani. Et quoniam ex hoc Sacramento auctor illius epistolæ paritatem depromit, ad probandum, in Christo esse duas naturas, & unam personam, omnino credere debuit, in hoc Sacramento vere esse personam Filii, sicut reipsa erat in Christo; alias futilis, & inepta fuisset comparatio.

290. Tota difficultas, si qua est, contra transsubstantiationem militabit, ut scilicet, quomodo in Chri-

Lib. VI. annot. 66.; corruptum autem fuisse ab Erasmo conjectati sunt Genebrardus, & Perronius. Sed frustra, ut ait Dan. Huetius Lib. II. *Origen.* quæst. ult. n. 2.

(*a*) Locum quemdam ex hac epistola citaverat Petrus Martyr contra præsentiæ realis dogma in suis *Locis communibus*; caute tamen dissimulaverat, ex quonam Codice hanc epistolam extraxisset: sed adhibita diligentia Codex detectus est in Florentina bibliotheca FF. Præd. S. Marci; quamobrem vir eruditissimus Emer. Bigotius latinam ejusdem interpretationem Parisiis edidit anno 1680. una cum præfatione, qua Petri Martyris objectiones retundebantur. Sed supremus librorum Censor totum supprimi jussit. Steph. autem le Moyne Tom. I. *Variorum sacrorum* eam inseruit, multis tamen mendis deformatam, a quibus repurgatam rursus edidit Jac. Basnage Rotterodami 1687., Catholicos acriter incusans, quod vetus hoc monumentum supprimi curaverint, *ne veritatis lux aliqua posset affulgere*. Aliæ postea subsecutæ sunt editiones apud heterodoxos, qui ex ea epistola nostrum transsubstantiationis dogma impugnare se posse sperabant. Sed vanos ipsorum triumphos nostri facile dissiparunt. Quamquam non pauci, nec sine gravibus fundamentis dubitarunt, & adhuc dubitant, an epistola illa genuinus sit magni Chrysostomi fœtus. Ita inter alios harum rerum peritissimus P. Mich. Le-Quien in Dissert. III. *Damascenica*, Remigius Cellier Tom. IX. *Histor. Auct. Eccles.* cap. 1. art. 4. §. 8.; ac præclarus Operum Chrysostomi editor Bern. De Montfaucon Tom. III., ubi etiam fragmenta aliqua græca adjecit a laud. Mich. Le-Quien diligenter collecta. Nec omittendus nobilissimus scriptor Marchio Scipio Maffejus in epist. ad Basnagium: quam postea vulgare coactus est in sua *Histor. Diplomatica*, quia in Basnagii Tom. I. *Thesauri Monument.* mutilata inserta fuerat.

Christo duæ erant naturæ, divina, & humana, ita etiam in Sacramento duæ sunt substantiæ, panis, & Corporis Christi; præcipue quia conceptis verbis dicitur: *Etiamsi natura panis in ipso permansit*. Verum multis exemplis sanctor. Patrum, immo & profanorum scriptorum, ostendi potest, nomen *naturæ* haud raro sumi, non pro ipsa rei substantia, sed pro qualitatibus, quæ eam afficiunt; unde pronum est illa verba: *Etiamsi natura panis, &c.* intelligere non de ipsa natura, seu substantia panis, sed de ejus proprietatibus, quæ etiam post transubstantiationem remanent. Qualis autem fuerit veri Chrysostomi de hoc Sacramento doctrina, vidimus supra n. 244. Et multo plura addi possent, ut illud quod habet Hom. II. ad populum Antioch., ubi inquit: *Elias pallium reliquit Discipulo; Dei autem Filius ascendens in cœlum nobis carnem suam reliquit. Sed Elias se exuit; Christus vero & carnem suam nobis reliquit, ipsamque habens ascendit*. Vid. Nat. Alexander Dissert. XII. in Sæc. XI. & XII. art. 16., ubi plura collegit hujus S. Patris disertissima testimonia, & vanas quorumdam Protestantium quærimonias de hujus Epistolæ suppressione refellit.

291. Obj. adhuc contra nostram probationem n. 246. ductam ex adoratione Eucharistiæ. Catholici Sæc. VIII. ut contra Iconoclastas evincerent, colendas esse sacras imagines, nonnunquam usi sunt exemplo Eucharistiæ, cui cultum non negabant ipsi Iconoclastæ. Ita Stephanus junior scribens ad Constantinum Copronymum. Atqui certum est, cultum imaginibus sacris exhibitum non esse veram adorationem, seu cultum: ergo, &c. Hinc etiam S. Joan. Damascenus Orat. I. *De imaginibus*: ,, Non materiam, *inquiebat*, sed materiæ auctorem adoro.... Numquid materia non sunt Corpus, & Sanguis Christi? Horum omnium cultum adorationemque e medio tolle, aut ... Dei, & eorum, qui amicorum Dei sanctissimo nomine decorantur ... imagines adorentur ".

292. Resp., hæc dicta ab Orthodoxis fuisse ad refutandas inanes Iconomachorum objectiones, qui nostris exprobrabant, quod adorando imagines, materiam adorarent. Hanc inanem objectionem ut exsufflarent, exemplum afferebant Corporis, & sanguinis Christi, quæ adoranda esse Iconomachi non negabant, licet & ipsa ex materia suo modo constarent.

293. Obj. *postremo*. Si antiqua sanctor. Patrum, immo & omnium fidelium doctrina realem Christi præsentiam in Eucharistia admisisset, mirum profecto esset, ac prodigio simile, id Gentiles non cognovisse, & si id Gentiles cognovissent, Christianos hac de causa non refutasse, immo plane irrisisse, quod dogma tam absurdum profiterentur. Nihil tamen hujusmodi legitur in tot Ethnicorum libris, qui adversus Christianam religionem prodierunt. Præcipue autem hæc doctrina latere non potuit Julianum apostatam, contra quam tamen nihil eum scripsisse, compertum est.

294. Resp., hoc argumentum, quod Sacramentarii magnificare, ac rethorice exornare solent, omni prorsus robore carere, posita celebri *disciplina arcani*, qua diligenter cavebatur, ne sancta nostræ religionis mysteria profanis panderentur. Scimus ex Minutio Felice in *Octavio*, hoc secretum fuisse nostris acriter exprobratum, unde Christiani appellati sunt: *Natio latebrosa, & lucifugax, in publicum muta, in angulis garrula*. Multoque magis studebant Christiani hoc Sacramentum Eucharistiæ occulere, ne ipsum sacratissimum Corpus, & Sanguinem Christi infidelibus sacrilege profanandi occasio præberetur. Unde Julius Rom. Pontifex Epist. III. ad Orientales, eos reprehendit, qui *præsentibus Catechumenis, & quod pejus est, Ethnicis, & Judæis, Christianismum blasphemantibus, quæstionem de Corpore, & sanguine Christi habuerant*.

295. Aliquid tamen Paganos de mysterio Eucharistiæ præsensisse, aliqui colligunt ex teterrimis illis accusationibus de *epulis Thiestæis*, & quod *infantis farre contenti, & occisi Christiani sanguinem lamberent, & certatim membra dispertirent*, ut Cæcilius nostris exprobrabat apud Minutium Felicem in *Octavio*. Videri possunt quæ ad has infanticidii, & anthropophagiæ calumnias retundendas Justinus, Athenagoras, aliique conscripserunt. Quanvis fortasse hujusmodi calumniæ oriri potuerunt ex nefandis Gnosticorum sacrificiis, in quibus, referente S. Epiphanio Hær. XXVI. *infantem in mortario pistillo tundebant, & manducabant*. Opera Juliani apostatæ magna ex parte perierunt. Quod si Cyrillus Alex. in eorum refutatione nihil habet de Sacramento Eucharistiæ, hoc silentium prudenti œconomiæ fortasse tribuendum est, ne palam revelare cogeretur, quæ Christiani occultare consueverant. Unde Lib. VII. contra Julianum inquiebat: *Plurima de his alia, & vera dicerem ..... nisi profanorum aures metuerem*.

ARTICULUS III.

Ostenditur, doctrinam de præsentia reali Corporis, & Sanguinis D. N. Jesu Christi perpetuo in Ecclesia universa sine mutatione viguisse, immo hanc mutationem fuisse impossibilem (*a*).

296. Hoc fuit unum ex fortissimis argumentis, quo catholici Scriptores nascentem Berengarii hæ-re-

(*a*) Hoc argumentum ad probandam contra Calvinistas præsentiam realem Corporis & Sanguinis Jesu Christi in Eucharistia, fuit a nonnullis Theologis, ac præsertim a Ven. Card. Bellarmino lib. ultim. *De Eucharistia* cap. 8. insinuatum, sed postea amplissime, & secundum omnem suam faciem expositum, & vindica-

resim Sæc. XI. oppresserunt, allato scilicet totius Ecclesiæ consensu in continenda præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia. Lanfrancus in Lib. *De Corpore, & Sanguine Domini* cap. 22. Berengarium fidenter provocabat ad Latinos, Græcos, Armenos, & cujusvis nationis Christianos, certus neminem inventum iri, qui ipsius hæresi patrocinaretur. Durandus Abbas Troarnensis in Lib. pariter *De Corpore, & Sanguine Christi* P. II. doctrinam, quæ contra Berengarium asserta, & definita fuerat, eam esse dicebat, quam *catholica per orbem universum prædicat Ecclesia*. Nec Berengarius, aut ipsius Symmistæ universalem hunc omnium fidelium consensum inficiari unquam potuerunt. Sed ut hic consensus manifestius appareat, breviter de Orientalium doctrina in hoc capitali dogmate dicendum est contra nuperos Berengarianos, qui illud negare audent, aut saltem obscurare nituntur.

297. Florentissima olim Ecclesia orientalis, non solum ab Ecclesia latina fœdo schismate se jamdiu separavit, sed etiam a seipsa dissentiens in plures Communiones misere discerpta est. Earum prima numero populosior, & locis magis dilatata illa est, quæ *Græca* vocatur quatuor Patriarchis, Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino, & Jerosolymitano obediens (*a*). Græcis addendi sunt Rutheni, qui a Patriarcha Constantinopolitano hujus sæculi initio se separarunt. Sed præter istos 4. Patriarchas, multi alii sunt Patriarchæ peculiares a Græca Ecclesia sejuncti, immo tot pene sunt Patriarchæ, quot sectæ inter se divisæ, ut Jacobitarum, Cophtorum, Maronitarum, Armenorum, quorum alii Nestorii, alii Eutychetis errores profitentur. Maronitæ tamen, & Armeni ad sinum Ecclesiæ catholicæ jamdiu redierunt (*b*).

298. Primo loco, & potissimum nobis agendum est de Ecclesia græca, utpote quæ ceteris omnibus multo amplior est, & minus quam reliquæ communiones Orientales, a veritate deflexit. Facile autem evincitur, eam sæc. XI., quando hæresis Berengarii proscripta fuit, Romanæ Ecclesiæ in dogmate præsentiæ realis, & transubstantiationis omnino consensisse. Nam quando eodem tempore, scilicet an. 1053. Michael Cerularius schismatis vexillum contra Leonem IX., & Ecclesiam latinam erexit, & omnes, quotquot invenire, aut fingere potuit schismatis prætextus palam exposuit, nihil prorsus, ne minimum quidem innuit contra dogma præsentiæ realis, & transubstantiationis; quod tamen magna cum solemnitate fuerat contra Berengarium in variis Conciliis paulo antea definitum. Quis autem sibi persuadeat, Cerularium fuisse hanc accusationem prætermissurum, si Ecclesia græca a latina in hoc dogmate dissensisset? Cur enim ex. gr. nobis tanta acerbitate usum azymorum objecisset, & non potius doctrinam transubstantiationis, si hanc erroneam esse putasset?

299. Absurde autem fingunt adversarii, potuisse hanc Ecclesiæ latinæ doctrinam a Græcis ignorari. Nam *primo* Berengarii hæresis ante 18. annos nata, & statim a Nicolao II. damnata magnos ubique rumores excitaverat, quos omnino fuisse Græcis ignotos, non est verisimile, cum non pauci in Calabria, & Sicilia, quæ eo tempore Patriarchatui græco subjectæ erant, in tota Italia, ac ipsa Urbe Roma permixti Latinis Græci morarentur. *Secundo* an. 1054. Leo IX. ad schisma extinguendum solemnem legationem misit Constantinopolim. Legati vero nomine Pontificis obtulerunt Imperatori refutationem epistolæ Mich. Cerularii, in qua post apologiam panis azymi, hæc leguntur: *Taliter præparatus azymus fideli invocatione totius Trinitatis fit verum, & singulare corpus Christi*. Cum autem hæc refutatio græce translata manibus omnium, atque ipsius Cerularii teneretur, quomodo ignorari potuit solemne, & publicum latinæ Ecclesiæ dogma præsentiæ realis, ac transubstantiationis?

300. Nec pariter ignorari poterat a Legatis Apostolicæ Sedis, quænam esset Cerularii, aliorumque

que

tum in opere immortali, cui titulus *De la perpétuité de la foy de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie*, quod notissimis duumviris Antonio Arnaldo, & Petro Nicolio debetur, cujus originem, & progressum supra ad n. 23. indicavimus.

(*a*) De his omnibus videri possunt noster Michael Le-Quien in *Oriente Christiano* Tomo II., tum Bollandiani Tom. III. Mensis Maji *De Patriarchis Jerosolym.* Tom. V. Mensis Junii *De Patriarchis Alexand.* Tom. IV. Mensis Julii *De Patriarchis Antioch.* Tom. I. Mensis Augusti *De Patriarchis Constantinopol.* tum etiam Blasius Terzi de Lauria in *Syria Sacra*, ubi Descriptioni Ecclesiarum Patriarchalium Antiochiæ, & Jerosolym. additi sunt duo Tractatus Patriarchatuum Alexandrini, & Constantinopolitani, nec non Primatum Carthag. & Ethiopiæ. Romæ 1695.

(*b*) In Armenorum conversione Deus usus est opera celebris Bartholomæi Parvi Bononiensis Ord. Præd., quem Joannes XXII. Episcopum Maragacensem creatum illuc misit. Mira de hujus apostolici viri scientia, pietate, zelo, laboribus, ac felicissimis successibus narrat Clemens Galanus Theatinorum Instituti in *Conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana*. Præcipue autem ad orthodoxam doctrinam revocavit Monachos Basilianos, qui postea ad convertendos alios schismaticos, & infideles plurimum laborarunt. De hoc eximio Familiæ nostræ Alumno, qui postea ad Archiepiscopatum Nascivanensem evectus fuit, legi merentur duo Dominicani Scriptores Antonin. Touron *Hist. dès hommes illustres de l'Ordre de S. Dom.* Tom. II., & P. Michael Le-Quien *Oriens Christ.* Tom. III. pag. 1[illegible]. & 1[illegible].; tum eruditiss. P. Jo. Bapt. Melloni Presb. Oratorii Bonon. in II. Volum. *Degli Atti e Memorie degli Uomini illustri in santità, nati, e morti in Bologna* pag. 2[illegible]. seq. De Syris, & potissimum de S. Ephræm Syro ea legi possunt, quæ Petrus Benedictus Syrus Maronita contra Jo. Kolium disputavit in *Antirrhetico I.* in Tom. II. luculentæ editionis Rom. Operum omnium S. Ephræm Syr. 1743.

que fides de hoc mysterio. Quod si ab orthodoxa latinæ Ecclesiæ doctrina diversam eam invenissent, non omisissent certissime in sententia excommunicationis contra refractarios lata eamdem notare; cum tamen neque in prædicta excommunicationis sententia, neque in aliis scriptis ulla reperiatur hujus erroris mentio. Nulla insuper hujus rei mentio facta fuit in variis Conciliis, quæ pro extinguendo schismate postea coacta sunt, ut in Barensi anno 1098., in Lugdunensi ann. 1274., & in Florentino ann. 1439. ubi expresse definitum fuit, *in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici*.

301. Qua in re extra oleas vagatur Jo. Claudius, cum hujus fortissimi argumenti vim elevare conatur, quia Græci non ex animo, sed politicis tantum de causis Concilii definitionibus subscripserunt; unde vix reduces in patriam ad pristinos errores redierunt.

302. Quidquid enim sit de controversiis in eo Concilio agitatis de processione Spiritus Sancti a Filio, de pane azymo &c., nullo tamen modo id trahi potest ad dogma præsentiæ realis, & transsubstantiationis, de quo nulla lis mota fuerat. Immo ipsi Episcopi fœdifragi, cum omnia excogitassent, & divulgassent, quæ ad purgandam suæ defectionis infamiam aliquo modo conferre poterant, nihil omnino mussitarunt contra hoc dogma, quod in *Decreto Unionis* acceptaverant. Et cum illi, qui unitati restitutæ constanter adhæserant, per contemptum *Azymitæ* vocarentur, nullibi legitur, eos etiam vocatos fuisse *Transubstantiatores*; quia nempe in transubstantiatione confitenda omnes conveniebant, schismatici, & uniti. Quid plura? Marcus ipse Ephesius; pertinacissimus ille unitatis osor in Tract., quo nisus est ostendere, Sacerdotis orationem esse verbis Domini jungendam, vult, hanc Sacerdotis orationem *reipsa transmutare tam dona in ipsum prototypum, nempe corpus, & sanguinem Dominicum*. Card. autem Bessarion, qui hunc Tractatum Marci Ephesii confutavit, totus est, ut probet, effectum consecrationis esse tribuendum verbis Christi Domini, non orationi Sacerdotis, de transubstantiatione nihil sollicitus, quia adversarius illam confitebatur.

303. Multa alia in hanc rem præsto essent; sed nihil illustrius ad cognoscendam Ecclesiæ græcæ fidem de augustissimo Altaris Sacramento afferri potest iis, quæ Sec. XVI., & XVII. hac in re contigerunt, & a nobis relata fuerunt in I. P. hujus Tract. Diss. I. n. 221. seq. Quantum enim spectat ad art. 10. Confessionis Augustanæ, quam Lutherani ad Hieremiam Patriarcham Constantinopolitanum miserant, his verbis conceptum: *De cœna Domini docent, quod corpus, & sanguis Christi vere adsint, & distribuantur vescentibus in cœna Domini, & improbant secus docentes*, respondit Hieremias, eum nimis brevem, & obscurum esse; post autem græcæ Ecclesiæ fidem ita exponit: *Panem mutari in ipsum corpus, & vinum in ipsum sanguinem Christi per Spiritum sanctum*. Contendit quidem contra Latinos, panem *fermentatum* esse debere, non *azymum*; sed iterum repetit, panem mutari in corpus Christi, & non esse illius tantummodo *typum*, aut *figuram*. Et cum Tubigenses hoc responso male contenti iterum, ac tertio Hieremiæ suam doctrinam contra transubstantiationem proposuissent, ille sententiæ suæ tenax idem semper respondit, eosque rogavit, ut ipsi hac in re molesti esse desinerent. Post hanc verissimam historiam nescio, quomodo comminisci potuerit Joann. Claudius, nec Græcorum doctrinam Lutheranis, nec Lutheranorum Græcis fuisse perspectam; Græcos putasse a Lutheranis admitti transubstantiationem, & Lutheranos a Græcis negari præsentiam realem.

304. Cavillatur postea Claudius contra tam apertam Ecclesiæ græcæ confessionem ex quibusdam verbis ibidem adjunctis, quibus dicitur, datam non fuisse Apostolis in cibum carnem, *quam Christus gestabat; neque nunc in divina liturgia, aut sacro ritu descendere Dominicum corpus de cœlo: id enim blasphemum est:* ex iis male concludens, a Græcis non credi præsentiam realem, sed tantum *figuram*, aut *typum* corporis Christi.

305. Resp., Christum non dedisse Apostolis, neque nunc dare fidelibus carnem, quam gestabat, in *propria specie*, sed *in specie Sacramentali*, ac propterea vanum hoc esse Claudii sophisma.

306. Denique consensus Ecclesiæ græcæ cum Latina in hoc capitali dogmate adhuc luculentius apparuit, quando famosus Cyrillus Lucaris Calvinistica lue infectus ad Patriarchatum Constantinop. evectus fuit, postea e throno dejectus, ac tandem laqueo suffocatus, ut dictum est supra I. P. loco cit. Nam sub ejus successore Cyrillo Berrhoensi coacta Synodo, cui præter duos Patriarchas Alexandrinum, & Jerosolymit. aderant Episcopi tres & viginti, *anathema* dictum est *Cyrillo dogmatizanti, et credenti, non transmutari panem propositionis, & insuper vinum per Sacerdotis benedictionem, & Spiritus Sancti adventum in verum corpus, & sanguinem Christi* (*a*).

307. Cyrillo Berrhoensi successit in Throno Constantinop. Parthenius Senior, qui etsi fuisset Cyrillo Lucari amicitia junctus, coactus est tamen Calvinianos ejus errores proscribere in Synodo nonnullorum Metropolitarum, Episcoporum, multorum-

rum-

(*a*) Fuit quidem iste Cyrillus Berrhoensis Ecclesiæ Romanæ addictus, eaque de causa e Sede Patriarchali pulsus, & interemptus: nihil tamen inde minuitur apud Græcos Synodi ab eo celebratæ auctoritas; tum quia nihil in ea decretum fuit de articulis inter nos disputatis; tum etiam quia alii duo Patriarchæ, & 23. Episcopi erant schismatici, ac demum quia eadem doctrina fuit in Synodo sequenti confirmata, suppresso solum Cyrilli Lucaris nomine, ad ipsius infamiam minuendam.

rumque Sacri Ordinis hominum, *in qua* ut ait Arsenius hieromonachus in epist. eidem Synodo (apud Leonem Allatium *De consens. &c.* Lib. III. cap. 8.) *Calvini hæresim, & omnia illius dogmatica capitula, quæ Cyrillus, quasi Ecclesiæ græcæ nomine professus erat, confirmaveratque, damnarunt, & æterno anathemati, condemnationique subjecerunt*. In ipsa autem Synodo n. 17. habetur expressa proscriptio Calviniani dogmatis de Sacramento altaris, tamquam *omni impietate pleni*. Nulla tamen in hac Synodo facta est mentio Synodi præcedentis, aut Cyrilli Lucaris, quia Parthenius ad tuendam famam amici sui contendebat, eum calumniose fuisse hæresis Calvinianæ accusatum.

508. Decretoria demum hac in re esse debet auctoritas celebris *Confessionis orthodoxæ, catholicæ, & apostolicæ Ecclesiæ Orientalis*, quæ anno 1642. confecta fuit, & postea ab omnibus Orientis Patriarchis approbata, & tandem in Hollandia impressa, & ubique divulgata. In quæst. enim 106. *quodnam sit tertium mysterium* ita respondetur: *Est Eucharistia, sive corpus, & sanguis Christi Domini sub specie panis, & vini, in quo vere, & proprie, hoc est, secundum rem ipsam, præsto adest Jesus Christus*. In qu. seq. additur. *Substantia ipsa panis, & vini in substantiam veri corporis, & sanguinis Christi, opera Spiritus sancti immutantur ... manentibus tantummodo per divinam dispositionem speciebus, quæ visu percipiuntur*. Multa hujus generis documenta præsto essent, sed deficiente tempore hæc satis sunt.

509. Frustra autem mollitus est Claudius ea eludere, quasi illi Græci nomine *transmutationis* non intellexerint mutationem *substantiæ* panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, sed solam transmutationem *virtutis*, quatenus panis, & vinum post consecrationem induunt virtutem corporis, & sanguinis Domini.

510. Frustra, inquam. Nam *primo* incredibile prorsus est, aut Græcos nunquam intellexisse veram *substantiæ* transmutationem, quam confitetur Ecclesia Romana, aut Latinos hanc, quæ Græcis tribuitur, transmutationem *virtutis*; ut proinde putaverint utrique se in hoc gravissimo dogmate convenire, cum adeo discordes essent. *Secundo*, non desunt certa documenta, quibus luce clarius appare, Græcos & nomen *transubstantiationis*, & veram hujus nominis significationem tenuisse. Cum enim in Synodo supra memorata Parthenii aliquis græcus nomine Corydalus improbaret nomen μετουσίωσις, seu *transubstantiationis*, Meletius Syrigus contra eum disputans petiit, quid per hanc vocem, quam improbabat, intelligeret; cumque ille respondisset, intelligere se *mutationem unius substantiæ in aliam*, tota Synodus idem se intelligere declaravit, ac propterea se hanc vocem approbare, ac retinendam esse. Ulterius in Catechismo barbaro-græco Venetiis impresso 1633. usui Græcorum schismaticorum dicitur *substantia panis conversa in verum, & reale corpus Jesu Christi, remanentibus dumtaxat accidentibus*. Prætermitto multa alia monumenta collecta in Libris *Perpetuitatis fidei, &c.* & quorum originalia, atque authentica exemplaria deposita fuere in Bibliotheca Parisiensi PP. Benedictinorum S. Germani, ut a quolibet curioso videri possint.

311. Cum tam liquido constet de consensione Ecclesiæ græcæ cum Romana in articulo præsentiæ realis, & transubstantiationis, supervacaneum est multa addere de Ruthenis, qui quamvis ab obedientia Patriarchæ Constantipol. se subtraxerint, eamdem tamen fidem profitentur. Et qui eorum mores, & religionem diligenter perscrutati sunt, eorumque errores enumerant, nihil prorsus afferunt hac in re græcæ, & latinæ Ecclesiæ dissonum (*a*).

312. Nimis profecto longum esset, dicere de variis Communionibus Orientalibus, quæ tam a Romana, quam a Græca Ecclesia in multis dissentiunt, ut sunt Armeni Melchitæ, seu Syri, Nestoriani, Jacobitæ, Cophti, Etiopes &c. Sed *primo* constat, nunquam vel a nostris, vel a Græcis fuisse ipsis exprobratum errorem negatæ præsentiæ realis, vel transubstantiationis. *Secundo*, ex eorum liturgiis, in quibus semper habetur invocatio Spiritus sancti, ut sacra dona in corpus, & sanguinem Christi transmutentur, tum ex relationibus Missionariorum, aliorumque apparet ipsorum hac in parte nobiscum consensio. *Tertio* nonnulla etiam habentur collecta testimonia Synodorum, Patriarcharum, Metropolitarum, Episcoporum, Monachorum, aliorumque; tum Confessiones fidei, & Catechismi, quæ omnia exhibentur Tomo III. *Perpetuitatis &c.* (*b*).

313.

(*a*) Præter Collectiones *De Russorum Religione*, Spiræ 1582., & *De rebus Moscoviticis*, Francofurti 1600., multi alii doctrinam Ruthenorum nobis exponunt, ut Ant. Possevinus in sua *Bibliotheca*, Eduinus Sandi Anglus in *Speculo Europæ*, & Sigismundus Baro in Herbestain in *Commentariis rerum Moscoviticarum*, quibus inseruit librum Pauli Jovii *De legatione Moscovitarum* ad Clementem VII., ubi postquam eorum errores enumerasset, *in ceteris*, inquit, *eadem quæ a nobis de religione sentiuntur, constantissime credunt*. Nulla autem vel levissima suspicio ingeritur negatæ præsentiæ realis, aut transubstantiationis. Continentur in eodem opere Baronis in Herbestain etiam XII. Quæstiones Claudii Card. Guisani, & totidem Græcorum responsiones, ex quibus eorum consensio cum Ecclesia Catholica hac in parte manifeste apparet.

(*b*) De Armeniis fusissime agit memoratus supra Clemens Galanus in *Conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana* latino & armeno idiomate Romæ edita 1650. tribus volum. in 4., ubi omnes ipsorum errores diligentissime inquirens & confutans, nihil aliud in hac materia ipsis exprobrat, quam quod non infundant a-

513. Neque hoc loco prætermittendum putamus, omnes istas Orientales Communiones, non in duobus duntaxat dogmatibus præsentiæ realis, & transubstantiationis nobis consentire, sed & in multis aliis, quæ a Novatoribus, tamquam *ex officina Satanæ* orta, rejiciuntur. Videlicet *primo* nobiscum confitentur, Eucharistiam esse sacrificium, quod pro vivis, ac defunctis offertur: *secundo* corpus Christi in Eucharistia vere sumi, non solum a dignis, sed etiam ab indignis; a primis salutariter, ab aliis in condemnationem: *tertio* Ecclesiam jure præcipere jejunia, & abstinentiam a quibusdam escis: *quarto* Christianos exhibere B. Mariæ Virgini cultum *hyperduliæ*, Sanctis vero peculiarem honorem, quin aliquid detrahatur adorationi, quæ Jesu Christo debetur: *quinto* honorandas esse Sanctorum imagines cultu relativo, sed non cultu latriæ: *sexto* Episcopatum esse in Ecclesia Christi necessarium: *septimo* Episcopos esse jure divino Presbyteris superiores; *octavo* Ecclesiam ædificatam super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum esse semper visibilem, & infallibilem: *nono* baptismum esse filiis fidelium necessarium ad salutem: *decimo* vota Sacerdotum, & Monachorum, eorumque orationes Deo placere: *undecimo*, Libros Tobiæ, Judit, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, & Machabæorum esse in canone sacræ Scripturæ: *demum* septem esse novæ legis Sacramenta. Sed hæc obiter; videri autem possunt in laud. Opere *Perpetuitatis &c.*

514. His tam multis, & tam perspicuis testimoniis frigide respondent Claudius, Spanhemius, Aymonius, Bælius, ac nonnulli alii heterodoxi: *primo* omnes laudatos auctores Græcos fuisse λατινόφρονιν, scilicet Latinorum partibus addictos, aut per Missionarios, Legatos, aliosque Galliæ Regis emissarios pecunia corruptos: omnia enim a Græculis venalibus facile obtinentur. *Secundo* opponunt quædam contraria testimonia; atque inter alia illud Zach. Gergani, qui non dubitavit appellare *impium* dogma illud Papistarum: *Ubi est Christi corpus, ibi esse & sanguinem*; ita refert Joann. Matth. Caryophilus in *Refutat.* ejusdem Gergani Romæ 1631. *Tertio* mirantur, Armenos, Abyssinos, Cophtos, Jacobitas, aliosque Eutychiana hæresi imbutos inter eos numerari, qui præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia agnoverunt. Cum enim Eutychiani naturam humanam Christo denegarent, non poterant consequenter credere panem, & vinum in Christi corpus, & sanguinem converti.

515. Resp., vana esse hæc omnia effugia. Et quantum ad *primum* etiamsi concederetur, aliquos ex Græcis laudatos in Latinorum partes inclinasse, non propterea debet illis fides denegari, quando aliorum omnium Græcorum dogmata nobis exponunt: præcipue cum illorum nemo ipsis contradixerit. Præterea falsum est, omnes testes a nobis allegatos fuisse Rom. Ecclesiæ addictos, cum eorum plurimi essent fœdo schismate impliciti. *Tertio* citavimus etiam libros Ecclesiæ græcæ symbolicos, ut sunt Catechismi, Fidei professiones, & Synodorum decreta, in quæ monumenta nulla cadere potest mendacii, aut corruptionis suspicio.

516. Quæ vero *secundo* loco opponuntur, aut opponi possunt aliorum testimonia contraria, nullo modo sunt nostris comparanda; sunt enim privatorum quorumdam Græculorum dubiæ, aut nullius fidei. Neque obsunt objecta Gergani verba, quæ a Caryophilo male in latinum idioma translata fuerunt. Ita enim habet Gergani textus: *Impium dogma Papistarum est, cujus auctor fuit Eugenius Papa: quoniam ubi est Christi corpus, ibi etiam sanguis est, propterea non decere, ut laici in utraque specie communionem accipiant*; ubi nihil est de præsentia reali, aut transubstantiatione, sed tantum de communione sub utraque specie.

517. Major primo aspectu apparet *tertia* difficultas, qua potissimum triumphat Claudius. Sed immerito. Quamquam enim in humana Christi natura enormiter errabant Eutychiani, nihilominus eam Christi naturam, quam sibi confixerant, in Sacramento altaris præsentem esse credebant, convicti nimirum perspicuis illis verbis: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*. Qualis porro esset hæc Christi natura, non omnes eodem modo explicabant. Eutyches hæresis fabricator, ut constat ex I. P. Concilii Chalcedonensis cap. 4., corpus Christi admittebat, illudque appellabat *humanum*, nolebat tamen nobis esse *consubstantiale*. Theodoreto autem teste Lib. IV. *Hæret. fabul.* c. 13. dicebat, *Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse, sed ipsum immutabiliter conversum, & carnem factum per Virginem tantummodo trajecisse*. Ejus vero discipuli variis, & diversis modis obscurissimam Eutychetis doctrinam explicabant, modo dicentes, humanitatem fuisse a divinitate absorptam, quomodo gutta mellis in mare demersa statim absorbetur, & evanescit; quod tamen non impedit, quin substantia mellis adhuc existat, quamvis non appareat: modo naturam divinam esse in carnem, & animam conversam, quod indicat S. Leo in epist. ad Leonem Augustum: modo ex utraque natura divina, & humana factam fuisse unam, sicut ex anima, & corpore una exsurgit natura humana. Quidam corpus Christi dicebant *corruptibile*, alii *incorrupti-*

pti-

quam in calicem, & Eucharistiam non distribuant, nisi sub utraque specie, T. I. p. 516. De Melchitis, vel Syris, consuli potest Abr. Echellensis Maronita in *Præfat.* ac *notis ad Catalogum librorum Chaldæorum* Hebed Jesu; quod opus Bartholdus Nihusius recudi curavit in *Concordia Nationum Christian. &c.* Moguntiæ 1655. Sed eruditissimus Jo. Simonius Assemanus in sua *Bibliotheca Orient. Clementino-Vaticana* multo uberius hanc materiam pertractavit, ut nihil desiderandum reliquerit.

ptibile. Hæc cum ita sint, facile intelligitur, quomodo Eutychiani, non obstante errore, cui mordicus adhærebant, potuerunt una cum aliis Communionibus, & Ecclesia Catholica præsentiam Christi realem, & transubstantiationem confiteri.

318. Dices. Reipsa Eutychiani a Guidone Carmelita, & nonnullis aliis accusantur negatæ realis Christi præsentiæ in Eucharistia. Etiam inter errores Armenorum expositos Benedicto XII. & Clementi VI. vigesimus tertius erat, quod non crederent, panem, & vinum in sacrificio altaris converti in corpus, & sanguinem Christi, sed ejus tantum figuram continere; *quos errores*, inquit Clemens VI. apud Rainaldum ad an. 1341. *Synodo congregata abjecerunt*.

319. Resp., hanc accusationem fuisse sine fundamento, ac propterea Alphonsus a Castro, solertissimus alioquin omnium hæresium, & errorum investigator, eamdem silentio prætermisit. Audiatur testis omni exceptione major Clemens Galanus, utpote qui magnam vitæ suæ partem in Armenorum conversione consumpsit. In Tom. I. *Conciliat. Ecclesiæ Armenæ cum Rom.* P. ult. qu. 1. §.6. probat, falsam esse hanc criminationem a Guidone Carmelita, aliisque Auctoribus impactam Armenis, allatis multis testimoniis ex ipsorum liturgiis, ac potissimum illis Sacerdotis verbis, quibus se communicans dicit: *Credo, me manducare sanctum, & vivificans corpus tuum, Domine Jesu Christe Deus meus, in remissionem peccatorum meorum: credo, me bibere purificantem, & sanctificantem sanguinem tuum, Domine Jesu Christe Deus meus, in remissionem peccatorum meorum*.

320. De Nestorianis etiam fortasse suspicio, suboriri potest, propter ea, quæ Leontius Byzantinus in libro *De impietate Nestorianorum* habet, nempe eos aliquando dixisse: *Panis in typo corporis Christi propositus non plus benedictionis participavit, quam panis, qui in foro venditur*. Sed, ut Nat. Alexander observat *Hist. Eccl.* Sæc. V. cap. 12. §. 9. Nestoriani illi, quorum errores, mores, fraudesque detegit Leontius, a Nestorio magistro suo in dogmate de Eucharistia degeneres fuerunt: certis enim argumentis constat, Nestorium in doctrina Eucharistiæ ab Ecclesiæ Catholicæ fide nunquam recessisse. Et adhuc certiora monumenta suppetunt, eidem constanter adhærere Nestorianos hodiernos, qui in variis Orientis partibus superstunt (*a*).

321. Argumentum hactenus breviter expositum, tametsi externum, maximam vim habere debet ad confirmandam præsentiæ realis, & transubstantiationis fidem, quam omnes Christiani orbis Communiones, licet locorum intervallis admodum dissitæ, moribus omnino diversæ, sibi invicem in aliis dogmatibus contrariæ, unde perpetuo inter se pugnant, unanimiter profitentur. Neque enim una ab aliis potuit id accipere, sed omnes ante earum divisionem ab unico Apostolorum fonte haurire debuerunt. Lutherani in neganda transubstantiatione nonnisi Calvinistas socios habent; Calvinistæ autem in neganda præsentia reali solitarii omnino sunt (*b*).

322. Unum adhuc restat pertinacibus Sacramentariis effugium, facile tamen ipsis præcludendum: dicunt videlicet, aut potius fingunt, omnes istas Communiones a veterum Patrum doctrina recessisse, & non tam quærendum nobis esse, quid modo sentiant Christiani, quam quid senserint, ac docuerint primi Ecclesiæ Patres; qua in re Claudius nos provocat ad spissum opus Albertini, qui omnia quotquot invenire potuit, eorum testimonia collegit, ac concludit hujus dogmatis fidem fuisse in tota Ecclesia mutatam. Eadem fere legerunt Jo. Rud. Kieslingius in sua *Hist. Concert. græc. ac latin. de transubstant.* & Prosper Marchand in præfat. ad *Collat. aliquot Tract. de Euchar.* addens, quod si Græcorum, atque Orientalium doctrina aliquod pondus haberet, actum esset de Rom. Pontificis primatu.

323. At vero quis unquam concipere queat, fideles toto terrarum orbe dispersos potuisse in hanc mutationem unanimi consensione ita conspirare, ut nulla prorsus natio, nulla Communio antiquam Ec-

(a) Eruditus P. Jo. Garnerius Dissert. I. *De hæresi, & libris Nestorii* falso putavit Nestorium docuisse *impanationem*, ejus autem discipulos negasse præsentiam realem. Quod etiam asseruit Lanfrancus disputans contra Berengarium. Sed in hoc solum errarunt, & errant Nestoriani, quod duas in Christo distinguentes personas, humanam & divinam, volebant conversionem panis & vini fieri in carnem & sanguinem ejus, cui persona divina Verbi moraliter conjuncta est; quem errorem confixit S. Cyrillus anath. XI., quemadmodum ostendit Vigilius Tapsensis Lib. V. adv. Eutychetem.

(b) Hæc omnia longe uberius tractata invenientur in opere toties laud. *De perpetua fide, &c.*; cui adjungi ea poterunt, quæ Ant. Paris Canonicus Regularis adjecit in Lib. *La creance de l'Eglise Grecque touchant la transubstantiation, contre le Ministre Claude*; & quæ postea edidit Eusebius Renaudotius contra Joan. Aymonium Calvinistam, qui in libro *Monumens authentiques de la religion des Grecs, &c.* Hagæ Comitum 1708. nonnullas Orientalium Confessiones, tanquam supposititias, rejiciebat. Eas vero defendit Renaudotius in Libro *Defense de la perpetuité de la foi contre les calomnies & faussetés du livre intitulé: Monumens, &c.* Paris 1709. Legi etiam utiliter poterunt, quæ Rich. Simonius scripsit contra Claudium in opere: *Fides Ecclesiæ Orientalis, &c.* Paris. 1671., & in *Hist. critique de la creance, & des coutumes des Nations du Levant* sub ficto nomine *Moni*; quam postea historiam defendit contra epistol. Th. Smith *De græcæ Ecclesiæ hodierno statu*. Multa etiam suppeditabunt Leo Allatius in tribus libris *De Ecclesiæ occidentalis, & orientalis perpetua consensione*, & Barth. Nihusius in *Concordia nationum Christian. per Asiam, Africam, Europam, &c.* Moguntiæ 1655. 8.

Ecclesiæ fidem retinuerit, & modo profiteatur? Et communiones illæ Nestorianorum, Eutychianorum &c. jam a quinto sæculo, non solum ab Ecclesia Romana omnium matre, & magistra, sed etiam a Græca, & a seipsis separatæ fuerint, unde dogmatis istius fidem haurire potuerunt, nisi a primorum Patrum constanti, atque universali traditione?

524. Præterea hæc fictitia mutatio vel repente, ac sensibiliter facta fuisset, vel paulatim, & insensibiliter: utrumque autem incredibile prorsus est. Incredibile est primum, immo plane ridiculum: oporteret enim fingere, omnes fideles sine disputationibus, sine contradictione, sine conciliis, nescio quo impetu in hanc metamorphosim conspirasse; ita ut aliquando una cum nostris Calvinistis crediderint, corpus Jesu Christi dumtaxat in cœlis existens, non contineri in hoc Sacramento, nisi in figura, ac propterea sine idololatriæ scelere a fidelibus cultu latriæ adorari non posse: die autem sequenti, mutata repente opinione, crediderint, ut nos credimus, corpus Christi & in cœlis esse, & simul *sacramentaliter* sub speciebus panis, & vini contineri, atque esse latreuticæ adorationis objectum.

525. Id plane incredibile esse vident & ipsi adversarii: quamobrem ad mutationem *insensibilem* confugere solent. Sed hæc etiam incredibilis est: oportuisset enim, hujus mutationis aliquod fuisse exordium, in quo nonnisi pauci præsentiam realem credere cœpissent contra majorem, immo maximam aliorum multitudinem, qui juxta veterem doctrinam Ecclesiæ eam negabant; deinde progressum, in quo Novatorum numerus sensim augeretur, ut esset tandem veterum numero æqualis; ac demum finem, quo sententia præsentiæ realis facta fuisset quasi communis, paucis reclamantibus, donec & isti pauci ad silentium redacti essent, & una fieret omnium vox, Christum esse in Eucharistia *realiter* præsentem.

526. Jam vero bona fide dicant adversarii, quomodo nova præsentiæ realis opinio potuisset per omnes istos gradus initii, progressus, & finis transire, quin plures in re tanti momenti contradicerent, quin turbæ excitatæ fuissent, libri scripti, disputationes habitæ, concilia coacta, definitiones factæ? Qui in historia Ecclesiastica hospites omnino non sunt, minime ignorant, quotiescumque aliquis conatus est innovare, hæc omnia semper contigisse; ut in celeberrimis illis controversiis, quæ Orientales Communiones, & Ecclesiam græcam a Romana infeliciter separarunt. Immo satis est hominum indolem cognoscere, ut appareat, hæc necessario contingere debere; quorum tamen omnium in Ecclesiasticis monumentis præteritorum temporum, nec volam, nec vestigium potuerunt unquam adversarii invenire.

527. Fingere igitur oportebit, universalem in re tanti momenti mutationem ita *insensibiliter* toto terrarum orbe fuisse factam, ut nemo advertere potuerit, nec quando Novatorum numerus ita creverit, ut antiquæ fidei tenacibus esset pene æqualis, atque in eadem provincia, in eadem civitate, in iisdem monasteriis, atque ut ita dicam, in iisdem familiis aliqui crederent, corpus Christi in hoc Sacramento reipsa adesse, illudque adorarent, alii vero contra putarent abesse, & nullo modo adorare auderent. Fingere ulterius oportebit, tantam discordiam in re tam gravi fuisse nedum a Pastoribus Ecclesiæ, sed etiam a ceteris ita neglectam, ac nauci factam, ut ejusdem nulla prorsus memoria potuerit ad posteros pervenire: quorum duorum quid magis absurdum sit, non facile dixerim.

528. Sane recens adhuc est, & numquam peribit memoria turbarum, quæ in tota Ecclesia, immo & in Civili republica exortæ sunt, quando Lutherus, Zwinglius, Oecolampadius, Calvinus antiquam, ac communem fidelium persuasionem de Eucharistiæ Sacramento immutare aggressi sunt, ut proinde stipites, & non homines fuisse necesse sit, qui superioribus sæculis in tanto religionis discrimine, quasi lethargia oppressi, veterem Apostolorum doctrinam ita ubique mutari passi sint, ut ne hiscere quidem auderent.

529. Adversarii hoc fortissimo argumento ad incitas redacti epocham hujus incredibilis mutationis quæsierunt; & aliqui, ut Blondellus, & Albertinus, eam invenisse sibi visi sunt in Anastasio Monacho Sinaita Sæc. VII., quem in Ὁδηγῷ, seu *Viæ Duce* contra hæreticos Gajanitas, aut dogma ipsum Eucharistiæ, aut saltem consuetas de eo loquendi formulas immutasse dicunt; hanc autem mutationem probatam fuisse a Germano Patriarcha Constantinopol., tum a Joan. Damasceno, ac demum a Patribus Concilii VII. œcumenici anno 787.; unde postea non solum totum Orientem infecerit, sed sensim migraverit etiam in Occidentem, adeoque in Ecclesiam universalem. Jo. tamen Claudius hunc transitum ab una Ecclesia in aliam creditu admodum difficilem sentiens, aliquanto serius hujus mutationis epocham in Ecclesia latina constituit, nempe Sæc. IX., quando Paschasius monasterii Corbejensis Monachus, & postea Abbas anno 831. librum edidit *De corpore, & sanguine Domini:* vult autem novam ipsius doctrinam beneficio ignorantiæ, & impietatis, quæ eo, & seq. sæculo in Ecclesia grassabantur, facile potuisse irrepere, & ubique dilatari. Ceterum non paucos fuisse illius novitatibus commotos, Paschasius ipse fatetur, eidemque palam restitisse scimus, Rhabanum, Maurum, Ratramnum, Joan. Scotum Erigenam, aliosque (*a*).

530. Resp., etiamsi hæc vera essent, semper vi-

(*a*) Primi Calvinistæ, Henr. Boxornius, & Radulphus Hospinianus Paschasium totum in ære suo esse jactabant: immo Jo. Mabillonius Præf. II. in Sæc. IV. Benedict. *De controversiis Eucharisticis* Sæc. IX. nos

vincere difficultates propositas, quomodo Anastasius simplex Monachus, nullaque ecclesiastica dignitate potens, tantum valuerit, ut sine ulla contradictione novum dogma, aut saltem novas illius explicandi formulas, non solum in privatum suum monasterium, sed in totam, qua late patet, Ecclesiam græcam invexerit, qua via postea in latinam Ecclesiam nova hujus Monachi doctrina nemine repugnante penetraverit; ac denique quomodo eadem propagari potuerit ad remotissimas, ab utraque Ecclesia jam tunc discordes Communiones Orientales.

331. Eademque difficultas militat contra novitatem, quæ Paschasio Radberto in re tanti momenti tribuitur. Sane Paschasius ita erat de suæ doctrinæ veritate securus, ut Lib. XI. *Commentariorum* in Matth. jure mirari se dixerit, *quosdam* eidem contradicere; & in epistola ad Frudegardum, *Quamvis*, inquit, *quidam ex ignorantia errent*, *nemo tamen est adhuc in aperto*, *qui hoc ita esse contradicat*, *quod totus orbis confitetur*, *&* *credit*; quibus apparet, nonnisi *quosdam* obscuri nominis, & ignorantes latenter de doctrina Paschasii obmurmurasse, sed neminem, ipso vivente, id palam, & in aperto ausum fuisse. Non equidem negaverim, post ejus mortem aliquos exsurrexisse ejusdem reprehensores; non tamen circa dogma præsentiæ realis, aut transubstantiationis, de quo omnes conveniebant, sed tantummodo circa incidentes quasdam quæstiones, de quibus fortasse non rerum, sed verborum tota discordia erat (*a*). Inepte autem huc affertur, & plus æquo exaggeratur illorum sæculorum ignorantia, aut impietas, in quibus non pauci floruerunt viri & religionis zelo, & sanctitate morum insignes, & litteris etiam ecclesiasticis non mediocriter exculti, qui sine dubio tantæ hujus mysterii corruptioni se fortiter opposuissent.

332. Jo. Claudius subtilissimus cavillator alia via tentavit se ab hoc difficillimo nodo extricare, observans, primam tam veritatis, quam erroris originem esse confusam; quo fieri potuit, ut fideles rudes, immo fortasse & Pastores crediderint *in confuso* præsentiam corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, non satis distinguentes, an hæc præsentia esset realis, an in figura: unde facile postea fuit successu temporis sine contentione, & strepitu errorem præsentiæ realis intruduci.

333. At vero cum hic agatur, non de speculativo aliquo dogmate, sed de augustissimo Sacramento altaris, ad quod Christiani omnes frequentissime accedere consueverant, incredibile omnino est, eos tantum *in confuso* credidisse corporis, & sanguinis Christi præsentiam, & ignorasse, an hæc præsentia *realis* esset, an solum *in figura*; perinde ac si cum dicitur, Regem esse alicubi præsentem, populus ignorare possit, an in propria persona sit præsens, an vero in imagine tantum. Multo incredibilius est, id ignorasse Monachos, Presbyteros, Episcopos, ac Romanos Pontifices totius Ecclesiæ Pastores, aut non fuisse sollicitos, ut de hoc dogmate adeo necessario fideles distincte in-

monet, ab Hiobo Gasto anno 1558. vulgatum fuisse Paschasii librum *De corpore & sanguine Domini* pessime corruptum, resecatis iis omnibus, quæ dogma catholicum continent; quam execrabilem falsarii temeritatem detexit primus, atque explosit Nicolaus Mameranus, integro & sano Paschasii libro edito Coloniæ 1550. Posteriores autem Calvinistæ, Albertinus, Claudius, Latroque Paschasium, ut primum præsentiæ realis, ac transubstantiationis architectum accusare cœperunt. Paschasii vindicias, præter laud. mox Mabillonium, amplissimas dedit Arnaldus Lib. I. *De perpetua fide*, *&c.* cap. 8., aliquanto autem breviores Nat. Alexander Dissert. X. in Sæc. IX. & X.

(*a*) Tres potissimum fuerunt quæstiones excitatæ occasione libri, quem Paschasius Radbertus de *Corpore & Sanguine Domini* edidit pro instructione juvenum Saxonum, qui recens ad fidem Christianam conversi, in monasterio Corbejensi educabantur. *Primo*, an in Eucharistia idem Christi corpus contineretur, quod ex Virgine natum est, passum, & crucifixum? Affirmantem sententiam Paschasius mordicus tuebatur, innixus iis Christi verbis: *Hoc est corpus meum*. Illi adversabantur Rhabanus, Florus, Ratramnus, & duo Anonymi, quos Cellotius edidit, ad calcem *Hist. Gothescalci*; sed fortasse pugna erat in verbis, quia isti contendebant, corpus Christi in Sacramento non habere illam molem, extensionem localem, aliasque qualitates naturales, quibus donatum erat naturale illud corpus, quod ex Virgine natum est, passum, & crucifixum. Utraque pars facile conciliari poterat, dicendo, idem esse corpus Christi, quantum ad substantiam, non autem quantum ad modum existendi, molem, extensionem localem, &c. Reipsa Lanfrancus in Dial. adv. Berengarium cap. 18. utramque sententiam ita conciliabat: *Vere dici potest & ipsum corpus*, *quod de Virgine sumptum est*, *& tamen non ipsum*; *ipsum quidem quantum ad essentiam*, *veræque naturæ proprietatem*, *& veritatem*; *non ipsum autem*, *si species panis*, *vinique speciem*. Vide S. Thomas 3. P. qu. 81. art. 4.

Altera quæstio incidens erat, an corpus & sanguis Christi contineretur sub velo specierum, quod asserebat Paschasius, an vero species panis & vini essent ipsum corpus & sanguis Jesu Christi, quod aliqui errantes affirmabant, verentes, ne si species dicantur *figura*, *velum*, *&* *umbra* Christi, corrueret dogma realis Christi præsentiæ. Reponebat autem Paschasius, simul hoc mysterium & *figuram dici posse*, *& veritatem*; species nempe esse *figuram*, & corpus & sanguinem *veritatem*.

Tertia quæstio excitata fuit, an corpus Christi Eucharisticum ore receptum, & in ventriculum immissum, esset instar aliorum ciborum corruptioni obnoxium, juxta illud Christi Domini, Matth. XV. 17. *Omne*, *quod intrat in os*, *in ventrem vadit*, *& in secessum mittitur*; ex quibus verbis male intellectis nata dicitur spurcissima hæresis Stercoristarum, in cujus hæresis suspicionem venerunt aliqui: qui Paschasio adversabantur, ut Amalarius, & nonnulli alii. Ceterum facile quisque videt, has quæstiones tunc exortas, non spectare ad ipsum capitale dogma præsentiæ realis, & transubstantiationis, quod apud omnes in confesso erat.

instruerentur: aut denique si vidissent novam de eo doctrinam serpere, & antiquam aboleri, omnes in utramque aurem obdormivisse, & tamquam canes mutos lupis irruentibus non allatrasse. Muti sane non fuerunt, quando Berengarius communem Ecclesiæ fidem corrumpere conatus est, ut supra n. 196. in not. vidimus.

354. Instat Claudius contendens, *errorem præsentiæ realis* (ut ipse loquitur) potuisse furtim in Ecclesiam invehi: *primo* quia antiquam fidem quod Christus sit præsens in hoc Sacramento, non prorsus avertebat, sed solummodo nova additione, quod sit *præsens realiter*, corrumpebat; propterea necesse postea fuit ad firmandam hanc additionem nova vocabula cudere præsentiæ *realis*, & *transubstantiationis*, antiquis fidelibus inaudita. *Secundo*, quia duo distingui oportet in hac nova additione, scilicet *adorationem publicam*, & *opinionem realis præsentiæ*; vult autem hanc *opinionem*, quæ minus extrinsecus apparebat, fuisse primo invectam; postquam autem ea invaluerat, facile potuisse addi publicam adorationem. *Tertio* nonnulla affert exempla novorum rituum, & consuetudinum, quæ sine ullo strepitu invectæ fuerunt, ut communio sub una tantum specie panis; usus azymorum in Ecclesia latina, eliminato pane fermentato; jejunii forma, & tempus, & id genus non pauca.

355. Resp. *ad primum*, novam illam additionem *præsentiæ realis*, si facta fuisset, non corrupisse solum, sed plane evertisse antiquum dogma, in quo continebatur, ut Claudius male contendit, *realis præsentiæ*. Potuerunt quidem successu temporis adhiberi formulæ magis expressivæ, ut semper factum est, quotiescumque hæreses natæ sunt, sed istæ nullatenus innovationes appellari possunt. Sic Concilium Trid. Sess. XIII. cap. I. ad præcavendas Calvinistarum subtiles æquivocationes, definivit, Christum *vere*, *realiter*, *ac substantialiter* in Eucharistia contineri; quod tamen & antiqui fideles confitebantur, credentes se comedere verum corpus, & bibere verum sanguinem Jesu Christi.

356. Ad *secundum* resp., jam a nobis supra n. 245. fuisse demonstratum, ex certis testimoniis Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Origenis, aliorumque adorationem Eucharistiæ esse antiquissimam, ut antiquissima semper fuit opinio, & fides præsentiæ realis; & si hæc adoratio fuisset aliquo tempore in Ecclesiam invecta, cum antea non fuisset in usu, eidem ut cultui idololatrico zelosi fideles restitissent.

357. Postremum leve est, ut nec confutari mereatur: omnes enim norunt, disciplinam Ecclesiæ variari posse; quamobrem ubi legitimæ fuerunt harum variationum causæ, sine ullis turbis factæ sunt. Addo, harum variationum epochas, & causas plerumque compertas esse. Non eadem vero est ratio variationum in dogmate; semper enim Novatores oppugnati, ac damnati fuere. Demum mutationes in objectionem allatæ nunquam universales factæ sunt; quemadmodum universalis esse debuisset variatio dogmatis præsentiæ realis, ac transubstantiationis.

ARTICULUS IV.

Solvuntur argumenta Sacramentariorum ex ratione petita.

358. Quamquam Religionis mysteria non humana ratione, sed sola divina revelatione innotescant; ut enim S. Augustinus Volusiano Epist. CXXXVII. de alio simili mysterio scribebat: *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis*; hoc tamen non obest, quin eorumdem mysteriorum post divinam revelationem aliqua *conveniens* ratio afferri possit. Cohærenter ad hæc S. Thomas 3. P. q. 75. art. I. postquam observavit, *verum corpus Christi, & sanguinem esse in hoc Sacramento, neque sensu, neque intellectu deprehendi posse, sed sola fide, quæ auctoritati divinæ innititur*, probat, hoc *conveniens* esse perfectioni novæ legis. „ Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura secundum illud Hebr. X. I. *Umbram habens lex futurorum, non ipsam rerum imaginem*. Et ideo oportuit, ut aliquid plus haberet sacrificium novæ legis a Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione, vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc Sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet, ut Dionysius dicit cap. 4. *Eccl. Hier.*, est perfectivum omnium aliorum Sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. *Secundo* hoc competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostræ naturæ assumpsit; & quia maxime proprium amicitiæ est convivere amicis, ut Philosophus dicit IX. *Etich.* cap. 12., sui præsentiam corporalem nobis repromittit in præmium, dicens Matth. XXIV. 28. *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*. Interim tamen nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis, & sanguinis sui nos sibi conjungit in hoc Sacramento. Unde ipse dicit Jo. VI. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Unde hoc Sacramentum est maximæ charitatis signum, & nostræ spei sublevamentum ex tam familiari conjunctione Christi ad nos. *Tertio* hoc convenit perfectioni fidei, quæ sicut est de divinitate Christi, ita est de ejus humanitate, secundum illud Jo. XIV. I. *Creditis in Deum, & in me credite*. Et quia fides est invisibilium,

„ sic-

„ sicut divinitatem suam nobis exhibet invisibiliter, ita & in hoc Sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo".

339. Ob. *primo*. Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cum nec Angelo hoc conveniat. Si enim corpus posset esse simul in pluribus locis, posset etiam esse ubique, quod soli Deo convenit. Cum ergo verum corpus Christi sit in cœlo, non potest esse *vere*, *proprie*, & *substantialiter* in hoc Sacramento.

340. Respondet Angelicus laud. art. 1. ad 3., *Corpus Christi non esse eo modo in Sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam speciali modo, qui est proprius huic Sacramento. Unde dicimus, quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed sicut in Sacramento: per quod non intelligimus, quod Christus sit ibi solum, sicut in signo, licet Sacramentum sit in genere signi, sed intelligimus, corpus Christi hic esse secundum modum proprium huic Sacramento*. Hinc communis illa Scholasticorum solidissima distinctio, non posse quidem aliquod corpus esse in pluribus locis *circumscriptive* (saltem in sententia S. Thomæ, & Thomistarum), posse tamen corpus Christi esse in pluribus hostiis consecratis *Sacramentaliter*.

341. Quod si molestius quis sciscitetur, quisnam sit hic existendi modus Sacramentalis, respondebimus cum sapientissimis Synodi Trident. Patribus Sess. XIII. cap. 1., Christum in Eucharistia *Sacramentaliter* præsentem esse *ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissime credere debemus* (a).

342. Inst. *primo*. Corpus Christi *Sacramentaliter* existens in Eucharistia vel habet propriam quantitatem, vel non. Si *primum*, majus certe erit speciebus Eucharisticis, adeoque ab eis contineri non poterit, quia majus non continetur a minore: si *secundum*, corpus verum non erit: natura enim corporis sine quantitate nec esse, nec intelligi potest. *Spatia locorum*, inquit S. Augustinus Epist. 187. cap. 6. ad Dardanum cap. 6., *tolle corporibus, nusquam erunt; & quia nusquam erunt, nec erunt*.

343. Resp., Corpus Christi *Sacramentaliter* in Eucharistia existens habere quidem suam quantitatem, & extensionem relate ad seipsum, quatenus una pars est extra aliam; non autem relate ad locum, quasi una pars uni loco, altera alteri respondeat, unde majus non posset a minore contineri. *Quantitas dimensiva corporis Christi*, inquit Angelicus 3. P. quæst. 76. art. 4. ad 3., *non est in hoc Sacramento secundum modum commensurationis, qui est proprius quantitati, ad quam pertinet, quod major quantitas extendatur ultra minorem; sed est ibi per modum substantiæ*. Vid. etiam art. 5., in quo ostenditur, corpus Christi non esse in hoc Sacramento, sicut in loco. Neque vero assentimur iis Philosophis Carthesianis, qui negant, etiam virtute divina posse extensionem actualem a corpore separari, & qui proinde valde laborant in conciliando dogmate præsentiæ realis cum suo systemate philosophico (a). Sed indivulse adhæremus tutissimæ nostri S. Præceptoris doctrinæ, qui 3. P. quæst. 76. art. 5. *Corpus Christi*, inquit, *non est in hoc Sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensivæ, sed magis secundum modum substantiæ*; quod sæpius repetit Angelicus.

344. Verba S. Augustini intelligenda sunt de corpore in statu naturali, in quo certe extensione donatum sit oportet; & cum extensio intelligi non possit, quin spatium aliquod occupet majus, aut minus, prout major, aut minor est extensio, ideo vere dixit Augustinus: *Spatia locorum tolle corporibus &c.*; & postea subdit: *Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, & ideo necesse est, ut non sint*. Non autem eo loci Augustinus loquitur de corpore Christi *Sacramentaliter* existente in Eucharistia, quod sicut virtute divina exspoliari potest aliis qualitatibus, ita etiam extensione locali.

345. Ex quo autem corpus Christi in Sacramento

(a) Quamvis Scholastici disputent, an virtute divina possit idem corpus *circumscriptive*, seu *localiter* esse in pluribus locis, negantibus Thomistis post Angelicum Magistrum suum, affirmantibus autem Scotistis una cum Doctore subtili, hæc tamen disputatio nihil ad præsentem difficultatem attinet, in qua non de præsentia *circumscriptiva*, sed de præsentia *Sacramentali* agitur. *Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, &c.* inquiunt Patres Tridentini Sess. XIII. cap. 1. Obiter hic notandum, Lutherum, ut huic objectioni Zwinglianorum, quod corpus Christi non possit esse simul in pluribus locis, occurreret, monstruosum illud commentum *ubiquitatis* Christi confixisse, de quo egimus T. V. Dissert. III. cap. 5.

(a) Carthesiani contendentes naturam corporis in trina actuali extensione sitam esse, ut ab hac difficultate se expediant, dicunt, Christi corpus habere in hoc Sacramento trinam suam naturalem dimensionem, sed admodum exiguam, quomodo pullus integer continetur in germine ovi, aut planta in semine. Quando autem ipsis objicitur doctrina Concilii Tridentini definientis Sess. XIII. can. 3. contineri *totum Christum sub singulis cujusque speciei partibus*, acute respondent, id non esse intelligendum de hostia integra, sed postquam in partes divisa fuerit, ac propterea fuisse additum *separatione facta*: tunc enim dicunt, corporis Christi molem adhuc minui usque in infinitum, ita ut totum Christi corpus cum sua extensione in qualibet minutissima particula inveniatur; eo fere modo, quo in speculo integro nonnisi una imago repræsentatur, fracto autem speculo totidem imagines resultant, quot sunt speculi fragmenta, sed semper minores, prout minor est fragmentorum superficies.

to altaris careat extensione *actuali*, caret etiam *impenetrabilitate*, quæ proprietas corporum ex actuali extensione partium in ordine ad locum fluit; quo fit, ut sit totum in tota hostia, & totum in singulis ejus partibus, sicut substantia tota est in toto, & tota in singulis partibus. Certe Christi corpus exivit ab utero Virginis matris non reserato virginitatis claustro, exivit e sepulcro obsignato, & intravit in cœnaculum foribus clausis; quæ omnia sine corporum penetratione fieri non potuerunt. Horum autem non alia ratio est, quam illa Christi ipsius ore prolata Matth. XIX. 26.: *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

346. Inst. *secundo*. Divina virtute fieri non potest, ut Christi corpus quovis modo, etiam *Sacramentaliter*, sit unum, idemque in diversis temporibus: ergo nec in diversis locis.

347. Resp. neg. cons.; in eo autem est discrimen, quod tempora diversa simul esse non possint, cum tempus in successione consistat; unde repugnat, unum, idemque corpus in diversis temporibus esse, sicut repugnat, diversa temporis momenta unum, idemque momentum esse.

348. Inst. *tertio*. Si corpus Christi simul inveniretur in pluribus locis, non esset unum, sed multiplex, & quidem unumquodque ab aliis distinctum, divisum, ac separatum, quod absurdum est.

349. Resp., Corpus Christi in sua substantia unicum esse, & indivisum, sed *Sacramentaliter* multiplicatum, seu toties reproductum, quoties Sacramentum Eucharistiæ conficitur.

350. Inst. *quarto*. Si Corpus Christi potest simul esse in pluribus locis, posset etiam esse in omnibus, ut proinde immensitas, & ubiquitas illi competerent, quæ ita solius Divinitatis sunt propriæ, ut nec Christi humanitati conveniant, quemadmodum docuimus Tom. V. Dissert. III. cap. 5.

351. Resp., Christum esse in omnibus hostiis consecratis, non localiter, sed modo indivisibili; cum autem hostiæ consecratæ non possint omnia loca replere, nec Christi corpus potest in omnibus locis esse, sed in omnibus illis, in quibus hostiæ consecratæ reperiuntur.

352. Inst. *quinto*. Corpus Christi in cœlo immobiliter sedet ad dexteram Patris; in hoc autem Sacramento moveri deberet ad motum hostiæ; immo & cadere in terram cadente hostia: atqui rationi repugnat, idem corpus esse mobile, & immobile, ergo &c.

353. Resp. cum S. Thoma 3. P. quæst. 76. art. 6., corpus Christi dici mobile in hoc Sacramento *improprie*, *& per accidens: per se enim loquendo est in hoc Sacramento immobiliter, quia non est in hoc Sacramento, sicut in loco; quod autem non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum ejus, in quo est.* Sic quando corpus humanum cadit in terram, nonnisi *improprie*, *& per accidens* dici potest, animam cadere in terram (a).

Quæres *primo*, *utrum corpus Christi*, prout *est in hoc Sacramento*, *possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato?*

354. Resp. *negative* cum S. Thoma 3. P. qu. 76. art. 7. duplici de causa. *Primo quidem*, *quia corpus visibile per sua accidentia immutat medium; accidentia autem corporis Christi sunt in hoc Sacramento mediante substantia, ita scilicet quod accidentia Corporis Christi non habent immediatam habitudinem, neque ad hoc Sacramentum, neque ad corpora, quæ ipsum circumstant; & ideo non possunt immutare medium, ut sic aliquo corporali oculo videri possit. Secundo, quia corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiæ. Substantia autem, inquantum hujusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subjacet alicui sensui, sed nec etiam imaginationi, sed soli intellectui, cujus objectum est quod quid est, ut dicitur in 3. De anima textu 26. Et ideo, proprie loquendo corpus Christi secundum modum essendi, quem habet in hoc Sacramento, neque sensu, neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis.*

Quæres *secundo*, *quod dicendum sit de quibusdam apparitionibus miraculosis carnis, vel sanguinis D. N. J. C. aut pueri?*

355. Respondet Angelicus art. 8., *quod dupliciter contingit talis apparitio .... Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte Sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere, quando uni videtur sub specie carnis, vel pueri, aliis tamen videtur, sicut & prius, sub specie panis; vel quando eidem ad horam videtur sub specie carnis, vel pueri, & postmodum sub specie panis ...... Quandoque vero contingit talis apparitio, non per solam immutationem videntium, sed specie, quæ videtur, exterius realiter existente; & hoc quidem videtur esse, quando sub tali specie ab omnibus videtur, & non ad horam, sed per longum tempus ita permanet:*

(a) Operæ pretium non est, eas refutare objectiones, quas auctor infamis Operis, cui titulus *Evangile du jour*, aut alterius inscripti *Le Christianisme devoilé*, Voltairius, aliique ejusdem furfuris, præcipue contra hoc Religionis nostræ dogma opponunt, quasi Deum corporeum nobis effingamus, quem manducemus. Neque enim in hoc Sacramento Deus efficitur panis, sed panis transmutatur in divinum Christi corpus; neque ipsum Christi corpus sensu Capharnaitico dentibus comminuimus, sed potius species panis & vini, sub quibus corpus Christi continetur. Temporis dispendium esset in his nugis immorari.

net: & in hoc casu quidam dicunt, quod est propria species corporis Christi ....

356. *Sed hoc videtur esse inconveniens. Primo quidem, quia corpus Christi non potest in propria specie videri, nisi in uno loco, in quo definitive continetur; unde cum videatur in propria specie, & adoretur in cœlis, sub propria specie non videtur in hoc Sacramento. Secundo, quia corpus gloriosum, quod apparet, ut vult, post apparitionem, cum voluerit, disparet, sicut dicitur Luc. ult., quod Dominus ex oculis discipulorum evanuit. Hoc autem, quod sub specie carnis in hoc Sacramento apparet, diu permanet; quinimmo legitur quandoque esse inclusum, & multorum Episcoporum consilio in pixide reservatum, quod nefas esset de Christo sentire, secundum propriam speciem. Et ideo dicendum est, quod manentibus dimensionibus, quæ prius fuerant, fit miraculose quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram, & colorem, & alia hujusmodi, ut videatur caro, vel sanguis, aut etiam puer.*

357. Observat postea ibidem Angelicus, non propterea consequi, corpus Christi non esse amplius in Sacramento, cum non sit, neque sub specie propria, neque sub speciebus panis, & vini, quæ non amplius sub sensibus cadunt. Non inquam id consequitur, quia, ut inquit idem Angelicus ad 1., *facta tali apparitione, species Sacramentales quandoque quidem totaliter remanent in seipsis, quandoque autem secundum id, quod est principale in eis*, scilicet *dimensionibus, quæ sunt fundamenta aliorum accidentium*; quod S. Doctor probat qu. 77. art. 2.

CAPUT VI.

De transubstantiatione panis, & vini in corpus, & sanguinem D. N. J. C.

358. Transubstantiationis nomine intelligitur cum Patribus Tridentinis Sess. XIII. cap. 4. *Conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.* Idemque repetitur can. 2. Hanc vocem novam esse non inficiamur; verumtamen ostendemus, novum non esse dogma hac voce significatum, sed antiquissimum, adeoque fuisse sapienter ab Ecclesia in tribus Conciliis œcumenicis, Lateranensi IV., Florentino, & Tridentino ad mirabilem illam conversionem exprimendam usurpatum.

359. S. Thomas 3. P. quæst. 75. art. 2. quosdam memorat, qui posuerunt, post consecrationem substantiam panis, & vini in hoc Sacramento remanere; sed cum eos non nominet, colligere pronum est, nonnisi obscuros homines fuisse. At vero famosus postea hic error factus est, quando Lutherani eum adoptarunt, & simul cum corpore, & sanguine D. N. J. C. substantiam panis, & vini esse in Eucharistia docuerunt (*a*). Huic autem errori duos alios multo perniciosiores Lutherani conjungere solent: *primo* corpus, & sanguinem Christi non contineri in Sacramento, nisi in actuali ejus usu; adeoque reservandum non esse: *secundo* non posse hoc Sacramentum sine infando idololatriæ scelere publicæ adorationi exponi. Hos tres errores ut pro virili nostra confutemus. Sit

PRO-

(*a*) Primus, qui transubstantiationem negaverit, communiter creditur Berengarius, de quo supra ad n. 196. dictum est; sive quod sublata præsentia reali, necessario tollatur etiam transubstantiatio; sive quod vel ipse, vel aliqui ejus discipuli solam transubstantiationem sustulerint, ut nonnulli opinantur una cum Mabillonio. Tum Card. Baronius ad annum 1111. & Bellarminus, Lib. III. *De Euchar.* cap. 11. cum P. Vasquez in 3. P. Disp. 80. cap. 1. inter alios errores Ruperti Abb. Tuitiensis, qui anno 1135. vita functus est, hunc precipue notant, quod docuerit, panem, & vinum in Eucharistia assumi a Divino Verbo eo prorsus modo, quo natura humana ab eodem Verbo in incarnatione assumpta fuit. Sed Ruperti vindicias egerunt duo ejusdem consodales Rem. Ceillier, & Gerberonius. Wiclefus transubstantiationem aperte negavit, ac tandem hæc hæretica opinio peculiaris facta est Lutheranorum, ut nempe simul cum præsentia reali corporis & sanguinis Domini etiam substantiam panis & vini admitterent. Quorum tamen non una est sententia. Nam aliqui, ut Andr. Osiander, docuerunt cum antiquis quibusdam memoratis ab Algero, Lib. I. *De Sacr. Corp. & Sang.* c. 6. substantiam panis ac vini *hypostatice* uniri corpori & sanguini Jesu Christi. unde *assumptionis* vocabulo utebantur; quam monstruosam sententiam Bellarminus, Becanus, aliique ex nostris Luthero ipsi non sine aliquo fundamento tribuerunt, qui propterea Eucharistiam vocabat *panem carneum, & vinum sanguineum* in sua *Magna fidei confessione*. Alii admittunt sic dictam *impanationem*, seu *localem* corporis Christi in pane, & sanguinis in vino, tamquam in receptaculo *inclusionem*. Alii *Consubstantiationem*, seu corporis & sanguinis Christi cum pane & vino *commixtionem*. Alii vocant *concomitantiam*, qua duæ illæ substantiæ in Eucharistia sic uniuntur, ut neutra in altera includatur. Ad varias hasce Lutheranorum explicationes irridendas Sacramentarii illum propudiosum excogitarunt versiculum:

In, cum, sub totum fallant monosyllaba mundum. Major Lutheranorum pars, repudiatis omnibus hisce explicationibus, unionem duarum substantiarum vocant *Sacramentalem*, quia nempe *modo quodam soli Deo cognito, nobis vero incomprehensibili, pani Eucharistico, & vino corpus Christi, & sanguis substantialiter unitur, ut cum illo pane & vino verum corpus & sanguinem Christi manducemus & bibamus*. Ita Jo. Gerhardus *Loco XVII.* cap. 11. §. 98. qui tamen non rejicit transubstantiationem tamquam *impossibilem*, sed solum quia, ut ipse putat, fundamentum in sacris litteris non habet. Has Lutheranorum dissensiones recenset Jo. Franc. Buddeus in *Sylloge recentissima de sacra cœna controvers.*; qui Lib. V. *Instit. Theol.* cap. 1. §. 15. hanc unionem *Sacramentalem* in eo consistere dicit, *quod una cum pane & vino vere, & realiter, una e actu verum corpus, verumque sanguinem Christi, citra omnem conversionem, vel transmutationem, accipimus.*

PROPOSITIO I.

Substantia panis, & vini in Eucharistia tota vertitur in substantiam corporis, & sanguinis D. N. J. C.

360. Prob. *primo* ex verbis institutionis, quæ in sensu litterali, & obvio intelligenda esse nobiscum Lutherani contra Sacramentarios demonstrant; atqui Dominus Jesus Christus absolute pronunciavit: *Hoc est corpus meum &c.*; non dixit: *corpus meum est hic*; vel *corpus meum est sub hoc*; aut *hoc continet corpus meum*; aut demum *hic panis est corpus meum*, ut indicaret, una cum corpore, & sanguine suo præbere etiam panem, & vinum. Hinc non solum Catholici, sed etiam Sacramentarii invicte contra Lutheranos colligebant, posito sensu litterali, necessario ponendam esse transubstantiationem; quia dici quidem potest, panem esse factum corpus Christi, secuti Joann. II. 9. dicitur *aqua vinum facta*, aut quod sensibus videtur *panis*, reipsa esse *corpus Christi*; sed nullo modo in sensu litterali dici potest, *hoc esse simul panem, & Christi corpus*.

361. Hanc rationem S. Thomas 3. P. quæst. 75. art. 2. ita proponit: „ Hæc positio (quod remaneat substantia panis) contrariatur formæ „ hujus Sacramenti, in qua dicitur: *Hoc est corpus meum*; quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret: nunquam enim substantia panis est corpus Christi; sed potius esset dicendum: *Hoc est corpus meum* ". Et post pauca ita concludit: *Unde hæc positio vitanda est tamquam hæretica*. Et reipsa tamquam hæretica postea damnata fuit in Conciliis Constantiensi, & Florentino, atque expressius in Tridentino Sess. XIII. cap. 4., & can. 2.

362. Idipsum potest illustrari exemplo virgæ Aaronis, quæ non potuit converti in colubrum, nisi per transubstantiationem, nempe per mutationem substantiæ virgæ in substantiam colubri: & sano sensui repugnaret, qui diceret, virgam in sua substantia permansisse, quando fuerat versa in colubrum. Ita non potuit Christus in sensu litterali dicere: *Hoc est corpus meum*, nisi facta transmutatione panis in corpus suum. Et si voluisset his verbis significare, *sub* pane, vel *in* pane, vel *cum* pane esse suum corpus, jam grammaticali figura usus fuisset, nempe significans rem contentam pro continente, aut partem pro toto. Cum igitur Lutherani figuralem sensum omnino a verbis Christi exclusum velint, solumque litteralem admittant, sequitur &c. Sed quia hoc argumentum visum est nonnullis Theologis non omnino efficax (*a*); ideo

363. Prob. *secundo* hoc fidei nostræ dogma ex Ss. Patrum traditione, atque universalis Ecclesiæ consensione; qua in re ea repetenda essent, quæ superius de præsentia reali dicta sunt. Fere enim omnia ea testimonia, quæ evincunt, in hoc Sacramento vere adesse corpus, & sanguinem Christi, etiam probant, ibi panem, & vinum fuisse in corpus, & sanguinem transmutatum; ut proinde si Lutherani putant, se posse ex iisdem testimoniis Sacramentariorum errorem convellere, debeant etiam nobiscum fateri, nullam amplius in Eucharistia post consecrationem esse panis, vinique substantiam.

364. Frivola autem est eorum exceptio, quod illa testimonia possint, & debeant intelligi *de translatione elementorum in altiorem, & nobiliorem statum, ita ut panis sit, ac maneat ratione substantiæ, quod ante consecrationem fuit, sed Christi virtute fiat quiddam amplius, quod antea non erat, videlicet symbolum Sacramentale, &c.* Ita Joann. Gerhardus *Loco XXII.* cap. 12. §. 138. explicans illa vocabula, quæ apud Patres græcos sæpe occurrunt μετάληψις μεταβολής μεταποίησις, μετουσίας *&c.*

365. Verumtamen *primo* non considerant, etiam Calvinianos posse simili evasione declinare nostra argumenta, quibus ex sanctis Patribus realem Christi præsentiam invicte demonstramus, dicendo, mutari elementa, quatenus virtutem quamdam spiritualem accipiunt, eos sanctificandi, qui ad illa cum fide accedunt.

366. Ulterius, quomodo hanc suam explicationem adaptabunt iis verbis S. Cyrilli *Catech.* IV. *mystagogica: Certo tibi persuasum sit, quod qui videtur panis, non est panis, quamvis gustui videatur, sed corpus Christi; & quod videtur vinum, non est vinum, quamvis ita gustus judicet, sed sanguis Christi?* Aut illis S. Ambrosii in Psal. CXXXIV.: *Licet figura panis, & vini videatur, nihil tamen aliud, quam caro Christi, & sanguis post consecrationem credendum est?* Multa ejusdem generis sæpe occurrunt, quibus nihil expressius desiderari potest ad dogma transubstantiationis stabiliendum. Reipsa omnes Chri-

(*a*) Durandus a S. Porciano in IV. *Sentent.* Dist. XI. quæst. 3. n. 15. scripsit, ex solis verbis consecrationis minime effici, nullam amplius remanere in Sacramento Altaris panis, vinique substantiam, quia illa duntaxat significant, ibi corpus & sanguinem Christi realiter adesse; quod verum foret, etiamsi panis & vinum remanerent. Eadem sententia tribuitur Paludano, Ochamo, Scoto, & Card. de Alliaco; qui tamen orthodoxe senserunt de ipso dogmate, quod ex perpetua, constantique Patrum traditione erui putabant. Non desunt, qui laudatos scholæ Doctores ab omni criminatione liberent; quasi scilicet solum voluerint, Scripturæ testimonia hac in re non esse omnino perspicua, & propterea sacris litteris adjungi oportere sanctorum Patrum traditionem, & Ecclesiæ definitiones. Sed hæc Scholasticorum vindiciæ nimis longe nos a proposito avocarent.

Christianæ Communiones in hoc eodem sensu orthodoxo hæc veterum Patrum dicta intellexerunt, quemadmodum legenti, quæ sup. n. 259. & seq. attulimus, luculenter apparebit.

367. Ob. *primo*. Nomen barbarum *transubstantiationis* novum est, cujus neque in sacris litteris, neque in sanctis Patribus, ante Conc. Lateranense IV. ullum reperitur vestigium: ergo hoc ipso rejiciendum est (*a*).

368. Resp. *primo*, nec *impanationis*, nec *consubstantiationis*, nec *concomitantiæ*, vel *assumptionis*, aut demum *unionis Sacramentalis* mentionem ullam in sacris litteris inveniri, quibus tamen vocibus uti amant Lutherani. *Præterea*, quidquid sit de voce *transubstantiationis*, postquam ex Scripturis, ac traditione ostensum est, totam substantiam panis, & vini converti in corpus, & sanguinem Jesu Christi, puerile est litigare de voce; & semper licuit, semperque licebit Ecclesiæ ad præcludenda Hæreticorum effugia novas cudere voces, ut factum est in Concilio Nicæno, consecrata voce ὁμοούσιος, & in Ephesino adhibita θεοτόκος, ad Arianorum, & Nestorianorum hæreses profligandas. Horum Conciliorum exemplo Synodus Tridentina Sess. XIII. cap. 4., & can. 2. definivit, conversionem totius substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini *convenienter*, *&* *proprie* a sancta catholica Ecclesia *transubstantiationem* fuisse appellatam.

369. Neque hic omittenda est illa S. Thomæ accurata observatio 3. P. quæst. 75. art. 4. ubi postquam ostendisset, hanc conversionem non esse similem conversionibus naturalibus, quia *tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi*, *&* *tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi*, ità concludit: *Unde hæc conversio non est formalis*, *sed substantialis; nec continetur intra species motus naturalis*, *sed proprio nomine potest dici transubstantiatio*.

370. Inst. *primo*. Transubstantiationis doctrina opponitur sacris litteris, in quibus Sacramentum Eucharistiæ vocatur *panis*. In 1. Corint. X. 16. *Panis*, *quem frangimus*, inquit Apostolus, *nonne participatio corporis Domini est?* Et XI. 26. *Quotiescumque manducabitis panem hunc &c. Quicumque manducaverit panem hunc &c. Probet autem seipsum homo*, *&* *sic de pane illo edat &c.* Christus etiam Joann. VI. *Panis*, inquit, *quem ego dabo*, *caro mea est pro mundi vita*. De vino similiter loquitur Apostolus, ipsum vocans *participationem sanguinis Christi*. Et Christus ipse postquam consecraverat calicem Matth. XXVI. 29. inquit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, *&c.*

371. Resp., his, & similibus Scripturæ sacræ locis Eucharistiam vocari *panem*, non quod in ea substantia panis remaneat, sed aliis de causis: *primo*, quia ex pane consecrata est, sicuti Exodi VII. 12. *virgæ* nominantur, etiam postquam fuerant in serpentem conversæ: *Devoravit virga Aaron virgas eorum*, nempe magorum. Sic pariter homo dicitur *pulvis* Gen. III. 19., quia *de limo terræ* formatus fuerat: *secundo*, quia visibilem panis formam retinet, quomodo Angeli homines dicti sunt, quando sub visibili forma hominis apparebant: *tertio*, quia sicut panis nutrit, & vivificat *corporaliter*, ita Sacramentum nutrit, & vivificat *spiritualiter;* unde Christus Dominus Joann. VI. 59. vocat se *panem*, *qui de cœlo descendit*, & qui manducantibus dat vitam æternam. Similiter Christus Dominus calicem consecratum nominavit *vinum*. Matth. XXVI. propter easdem rationes. Quanquam non desunt Interpretes, ut Cajetanus, qui post S. Hieronymum putarunt, Christum eo loci locutum fuisse de alio poculo non consecrato, quod fuerat in cœna appositum.

372. Inst. *secundo*. S. Paulus cit. cap. X. Epist. 1. Cor. *Panis*, inquit, *quem frangimus*, *nonne participatio* (græce κοινωνία *communicatio*) *corporis Christi est?* Si autem nomine panis intelligeret ipsum corpus Christi, inepte dixisset, corpus Christi esse communicationem ipsius corporis Christi.

373. Resp., nomine *panis*, qui *fractus* dividebatur inter fideles, intelligi ab Apostolo species Sacramentales, sub quibus participes efficimur corporis Christi: vel, ut explicat Angelicus Lect. IV., *sumptio panis fracti in altari participatio* (vel communicatio) *corporis Domini est*, *faciens nos u-*

(*a*) Edm. Albertinus primum hujus vocabuli inventorem fuisse scribit Stephanum Antistitem Æduensem, seu Augustodunensem sub initio Sæc. XII. in Tract. *De Sacr. Altar.* Sæculo autem XIII. in Concilio Lateranensi IV. fuisse consecratum, quando definitum fuit, Christi corpus & sanguinem in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri, *transubstantiatis pane in corpus*, *&* *vino in sanguinem Christi*. Incaute autem, ne quid gravius dicatur, ita scripsit Erasmus, Adnot. in 1. Corinth. VII. *In Synaxi transubstantiationem sero definivit Ecclesia: diu satis erat credere*, *sive sub pane consecrato*, *sive quocumque modo adesse Christi corpus*. Venerab. Bellarminus Lib. III. *De Sacram. Euch.* cap. 23. *minime probandum esse* dicit, quod Scotus scripsit in IV. Dist. XI. quæst. 3. *ante Lateranense Concilium non fuisse dogma fidei transubstantiationem*.

Paulus Sarpius, ejusque postillator Courayerus ex perversa Synodum Trident. criminandi prurigine, eamdem carpunt, quod *primo* rationem, qua Christus in hoc Sacramento existit, verbis exprimi non posse definierit, *deinde* eamdem dixerit *convenienter*, *&* *proprie* appellari *transubstantiationem*. Quæ tamen duo cohærere optime possunt, scilicet conversionem illam mirabilem proprie appellari *transubstantiationem*, quia est conversio *totius* substantiæ panis ac vini in substantiam corporis & sanguinis Christi; modum tamen hujus conversionis, utpote supernaturalem, & miraculosum, verbis exprimi vix posse.

unum cum Christo, *quia sub specie panis sumitur corpus Christi*.

374. Inst. *tertio*. Multi sancti Patres Eucharistiam vocarunt *panem*, & *vinum*. S. Ignatius Epist. VI. ad Philadelph. de Eucharistia inquit: *Unus panis*, *qui pro omnibus fractus*. Justinus in *Dial. cum Tryphone: Panem*, inquit, *Christus nobis tradidit &c.* Ita etiam loquuntur Irenæus Lib. 4. cap. 34., Clemens Alex. Lib. II. *Pædagogi* cap. 2., & plerique alii: immo & S. Augustinus Lib. III. *De consensu Evangelist.* cap. 25. Eucharistiam vocat *Sacramentum panis*. Vid. sup. num. 258.; ac demum in can. Missæ hostiam jam consecratam vocamus *panem*.

375. Resp., iisdem de causis mox enumeratis ita loqui potuisse sanctos Patres. Addit autem Angelicus 3. P. quæst. 77. art. 6., corpus Christi posse dici *panem*, quia *est panis mysticus de cœlo descendens*. Ceterum in aliis locis Eucharistiam vocarunt *corpus*, *& sanguinem Christi*, nulla prorsus facta panis, vinique mentione. Vid. sup. num. 240. seq.; & ulterius plerumque addunt aliquid, quo significetur, nomen *panis* non sumi in propria significatione pro ipsa substantia panis, sed pro corpore Jesu Christi. Sic in Canone Missæ dicimus: *panem sanctum vitæ æternæ*.

376. Inst. *quarto*. Aliqui Patres dicunt, nos pane Eucharistico corporaliter nutriri: Vid. sup. num. 278. Expressius aliis loquitur Origenes Tomo IX. in Matth. num. 14. eum vocans panem *materialem*, & inquiens: *Cibus ipse per verbum Dei*, *& orationem consecratus secundum illud quidem*, *quod materia constat*, *in ventrem abit*, *& in secessum ejicitur*. *Præterea* alii dicunt in Eucharistia panis *naturam* permanere: ut Chrysostomus in Hom. ad Cæsarium supra num. 288., & Theodoretus in Dial. I. inquiens: Deus, in hoc Sacramento *symbola*, *& signa*, *quæ vocantur*, *appellatione corporis*, *& sanguinis honoravit*, *non naturam quidem mutans*, *sed naturæ gratiam adjiciens*. Et in Dial. II. *Neque enim*, ait, *symbolica mystica post sanctificationem recedunt a sua natura*, *manent enim in priori sua substantia*, *forma*, *& specie*, *& videri*, *tangique possunt*, *sicut & prius*. *Tertio* Gelasius, qui anno 492. factus est R. P., in Lib. *De duabus naturis* Tom. IV. Biblioth. PP. inquit, Sacramentum Eucharistiæ divinam rem esse; *& tamen*, subdit, *esse non desinit substantia*, *vel natura panis*, *& vini*. *Quarto* nonnulli Patres unionem panis, & vini cum corpore, & sanguine Christi comparant cum unione duarum naturarum in mysterio incarnationis, quas inconfusas permansisse dogma fidei est. Ita mox laud. Chrysostomus, & Gelasius Papa, tum S. Ephræm Antiochenus apud Photium Cod. CCXXIX. aliique.

377. Resp. ad primum cum Dan. Huetio in not., id intelligendum esse de accidentibus Eucharisticis, quæ in stomachum demissa in novam convertuntur substantiam, & partim humani corporis formam induunt, partim ejiciuntur in secessum. Quomodo autem id fiat, vide infra num. 393. seq.

378. Ad *secundum* resp., Chrysostomum, Theodoretum, & si qui sunt alii, qui asserunt, *naturam* panis in Eucharistia permanere, explicandos esse, quod nomine *naturæ* non substantiam seu essentiam, sed solas panis species intellexerint; quod non raro occurrere apud antiquos scriptores, etiam profanos, multis exemplis ostendi potest. Sane Virgilius Lib. 4. *Georgic.* proprietates apibus inditas vocabat *naturas*; & notum est illud Horatii *Naturam expellas furca*, *tamen usque recurret*: ubi nomine *naturæ* non intelligit, nisi morales qualitates, & habitudines. Quidni igitur potuerint aliqui accidentibus panis, quæ facta consecratione remanent, *naturæ panis* nomen tribuere? Certe Theodoretus de sacris symbolis ibidem ait: *Alia quidem sunt ante Sacerdotis invocationem*, *post invocationem vero mutantur*, *& alia fiunt*.

379. Ad *tertium* respondet Melch. Canus Lib. VI. *De loc. theol.* cap. 8., Lutheranos, aliosque nobis auctoritate Gelasii *pueriliter* insultare, quia *magnis argumentis* demostratum est, librum illum Gelasii Rom. Pontificis non esse, quorum potissima ibidem refert. Videri etiam posest Nat. Alexander Sæc. V. cap. 3. art. 19. Sed quia Spondanus, Sirmondus, Petavius, Labbeus, & Ceillierius hunc librum ex fide probatorum Mss. Gelasio tribuunt, ideo cum eodem Nat. Alex. cap. 4. art. 33., aliisque Theologis dicimus, nomen *substantiæ*, aut *naturæ* a Gelasio fuisse usurpatum latiore significatione pro congerie accidentium, quæ post consecrationem remanent. Nam etiam S. Augustinus in Ps. LXVIII. Enarrat. I. nomen substantiæ latiore significatione omnibus illis tribuit, quæ aliquo modo sunt: *Quod nulla substantia est*, inquit, *nihil omnino est*: *substantia ergo aliquid esse est*. Sane cum ibidem Gelasius dicat, panem, & vinum *in divinam transire*, *sancto Spiritu perficiente*, *substantiam*, nimis sibi ipse contradiceret, si eamdem panis, vinique substantiam in eodem Sacramento permanere docuisset.

380. Postremum non admodum urget: notum est enim, paritates non esse adæquatas; nam ut inquiunt Jurisconsulti, *nullum simile est idem*. Utebantur itaque nonnulli Patres hoc exemplo Eucharistiæ ad revincendos Eutychianos, & Synusiastas, qui duas in Christo naturas ita confusas fuisse volebant, ut humana quantum ad omnes suas proprietates a divina absorpta esset, ex eo autem quod in Sacramento altaris præter corpus, & sanguinem Jesu Christi, sit etiam *natura*, nempe species panis, & vini, & tamen unum sit Sacramentum, inferebant, in Incarnatione quoque unam esse in duabus naturis personam. Quæ quidem illatio quamvis non admodum efficax esset, valebat tamen contra illos hæreticos, qui naturam Christi humanam ab ipsius naturæ proprietatibus distinguere non videbantur,

381.

381. Obj. *secundo*. In Eucharistia apparent eadem omnino panis, vinique accidentia, quæ erant ante consecrationem; sed illa accidentia inhærebant substantiæ panis & vini: ergo &c.

382. Resp. cum S. Thoma 3. P. q. 75. art. 5., post consecrationem remanere sola accidentia, sine substantia: hoc autem *rationabiliter* per divinam providentiam fieri probat Angelicus, *primo quidem, quia non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere, & sanguinem bibere: & ideo proponuntur nobis caro, & sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum, quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis, & vini. Secundo, ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducaremus. Tertio, ut dum invisibiliter corpus, & sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.* Cui S. Thomæ sententiæ omnis Theologorum chorus applaudit. Immo & Synodus Constantiensis, quæ Sess. VIII. hanc inter alias Wiclefi propositionem damnavit: *In Eucharistia non manent accidentia sine subjecto* (a).

383. Dices *primo*. Accidentium natura, prout a substantia distinguuntur, est *non in se subsistere*, sed subjecto adhærere; remota igitur, ut nos contendimus, substantia panis, & vini, cui inhærebant, non poterunt amplius remanere.

384. Respondet Angelicus ibid. ad 1., *quod, sicut dicitur in Lib. de causis, effectus plus dependet a causa prima, quam a causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest, ut remaneant posteriora* (scilicet accidentia) *prioribus sublatis* (nempe substantia panis, & vini). Et q. 77. art. 1. ad 1. *Nihil prohibet*, inquit, *aliquid esse ordinatum secundum communem legem naturæ, cujus tamen contrarium est ordinatum secundum speciale privilegium gratiæ .... Et ita enim licet sit secundum communem naturæ ordinem, quod accidens sit in subjecto ex speciali tamen ratione secundum ordinem gratiæ accidentia sunt in hoc Sacramento sine subjecto.*

385. Dices *secundo*. Per accidentia nos judicamus de substantia. Si ergo in Sacramento sunt accidentia sine substantia, illud consequetur absurdum, omnes sensus nostros falli, qui simul uniuntur ad repræsantanda omnia panis, vinique accidentia, adeoque & panis, ac vini substantiam, quæ non aliter nobis innotescere potest, quam per accidentia, quæ cadunt sub sensibus; hoc autem non convenit huic Sacramento, quod *veritatis* Sacramentum vocatur.

386. Resp. iterum S. Thomas, nullam esse in hoc Sacramento deceptionem: *sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia, quæ sensibus dijudicantur. Intellectus autem, cujus est proprium objectum substantia, per fidem a deceptione præservatur*. Subdit postea, neque hoc esse contra fidem; quia *fides non est contra sensum, sed est de eo, ad quod sensus non attingit*. Unde idem Angelicus in Officio corporis Christi: *Accidentia*, inquit, *sine subjecto in eodem* (Sacramento) *subsistunt, ut fides locum habeat; & sensus a deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis*. Quomodo autem id fiat, explicat idem Angelicus Doctor 3. P. qu. 77. art. 1., ubi refutatis quorundam veterum sententiis, ita concludit: *Deus, qui est prima causa substantiæ, & accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse, sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis: sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine.*

387. Dices *tertio*. Ipsa accidentis natura est, ut sit in alio, tamquam in subjecto; hoc enim ponitur in ejus definitione: sed Deus naturas rerum etiam per miraculum immutare non potest: ergo &c.

388. Respondet Angelicus 3. P. qu. 77. art. 1. ad 2., in accidentis definitione non esse ponendam *actualem inhærentiam* subjecto, sed potius *exigentiam* inhærendi subjecto; sicuti nec in definitione substantiæ ponenda est ipsa *actualis existentia per se, & non in subjecto*, sed potius *exigentia* existendi per se, & non in subjecto: „ In „ hoc autem Sacramento, subdit ibidem noster S. „ Magister, non datur accidentibus, quod ex vi „ suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex di„ vina virtute sustentante; & ideo non desinunt „ esse accidentia, quia nec separatur ab eis de„ finitio accidentis, quæ est *aptitudo ad subje*„ *ctum*, quæ semper manet in iis, non *actualis* „ *inhærentia*, nec competit eis definitio substan„ tiæ ".

(a) Non applaudunt autem moderni illi Philosophi, qui ablegatis formis substantialibus Peripateticorum, diversa corporum genera repetunt ex sola partium materiæ diversa combinatione, & nulla esse volunt in corporibus accidentia *absoluta*, atque a substantia distincta; adeoque species, quæ in Eucharistia remanent, non aliud esse dicunt, quam actiones illas, seu modificationes, quæ prius a materia in sensus nostros fiebant, & quæ cum post materiæ conversionem in corpus Christi adhuc fiant virtute divina, sic dici posse remanere sola accidentia, seu potius *species* panis, & vini, quo vocabulo usa sunt Concilia Lateranense, Florentinum, & Tridentinum. (Huic novo Physicorum systemati non ita pridem duo insignes ex Familia nostra Theologi subscripserunt, nempe Jac. Hyac. Serry in Disput. *De opificio mundi*, & Ren. Hyac. Drouven *De re Sacram.* Lib. IV. qu. 9. cap. 4.) Non parum tamen isti Philosophi laborant, ut suum novum systema cum veteri Ecclesiæ, ac Theologorum doctrina concilient; præcipue cum Synodus Constantiensis *accidentium* vocabulo usa fuerit. Sed hoc ipsi videant.

389. Art. 2. idem Angelicus nonnullis philosophicis rationibus acute, & solide ostendit, *accidentia alia, quæ remanent in hoc Sacramento, esse sicut in subjecto, in quantitate dimensiva panis, vel vini remanente*. Et ad 1. scite observat, quod quamvis accidens, cujusmodi est quantitas dimensiva panis, ac vini, *per se* non possit esse subjectum alterius accidentis, quia per se non est, *attamen secundum quod est in alio, unum accidens dicitur esse subjectum alterius, inquantum unum accidens recipitur in subjecto, alio mediante; sicut superficies dicitur esse subjectum coloris. Unde quando accidenti datur divinitus, ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse*.

390. Ex hac solida doctrina S. Thomas nonnulla postea elicit, quæ ad hoc sublime mysterium illustrandum, & ad exsufflandas Lutheranorum subtiles argutias mirifice inserviunt. *Primo* intelligitur, quomodo species Sacramentales agere possint in corpora exteriora; ita enim profunde ratiocinatur art. 3.: *Quia unumquodque agit, inquantum est ens actu, consequens est, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere. Quia igitur speciebus Sacramentalibus datum est divina virtute, ut remaneant in suo esse, quod habebant, substantia panis, & vini existente, consequens est, quod etiam remaneant in suo agere: & ideo omnem actionem, quam poterant agere, substantia panis, & vini existente, possunt etiam agere, susbstantia panis, & vini transeunte in corpus, & sanguinem Christi*.

391. *Secundo* consequitur, species Sacramentales posse corrumpi. Duplici autem modo hæc corruptio contingere potest, scilicet *per se*, & *per accidens*. *Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, & augmentum, vel diminutionem quantitatis ... Nam per divisionem una dimensio corrumpitur, & fiunt duæ; per additionem autem e converso ex duabus fit una. Et per hunc modum manifeste possunt corrumpi hujusmodi accidentia post consecrationem; quia & ipsa quantitas dimensive remanens potest divisionem, & additionem suscipere: & cum sit subjectum qualitatum sensibilium, potest etiam esse subjectum alterationis earum; puta si alteretur color, aut sapor panis, aut vini. Alio modo poterunt corrumpi per accidens per corruptionem subjecti; & hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem. Quamvis enim subjectum non remaneat, remanet tamen esse, quod habebant hujusmodi accidentia in subjecto, quod quidem est proprium, & conforme subjecto: & ideo hujusmodi esse potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis, vel vini &c.*

392. Ibidem postea adnotat, quod *si fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis, aut vini, non remanent corpus, & sanguis Christi sub hoc Sacramento; & hoc sive ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color, & sapor, & aliæ qualitates panis, & vini, quod nullo modo possint compati naturam panis, aut vini; sive etiam ex parte quantitatis si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis, vel vini*. Ita in art. 4.

393. *Tertio* sequitur, ex speciebus Sacramentalibus posse aliquid generari. Quomodo autem id contingat, inquit Angelicus art. 5., *difficile est videre: manifestum est enim, quod ex corpore, & sanguine Christi, quæ ibi veraciter sunt, non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia. Si autem substantia panis, aut vini remaneret in hoc Sacramento, vel eorum materia, facile esset assignare, quod ex eis generatur illud sensibile, quod succedit, ut quidam putarunt. Sed hoc est falsum, &c.* Allatis postea, & rejectis, quibusdam explicationibus, ita ex suo principio concludit: *In ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivæ panis, & vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ; & ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideò quidquid posset generari ex materia panis, vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis, vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti*.

394. *Quarto* sequitur, species Sacramentales posse nutrire. *Quod*, inquit Angelicus art. 6., *difficultatem non habet. Ex hoc enim cibus nutrit, quod convertitur in substantiam nutriti. Dictum est autem, quod species Sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur: per eamdem autem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres, vel in vermes: & ideo manifestum est, quod nutriunt*.

395. *Quinto* idem docet Angelicus 7. de fractione specierum; rejectis enim quorumdam veterum opinionibus, quod fractio specierum non esset vera, sed apparens, aut quod fieret sine subjecto, concludit, *quod fractio sit, sicut in subjecto, in quantitate dimensiva panis, sicut & alia accidentia. Et sicut species Sacramentales sunt Sacramentum corporis Christi veri: ita fractio hujusmodi specierum est Sacramentum Dominicæ Passionis, quæ fuit in corpore Christi vero*. Atque his explicatis evanescunt omnia illa absurda, quæ ex nostro transubstantiationis dogmate consequi Lutherani clamant.

396. Inique autem nobiscum agunt, quando non paucas Scholasticorum opiniones, sive veterum, sive recentiorum, toti Ecclesiæ tribuunt, easdemque ut falsas, immo absurdas oppugnant. Videri potest de his Scholasticorum controversiis inter alios P. Gabriel Vasquez Disput. 183. in 3. P. S. Tho-

Thomæ. Nos ab omnibus hujusmodi quæstionibus omnino abstinendum duximus, prudentissimæ Catechismi Romani monitioni obsequentes, qui P. II. cap. 4. §. 43. *Fideles*, inquit, *admonendi sunt, ne curiosius inquirant, quo pacto ea mutatio fieri possit. Nec enim percipi a nobis potest, nec in naturalibus mutationibus, aut in ipsa rerum creatione ejus rei exemplum aliquod habemus. Verum quid hoc sit, fide cognoscendum est: quomodo fiat, non curiosius investigandum.* Id totum pene exscriptum videtur ex S. Joan. Damasceno, qui Lib. IV. *De fide* cap. 13. postquam asseruerat, panem, & vinum *in corpus, & sanguinem Dei transmutari*, ita prosequitur: *Si requiras, quonam pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum sanctum: quemadmodum & ex sancta Dei Genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quæ in seipso subsisteret: nec amplius quidquam nobis perspectum est, & exploratum, quam quod Dei sermo verax, efficaxque est, atque omnia potest, modus vero investigari prorsus nequit &c.* (a).

PROPOSITIO II.

Peracta consecratione corpus, & sanguis Domini nostri Jesu Christi sunt in Eucharistiæ Sacramento, etiam ante ejusdem usum, & permanent in hostiis consecratis, quæ post usum asservantur.

397. Id contra Lutheranorum hæresim definivit sacrosancta Trid. Synodus Sess. XIII. cap. 3. his verbis: *Commune hoc quidem est sanctæ Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: verum in ea illud excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est; nondum enim Eucharistiam de mensa Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat; & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie, una cum ipsius anima, & divinitate existere.* Et can. 4. *Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem conservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Christi, anathema sit.* Ac demum can. 7. *Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrariis reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.*

398. Hæc autem dogmatica veritas probatur *primo* ex ipsa hujus Sacramenti institutione, in qua, ut bene advertunt Tridentini Patres, conversio panis, & vini facta est, antequam utrumque Discipulis distribueretur; immo conversio panis in corpus Christi aliqua temporis mora conversionem vini in sanguinem præcessit; ut enim notat S. Paulus 1. Cor. XI. 25. calicem nonnisi *postquam cœnavit*, benedixit: *Hic calix &c.* Vide, quæ supra diximus n. 150. seq.

399. Prob. ulterius ex antiquissima Ecclesiæ praxi, qua constat, variis de causis sacram Eucharistiam aliquamdiu servatam fuisse post actionem Sacramentalem, ut postea sumeretur a fidelibus. Quis autem somniaverit, tunc præsentiam corporis Christi quasi evanuisse, ut postea in actuali sumptione rediret? Jam vero servabatur *primo*, ut mitteretur ad absentes, ut testis est S. Justinus *Apolog. II.* dicens, eamdem fuisse missam per *Diaconos*, qui certe eam in ipsa sumptione consecrare non poterant. Idem quoque testatur S. Irenæus apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 24., notans, Romanos Pontifices consuevisse in paschate Eucharistiam ad alios Episcopos mittere *pacis, & honoris ergo*. *Secundo* asservabatur etiam per multos dies, ut ad ægrotos deferretur. Memoratus Eusebius refert Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 44., Serapionem senem, & jam moribundum petiisse a Sacerdote, ut sibi Eucharistiam deferret; Sacerdotem autem, cum esset infirmus, eamdem per puerum suum misisse, quam utique repositam, & paratam habere debuit. *Tertio* scimus, fideles laicos consuevisse hoc Sacramentum domum asportare, illudque servare, ut in necessitatibus in promptu haberent, ut de suo fratre Satyro narrat S. Ambrosius in ejus oratione funebri; quæ consuetudo nonnisi sero abrogata fuit, & in aliquibus locis etiam VII. & VIII. sæculo perdurasse creditur. *Quarto* fuisse etiam in Ecclesiis, vel in Sacrariis Eucharistiam servatam, apparet ex vetustis quibusdam ejusdem repositoriis, quæ olim appellata fuere *columbæ*, vel *turres*, quia ad hujusmodi figuras confecta erant. *Demum* in Ecclesia Græca hanc viguisse, & adhuc vigere consuetudinem servandi Eucharistiam, liquet ex *Missa Præsanctificatorum*, quæ ab ipsis celebratur cum Eucharistia diebus præcedentibus jam consecrata. Hæc omnia luculenter ostendunt, primis ipsis Christianis fuisse persuasum, etiam extra usum seu actualem perceptionem hujus Sacramenti fuisse Dominum

num

(a) Petrus Cally superiori sæculo cadente librum edidit inscriptum *Durand commente, seu concordia Philosophiæ, & Theologiæ*, in quo Durandi paradoxa de Transubstantiatione defendere conabatur. Episcopus Bajocensis hunc librum proscripsit, & Petrus, qua præerat humilitate & docilitate, sententiæ Episcopali se subjecit anno primo hujus sæculi.

num Jesum Christum in eo realiter præsentem (*a*).

400. Accedit, quod in sententia Lutheranorum haud facile sit tempus determinare, quo Christus incipit, aut desinit esse in hoc Sacramento realiter præsens. Lutherus quidem ut ab hac molesta difficultate se expediret, respondit in Epistola ad Simonem Wolferinum 20. Julii 1543. se nomine *usus* intelligere totam sacram actionem, *quæ incipiat ab initio orationis Dominicæ, & duret, donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, particulas comederint, populus dimissus, & ab altari discessum sit*, totoque eo tempore Christum esse una cum pane in Eucharistia præsentem. Sed ita respondit suo arbitratu, nullum prorsus afferens suæ assertionis fundamentum. Aliter tamen visum est Melanchthoni, & Theologis Wittembergensibus, qui acriter contendebant, nomine *usus* venire ipsam oralem Sacramenti manducationem: unde etiam consequenter dicere cogebantur Christum non in pane, sed in ore sumentium præsentem esse.

401. Obj. *primo*. Agnus Paschalis, qui erat hujus Sacramenti figura, totus debebat consumi, ut nihil superesset pro die sequenti. Exod. XII. Similiter manna, quæ pariter Eucharistiæ figura erat, reservari non poterat, Exod. XVI. ergo etiam, &c.

402. Resp. Angelicus 3. P. qu. 76. art. 6. ad 2., ex hac apparenti ratione aliquos olim motos fuisse, ut dicerent, corpus Christi non remanere in hoc Sacramento, si in crastinum reservatur. Hoc redarguebat S. Cyrillus Alexand. Epist. ad Calosyrium inquiens: *Insaniunt quidam dicentes, mysticam benedictionem cessare a sanctificatione, si quæ ejus reliquiæ remanserint in diem subsequentem: non enim mutatur sacratum corpus Christi, sed virtus benedictionis, & vivificativa gratia jugis in eo est*. Quantum vero ad Agnum Paschalem, subdit Angelicus, quod *licet veritas figuræ respondeat, tamen figura non potest eam adæquare*. Idemque dici debet de manna; quanquam hæc collecta in feria sexta durabat intacta etiam in sabbato.

403. Obj. *secundo*. Allata superius exempla Eucharistiæ aliquando servatæ, nobis non prosunt, sed potius obsunt: semper enim illæ particulæ, quæ servabantur, erant ad *usum*, seu sumptionem ordinatæ: ergo nonnisi in *usum* necessaria erat Jesu Christi præsentia.

404. Resp., etiamsi antecedens concedatur, inde tamen non effici, Christum Dominum non esse in hoc Sacramento præsentem, nisi dum sumitur: alias vel dicendum esset, sacram actionem una cum verbis consecratoriis debuisse repeti, quandiu post ipsam in domibus privatis Eucharistia sumebatur; aut Christum, qui erat in sacra actione præsens, postea recessisse, ut demum in ipsa sumptione rediret. Sed præterea scimus, aliis etiam de causis fuisse hoc Sacramentum aliquando asservatum, aliisque usibus destinatum, ut cum Satyrus frater S. Ambrosii Eucharistiam secum detulit in mare, ejusque beneficio a naufragio incolumis evasit, ut S. Ambrosius ipse narrat; & cum referente S. Augustino Lib. III. *Oper. imperf. con. Jul.* cap. 162., pia mater filio suo Acacio oculis clausis nato cataplasma ex Eucharistia confectum adhibuit. Quidam in itineribus Eucharistiam devotionis ergo secum portare consueverant, quod etiam initio sæculi XVII. sub Paulo V. contigisse, narrat Edm. Martene Lib. I. *De Eccles. ritibus* cap. 5. art. 4. Modo autem Pontifex Maximus id sibi soli reservavit, ut videre est apud eruditissimum P. Angelum Roccam Augustinianum in *Comment.* hac de re edito. Quid plura? Legimus aliquando ad majorem hæresum detestationem Patres pretiosissimi sanguinis Jesu Christi guttas infudisse in atramentum, quo excommunicationis sententia scribebatur. Ita factum a Theodoro R. P. in damnatione Pyrri nos etiam notavimus T. V. Sect. II. Diss. III. n. 633.

405. Ob. *tertio*. Christus Dominus hoc Sacramentum instituens, illud statim sumendum præcepit, dicens: *Accipite, & comedite:* ergo &c.

406. Resp., Christum distribuisse adstantibus sacram Eucharistiam, quemadmodum & in Ecclesia fit in celebratione Missæ; non tamen vetasse, ne aliquibus gravibus de causis aliquando reservetur, quemadmodum semper factum fuisse supra num. 399. observavimus.

407. Dices. Christus omnia alia Sacramenta voluit in ipsa actione ita consistere, ut ea peracta nullum amplius Sacramentum existat: ergo pronum est credere, id factum esse etiam in hoc, quod est omnium maximum.

408. Resp. neg. conseq. ob rationes superius allatas, quibus constat, Christum voluisse hoc Sacramentum ab aliis in hoc distinguere, ut ad suam immensam charitatem manifestandam in ipso nobis præsens adsit usque ad consummationem sæculi.

409. Ob. *quarto*. Si Christi corpus in hostia consecrata remaneat, contingere poterit, ut mus, vel canis, vel aliquod aliud animal illud comedat, quo fiet, ut corpus Christi tamdiu sit in hujus animalis ventre, quamdiu species Sacramentales

(*a*) Quid ad hæc Calvinus? Lib. IV. *Institut.* c. 17. n. 39. *Sed enim*, respondet, *qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum. Fateor: verum in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius esse, quam ipsam veritatem sequi*. Quam scilicet post XV. sæcula Calvinus feliciter detexit, tota autem vetus Ecclesia turpiter ignoravit. Ab hac audaci Calvini responsione non abludit Jo. Gerhardus loco XXII. cap. 17. §. 197. abutens eo Juris axiomate: *Consuetudinem sine veritate esse vetustatem erroris*. In his tamen scriptoribus saltem laudanda est sinceritas, cujus nullam rationem habuisse videtur Joan. Dallæus, dum in Lib. XI. *De cultibus religiosis Latinorum* ostendere se posse jactavit, sex prioribus sæculis post Christum natum nullas plane cœnæ Dominicæ particulas fuisse reservatas.

les incorruptæ manent, quod aures Christianæ horrent audire (a).

410. Resp. S. Thomas 3. P. quæst. 80. art. 3. ad 3., *quod si mus, vel etiam canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illæ manent, hoc est quamdiu substantia panis maneret; sicut etiam si projiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit a peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis; præsertim cum mus, aut canis non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species Sacramentales ... Nec tamen dicendum est, quod animal brutum Sacramentaliter corpus Christi manducet, quia non est natum uti eo, ut Sacramento: unde non Sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat; sicut manducaret ille, qui sumeret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratam* (b).

411. Objicies *ult.* Hesychius, qui ineunte sæc. VII. floruit, Lib. II. in cap. VIII. Levit. dicit, *morem fuisse in Ecclesia igni tradi; quæcumque remanerent inconsumpta* de Eucharistia. Evagrius Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 36. refert, *Constantinopoli fuisse usitatum, ut quoties ex sacris partibus immaculati corporis Christi Dei nostri magnus numerus superfuerit, pueri impuberes evocentur, qui ea manducent.* In Concilio autem Matisconensi II. in Galliis habito anno 588. can. 6. ita decretum fuit: *Quæcumque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in sacrario supersederint, quarta, vel sexta feria innocentes ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Id etiam in quibusdam aliis Ecclesiis consuetum fuisse, colligitur ex Gregorio Turonensi Lib. *De gloria Martyrum* cap. 10. Itane vero, clamant Sacramentarii (Claudius, Albertinus, Molinæus) si creditum fuisset, in iis verum Christi corpus, & sanguinem contineri?

412. Resp., hanc quarumdam Ecclesiarum consuetudinem minime obesse fidei transubstantiationis: sicuti enim hodie apud nos fieri solet, ut hostiæ, quæ remanent in Ciborio, post aliquot dies, ne putrescant, absumantur, & renoventur, ita haud indignum visum est illarum Ecclesiarum Pastoribus, id a pueris innocentibus fieri. Si quæ autem ita corruptæ erant, ut possent sumentibus stomachum movere, bene visum fuit, eas igne, utpote elemento omnium purissimo, consumere. Ceterum id non evincit, omnes prorsus particulas fuisse absumptas, aut combustas, ut nullæ prorsus pro ægrotis reservarentur.

PROPOSITIO III.

Corpori, & Sanguini Jesu Christi in SS. Eucharistiæ Sacramento debetur cultus latriæ.

413. Ita sacrosancta Triden. Synodus Sess. XIII. cap. 5. post decretum de transubstantiatione inquiens: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic SS. Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.* Et can. 6. *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit* (c).

414. Sane, supposita inconcussa fide realis, ac sub-

(a) Frustra, & illepide ludunt quidam Lutherani, & Sacramentarii hac in re propter librum Wilhelmi Holderi, cui titulus *Mus exenteratus*; variasque excitant ineptissimas quæstiones, ut Ecclesiæ nostræ doctrinam, vel ritus ignaræ plebeculæ risui exponant.

(b) Ita Angelicus facile hanc quæstionem resolvit, in qua veteres perplexi fuisse videntur. Nam Magister *Sentent.* Dist. XIII. lit. A *Illud*, inquit, *sane dici potest, quod a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur. Quid ergo sumit mus, vel quid manducat? Deus novit.* Nam Magistri sententiam emollire conatur S. Thomas Dist. IX. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1. Innocentius III. in opere *De mysteriis Missæ* scripto ante Pontificatum Lib. IV. cap. 11. huic quæstioni respondet, *quod sicut miraculose substantia panis convertitur, cum Dominicum corpus incipit esse sub Sacramento, sic quodammodo miraculose revertitur; cum ipsum ibi desinit esse; non quod illa panis substantia revertatur, quæ transivit in carnem, sed quod ejus loco alius panis miraculose creatus reponatur.*

(c) Card. Pallavicinus Lib. XII. *Hist. Conc. Trid.* cap. 7. ostendit, inepte a Sarpio accusari Patres hujus Synodi, quod in cap. 5. definierint, huic *Sacramento* deberi cultum latriæ: nomine enim *Sacramenti* non intelligitur ipsum corpus Christi, quod in hoc Sacramento continetur, sed potius species Sacramentales, ut nos etiam monuimus cum Catechismo Romano num. 3.: speciebus autem Eucharistiæ cultus latriæ non convenit. Inepta, inquam, est hæc Sarpii observatio. Cum enim Eucharistia appelletur *Sacramentum corporis & sanguinis Christi*, facile apparet, cultum latriæ deberi huic Sacramento, quatenus corpus & sanguinem Christi continet. Unde merito Synodus Trident. sancivit, huic sanctissimo *Sacramento* latriæ cultum in præ-

substantialis præsentiæ corporis, ac sanguinis Jesu Christi in hoc Sacramento, quam Lutherani contra Sacramentarios nobiscum profitentur, mirari subit, quomodo nobiscum etiam non profiteantur, hoc Sacramentum eo cultu adorandum esse, quo ipse unigenitus Filius Dei ab omnibus Christianis adoratur, immo nos ἀρτολατρείας accusare audeant, quasi panem adoremus, & non potius ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui sub panis speciebus nostrum cultum excipit. Quæ accusatio eo est injustior, quo nos ullam esse in Eucharistia substantiam panis omnino inficiamur.

415. Præterea hæc Eucharistiæ adoratio semper fuit veteribus fidelibus usitata. Multa habet in hanc rem S. Joann. Chrysostomus; ut cum in Hom. XXVIII. ad populum Antioch. dicit, non solum homines, sed etiam Angelos in sacrosancto Missæ sacrificio *genuflectere*, ac Deum orare. Cyrillus Jerosol. *Catech.* V. *Mystag.* jubet, ut Eucharistia reficiendus *pronus*, *& adorationis in modum* accedat. Theodoretus in Dial. II., qui *Inconfusus* inscribitur, *Symbola mystica*, inquit... *intelliguntur ea esse*, *quæ facta sunt*, *& creduntur*, *& adorantur*. S. Ambrosius Lib. III. *De Spiritu sancto* cap. 12. hæc Psalmi verba: *Adorate scabellum pedum ejus* sic commentatur: *Per scabellum terra intelligatur*, *per terram autem caro Christi*, *quam hodie quoque in mysteriis adoramus*, *& quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt*. De hoc Ambrosii loco vid. nota PP. Benedictinorum. Demum S. Augustinus in Psalm. XCVII. *Nemo*, inquit, *illam carnem manducat*, *nisi prius adoraverit*. Addo devotam illam Eusebii Emisseni exhortationem Hom. X. *De Paschate*: *Cum ad reverendum altare*, *salutari cibo*, *potuque reficiendus accedis*, *sacrum Dei tui corpus*, *& sanguinem fide respice*, *honore mirare*, *mente continge*, *cordis manu suscipe*, *& maxime haustu interiore assume*. Biblioth. PP. Tom. V. pag. 656. Vid. quæ superius dicta sunt n. 246.

416. Ob. Nec Christus in institutione hujus Sacramenti præceptum addidit adorationis, nec Apostoli illud adorasse leguntur; immo nec poterant adorare, cum discumbentes illud acceperint.

417. Resp., satis, superque fuisse a Christo expressum adorationis præceptum, cum dixit, sub speciebus panis, & vini esse corpus, & sanguinem suum; Apostolos autem, etiamsi manserint discumbentes, potuisse aliis externis signis suam adorationem exhibere.

418. Inst. Saltem negari nequit, in hac Sacramenti adoratione periculum esse idololatriæ. Quid enim, si hostia publicæ venerationi exposita rite consecrata non esset?

419. Resp., hoc periculum esse admodum remotum: neque enim facile ignorare possunt Sacerdotes, quæ ad validam Eucharistiæ consecrationem requiruntur. Quod si, Deo permittente, id aliquando contingeret, idololatria illa esset omnino materialis; nec ullo modo culpabilis, ut omnes Theologi unanimi consensu docent.

420. Ex hactenus dictis apparet, quid dicendum sit de publica sanctissimæ Eucharistiæ expositione, & circumgestatione, de quibus ita statuit Concilium Trid. Sess. XIII. cap. 5. *Declarat præterea sancta Synodus*, *pie*, *& religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem*, *ut singulis annis peculiari quodam*, *& festo die præcelsum hoc*, *& venerabile Sacramentum singulari veneratione*, *ac solemnitate celebraretur*, *atque in processionibus reverenter*, *& honorifice illud per vias*, *& loca publica circumferretur*. *Æquissimum est enim*, *sacros aliquos statutos esse dies*, *cum Christiani omnes singulari*, *ac rara quadam significatione gratos*, *& memores testentur animos erga communem Dominum*, *& Redemptorem pro tam ineffabili*, *atque divino beneficio*, *quo mortis ejus victoria*, *& triumphus repræsentatur*; *atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio*, *& hæresi triumphum agere*, *ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris*, *& in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi*, *vel debilitati*, *& fracti tabescant*, *vel pudore affecti*, *& confusi aliquando resipiscant*. Et cohærenter ad hanc doctrinam in can. 6. anathema pronunciatum est ei, qui dixerit, *in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo*, *adorandum*; *atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum*, *neque in processionibus secundum laudabilem*, *& universalem Ecclesiæ sanctæ ritum*, *& consuetudinem solemniter circumgestandum*, *vel non publice ut adoretur*, *populo proponendum*, *& ejus adoratores esse idololatras* (a).

CA-

tribuendum. Et multo ante hanc Synodum Angelicus noster in hymno, quem adoptavit Ecclesia, cecinit: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*. Vid. Gaspar Juvenin Dissert. IV. *De Euchar.* qu. 4. cap. 3. art. 1. §. 2.

(a) Innumera sunt, quæ contra asservationem, & cultum sacrosanctæ Eucharistiæ, præcipue autem contra publicam ejusdem expositionem, festivitatem, & solemnem circumgestationem opposuerunt Novatores, atque inter alios Th. Crannerus in libro *contra adorationem panis Eucharistici*. Jo. Dallæus in opere *De objecto cultus religiosi adv. Latin. traditionem* (cui respondit Jac. Boileau *in Tract. de adoratione Eucharistiæ*), Henr. Heideggerus, Petrus Molinæus, Mart. Chemnitius, Salomon Deylingius, & non ita pridem, scilicet anno 1753. Car. De Lith. in *Disquisitione theol. & histor. de adoratione panis consecrati*.

Sed etiam innumeri ex nostris pro defendendo catholico dogmate utiliter laborarunt, ut Jo. Gropperus in libello *De Christo in Eucharistia adorando*, Claudius Espencæus in Lib. V. *De Eucharistia, ejusque adoratione*, Claudius Sanctesius *De rebus Eucharistiæ controversis*, Jac. Gretserus in Dissert. *pro Corporis Christi solemnitate*, Christ. Lupus Dissert. *De Ss. Sa-*

CAPUT VII.

De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

421. Revocanda in memoriam est communis Theologorum doctrina, quam super. Vol. Diss. III. n. 203. breviter exposuimus, duplicis necessitatis, nempe *medii*, seu *finis*, qua scilicet aliquid ita necessarium dicitur, ut sine illo finis obtineri nullatenus queat, & talem esse necessitatem baptismi asseruimus; alia vero necessitas est *præcepti*, a qua possunt fideles ob legitimas causas dispensari. Esse adultis Eucharistiam necessariam ex præcepto, nemo dubitat. Sed aliqui contenderunt, eamdem esse omnibus, etiam parvulis, necessariam *necessitate medii* (a), contra quos sit

PROPOSITIO

Eucharistia non est necessaria omnibus necessitate medii, sed solum adultis necessitate præcepti.

422. Hæc est Synodi Trid. doctrina Sess. XXI. cap. 4. his verbis expressa: *Denique eadem S. Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem; siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt*. Et can. 4. *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.*

423. Ante Concilium Trident. S. Thomas 3. P. quæst. 73. art. 3. hanc veritatem ita exposuerat. *In hoc Sacramento duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, & rem Sacramenti ... Res Sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe, quæ significat Ecclesiam, ut habetur* 1. *Petri III. Dictum est autem supra* (qu. 68. art. 2.), *quod res alicujus Sacramenti haberi potest ante perceptionem Sacramenti ex ipso voto Sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem hujus Sacramenti potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, sicut baptismum ex voto baptismi.*

424. *Est tamen*, subdit Angelicus, *differentia quantum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitæ, & janua Sacramentorum, Eucharistia vero est, quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis ... & ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam; perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc, quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio, & intentione. Alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: & ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, & sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum: & ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti: unde rem Sacramenti non possunt percipere sine perceptione Sacramenti. Et ideo hoc Sacramentum in hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus.*

425. Sane si homo per baptismum liberatur ab omni reatu peccati, quemadmodum in super. volum. demonstratum est, manifeste apparet, pueros baptizatos, qui nullius negligentiæ, alteriusve peccati rei esse possunt, si absque perceptione hujus Sacramenti decedant, in vitam æternam ingredi debere. Eademque ratio est adultorum, nisi culpabili negligentia omittentes hoc Sacramentum reos ante tribunal Dei seipsos effecerint.

---

crum. publ. exposit., Bossuetus in *Explic. Missæ*, Jo. Bapt. Thiers in Tract. *De exposit. S. Sacramenti*, & multis aliis omissis, Benedictus XIV. in suis eruditis *Notificationibus*.

(a) Eminent. Card. Jo. Bona *Rerum liturg.* Lib. II. cap. 19. duos nominat veteres scriptores, qui omnibus sine ullo ætatis discrimine necessarium esse, non minus quam baptismum, Eucharistiæ Sacramentum docuerunt, scilicet Rad. Ardentem, & Gualterium Aurelianensem. Referente autem Ænea Sylvio in *Hist. Bohem.* hoc idem nonnulli contendebant in Concilio Basileensi, innixi potissimum, ut putabant, auctoritati S. Augustini, ac veterum Patrum. Ita revera sensisse magnum Ecclesiæ Doctorem Augustinum, ac proinde turpiter errasse, non pauci ex nostris Theologis inepte postea asseruerunt, ut Claudius Sanctesius in *Repetitionibus rerum excogitatarum de Eucharistia* Repet. VI. cap. 6., Jo. Maldonatus, qui in cap. VI. S. Joannis sententiam omnimodæ necessitatis Eucharistiæ non solum Augustino, & Innocentio I. tribuit, sed etiam viguisse dicit in Ecclesia *sexcentos circiter annos*; Dion. Petavius, qui Libro unico *De Conc. Trid.* cap. 3. eamdem sententiam numerat inter illa Augustini dogmata, *quæ vel Ecclesia universæ, vel Theologorum, aut omnium, aut multorum, nec infimi subsellii judicio reprobantur*: Rich. Simonius in *Hist. crit. V. T.*, cujus audacem censuram pro meritis castigat Jac. Ben. Bossuet Lib. I. *Defens. Tradit. & SS. PP.* cap. 10. & seq., ostendens, quomodo hi novi, atque intemperantes critici hæreticis Molinæo, La-Roquio, ceterisque faveant, qui ex hoc ipso loco ostendere nituntur, Ecclesiam totam una cum Augustino a veritatis semita deviasse. Mitto Ademum, aliosque a Norisio in *Vindiciis Augustin.* c. 4. § 4 confutatos, quibus adjungi possunt Erasmus, & Sarpius, quos Card. Pallavicinus Lib. XVII. *Hist. Concil. Trid.* cap. 12. refellit.

rint. Hanc rationem utpote decretoriam allegarunt sapientissimi Patres Tridentini mox laudati.

426. Ob. *primo*. Apertissima est, & sine exceptione Christi sententia Joann. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* quæ sententia omnino similis est illi alteri de necessitate baptismatis apud eumdem Joann. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; quæ utique verba de omnimoda baptismi necessitate communiter intelliguntur.

427. Resp. cum S. Thoma 3. P. qu. 65. art. 4. ad 2., & quæst. 73. art. 3. ad 1., quod sicut Augustinus dicit Tract. XXVI. in Joann., Christus his verbis (apud Jo. VI. 54.) *societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & justificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus ejus*. Si hoc modo intelligantur Christi verba, scilicet de sola manducatione spirituali, qua Ecclesiæ, corpori Christi mystico, incorporamur, nullum dubium est, quin Eucharistia omnibus sit necessaria ad salutem, sicuti necessarius est baptismus, quo, ut inquit S. Thomas quæst. 68. art. 1., homo *regeneratus incorporatur Christo, factus membrum ipsius*; juxta illud Apostoli 1. Corinth. X. 17. *Unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus*. Vide, quæ dicta sunt num. 269.

428. Si autem verba Christi intelligantur de *sacramentali* manducatione carnis Jesu Christi, tunc vel ad solos adultos sunt referenda, quos Salvator eo loci alloquebatur, & quibus proinde Apostolus Paulus eas conditiones explicabat, quæ ad digne suscipiendum hoc Sacramentum sunt necessariæ; ut scilicet *se probent &c.*, quarum conditionum parvuli sunt incapaces: vel si referantur etiam ad parvulos, debent explicari, cum Angelico supra num. 424. laudato de Eucharistia sumpta *in voto*, non autem actu ipso; quod quidem votum Eucharistiæ est *implicite* etiam in parvulis baptizatis, quia ex hoc ipso, quod baptizantur, *ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam; & sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius*.

429. Inst. *primo*. Communis primitivæ Ecclesiæ consuetudo erat, parvulis post baptismum illico Sacramentum Eucharistiæ præbere: hæc autem consuetudo non aliunde oriri potuit, quam ex omnium fidelium persuasione, illud esse ad salutem necessarium.

430. Resp. cum Synodo Trid. Sess. XXI. cap. 4., *damnandam non esse antiquitatem, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est*. Porro communis etiam erat olim consuetudo, simul cum baptismo conferendi Sacramentum Confirmationis; nec tamen inde infertur, Confirmationem, non minus quam baptismum, esse ad salutem necessariam *necessitate medii*. Ut hoc discrimen inter baptismum, & alia duo Sacramenta, Confirmationis, atque Eucharistiæ, manifestaret Christus Dominus, voluit quemcumque hominem in casu necessitatis esse ministrum baptismi, non autem aliorum duorum Sacramentorum, ut scilicet intelligamus, primum esse ad salutem omnino necessarium, non vero alia duo.

431. Inst. *secundo*. Veteres Patres bene multi diserte affirmarunt, Eucharistiam esse parvulis ad salutem omnino necessariam. *Primo* enim S. Innocentius Papa in Respons. ad PP. Milevitanos, ut Pelagianorum errorem refellat, qui parvulos vitæ æternæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, asserebant, allegat verba Christi, inquiens: *Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis*. *Secundo*, sententiam S. Innocentii suam fecit S. Augustinus ita disputans contra Julianum Lib. I. cap. 4. *Innocentio vide, quid respondeas .... qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, immo ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio*. Idem repetit magnus hic Ecclesiæ Doctor multis aliis in locis, sed præcipue Lib. I. *De peccat. mer. & remiss.* cap. 20. ubi ad præcludendam subtilem illam Pelagianorum evasionem, qua baptismum dicebant esse quidem necessarium, ut quis possit *introire in regnum cœlorum*, non autem ut possit habere *vitam æternam*, quam a cœlorum regno diversam esse comminiscebantur, affert verba Christi: *Nisi manducaveritis, &c. non habebitis vitam in vobis*, quibus ita Pelagianos urget: „ An vero quisquam dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus, & sanguinis in se habere vitam? .... Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore, & sanguine filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat “. *Tertio*, Gelasius Papa in epist. ad Episcopos per Picænum neminem vult a Christi sententia exceptum: *Nec ausus est*, subdit, *aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci*. Idem plane docent Marius Marcator in Opusc. contra Julianum, atque Eusebius Episcopus Galliæ, Hom. V. *de Paschate* (quæ falso Eusebio Emisseno tribuebatur).

432. Resp. explicando mentem Rom. Pontificum, S. Augustini, aliorumque Patrum, qui visi sunt asseruisse, Eucharistiæ Sacramentum, non minus quam Sacramentum baptismi esse parvulis ad salutem necessarium, videlicet dicimus, eos non esse locutos de Eucharistia, quantum *ad Sa-*

cra-

communionem, quod in sumptione corporis & sanguinis Christi consistit, sed quantum *ad rem Sacramenti*, quæ ut mox vidimus cum S. Thoma, *est unitas corporis mystici*, *sine qua non potest esse salus*. Hæc quidem unitas habetur per baptismum, *quo homo regeneratus incorporatur Christo*, *factus membrum ipsius*, attamen potuerunt sancti Patres eamdem unitatem etiam repetere ab Eucharistia, quæ ea tempestate statim post baptismum vel ipsis pueris tribuebatur. Hujus nostræ interpretationis nec pauca, nec levia sunt fundamenta.

433. Primo S. Innocentius in ipsa epist. ad Patres Synodi Milevitanæ: „ Illud vero, *inquit*, quod eos (*Pelagianos*) vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, &c. " En quomodo a baptismi gratia repetat vitæ æternæ præmium, eaque Christi verba *Nisi manducaveritis &c.* intelligat de manducatione spirituali, qua mystico Christi corpori unimur.

434. *Secundo* adhuc clarius multis in locis idipsum exprimit S. Augustinus, ut in Lib. I. *de peccat. mer. & rem.* c. 9. inquiens: *Hac gratia baptizatos quoque parvulos* (Christus) *suo inserit corpori*, nempe Ecclesiæ. Rursus c. 26. per baptisma dicit homines consepeliri Christo, ut *incorporentur illi membra ejus*; & iterum ibidem parvulos baptizandos esse dicit, *ut abluti per Sacramentum*, *charitatemque fidelium*, *ac sic incorporati Christi corpori*, *quod est Ecclesia*, *reconcilientur Deo*, *&c.* quod sæpius repetit, ut dubitari minime possit, ad mentem Augustini, manducare Christi carnem nihil esse aliud, quam Christi corpori incorporari, quod fit per baptismum. Unde Lib. III. ejusdem Operis c. 4. contra Pelagianos concludit, parvulos non baptizatos, non solum intrare non posse in regnum Dei, quod Pelagiani concedebant, *sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus*, *cui ut incorporentur*, *Sacramento baptismatis imbuuntur*.

435. *Tertio*, fidissimus Augustini discipulus, & interpres S. Fulgentius in epist. ad Ferrandum Diaconum de salute agens Æthiopis catechumeni, ante perceptionem Eucharistiæ demortui, postquam integrum S. Augustini sermonem ad Neophytos suis litteris inseruisset, ita concludit: „ Arbitror, sancte frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat ". Per hæc nullius remanet de mente Augustini, aliorumque Patrum ambigendi locus, scilicet non aliud in parvulis ipsos agnovisse ad salutem consequendam necessarium, quam manducationem carnis Christi Domini spiritualem, quæ fit per baptismum, quo mystico Christi corpori, tamquam membra uniuntur.

436. Quid plura? Solum sufficere in parvulis baptismum ad vitam æternam consequendam apertissime docet S. Augustinus Lib. I. *De peccat. mer. & rem.* c. 19. inquiens de parvulo: „ Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentia Creatoris illuminat; peccata enim sola separant inter homines, & Deum ". Et Lib. II. c. 28. postquam dixit, in baptismo *plenam fieri remissionem peccatorum*, subdit: „ Denique si continuo consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quæ tenebant ". Hæc porro doctrina omni ex parte consonat ejusdem S. Patris Theologiæ, qua, ut vidimus vol. super. Diss. III. cap. 10. docet, parvulos in baptismo *credere* fide Ecclesiæ, vocarique, & vere esse *fideles*; unde sequitur, eos salvos esse debere, juxta illud Marci ult. 16. *Qui crediderit*, *& baptizatus fuerit*, *salvus erit*. Atque hæc est solida responsio, qua utitur S. Thomas supra laudatus, & etiam 3. P. qu. 80. art. 9. ad 3. multique alii post eum.

437. Inst. *tertio*. S. Pater lib. I. *de peccat. mer. & remiss.* c. 24. aperte distinguit baptismum, quem Punici vocabant *salutem*, & *Sacramentum corporis Christi*, quod vocabant *vitam*; ac docet, per *hæc Sacramenta* peccati reatum in parvulis solvi.

438. Resp. utique S. Augustinum distinxisse duo Sacramenta Baptismi, & Eucharistiæ: atque etiam docuisse, utrumque esse ad salutem necessarium, sed non eodem modo, eademque necessitate: primum enim necessarium est necessitate *medii*, quæ respicit tam parvulos, quam adultos; aliud necessitate præcepti, quod nonnisi adultis imponitur. Licet autem S. Doctor his verbis non utatur, quæ Scholastici postea invenerunt, ut hujusmodi materias clarius elucidarent, reipsa tamen utramque necessitatem apertissime distinxit, quando pueros baptizatos salutem consequi docuit, etiamsi Sacramentum Eucharistiæ non reciperent, non baptizatos vero a salute omnino exclusit. *Ulterius* observavit S. Doctor, infantes in ipso baptismo recipere etiam Eucharistiam, saltem quantum ad rem, seu effectum, qui est, ut Christi Corpori tamquam membra uniantur. *Demum*, S. Thomas, Augustini discipulus & interpres, scite notavit, in baptismo infantes *ordinari per Ecclesiam ad Eucharistiam*, *& sicut ex fide Ecclesiæ credunt*, *sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam*, *& per consequens recipiunt rem ipsius*. Non ita autem est de baptismo, quia ad baptismum puer non ordinatur per aliud præcedens Sacramentum, &c. Vid. sup. num. 424.; unde

de

de recte infert Angelicus, ab Augustini theologia numquam recedens, non eamdem esse Eucharistiæ, ac baptismi necessitatem.

439. Esse vero Sacramentum Eucharistiæ adultis ex divino præcepto necessarium, ita probat Angelicus 3. P. qu. 80. art. 11. „ Duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet *spiritualis*, & *sacramentalis*. Manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem *spiritualiter* manducare, quia hoc est Christo incorporari; *spiritualis* autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum, & ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicendo Luc. XXII. 29. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum ".

CAPUT VIII.

De Communione sub utraque specie.

440. Nemo inficiatur, primis Ecclesiæ sæculis sacram communionem fuisse fidelibus sub utraque specie panis & vini distributam. Solum quæritur, an de hac re divinum extet præceptum, unde Ecclesia non potuerit gravibus etiam de causis hanc disciplinam mutare, ut laici una tantum specie panis contenti esse debeant. Synodus Constantiensis, in qua hæc controversia diu multumque agitata, ac demum definita fuit, ita Sess. XIII. statuit: „ Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula, & scandala, est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, & a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, &c. " Verum inquieti, ac perduelles Ecclesiæ Catholicæ hostes gravissimas turbas in multis Germaniæ partibus excitarunt, unde etiam magnæ seditiones, & crudelissima bella exarserunt (*a*). His postea favere cœperunt Novatores XIV. sæculi (*b*); contra quos duo ostendere aggredimur; *primo* fictitium esse illud divinum mandatum, quod hæretici objiciunt, sumendi Eucharistiam sub utraque specie: *secundo* Ecclesiam justis de causis vetuisse laicis usum calicis.

PROPOSITIO I.

Nullum est præceptum divinum, ut laicis, atque etiam Sacerdotibus non sacrificantibus præbeatur communio Eucharistica sub utraque specie.

441. Hoc enim divinum præceptum neque ex sacris litteris, neque ex Ss. Patrum traditione probatur, immo potius ex utroque fidei nostræ fonte apparet, sacram Synaxim modo sub una, modo sub utraque specie fuisse distributam. Act. II. 42. S. Lucas asserit, primos fideles fuisse *perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*, ubi nulla fit sanguinis mentio. Præterea Apostolus 1. Cor. XI. disjunctive loquitur, inquiens: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*, frustra autem Doctor gentium usus fuisset particula disjunctiva *vel*, si, ut Sectarii contendunt, numquam fuisset una species ab altera separata. Neque vero facile probabunt, hoc in loco particulam *vel* sumi non *disjunctive*, sed *conjunctive* pro &, cum Apostolus utramque particulam & conjunctivam, & disjunctivam usurpet; non alia de causa, nisi ut nos doceat, totum Christum sub alterutra specie contineri, ac propterea eum,

(*a*) Primus, qui communionem sub utraque specie jure divino præceptam esse, ac proinde non potuisse ab Ecclesia laicis prohiberi, fuit Petrus Dresdensis Pragæ in Bohemia ludimagister, qui teste Ænea Sylvio in *Hist. Bohem.* cap. 35. post Sæc. XV. initium Jacobellum Misnensem seduxit, ut in concionibus publicis contra subtractionem calicis ab Ecclesia factam declamaret, quibus postea se conjunxit Joan. Hus in Concilio Constantiensi damnatus, atque ut in errore pertinacissimus, flammis combustus. Ex funestis ejus cineribus duæ Hussitarum sectæ exortæ sunt, *Thaboritarum* nempe, & *Calixtinorum*; qui postremi ita appellati sunt, quia calicem passim in parietibus, vexillis, templis, in foro, in vestibus, & ubique pingere solebant, unde illud insulsum contra illos fanaticos distichon:

Tot pingit calices Bohemorum terra per urbes,
Ut credas, Bacchi numina sola coli.

Legantur præter Æneam Sylvium, Cochlæus in *Hist. Hussitarum*, atque Jo. Dubravius in *Hist. Bohemica*, & horrebit animus ad inauditas crudelitates, quas isti furiosi in Catholicos, præsertim vero Ecclesiasticos, exercuerunt, incensis templis, direptis monasteriis, Monachis immaniter excruciatis, ac trucidatis, &c.

(*b*) Carlostadius Lutheri primum discipulus, postea hostis implacabilis, anno 1521. in Ecclesiam Wirtembergensem communionem sub utraque specie invexit, contra eos, qui eam negabant, atrociter debacchatus. Lutherus diu hæsit incertus, donec tandem sententiam Romanæ Ecclesiæ adversam & ipse amplexus est; eamdemque Lutherani mordicus defendunt, ut videre est apud Georgium Calixtum in *Disput. de Commun. sub una specie*. Calvinus de more ceteris audacior, Lib. IV. *Instit. Christ. Rel.* c. 17. §. 47. ita petulanter scribebat. *Ex eadem prodiit officina* (Satanæ) *& altera constitutio, quæ dimidiam Cœnæ partem meliori Dei populi numero vel furata est, vel eripuit: nempe Symbolum sanguinis, quod laicis, & profanis* (*his scilicet titulis Dei hæreditatem insigniunt*) *interdictum, paucis rasis, & unctis in peculium cessit. Edictum æterni Dei est, ut omnes bibant: quod homo nova, & contraria lege antiquare, & abrogare audet, edicens ne omnes bibant, &c.*

eum, qui indigne alterutram sumpserit, reum esse & Corporis, & Sanguinis Domini (a). Christum etiam dumtaxat panem Apostolis porrexisse in castello Emmaus, recte ex eo colligi videtur, quod postquam panem benedixit, fregit, ac porrexit, evanuit ex oculis ipsorum. Lucæ XXIV. 31. Illam autem benedictionem & fractionem panis fuisse *sacramentalem* multi gravesque Theologi censent post S. Augustinum lib. 3. *De cons. Evangelist.* cap. 25.

442. Sed quoniam hæc, & alia id genus testimonia S. Scripturarum subtilibus cavillationibus solent Adversarii eludere, ideo satius erit eos ad veteris Ecclesiæ consuetudinem provocare: ea enim dilucidius constabit, nullum fuisse hac de re divinum præceptum. Ac primo loco praxis, quæ ubique in latina Ecclesia obtinebat Sæc. XIV. conferendi communionem laicis sub una tantum specie, manifeste ostendit, numquam fuisse creditum, aliquod hac de re existere divinum præceptum. Quis enim sibi persuadeat, tot Ecclesiæ Pastores unanimi consensu conspirasse ad hanc praxim inducendam, si eam divinis mandatis e diametro opponi, saltem suspicati fuissent? Accedunt definitiones magni Concilii Constantiensis, & Patrum Basileensium, a quibus post auditas Hussitarum querelas & rationes, & post diligentisssimam hujus causæ discussionem, communis, & universalis Ecclesiæ latinæ praxis confirmata fuit. Porro etiam illi, qui non credunt, Ecclesiæ tributam fuisse a Christo Domino infallibilem potestatem hujusmodi controversias definiendi, saltem cogitare deberent, credibile minime esse, hoc Dei æterni præceptum fuisse a tam multis ac doctissimis viris penitus ignoratum.

443. *Ulterius*, quamquam in publicis conventibus sacra communio etiam laicis sub utraque specie daretur, certis tamen documentis constat, eam in quibusdam casibus nonnisi sub una specie fuisse datam; ac *primo* infirmis, ut sancto illi seni Serapioni, de quo superius n. 399. verba fecimus, cui puer buccellam intinctam in os infudit, ut narrat S. Dionysius Alexandr. in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccles.* cap. 44. Neque vero Serapionem fuisse conquestum legimus, quasi dimidia cœnæ parte privatus fuerit, aut factum Sacerdotis improbatum, quod non utramque speciem ad senem moribundum miserit; immo contra S. Dionysius totum, quod gestum fuerat, collaudavit. Simile factum habemus in obitu S. Ambrosii, quod ita ejus Diaconus Paulinus describit: Honoratus Episcopus Vercellensis vocatus, ut morienti Ambrosio adstaret, cum aliquatenus secessisset, paulum quietis sumpturus, vocem audivit tertio vocantis, & dicentis: *Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit Sanctum Domini Corpus, quo accepto, ut glutivit, emisit spiritum.* Frustra autem hujusmodi exempla declinare student adversarii, fingentes, per grammaticalem figuram synecdochem nomen *sanguinis* contineri in nomine *corporis*. Frustra, inquam, cum nullum proferre possint hujus figuræ fundamentum.

444. Immo contrarium evincitur ex eo, quod supra ostendimus n. 399., Eucharistia soleret in quibusdam decentibus vasibus pro infirmis reponi; nec posset diutius conservari sub specie vini, quod facile acescit. Non imus tamen inficias, aliquando fuisse Eucharistiam ad infirmos etiam sub specie vini delatam; sed tunc solum, quando infirmis statim post oblationem sacrificii dabatur: tunc enim commode id fieri poterat, non autem quando diu Eucharistia in sacris vasculis remanere debebat; unde superius n. 412. observatum fuit panem consecratum fuisse alicubi pueris innocentibus, & jejunis datum, ne diutius servatus putresceret: nihil autem simile legi de vino, quia species quidem panis, non autem vini, conservari solebant.

445. *Secundo*, ab opposito parvulis vix natis post baptismum Eucharistia nonnisi sub specie vini conferri poterat, cum illi infantes deglutiendis speciebus panis, præcipue fermentati, idonei non essent. Celebre est etiam, quod S. Cyprianus in libro *De lapsis* narrat de puella, quæ cum idolotyta degustasset in templo gentilium, fuit postea ad Ecclesiam Christianorum a nutrice delata, cui cum Diaconus calicem porrexisset, bibere recusavit, & cum reluctanti *de Sacramento Calicis* Diaconus infudisset, *potus de pollutis visceribus erupit*. Ibi solius sanguinis fit mentio, non autem Corporis, ut plane constet, sub ea tantum specie fuisse Eucharistiam pueris datam. Ulterius in vetustis Ritualibus præcipitur, *pueros, qui nondum noverunt comedere, vel bibere, communicandos esse cum digito intincto in Sanguine Domini, & posito in ore ipsorum*. Vid. Edm. Martene Lib. I. *De ant. Eccl. ritibus* c. 1. art. 15. §. 15.

446. *Tertio*, Eucharistia sub unica specie panis sumebatur in communione domestica, quando nempe fideles panem consecratum secum deferebant, ut eum clam domi sumerent; neque enim facile erat species vini simul asportare, & occulere. Tertullianus lib. 2. *ad uxorem* ita eam alloquitur: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur*. Id ipsum testatur Magnus Basilius in epist. 289. ad Cæsariam Patriciam,

(a) Aliqui contenderunt, vitiatos esse illos codices, qui particulam ponunt disjunctivam *vel*, aliosque licet paucos prætereundos, qui habent particulam copulativam *&*. Veruntamen istorum lectionem *mendosam* esse constat ex consensu veterum codicum Græcorum & Latinorum; unde & multi ex heterodoxis in suis Bibliis particulam disjunctivam retinuerunt. Vid. P. Le-Brun in epist. de hoc argumento apud P. Desmoletz Tom. VIII. *Monument. litterar.*

ciam, inquiens: „ Quod autem tempore persecutionis nihil mali sit, si quis absente Sacerdote Eucharistiam propria manu sumat, superfluum est demonstrare, propterea quod longa consuetudo id reipsa confirmavit: omnes enim, qui in eremis solitariam vitam agunt, ubi Sacerdos nullus est, communionem Domini servantes per seipsos participant. In Alexandria vero, & Ægypto unusquisque etiam ex laicis, ut plurimum domi suæ habet communionem, & cum vult, per seipsum communicat. Etenim in Ecclesia Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam cum libertate, qui suscipit “. Hic calicis, aut vini mentionem frustra requiras, ut frustra requires apud Cyprianum in Lib. *De lapsis*, apud Ambrosium in *Orat. funebri de obitu fratris sui Satyri*, apud Hieronymum in *Apologia* contra Jovinianum, & apud Augustinum Lib. II. *Cont. litteras Petiliani* c. 23. ubi dicitur, Eucharistiam fuisse positam *in manibus* fidelium. Non tamen negaverim, aliquando etiam speciem vini fuisse domum asportatam, ibique servatam. Sed id nonnisi rarissime fieri poterat (*a*).

447. *Demum* etiam in publicis conventibus non semper omnes sub utraque specie communicasse, aperte patet ex S. Leone Magno Serm. IV. *De Quadragesima* c. 5. ubi Manichæorum fraudes indicat, qui „ ad tegendam infidelitatem suam nostris audebant interesse conventibus ...... & ore „ indigno Christi Corpus accipiebant, sanguinem „ autem redemptionis nostræ haurire omnino de- „ clinabant “. Quod utique facere non potuissent, si in conventibus publicis omnes debuissent ex divino præcepto sub utraque specie communionem recipere.

448. His indubiis argumentis ex veteri Ecclesiæ praxi depromptis, Angelicus noster Præceptor 3. P. qu. 80. art. 12. hanc theologicam rationem addit: „ Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari; unum ex parte ipsius Sacramenti, aliud ex parte sumentium. Ex parte quidem ipsius Sacramenti convenit, quod utrumque sumatur, scilicet & Corpus, & Sanguis, quia in utroque consistit perfectio Sacramenti. Et ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum consecrare & perficere, nullo modo debet Corpus Christi sumere sine Sanguine. Ex parte autem sumentium requiritur summa reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti mysterii: quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia crevit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus Sacramenti adhibeant, ideo provide in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo Sanguis sumendus non detur, sed solum a Sacerdote sumatur “.

449. His, aliisque de causis, quæ maturo examine in duobus Conciliis œcumenicis, Constantiensi, & Tridentino ponderatæ fuerunt, declaratum est, nullo divino præcepto adigi fideles laicos ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum. *Itaque*, ajunt Patres Tridentini Sess. XXI. cap. 1. „ sancta Synodus, a Spiritu „ Sancto, qui spiritus est sapientiæ, & intelle- „ ctus, spiritus consilii, & pietatis, edocta, at- „ que ipsius Ecclesiæ judicium, & consuetudinem „ secuta, declarat, ac docet, nullo divino præ- „ cepto laicos, & Clericos non conficientes obli- „ gari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque „ specie sumendum, neque ullo pacto, salva fi- „ de, dubitari posse, quin illis alterius speciei „ communio ad salutem sufficiat. “ Et can. 1. „ Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessi- „ tate salutis, omnes, & singulos Christi fideles „ utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sa- „ cramenti sumere debere, anathema sit. “

450. Ob. *primo* potissimum Callixtinorum argumentum. Clara est, ac prorsus declaratoria Jesu Christi sententia Jo. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quamobrem in postrema sua cena Christus sub utraque specie Sacramentum instituit, & sub utraque omnibus sine ullo discrimine illud distribuit; immo & Apostolis, ut ita distribuerent, expresse præcepit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* Lucae XXII. 19., & 1. Corinth. XI. 24. seq.: cum autem commemoratio passionis Christi maxime exprimatur in sanguine, peculiariter præcepta videtur communio sub specie vini.

451. Resp., hanc difficultatem fuisse solutam a Synodo Trid. Sess. XXI. cap. 1. his verbis: „ Et- „ si Christus Dominus in ultima cœna venerabile „ hoc Sacramentum in panis, & vini speciebus „ instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa „ institutio, & traditio eo tendunt; ut omnes Chri- „ sti fideles statuto Domini ad utramque speciem „ accipiendam adstringantur. Sed neque ex ser- „ mone illo apud Joannem VI. recte colligitur, „ utriusque speciei communionem a Domino præ- „ ceptam esse, utcumque juxta varias Sanctor. „ Patrum, & Doctorum interpretationes intelliga- „ tur. Namque qui dixit: *Nisi manducaveritis* „ *carnem*, &c. dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et qui „ di-

(*a*) Id S. Gregorius Nazianz. innuit de sua sorore S. Gorgonia, Orat. LI. Id ipsum eruitur ex epistola IV. S. Hieronymi ad Rusticum, ubi de Exuperio Episcopo Tolosano dicebat: *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro*. Sed nostri argumenti vis integra manet, etiamsi concedatur, nonnisi aliquando fuisse sub una specie panis Eucharistiam sumptam; nunquam enim id factum fuisset, si divinum obstitisset præceptum.

„ dixit: *Qui manducat meam carnem*, *&* *bibit* „ *meum sanguinem*, *habet vitam æternam*, di- „ xit etiam: *Panis*, *quem ego dabo*, *caro mea* „ *est pro mundi vita*. Is denique, qui dixit: „ *Qui manducat meam carnem*, *&* *bibit meum* „ *sanguinem*, *in me manet*, *&* *ego in illo*, di- „ xit nihilominus: *Qui manducat hunc panem*, „ *vivet in æternum* ".

452. Hinc non immerito Theologi dicunt, particulam *&* in hoc loco non esse sumendam *copulative*, sed *disjunctive*, ut aliquando sumi in sacris litteris, certissimum est. Exodi XXI. 15. juxta fontem hebraicum dicitur: *Qui percusserit patrem*, *&* *matrem*, *morte morietur*: vulgatus autem interpres bene vertit cum particula disjunctiva *Qui percusserit patrem*, *aut matrem*; non enim ad pœnam mortis incurrendam necesse erat, utrumque parentem percutere. Sic Act. III. 6. Petrus dicebat: *Argentum*, *&* *aurum non est mihi*; nimirum argentum, *aut* aurum.

453. Est etiam præ oculis habenda illa inconcussa doctrina, qua Patres Constantienses contra Hussitas usi sunt, scilicet *firmissime credendum esse*, *&* *nullatenus dubitandum*, *integrum Christi Corpus*, *&* *Sanguinem*, *tam sub specie panis*, *quam sub specie vini contineri*. Eamdem doctrinam confirmarunt postea Patres Tridentini Sess. XXI. cap. 3. & can. 4. addito anathemate iis, qui secus dicere ausi fuerint. Quod antea docuerat S. Thomas 3. P. qu. 76. art. 2., monens tamen, quod *sub speciebus panis est quidem Corpus Christi ex vi Sacramenti*, *Sanguis autem ex reali concomitantia* ... *sub speciebus vero vini est quidem Sanguis Christi ex vi Sacramenti*, *Corpus autem Christi ex reali concomitantia*, *sicut Anima*, *&* *Divinitas*.

454. Alia autem verba: *Hoc facite* &c. ita explicantur a S. Thoma 3. P. q. 80. art. 12. ad 3. *Repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione hujus Sacramenti*, *in qua non debet Corpus consecrari sine sanguine*. *Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi*; *nec exinde sequitur aliquod detrimentum*; *quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert*, *&* *sumit*, *&* *sub utraque specie totus Christus continetur*. Ubi etiam acutiores Interpretes observant, Apostolorum verba Christi de calice ita referre: *hoc facite*, *quotiescumque bibetis*, *in meam commemorationem*, quasi ad insinuandum, non semper una cum speciebus panis sumendas esse etiam species vini; sed *quotiescumque* sumuntur, id esse faciendum in Christi commemorationem. Ex quo autem Christus sub utraque specie hoc Sacramentum instituerit, ac distribuerit, infertur quidem, esse oportere in Ecclesia, qui utramque speciem sumant, ut reipsa Sacerdotes sacrificantes sumunt, non autem id ab omnibus fieri debere; sicut quando Christus instituit Sacramenta Ordinis, & Matrimonii, non certe voluit, ea omnibus esse præcepta.

455. Inst. *primo*. Apostolus 1. Corint. XI. 26. *Quotiescumque*, ait, *manducabitis panem hunc*, *&* *calicem bibetis*, *mortem Domini annuntiabitis*; & rursum vers. 28. *Probet autem seipsum homo*, *&* *sic de pane illo edat*, *&* *de calice bibat*, semper utramque speciem conjungens.

456. Resp., utramque speciem ab Apostolo recte commemorari, non quia utraque species semper sumi ab omnibus debeat; sed quia cum hoc Sacramentum a fidelibus sumitur, sive sub utraque, sive sub alterutra specie, semper in commemorationem passionis, & mortis D. N. J. C., & semper cum debita conscientiæ puritate sumi debet; hoc enim erat Apostoli intentum eo loci; quamobrem etiam disjunctive ibidem locutus est: *Quicumque manducaverit panem hunc*, *vel biberit*, &c. Quando autem idem Apostolus addit: *Probet autem seipsum*, &c. præceptum non dat edendi, & bibendi, sed ut nosmetipsos probemus, antequam ad hoc Sacramentum sumendum accedamus.

457. Inst. *secundo*. Matth. XXVI. 27. Christus expresse præcepit, ut sub specie vini sumeretur Eucharistia, dicens: *Bibite ex eo omnes*, quod non dixerat tradens panem: non ergo potuit Ecclesia laicis calicem subtrahere, sicut nec speciem panis subtrahere posset.

458. Resp., illud verbum *omnes* fuisse a Christo directum ad Apostolos ibi præsentes. Cum enim singulis distribuisset propria manu corpus suum sub specie panis, quem fregerat, atque omnibus dederat, postea porrexit Calicem, præcipiens, ut *omnes* ex eo biberent, ne forte primi totum haurirent: unde aliquæ versiones, ut Syriaca antiquissima, Arabica, atque Æthiopica addiderunt *omnes vos*, apud Walthonum in *Polyglottis*: quod præceptum adimpletum fuisse testatur Marcus, dicens: *Et biberunt ex illo omnes*; omnes, inquam, qui præsentes aderant, nempe Apostoli, quorum successores proprie laici non sunt, sed Sacerdotes Ecclesiæ ministri. Ceterum ipsi Adversarii non obstante illa voce generali *omnes*, permittunt abstemiis, qui natura a vino abhorrent, ut a specie vini abstineant. Inepte autem quidam huc urgent illud Christi monitum Marci XIII. 37.: *Quod vobis dico*, *omnibus dico*. Inepte, inquam: nam Christus ipse declarat, quid hoc esset, quod omnes respiceret, nempe *Orate*.

459. Inst. *tertio*. Christus Dominus Eucharistiam instituit, ut sacram cœnam, seu convivium, unde ab Ecclesia vocatur *sacrum convivium*; atqui verum convivium non solum exigit cibum, sed etiam potum; ergo, &c.

460. Resp., cum, ut supra num. 453. dictum est, sub unaquaque specie totus Christus contineatur, ex carne, & sanguine compositus, quæcumque species sumatur, non solum cibus, sed etiam potus accipitur; quod sufficit ad *convivium sacrum*, seu spirituale. Secus autem est de convivio materiali, in quo nec cibus proprie continet potum, nec vicissim potus continet cibum, unde utroque opus est.

461.

461. Ob. ult. Plures sancti Patres docuerunt, sumptionem calicis fuisse omnibus a Jesu Christo præceptam. S. Cyprianus in epist. LXIII. eos redarguit, qui *non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus, & Deus noster, sacrificii hujus auctor, & doctor, fecit, & docuit.* Christus autem calicem distribuit, ac distribuendum esse docuit, dicens: *Hoc facite*, &c. Et epist. LVII. jubet, fideles *ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittendos*. Item in Serm. *De cœna Domini* inquit: *Lex usum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur*. Quibus similia scribit Augustinus Quæst. LVII. in Levit., ubi loquens de sacrificio novæ legis, hoc ejusdem discrimen notat a sacrificiis veteris testam., quod ab hujus *sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed & ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam*. Innumera sunt hujus generis sanctor. Patrum testimonia.

462. Resp., plerumque sanctos Patres, attendentes ad disciplinam eorum ætate vigentem, hortatos fuisse plebem Christianam, ut hoc Sacramentum sumeret, prout tunc administrabatur, scilicet sub utraque specie; quin tamen ullus locus afferri possit a Calixtinis, quo indicetur præceptum illud divinum adeo decantatum, sed nunquam probatum, de sumenda specie vini. Quæ enim objecta sunt ex S. Cypriano, respiciunt solos sacrificantes, qui ex metu, ne ex odore vini detegerentur a persecutoribus Christianæ religionis, sacrificium offerebant in sola aqua contra Christi exemplum, & doctrinam. In epist. autem LVII. agit de pœnitentibus, quibus tempore persecutionis *communicationem* dandam esse vult, *ut non inermes, & nudi relinquantur, sed protectione Sanguinis, & Corporis Christi muniantur;* & jure hujus *communicationis* jam datæ eosdem *ad bibendum in Ecclesia poculum Domini* admitti debere. Sermo autem *de cœna Domini* inter opera Cypriani spuria rejectus est. Sed ulterius hunc auctorem loqui de potu spirituali Sanguinis Christi, notarunt Pamelius, & Jo. Hesselius. S. Augustinus pariter loquitur de illa disciplina, quæ in Ecclesia tunc obtinebat, qua non solum unicuique licebat, sed etiam consulebatur Christi Sanguinem sumere sub specie vini, quanquam nullum hac de re extare præceptum luculenter insinuat, dum solam *exhortationem* memorat.

PROPOSITIO II.

Jure, prudenterque Ecclesia usum calicis non sacrificantibus sustulit (a).

463. Potuisse Ecclesiam usum calicis abolere, manifeste sequitur ex eo, quod hactenus demonstravimus, nullum esse hac de re a Christo divinum impositum præceptum, atque adeo sumptionem Eucharistiæ sub utraque specie non pertinere ad hujus Sacramenti substantiam; ut proinde hic locum habeat illa Synodi Trid. declaratio Sess. XXII. cap. 2., *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret*.

464. Hæc regula semper in Ecclesia servata fuit, nemine contradicente, ubi nullum erat divinum præceptum, sed solum Christi, vel Apostolorum, aut primævæ Ecclesiæ exemplum. Sic mutatus est mos trinæ immersionis in baptismo; diu relictus est, tamquam ἀδιάφορος usus azymi, vel fermentati, & postea determinatus est usus panis azymi in Ecclesia latina, & fermentati in Græca; decretum est, ut Eucharistia nonnisi a jejunis sumatur, non obstante quod Christus eam Apostolis distribuerit post cœnam; ut pueris statim post baptismum porrigeretur, quod nec Christus, nec Apostoli fecisse leguntur, quem postea morem Ecclesia latina abrogavit; & ut cetera prætermittam, in Occidente diu mos obtinuit, ut panis Eucha-

(a) Quamquam Eucharistia jure divino omnibus præcepta non fuerit sub utraque specie, communiter tamen usus eam sub utraque specie sumendi in Ecclesia obtinebat, & nonnisi sensim ac sensim apud Latinos omitti cœpit, ita tamen ut Sæc. XIII. S. Thomæ ætate in aliquibus Ecclesiis servaretur, ut colligitur ex 3. P. qu. 80. art. 12., postea vero penitus cessaverat, nullo tamen Ecclesiæ decreto prohibita. Hæc prohibitio primo prodiit in Concilio Constantiensi anno 1415., & fuit postea in Basileensi & Tridentino renovata. In hoc tamen postremo cum legati Imperatoris, & Ducis Bavariæ enixe peterent Calicis restitutionem, res diu multumque apud Patres examinata fuit, & *primo* declaratum, in decretis, & canonibus Sess. XXI. solummodo illorum errorem fuisse damnatum, qui asserebant, omnes, & singulos Christifideles *ex Dei præcepto, vel necessitate salutis* ad utramque speciem Eucharistiæ sumendam teneri; & negabant, Ecclesiam Catholicam *justis de causis & rationibus inductam fuisse*, ut laicis, aut Sacerdotibus non conficientibus, calicis usum prohiberet. Cum autem Legati Cæsarei ardentius instarent, in eam tandem sententiam itum est, ut totum hoc negotium Rom. Pontificis prudentiæ committeretur, in fine Sess. XXII. Sed de controversiis super hac re in Concilio Tridentino agitatis legendus Card. Pallavicinus lib. 18. *Hist. Conc.* c. 8. seq. Fusius has controversias refert, & pro more Protestantium exaggerat Georg. Calixtus Lutheranus in Tract. *De Communione sub utraque specie*, quem præcipue refutandum susceperunt ex nostris Bartholdus Nihusius in *Annotat. De Commun. sub una specie*, Moguntiæ 1644., & postea Jac. Ben. Bossuet in Tract. *De Commun. sub utraque specie*, Jac. Boileau Doctor & Socius Sorbonicus *Disquisit. theol. de præcepto div. Commun. sub utraque specie*, Paris. 1685., atque ut multos alios prætercam, Jac. Scheffmacher Argentoratensis in suis elegantibus epistolis anno 1725. editis.

eucharisticus intinctus sanguini laicis loco calicis præberetur; quod adhuc fit apud Orientales, qui minutissimas micas panis consecrati sanguini miscent, easdemque postea cochleari extractas in communicantium ora immittunt; imo infantibus nonnisi pollicem intinctum sanguine porrigunt, quem exsugunt; cum tamen Christus Dominus distincte, immo cum aliquo intervallo temporis utramque speciem discipulis porrexerit, & calicem dederit, *ut biberent*, non digitum, quem exsugerent. Hæc, aliaque plura, nemine reclamante, mutata sunt, non alia certe de causa, nisi quia ad substantiam Sacramentorum non pertinent, neque ullum habemus divinum præceptum, sed solum aut ipsius Christi, aut Majorum exemplum (*a*).

465. Reponunt quidam, hæc omnia esse accidentaria, quæ non ad institutionem ipsam pertinent, ut pertinent consecratio, & distributio utriusque speciei. Sed hæc responsio arbitraria est. Nos autem dicimus, ad essentiam institutionis divinæ ea solummodo pertinere, quæ constanter, & invariabiliter in Ecclesia custodita, & observata fuere, cujusmodi est consecratio, & sumptio Sacramenti. Quæ vero certas ob causas omitti, vel mutari potuerunt, ea ad essentiam Sacramenti minime pertinere, atque hujusmodi esse communionem calicis sup. num. 442., & seq. abunde probatum est.

466. Prudenter autem, justisque de causis fuisse laicis usum calicis sublatum, vel ex eo solum conjicere possumus, quod non temere, ac præcipitanter id factum sit, sed post diutinas considerationes, ac disputationes in tribus Conciliis, Constantiensi, Basileensi, ac Tridentino habitas, post auditas, & mature perpensas, non solum hæreticorum querelas, sed Catholicorum etiam Theologorum rationes, ac demum magnorum Principum pias supplicationes. *Præterea* non semel Ecclesia experiri voluit, an concessio tam ardenter expetita fidei restituendæ, aut saltem conservandæ prodesset; sed infelici rerum exitu edocta eamdem concessionem jam factam revocavit. Sic cum Patres Basileenses an. 1434. in ita dictis *Compactatis* usum calicis sub certis conditionibus concessissent, debuit postea hæc concessio aboleri; ut ea pariter, quam Pius IV. anno 1563. enixis Ferdinandi Imperatoris precibus inclinatus dederat, ob infaustos ejusdem effectus ab ejus successoribus Pio V., & Gregorio XIII. revocata fuit. Hæc sufficiunt, ut credamus utili, prudentique consilio Ecclesiam laicis Communionem sub specie vini sustulisse.

467. Recte ergo statuerant Patres Constantienses Sess. XIII., quod „ licet in primitiva Ecclesia
„ hujusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus
„ sub utraque specie, tamen hæc consuetudo ad
„ evitandum aliqua pericula, & scandala est ra-
„ tionabiliter introducta, quod a conficientibus sub
„ utraque specie, & a laicis tantummodo sub spe-
„ cie panis suscipiatur “. Et Synodus Trid. laud. cap. 2. ita prosequitur; „ Quare agnoscens sancta
„ mater Ecclesia hanc suam in administratione
„ Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Chri-
„ stianæ religionis non infrequens utriusque spe-
„ ciei usus fuisset, tamen progressu temporis la-
„ tissime jam mutata illa consuetudine, gravibus,
„ & justis de causis adducta, hanc consuetudinem
„ sub altera specie communicandi approbavit, &
„ pro lege habendam decrevit, quam reprobare,
„ aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito
„ mutare non licet. “

468. Ob. *primo*. Gelasius Papa in can. *Comperimus* Dist. II. *De Consecr.* eos damnat, qui *sumpta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstinebant*; & jubet, *ut aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur*; atque affert rationem bene considerandam: *quia divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*.

469. Resp., canonem illum latum fuisse, non contra laicos, sed contra Sacerdotes, Eucharistiam conficientes in sacrificio altaris, ut Glossa ibidem explicat, inquiens: „ Erant quidam Sacerdotes,
„ qui ordine debito consecrabant Corpus, & San-
„ guinem Christi: corpus sumebant, sed a san-
„ guine abstinebant; de quo miratur Gelasius ...
„ & præcipit, ut aut ambo Sacramenta, sicut
„ consecrant, & accipiant, aut ab utrisque ces-
„ sent, quia in sacrificante unum sine altero ac-
„ cipere, sacrilegium est “. Hac eadem responsione utitur S. Thomas 3. P. quæst. 80. art. 12. ad 1., addens verba Concilii Toletani XII. can. 5. dicentis: *Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscetur?* Alii vero, quibus captu difficile videtur, hos Sacerdotes consecrasse vinum, quod sumere non intendebant, putant, Gelasii decretum respicere Manichæos, qui a sumptione calicis *sacrilega superstitione* ideo abstinebant, quod vinum malam esse diaboli creaturam crederent. Qua de causa, ut superius vidimus num. 447., Leo Magnus, qui Gelasium præcesserat, ostendebat, hoc indicio detegi Manichæos, quod *sanguinem redemptionis nostræ haurire omnino declinarent*.

470. Inst. *primo*. Ex ipsa nostra confessione communio sub utraque specie usitata fuit in Ecclesia Occidentali per 12. fere sæcula, & in Ecclesia Orientali adhuc viget, quin ulla haberetur, aut habeatur ratio periculi irreverentiæ, aut scandali: æquum igitur erat, ut tam antiqua, & uni-

(*a*) De his mutationibus consuli possunt Edm. Martene *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Emin. Card. Joan. Bona *De rebus liturgicis*, Jac. Goar notæ in *Euchologium græcum*, Franc. De-Berlendis Dissert. *De oblationibus ad Altare*, aliique rerum liturgicarum diligentes tractatores.

niversalis consuetudo etiam in posterum servaretur.

471. Resp., ut ex dictis superius patet, numquam fuisse hanc consuetudinem ita universalem, & constantem, ut nulla contraria exceptio fieret, tum ratione infirmorum, tum ratione infantium, tum aliis de causis, quin tamen illi, qui sola specie panis contenti esse debebant, ullas moverent querelas; rursus communionem calicis versus sæculum XII. sensim, ac sensim cessasse, fortasse quia aucto fidelium numero, auctaque communionum frequentia augebantur hujus consuetudinis incommoda. Ecclesia tamen illa numquam aliquo positivo decreto abrogaverat, donec Sæc. XV. ineunte homines inquieti, novarumque rerum cupidi dogmatizare cœperunt, Ecclesiam in re gravissima errare, & singulos Christifideles ex divino præcepto ad Calixtinam communionem teneri, quorum temerariam præsumptionem necesse fuit solemnibus definitionibus coercere, ut factum est in Conciliis Constantiensi, Basileensi, & Tridentino.

472. Neque vero curiosius exposcendæ sunt hujus mutationis causæ, quas Ecclesia mater filiis suis reddere non tenetur, sed quantum ex disputationibus habitis colligere possumus, hæ fuerunt: *primo* periculum, ne sanguinis guttæ effundantur cum magna augustissimi Sacramenti irreverentia; cum illas iterum colligere, quemadmodum facile colliguntur particulæ, aut earum fragmenta, impossibile sit: *secundo* nausea aliquorum, cum cogerentur eidem calici labia admovere, vel eodem siphunculo uti: *tertio* penuria vini in multis provinciis, & regnis præsertim septemtrionalibus, ubi nonnisi magnis sumptibus acquiri potest: *quarto* difficultas servandi vinum consecratum pro infirmis, ne acescat, & difficultas etiam illud deferendi ad domos infirmorum, quæ aliquando ab Ecclesia non parum distant: *demum* protervia hæreticorum, qui Ecclesiæ matris leges præscribere audent, aut ei insultare, quasi leges a Christo præscriptas vel ignoret, vel violare præsumat. Has tamen, aut alias causas non allegavit Synodus Trid., sed solum can. 2. ita definivit: „ Si quis „ dixerit, S. Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut laicos, „ atque etiam Clericos non conficientes sub panis „ tantummodo specie communicarent, aut in eo „ errasse, anathema sit ".

473. Inst. *secundo*. Denegare fidelibus calicem est eos privare ea gratia, quæ huic parti Sacramenti adnexa est, & confertur communicantibus sub utraque specie. Hinc, ut Rainaldus refert ad ann. 1344. num. 62., Clemens VI. Ducibus Normaniæ, & Burgundiæ, Philippo Regi Francorum, ejusque uxori, aliisque indulsit, ut communionem sub specie vini reciperent, utique ad uberioris gratiæ augmentum; quod privilegium aliis etiam concessum scimus (*a*).

474. Resp. cum Synodo Trid. Sess. XXI. cap. 3. „ fatendum esse, etiam sub altera tantum spe„ cie totum, atque integrum Christum, verumque „ Sacramentum sumi; ac propterea quod ad fru„ ctum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem „ eos defraudari, qui unam speciem solam acci„ piunt ". Et multo ante Synodum Trid. S. Thomas 3. P. qu. 80. art. 12. ad 3., hanc objectionem ita diluerat: „ Potest a populo corpus sine san„ guine sumi; nec exinde sequitur aliquod detri„ mentum, quia Sacerdos in persona omnium „ sanguinem offert, & sumit, & sub utraque spe„ cie totus Christus continetur ". An autem recipientibus Sacramentum sub utraque specie plus gratiæ conferatur *ex opere operato*, disputant Theologi, salva fide, cum Synodus Tridentina eam controversiam finire noluerit.

475. Probabilius tamen videtur, posse quidem in sumptione calicis gratiæ augmentum haberi *ex opere operantis*, propter majorem erga tantum Sacramentum devotionem; quemadmodum aliquod gratiæ augmentum haberet Sacerdos, si peracta sua communione sumens particulas ex aliorum communione residuas, novos, & ferventiores erga tantum Sacramentum reverentiæ, ac pietatis actus eliceret; non tamen *ex opere operato*, quia virtus, & efficacia hujus Sacramenti dependet a divinitate, quæ est carni, & sanguine Jesu Christi hypostatice unita; adeo ut si sola caro sine sanguine esset in specie panis, separata ab anima, & sanguine, ut fuit in triduo mortis, eamdem prorsus haberet vim nos sanctificandi, quam nunc habet conjuncta sanguini, & animæ, nempe propter indissolubilem unionem hypostaticam cum Verbo divino. Quamobrem a Clem. VI. verba, si vera sunt, intelligi oportebit de aliquo gratiæ augmento *ex opere operantis*, non *ex opere operato*. Cum autem possint fideles hoc augmentum gratiæ aliis piis operibus obtinere, potuit Ecclesia justis de causis, & sine ullo laicorum detrimento usum calicis ipsis denegare.

476. Inst. *tertio*. Saltem mutilatio calicis adimit fidelibus partem consolationis spiritualis, ad quod ostendendum Lutherus hac gradatione utebatur: „ Mandatum Christi in sacra Cœna comple„ ctitur calicem: calix continet vinum: vinum „ exhibet Christi sanguinem: sanguis Christi com„ plectitur novum testamentum, quia est novi te„ stamenti sanguis: novum testamentum conti„ net remissionem peccatorum: remissio pecca„ torum conjuncta est cum gratia Dei, in qua „ sum-

(*a*) Nempe Regibus Galliæ in solemni ipsorum inauguratione, Diacono & Subdiacono Ecclesiæ S. Dionysii prope Parisios in Dominicis & Festis solemnibus, Ministris altaris apud Cluniacum diebus festis, ac demum Rom. Pontifice solemniter celebrante, Diaconus & Subdiaconus sub utraque specie communicant. Quamquam enim ante Synodum Constantiensem nullum esset Ecclesiæ decretum communionem calicis prohibens, consuetudo tamen vim legis obtinebat, a qua aliquos eximere, Pontifices æquum esse putarunt.

„ summa est Christi fidelium consolatio". Reipsa hanc consolationem non solum hæretici Hussitæ, sed multi etiam pii, ac devoti fideles summopere exoptabant, atque ardenter petebant, ut vener. Gerson in Tract. *De Commun. Laicorum*, Georgius Cassander in *Consult. De Commun. sub utraque specie*, aliique docti, & orthodoxi Theologi (*a*).

477. Resp., quidquid senserint aliqui privati Theologi, Ecclesiam didicisse experientia, hanc concessionem, quæ semel, & iterum facta fuit, etiam cum illis cautelis, quæ videbantur abusibus impediendis admodum opportunæ, plus detrimenti, quam emolumenti attulisse; unde satius existimatum est eamdem concessionem revocare. Sane qui solo spiritualis consolationis, uberiorisque gratiæ desiderio calicem postulabant, facile potuerunt idipsum obtinere aut frequentius ad panem Eucharisticum accedendo, aut ferventius orando, aut debitæ, promptæque obedientiæ merito. Aliud est autem, hoc privilegium quibusdam singularibus personis elargiri, aliud integris nationibus: in primis enim facilius est, quam in secundis gliscentes abusus impedire, aut resecare. Sed optimum est, hujus, ac similium rerum judicium Ecclesiæ matri relinquere, quam peculiari Spiritus Sancti ope dirigi, certum est.

Quæres, *an Christus sumpserit suum corpus, & suum sanguinem?*

478. Resp., affirmative, cum S. Thoma 3. P. q. 81. art. 1., qui id probat *primo* auctoritate S. Hieronymi in epist. ad Hedibiam qu. 11. dicentis: *Dominus Jesus Christus ipse conviva, & convivium, ipse comedens, & qui comeditur*. Hac præmissa auctoritate S. Doctor oppositam quorumdam opinionem refellit: „ quia Christus ea, quæ „ ab aliis observanda instituit, ipse primitus ob„ servavit. Unde & ipse prius baptizari voluit, „ quam aliis baptismum imponeret, secundum „ illud Act. I. 1. *Cœpit Jesus facere, & docere*. „ Unde & primo ipse corpus suum, & sanguinem „ sumpsit, & postea discipulis sumendum tradi„ dit". Et in resp. ad 1. subdit: „ In Evange„ liis legitur, quod Christus accepit panem, & „ calicem. Non est autem intelligendum, quod „ acceperit solum in manibus, ut quidam dicunt, „ sed eo modo accepit, quo aliis accipiendum tra„ didit; unde cum discipulis dixerit, *accipite, &* „ *comedite*, & iterum, *accipite, bibite*, intelli„ gendum est, quod ipse accipiens comederit, & „ biberit".

479. Postea ad 2. præoccupavit illam, quam postea excitarunt Sacramentarii objectionem, quomodo scilicet potuerit corpus Christi esse in manibus, in ore, & in ventre ejusdem Christi, inquiens: „ Christus, secundum quod est sub hoc „ Sacramento, comparatur ad locum, non secun„ dum proprias dimensiones, sed secundum di„ mensiones specierum Sacramentalium, ita quod „ in quocumque loco, ubi sunt illæ species, est „ ipse Christus: & quia species illæ potuerunt es„ se in manibus, & in ore Christi, ipse totus „ Christus potuit esse in suis manibus, & in suo „ ore".

CAPUT IX.

De Eucharistia, prout est novæ legis Sacrificium.

380. Multas hactenus, Deo dante, superavimus difficultates agentes de Eucharistia, prout est novæ legis Sacramentum; nunc aliæ nobis sese offerunt acturis de eadem Eucharistia, prout est novæ legis sacrificium; quod proterve negant tam Sacramentarii, quam Lutherani (*b*). Ut autem quæ dicturi sumus, clara in luce ponantur, nonnulla de sacrificii nomine, ac natura præmittenda sunt.

481. Nomen *sacrificii*, observante S. Thoma 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3., desumptum est ex hoc, *quod homo facit aliquid sacrum*; unde gene-

(*a*) Hæc testimonia Catholicorum pro calicis restitutione studiose collegerunt & ediderunt Protestantes, ac præcipue Georg. Callixtus in Tract. *De Commun. sub utr. specie*. Duæ orationes Andreæ Duditii Episcopi Tininiensis in Conc. Trid. habitæ, una cum litteris Ferdinandi Imp., & Alberti Bavariæ Ducis ad Pium IV. editæ fuerunt Offenbachii anno 1610. Quæ Cassander ex nimio hæreticos reconciliandi zelo in sua *Consultatione* proposuit, non omnia probari potuerunt; immo ejus opera Romæ prohibita fuere anno 1617.

(*b*) Omnes hæretici, qui realem Christi præsentiam in Eucharistia inficiantur, consequenter negant, Missam esse *vere*, & *proprie* novæ legis sacrificium, ac propterea ubique Missam abrogarunt, substituta cœna *Dominica*, quæ a nostra Missa admodum distat. Dico *vere*, & *proprie*; neque enim dubitant sacram cœnam nomine *sacrificii* appellare. Mirandum est, etiam Lutheranos, qui realem Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ agnoscere se profitentur, nolle tamen veram sacrificii rationem in eadem Eucharistia confiteri. In *Confessione August.* postquam dixissent, unicum tantum in mundo fuisse sacrificium *propitiatorium*, mortem videlicet Christi, ita pergunt: *Nunc reliqua sunt sacrificia* ἐχαριστικὰ, *quæ vocantur sacrificia laudis, prædicatio Evangelii, fides, invocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones Sanctorum, immo omnia bona opera Sanctorum .... Et talia sunt sacrificia novi testamenti, sicut docet Petrus prima Epistola II.* Lutherus contra Missam petulantissime debacchatus est, eam vocans *abominationem*, immo addens, *se supra omnes abominationes habere Missam, & nihil magis dolere, quam quod per annos 15. Missas celebraverit more Catholicorum*. Ita in *Fidei Confess.* quam edidit anno 1528. Hæ consuetæ erant Ecclesiam lacerandi formulæ, quas Luthero Satanas suggerebat; hunc enim magistrum appellare non erubescebat, immo Satanam magis sibi contubernalem esse dicebat, quam suam Catharinam, quam Deo raptam uxoris loco habebat.

neratim significat omne opus bonum, quod ad Dei cultum cum internum, tum externum pertinet. Sic Ps. L. dicitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & XLIX. *Immola Deo sacrificium laudis*. Quapropter idem Angelicus 3. P. q. 22. art. 2. optime concludit, *omne illud, quod Deo exhibetur, ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, posse dici sacrificium*.

482. *Proprie* autem, subdit Angelicus cit. qu. 85. art. 3. *sacrificia dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur; quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur ... Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat: sicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari, circa quos nihil fit: unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur*. Ex his, aliisque, quæ S. Thomas de sacrificiis tradit, sacrificium definiri a Theologis solet: *Oblatio externa rei sensibilis facta Deo a legitimo ministro, cum ejusdem rei mutatione, in testimonium supremi illius dominii*.

483. Ex hac definitione communiter probata patet, quinque conditiones ad sacrificium *proprie* sumptum requiri: *primo*, ut habeat materiam externam, & sensibilem, cum sacrificium pertineat ad cultum Dei externum, de quo nos egimus T. I. Diss. cap. 2.: *secundo*, ut fiat Deo; *sicut enim*, inquit Angelicus cit. q. 85. art. 2., *soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam soli ei debemus offerre exteriora beneficia*: *tertio*, ut fiat a legitimo ministro, quem inferius ostendemus esse solum Sacerdotem: *quarto*, ut aliqua fiat rei oblatæ mutatio; per hanc enim mutationem sacrificium distinguitur a simplici oblatione, ut mox dicebamus cum S. Thoma: *postremo*, ut sit protestatio quædam supremi dominii Dei in omnes suas creaturas; *ut quemadmodum*, inquit Angelicus 2. 2. q. 85. art. 1., *dominis temporalibus aliqua offeruntur in recognitionem dominii, ita etiam Deo, tamquam supremo omnium Domino, quasdam sensibiles res in signum debitæ subjectionis, & honoris offeramus*. Vid. etiam 1. 2. qu. 102. art. 3., ubi diversa sacrificiorum genera in lege veteri distinguit, & exponit (*a*).

484. Ut autem hanc brevem sacrificii definitionem sacrificio Eucharistiæ; quod unicum est in lege nova, & *Missa* communiter vocatur (*b*), convenire ostendamus, illudque recte, & sancte in Ecclesia Catholica juxta inconcussam, & firmissimam Synodi Tridentinæ doctrinam Deo offerri, duæ erunt propositiones distinguendæ, quarum prima est.

PROPOSITIO I.

Eucharistia a Jesu Christo instituta fuit, non solum ut Sacramentum, sed etiam ut verum, & proprium novæ legis Sacrificium.

485. Prob. *primo* ex S. Paulo, qui 1. Corinth. X. 18. seq. agens de sacrificiis Gentilium, & de nostro Eucharistico, inquit: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? .... Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*. Quis hic non videat, a S. Paulo infandis gentilium sacrificiis Christianorum sacrificia opponi? sacrilegis ipsorum hostiis participationem, ac communicationem corporis, ac sanguinis Christi? tum denique sacram nostram mensam profanis idolorum altaribus? Unde sequitur, Eucharistiam a Paulo fuisse creditam verum novæ legis sacrificium, quemadmodum Gentiles vera sacrificia se dæmonibus offerre putabant. Ita hunc Paulinum locum intellexerunt Tridentini Patres Sess. XXII. cap. 1., scilicet Apostolum docuisse, *non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam utrobique altare intelligendo*, in quo solent sacrificia offerri. Alia novi testamenti loca, quibus Eucharistici sacrificii memoria habetur, colligit diligentissime Estius in in IV. Dist. 12. §. 11.

486. *Ulterius*, non obscuram sacrificii Eucharistici ab Apostolis oblati mentionem facit S. Lucas Act. XIII. 2. de Apostolis, ac Discipulis inquiens: *Ministrantibus autem illis Domino* (græce λειτουργούντων *sacrificantibus*, quomodo vertit Erasmus) *& jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus*

(*a*) Admitti non possunt, utpote minus propriæ & imperfectæ definitiones sacrificii ab hæreticis traditæ, ut illa Phil. Melanchthonis in *Apologia Confessionis Augustanæ* tit. *de Missa*, quod sit *cæremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus*; vel illa Calvini Lib. IV. *Instit.* cap. 18. §. 13. asserentis, *perpetuo Scripturæ usu sacrificium appellari, quod Græci nunc θυσίαν, nunc προσφοράν, nunc τελετὴν dicunt; quod generaliter acceptum complectitur quidquid omnino Deo offerretur*. Imperfectæ sunt hæ definitiones, eoque tendunt, ut omne verum sacrificium a lege nova excludant; possunt enim convenire illis oblationibus, quæ a quolibet fideli, etiam non Sacerdote, fieri solent, quæ tamen a veris sacrificiis longe distant.

(*b*) Non est omnino facile, sed neque necessarium, originem hujus vocabuli *Missa* determinare, dissentientibus inter se harum rerum peritis. Neque uno hoc nomine, sed multis aliis invenimus, hoc sacrosanctum sacrificium a veteribus appellatum, quæ diligenter collegerunt Jo. Bapt. Casalius *De profanis, & sacris veterum ritibus* P. III. cap. 9., Joan. Card. Bona Lib. I. *De rebus liturgicis* cap. 2. & seq., Vener. Bellarminus Lib V. *De Euchar.* cap. 1., noster P. Ben. Drouven *De re Sacrament.* Lib. V. q. 4. cap. 3., & ceteri, qui has materias copiose tractarunt, ut nos ab hoc labore levarent. Nos hoc vocabulum sumimus pro actione illa sacra, qua a Sacerdote conficitur Eucharistia, undecumque ejus nominis origo repetatur.

ctus &c. Huc quoque spectare videntur ea loca, in quibus Apostoli, & fideles congregati dicuntur ad *fractionem panis*, ut Act. II., & XX.; nomine enim *fractionis panis* sacrificium Eucharisticum venit (*a*).

487. Confirm. *primo* hoc nostrum argumentum ex Scripturis depromptum ex eodem Apostolo Paulo, qui in epist. ad Hebr. V. 6. de Christo interpretatur ea verba Ps. CIX. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Hic autem Rex Salem Abrahamo revertenti a cæde Chodorlahomor, & quinque Regum, *protulit panem, & vinum*, utique in sacrificium Deo pro reportata victoria; *erat enim Sacerdos Dei altissimi*, ut dicitur Gen. XIV. 18. Hoc autem sacrificium Melchisedech panis, & vini manifestissima figura fuit illius sacrificii, quod in pane, & vino Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech in nova lege instituit. Hoc unanimi concordia agnoverunt sancti Patres, quorum testimonia copiosissime collecta fuere a Nat. Alexandro in *Hist. Vet. test.* Dissert. III. in III. Mundi ætatem Prop. IV. Nobis sufficiat unus S. Martyr Cyprianus, qui epist. LXIII. *In Sacerdote Melchisedech*, inquit, *Sacrificii dominici Sacramentum præfiguratum videmus .... Fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham .... Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem, & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem?* Et paulo post declarat, hoc idem sacrificium offerri a quolibet Sacerdote, qui *vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri &c.*, quibus verbis nihil luculentius, & efficacius afferri potest ad nostrum argumentum confirmandum.

488. Neque audiendus est Calvinus, qui contendit, a Melchisedech panem, & vinum nullatenus fuisse Deo, sed tantummodo Abrahamo oblatum, ad ipsum, suosque milites lassos ex itinere, & prælio reficiendos, ac propterea Scripturam non dicere, Melchisedechum *obtulisse*, sed *protulisse* panem, & vinum, ut nulla ibi sit sacrificii umbra. Et si oblatio Melchisedech, subdit Calvinus, sacrificii Missalis figura esset, an Apostolus Paulus in epist. ad Hebræos id notare prætermisisset?

489. Sed vani hi sunt cavilli, quibus satis esset opponere supra allatam S. Cypriani interpretationem, quæ pene communis est apud sanctos Patres. Neque vero probari potest, panem, & vinum fuisse a Melchisedech *tantummodo* in refectionem militum prolatum, non autem simul etiam Deo oblatum in sacrificium Eucharisticum pro reportata victoria. Ulterius, sacrificium manifeste indicat illa causalis apposita: *erat enim Sacerdos Dei altissimi*; quæ causalis omnino inepta esset, si non Deo, sed solummodo Abrahamo, panem, & vinum obtulisset. Id quoque indicat canticum ejusdem Melchisedech *Deo excelso, quo protegente* Abraham hostes devicerat: unde etiam illi, ut Sacerdoti, Abraham *dedit decimas de omnibus*. Quod autem noster vulgatus Interpres dicit *protulisse*, nihil officit, cum facile intelligi possit, Melchisedech protulisse panes, tam ad epulam, quam ad sacrificium; antiqua tamen versio habebat *obtulit*. Nec etiam officit, quod S. Paulus ad Hebr. VII. duntaxat *benedictionis, & sacerdotii* Melchisedech, non autem sacrificii mentionem faciat, quia illi propositum tantummodo erat de Christi sacerdotio secundum ordinem Melchisedech cum Hebræis disserere; nec videbatur expediens tunc temporis, secretissimum Eucharistiæ mysterium illis apertius reserare.

490. Confirmatur *secundo* ex celebri vaticinio Malachiæ I. 10. seq. ubi Dominus exercituum dicit Hebræis: *Munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus*. Jam vero cum Deus hic opponat sacrificium novum veteribus, quæ reprobabat, non potest vaticinium intelligi de sacrificio minus proprie sumpto, scilicet de interno, & spirituali sacrificio, quod nec novum erat, nec unquam a Deo rejectum: debet ergo intelligi de vero, & externo sacrificio, quod unicum est in lege evangelica, & quod in omni loco Deo offertur, scilicet de Eucharistia. *Ulterius* prædicit Deus ore Prophetæ, hanc oblationem futuram *mundam*; hoc autem soli convenit Eucharistiæ, quæ, ut bene advertit Synodus Trident. Sess. XXII. cap. 1., *nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*, scilicet propter divinæ hostiæ essentialem sanctitatem, cum cetera omnia sacrificia, sive externa, sive interna, semper fuerint, & adhuc sint, ac semper erunt aliqua imperfectionis sorde immunda; quod Deus ore Prophetarum sæpius objecit.

491. Utrumque locum conjungens S. Augustinus Lib. XVIII. *De civ. Dei* cap. 35. sic convincebat pervicaces Judæos: „ Malachias prophetans „ Ecclesiam, quam per Christum cernimus pro- „ pagatam, Judæis apertissime dicit ex persona „ Dei: *Non est mihi voluntas in vobis, & mu-* „ *nus &c.* Hoc *sacrificium per sacerdotium* Chri- „ sti

(*a*) Quo primum tempore, & quo loco cœperint Apostoli Missam celebrare, ignoratur, silentibus sacris oraculis, ac vetustioribus Patribus. Statim post Christi resurrectionem id eos fecisse, nonnullis conjecturis probare nititur Theoph. Raynaudus *De prima Missa* sect. 1. c. 2. Aliis probabilius videtur nonnisi post illapsum Spiritus Sancti in ipso cœnaculo fuisse primam Missam celebratam, & quidem a Sancto Petro Apostolorum principe.

„ sti secundum ordinem Melchisedech, cum in o„ mni loco a solis ortu usque ad occasum, Deo „ jam videamus offerri, sacrificium autem Judæo„ rum .... cessasse, negare non possint: quid ad„ huc expectant alium Christum &c. "? Nec obest, Augustinum Lib. II. *cont. epist. Petiliani* c. 86., aut quosdam alios Patres aliquando hoc Malachiæ vaticinium interpretari de sacrificio laudis. Nam ista interpretatio propria non est, nec aliam excludit, qua proprie hoc vaticinium nonnisi de sacrificio Eucharistico intelligi potest.

492. Hæc, aliaque sacr. Script. oracula quamquam satis aperta sint, ac perspicua, majorem tamen lucem mutuantur ex perpetua sanct. Patrum traditione, quam ad explicandum germanum divini verbi sensum, sin minus necessariam, saltem perutilem esse, ipsi adversarii fatentur. Ex infinita autem, quæ supetit, veterum testimoniorum congerie nonnisi pauca afferam, quæ solito Sectariorum effugio (quod scilicet non de vero externo sacrificio, sed de internis precum oblationibus intelligi debeant) eludi non possunt. Neque etiam commemorabo *Acta passionis S. Andreæ*, in quibus apertissimum habetur sacrificii Eucharistici testimonium, & quæ a multis Criticis rejiciuntur, defenduntur tamen ut genuina a Nat. Alexandro *(a)*.

493. S. Cyprianus epist. LXVIII. Christum Dominum, dicit, panem, & vinum, *suum scilicet corpus, & sanguinem, obtulisse inter cœnandum ut Melchisedech typum adimpleret: utque sanguinem Christi propinatum possemus bibere*. Et multis aliis in locis incruenti hujus sacrificii mentionem facit apertam.

494. S. Irenæus Lib. IV. adv. hær. cap. 17. alias 32. allatum Malachiæ vaticinium ita commentatur: *Manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offerretur ei, & hoc purum &c.* Et cap. seq. subdit: *Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei*. Quem S. Irenæi textum notis illustravit doctus P. Franc. Fevardentius Ord. Minorit. in sua ipsius Operum editione, multorum aliorum Patrum testimoniis allatis; a quibus exscribendis supersedemus, ut breviores simus.

495. His omnibus accedit invictum illud argumentum *præscriptionis*, quo superius ad probandam realem Christi præsentiam in Eucharistia usi sumus; provocando scilicet adversarios, ut nobis aliqua exhibeant monumenta temporis, occasionis, Auctorum, a quibus illa universalis doctrina, quæ ante ipsorum pseudo-reformationem in tota Ecclesia sine controversia vigebat, ortum duxerit, ut scilicet Eucharistia non solum haberetur ut Sacramentum, corpus, & sanguinem D. N. J. C. in se continens, sed etiam ut sacrificium, quod in nova lege Deo immolatur. Quamobrem omnium Novatorum ora iis verbis obstruere possumus, quibus Vener. Petrus Abbas Cluniacensis Petrobusianorum ora obstruebat Epist. II. inquiens: „ Respondet vobis, hostes Dei, Ecclesia Dei, se ne„ que absque sacrificio esse, nec illo suo sacri„ ficio aliquid aliud, quam corpus, & sanguinem „ sui Redemptoris offerre. Offert quidem illa Do„ mino Deo suo sacrificium Deo spiritus contri„ bulati .... offert sacrificium justitiæ .... offert sa„ crificium laudis ..... sed longe acceptabilius of„ fert sacrificium, eum scilicet, qui juxta Apo„ stolorum per Spiritum sanctum semetipsum ob„ tulit immaculatam Deo, ut emundaret conscien„ tias nostras ab operibus mortuis, ad serviendum „ Deo viventi: offert agnum Dei, qui tollit pec„ cata mundi ..... offert ipsum pro seipsa: & quod „ ille fecit semel moriendo, hoc illa facit sem„ per offerendo. "

496. Hæc sufficiant, ut appareat, quo jure Synodus Trident. Sess. XXII. cap. 1. ita definierit: „ Igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel sei„ psum in ara crucis, morte intercedente, Deo „ Patri oblaturus erat, ut æternam illic redem„ ptionem operaretur, quia tamen per mortem „ sacerdotium ejus extinguendum non erat, in „ cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut di„ lectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut ho„ minum natura exigit, relinqueret sacrificium, „ quo cruentum illud semel in cruce peragendum „ repræsentaretur, ejusque memoria in finem us„ que sæculi permaneret, ... Sacerdotem secun„ dum ordinem Melchisedech se in æternum con„ stitutum declarans, corpus, & sanguinem suum „ sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit „ &c. " Can. autem 1. eum anathemate perculit, qui dixerit, *in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari*.

497. Ob. *primo* ex sacris litteris. Christus Dominus a nova sua lege omne sacrificium externum exclusit: notum est enim, quod dixit mulieri Samaritanæ Jo. IV. 23.: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*.

498.

(*a*) Lutherus aliis sincerior, hanc veterum Patrum traditionem inficiari non audebat; sed ceteris omnibus multo audacior eam his petulantissimis verbis contemnebat in Lib. adv. Regem Angliæ: *Ultimo dicta Patrum inducit pro sacrificio Missarum statuendo, & ridet meam stultitiam, qui solus velim sapere pro omnibus. Huic dico, confirmari hoc nomine meam sententiam: nam hoc est, quod dico, Thomisticos asinos nihil habere, quod producant, nisi multitudinem hominum, & antiquum usum; ego vero adversus dicta Patrum, hominum, angelorum, dæmonum pono non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed Majestatis æternæ verbum evangelicum.*

498. Resp. (præter ea quæ diximus Tomo I. Dissert. II. n. 14.) his verbis noluisse Christum omnem externum cultum a nova lege removere, sed solum voluisse ostendere hoc discrimen inter veterem, novamque legem; quod in veteri nonnisi in templo Jerusalem licebat Deo immolare materiales victimas, quæ *veri* sacrificii nonnisi umbræ erant, & figuræ; in nova autem ubique locorum Deo offeritur *verum* sacrificium, externum illud quidem, sed quod invisibilem hostiam continet, scilicet corpus, & sanguinem D. N. J. C.

499. Inst. *primo*. Ex aliis Scripturæ locis luculenter eruitur, sacrificium ipsi aceptum nonnisi internum, & spirituale esse debere, Psalmo XLIX. Deus ita testatur: *Sacrificium laudis honorificabit me*; & Eccles. XXXV. 2. seq. *sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate ..... Qui facit misericordiam, offert sacrificium*; & alia id genus, quæ sæpe occurrunt.

500. Resp., hæc testimonia si quid valerent, probare etiam, nulla fuisse in vet. test. sacrificia. Sed Adversarii facile videbunt, nihil aliud voluisse Deum significare, nisi præter externam sacrificiorum oblationem semper necessariam fuisse etiam internam, & spiritualem devotionem, & sacrificiis adjungendas esse alias virtutes, quarum exercitium Deus a suis cultoribus exigit.

501. Inst. *secundo*. In Eucharistiæ institutione, quæ legitur tum apud Evangelistas, tum apud S. Paulum, nihil prorsus habetur, quod indicet rationem sacrificii Deo oblati, sed tantummodo Sacramentum, quod nobis datur; & tamen nullus erat opportunior locus, quo Christi instituentis intentio declararetur.

502. Resp. *primo*, etiamsi nulla sacrificii expressa mentio in Eucharistiæ institutione haberetur, satis esse, eam aliis in locis haberi. Immo etiamsi nullibi hæc mentio expressa fieret, nobis sufficeret sanct. Patrum traditio, atque universalis Ecclesiæ praxis, quæ non aliunde oriri potest, quam ex ipsa Jesu Christi institutione, atque doctrina. Verumtamen in iis Domini nostri verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, scilicet hoc ipsum, quod ego feci, facite etiam vos, habemus mandatum, ut quemadmodum ille corpus suum, & sanguinem Patri obtulit pro nostra salute, ita & Apostoli, eorumque successores ejusdem oblationis commemorationem faciant, eamque non nudam, sed quæ magni illius sacrificii suo modo repetitio sit. Quamobrem in Canone Sacerdotes dicunt: *Unde & memores, Domine, nos servi tui, tam beatæ passionis Christi filii tui .... offerimus præclaræ majestati tuæ &c.* (*a*).

503. Inst. *tertio*. Sacræ litteræ nos docent, Christum sacrificio mortis suæ ita satisfecisse divinæ justitiæ, ut nullo amplius opus sit sacrificio. Nam S. Paulus Hebr. X. 10. seq. de Christi sacrificio agens, *Sanctificati sumus*, inquit, *per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei ..... Una enim oblatione consumavit in sempiternum sanctificatos.*

504. Resp. cum S. Thoma 3. P. quæst. 83. art. 1. ad 1., Apostolum loqui de sacrificio Christi cruento, quod oblatum fuit in ara crucis; & quod cum infiniti valoris sit, nonnisi semel offerri debebat. Hoc autem non excludit incruentum Missæ sacrificium, quod Christus instituit, & fieri præcepit in sui commemorationem. Porro incruenta illius sacrificii, quod Christus in cruce Deo Patri obtulit, repetitio facta a Sacerdotibus, totam efficaciam trahit a cruento illo sacrificio crucis: quamobrem vere Apostolus dixit. Christum *una oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos*, seu sanctificandos. De tota hac difficultate, quam multis modis variant, atque objiciunt Calvinistæ, ac Lutherani, legendum consulo Melch. Canum Lib. XII. *De locis theol.* cap. 12., ubi de sacrificio altaris eleganter, ac copiose disserit.

505. Absit autem, ut vereamur, hoc incruento altaris sacrificio *intolerabilem contumeliam Christo irrogari*, ut furiose declamat Calvinus (Lib. IV. *Instit.* cap. 18.), quasi æterni Sacerdotii prærogativa illi abripiatur, dum alii Sacedotes successores, & vicarii ipsi subrogantur. Hoc enim in Vet. Testam. idcirco fieri oportuisse observat, quia, ut inquit Apostolus laud. epist. cap. VII. 23., *morte prohibebantur permanere*, Christus autem manet in æternum.

506. Futilis enim hæc Calvini objectio in fumum abit, si tantummodo recordemur divini illius mandati: *Hoc facite in meam commemorationem*. Unde verius ipsi Sacramentarii magna Christum injuria afficiunt, dum hoc divinum præceptum tollunt, negantes posse sacrificium illud, quod ipse in novissima cœna Patri obtulit, Sacerdotibus Apostolorum (non Christi) successoribus in ipsius commemorationem fieri. Ubi etiam diligenter observandum est cum laud. S. Thoma, post Augustinum, Chrysostomum, aliosque Patres, Sacerdotes sanctam, & divinam hostiam in nomine, & in persona æterni Sacerdotis Christi immolare; itaque quemadmodum in primo illo sacrificio *idem fuit Sacerdos, & hostia*, ita in sacrificio altaris *quodammodo* idem est Sacerdos,

&

(*a*) Narrat Pallavicinus, *Hist. Conc. Trident.* Lib. XVIII. cap. 8. seq., diu, multumque fuisse inter Patres disputatum, an decerni deberet, Christum in ultima cœna Corporis & Sanguinis sacrificium Patri obtulisse, ac demum nonnisi paucis contradicentibus sententiam affirmantem fuisse ceterorum pene omnium consensu probatam.

& hostia. Quamobrem rectissime Patres Trid. Sess. XXII. can. 4. anathemate damnarunt, *qui dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari*.

507. Multo futilior est altera Calvini accusatio, Missæ sacrificium *Christi crucem, & passionem opprimere, & obruere*, nam, inquit, aut Christi sacrificio, quod in cruce implevit, purgationis æternæ vim defuisse fatendum erit, aut uno semel sacrificio Christum in omnia sæcula defunctum esse. Hinc Apostolus laud. cap. X. epist. ad Hebr. 16. subdit, *acquisita semel peccatorum remissione, nullam amplius restare oblationem*. Hoc & postrema sua voce Christus significavit, cum dixit: *Consummatum est*. Ita pergit Calvinus contra Missæ sacrificium debacchari.

508. Sed nihil facilius est, quam inanes has Calvini, ejusque Symmistarum declamationes refellere ..... ,, Si enim agnus, inquit Melchior Canus, *qui tollit peccata mundi*, sine adjutrice, ,, & socia causa ipse per se expiavit nostra delicta, baptisma tollatur, pœnitentia absit, sacerdotia sileant, ministeria facessant, atque adeo ,, omne salutis nostræ & Sacramentum removeatur, & instrumentum. Præceptum illud vanum sit: *Baptizate in nomine &c.*; gratia illa vana: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: inanis sermo ille: *Pœnitentiam agite &c.*; sit denique ille falsus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Quin etiam ,, si ita libet, quia oravit pro nobis Christus, non ,, oremus; quia jejunavit, non jejunemus; quia ,, lacrymatus est, non ploremus .... sicut ergo ,, compatimur, ut passionis ejus participes simus; ,, ita etiam offerimus, ut oblationis ipsius partem capiamus. " Ut huic retorsioni respondeant adversarii, ad illam Catholicorum doctrinam confugere debebunt, ut nobiscum dicant, Christi passionem, & mortem, utpote valoris infiniti, esse medium sufficientissimum ad omnia peccata delenda, & ad omnia gratiarum dona obtinenda, sed requiri ex parte nostra ejusdem medii usum. *Christus*, inquit S. Thomas 3. P. quæst. 49. art. 1. ad 3., *sua passione nos a peccatis liberavit causaliter, idest instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata quandocumque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura; sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari etiam in futurum*; & in resp. ad 4. *Quia passio Christi*, inquit, *præcessit, ut causa quædam universalis remissionis peccatorum, necesse est, quod singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum; hoc autem fit per baptismum, & pœnitentiam, & alia Sacramenta, quæ habent virtutem ex passione Christi*.

509. Inst. *quarto*. Idem Apostolus in eadem epist. ad Hebr. IX. 22. nos docet, quod *sine sanguinis effusione non fit remissio*: non ergo admitti potest distinctio sacrificii cruenti, & incruenti. Hoc patet etiam ex definitione sacrificii a nobis tradita; hæc inter alias ejus conditio est, ut fiat rei oblatæ *immutatio*, atque ita a simplici oblatione distinguatur sacrificium. Immo quod latine dicitur *sacrificium*, a Græcis appellatur θυσία, quod vocabulum edhiberi solet ad significandam rem sacram, quæ vel per sanguinem, vel per ignem, vel alio quovis modo Deo immolatur: unde Calvinus insulse nobis objicit, *si Christus singulis Missis sacrificatur, eum singulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportere*.

510. Resp., Apostolum ibi loqui de Vet. Test., in quo *omnia pene in sanguine* mundabantur; dicit autem *pene*, quia tunc etiam erant aliqua sacrificia incruenta, instituta non ad remissionem peccatorum, sed ad tollendam corporum, aut vestimentorum immunditiem: ad remissionem enim peccatorum requirebatur sanguinis effusio, ad remissionem, inquam, *legalem*, quæ erat proprius illorum sacrificiorum effectus, de remissione enim culpæ dicit cap. seq. 4., *impossibile esse, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*. Ex hoc autem inferri non potest, in novo testamento sacrificium incruentum pro peccatis immolari non posse, sicuti adversarii ipsi non inferent, in baptismo non remitti peccata, quia nulla in illo fit sanguinis effusio, qualis fiebat in Circumcisione.

511. Mutatio autem illa, quæ tamquam conditio ponitur in definitione sacrificii, non est semper *realis*, sed sufficit, ut sit mystica, cujusmodi fuit in sacrificio Melchisedech. Hæc porro mystica mutatio sine dubio habetur in sacrificio altaris, quando consecratur sanguis a corpore separatus, ut Christi passio, & mors mystice significetur. Addit S. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3., mutationem mysticam fieri, quando *panis frangitur, & comeditur, & benedicitur*. Quibus omnibus non occiditur a nobis Christus, ut Calvinus ineptissime nugatur, sed potius ejus occisio commemoratur. Ceterum cuilibet compertum est, aliqua fuisse etiam in Vet. Test. sacrificia sine sanguine, ut illud panis, & vini, quod obtulit Melchisedech, & illud, quod in festo Pentecostes offerri præcipiebatur Levit. 17., & quo significatum fuisse corpus Christi observavit S. Thomas 2. 2. quæst. 102. art. 3. ad 12. (*a*).

512.

(*a*) Negant aliqui, fractionem panis pertinere ad rationem sacrificii, cum solam distributionem Eucharistiæ significet. Verumtamen præter allatam nostri S. Magistri auctoritatem, manifestum est, illam hostiæ fractionem, quæ a Sacerdote fit, non esse institutam ad distributionem, cum fracta particula non distribuatur, sed sanguini commisceatur; & sic a celebrante sumatur. Vid. Melch. Canus in resp. ad 4., & Estius ad Lib. IV. Dist. 12. §. 12., ubi bene observat, non unam, sed plures Sacerdotis actiones ad plenam hujus

512. Inst. *quinto*. Saltem ubi testamentum signatur, necessaria est effusio sanguinis, dicente Apostolo Hebr. IX. 16. *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*. Cum ergo Eucharistia instituta sit, tamquam *novum testamentum*, si verum est sacrificium, deberet fieri cum mutatione reali, sive morte victimæ immolatæ, quemadmodum factum est in vero sacrificio crucis; & cum hæc mors non habeatur, non potest Eucharistia vocari sacrificium.

513. Resp., id verissime dici ab Apostolo de sacrificio cruento, quo Christus condidit, & signavit novum testamentum; sed idcirco non excludi aliud sacrificium incruentum, quod Christus instituit in commemorationem illius, in quo propterea non requiritur nisi immutatio mystica, & Sacramentalis.

514. Inst. *sexto*. Eucharistia est verum novæ legis Sacramentum: ergo simul esse non potest novæ legis sacrificium; hæc enim duo sibi ipsis opponuntur. Sacramentum quippe illud est, quo a Deo aliquid recipimus; sacrificium autem, quo aliquid Deo offerimus.

515. Resp., minime repugnare, Eucharistiam sub diversa ratione esse simul Sacramentum, & sacrificium. Est Sacramentum, quando a fidelibus recipitur; & est Sacrificium, quando a Sacerdote in Missa Deo offertur, consecratur, & sumitur. *Voluit ergo Dominus*, inquit Melchior Canus, *ut quæ mensa est, ea sit nobis & altare, hoc est ut non modo cœnaremus, verum etiam sacrificaremus. Quare idem instituit, ut esset simul & Sacramentum, & sacrificium, quorum alterum dominicæ cœnæ, alterum dominicæ mortis esset symbolum*.

516. Inst. *septimo*. Si Eucharistia esset verum sacrificium, vim haberet remittendi peccata: ad hoc enim sunt instituta sacrificia; eoque magis si Sacerdos, ut nos docemus, Christi summi Sacerdotis nomine sacrificaret; Christus enim semper a Patre exauditur.

517. Resp., ad culpas expiandas instituta fuisse in novo fœdere Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, quæ tamen, sicuti & alia Sacramenta, a Christi passione, & morte omnem suam vim, & efficaciam trahunt. Eucharistia autem instituta fuit, ut cibus, & potus, cujus soli vivi capaces sunt; ac proptera nonnisi a justis, qui vivunt vita spirituali, sumi debet. Culpæ tamen veniales, quibus etiam justi obnoxii sunt, delentur per Eucharistiam; & de his intelliguntur illæ preces Ecclesiæ: *Sancta Sacramenta omnia crimina nostra detergant*. Synodus porro Trid. Sess. XXII. cap. 2. definivit, etiam peccata ingentia per Eucharistiam deleri, quia *hujus oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedit*.

518. Ob. *secundo* contra Patrum traditionem. Quæcumque allata sunt, aut afferri possunt SS. Patrum testimonia, ut evincatur, Missam esse verum novæ legis sacrificium, facile explicantur de sacrificio minus proprie sumpto, quo sensu in sacris litteris sæpe hoc nomen occurrit. Potissimum vero potuerunt Patres sacram cœnam nuncupare *sacrificium*, quia est commemoratio magni illius sacrificii, quod Christus semel pro nobis obtulit; quomodo nominamus duos dies natalis, aut resurrectionis Christi, non quod tunc Christus nascatur, aut resurgat, sed quia tunc ipsius nativitas, aut resurrectio recolitur. Reipsa quædam sunt eorumdem Patrum loca, in quibus aperte declaratur, Eucharistiam non esse, nisi memoriam illius magni, & unici sacrificii, quod Christus in cruce pro nostra redemptione obtulit. Sic expresse S. Jo. Chrysostomus Hom. XVII. in Epist. ad Hebræos, ubi explicans ea verba cap. X. 12. *unam pro peccatis offerens hostiam &c.*, inquit: *Quid vero? Annon nos quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam, & ipsa una est, non multæ, quoniam semel fuit oblatus*. Eademque fere habet S. Augustinus Epist. XCVIII. ad Bonifacium, & in Psal. XXI., qui uterque locus citatur a Gratiano *De Consecr.* Dist. 2.

519. Resp., quædam esse veterum Patrum testimonia, quæ nulla vi trahi possunt ad sensum metaphoricum, quem Novatores ad obscurandam hanc veritatem excogitarunt, ut ea, quibus hoc sacrificium Missæ præfiguratum dixerunt in sacrificio Melchisedech, aut prænunciatum verbis Malachiæ supra num. 445., & quod magis rem conficit, illa veterum Patrum testimonia in sensu vero, & proprio ab omnibus Ecclesiæ Pastoribus semper accepta fuerunt, & in sensu vero, & proprio fidelibus explicata, atque a cunctis intellecta, & credita, usque ad illam infelicem ætatem, qua Ecclesiæ pseudo-reformatores omnia renovare, seu potius evertere præsumpserunt (a).

520. Cum vero asserunt Patres, sacrosanctum Mis-

incruenti sacrificii confectionem concurrere. Non tamen omnes ita ad essentiam sacrificii pertinent, ut earum omissio eamdem tollat, sicut de fractione hostiæ aperte docet Angelicus, 3. P. qu. 83. art. 6. ad 6.

(a) Lutherus videns, tam perspicua Patrum testimonia nulla posse explicatione eludi, gordium hunc nodum audacter secavit, eadem omnino rejiciens, tamquam testimonia hominum, qui erraverint, & peccaverint: ita in Lib. *De abroganda Missa privata* inquiens: *Solent jactare Patres Patres, decreta decreta, Ecclesia Ecclesia, quoties nos a verbis Dei in verba hominum trahere conantur ..... Nos quoque hic dicimus, & multo serius clamamus: Evangelium Evangelium, Christus Christus*. Quasi vero sanctissimi illi Patres, & Doctores, & cum iis tota per 15. sæcula Ecclesia, a Christo, ejusque Evangelio turpiter & sacrilege apostataverint, & soli Luthero, aliisque novatoribus Christus veritatis cognitionem reservaverit. Vah intolerabilem & superbissimam præsumptionem! Quæ tamen apud imperitum vulgus, Deo sic permittente, loco solidarum rationum plurimum valuit ad avitam religionem convellendam.

Missæ sacrificium non esse nisi memoriam sacrificii illius cruenti, quod Christus in cruce obtulit, nihil aliud significant, quam hoc Missæ sacrificium, quanquam verum, & proprium, esse tamen incruentum, ac propterea solum commemorationem sacrificii cruenti; quale etiam fuit incruentum illud sacrificium, quod Christus in cœna obtulit Patri, & ab Apostolis, eorumque successoribus Sacerdotibus offerendum præcepit.

521. Atque hoc ipsum disertissime docet Chrysostomus in Homilia objecta, ubi ita prosequitur, explicatius suam doctrinam exponens: *Ut ergo* (Christus) *multis in locis oblatus unum est corpus, & non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illám obtulit hostiam, quæ nos mundat: illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi .... Non aliam hostiam, sicut Pontifex* (antiquæ legis) *sed eamdem semper facimus, vel potius sacrificii facimus commemorationem.* En quomodo S. Pater aperte docet, Missæ sacrificium esse verum, & proprium, simul tamen recordationem illius magni sacrificii in cruce oblati, quod semper perdurat sua vi, & efficacia, quæ vis etiam in sacrificia nostra derivatur. Non minus aperte id tradit S. Augustinus pluribus in locis, ut in Lib. X. *De Civ. Dei* cap. 20. de Christo inquiens: *Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, & ipse oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium.* Item Lib. XVII. cap. 17. Sacerdotium, & sacrificium secundum ordinem Aaron cessasse dicit, *& ubique offerri sub Sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech.*

522. Ob. *ultimo.* Si Christus hoc Eucharistiæ sacrificium instituisset, proculdubio etiam ejus celebrandi formam præscripsisset, quomodo Deus in sacrificiis Vet. Test. præscripsit: certum est autem hujusmodi Missam celebrandi formam a Christo Domino præscriptam minime fuisse; omnes enim quotquot extant liturgiæ, homines habent auctores, & quidem Apostolis posteriores; quæ enim Apostolorum nomina præferunt, a sanioribus Criticis ut apocryphæ rejiciuntur.

523. Resp., prout alias a nobis observatum est Dissert. I. n. 289., non omnia, quæ Christus fecit, dixit, & præcepit in Sacramentorum institutione, a sacris scriptoribus fuisse litteris mandata, sed multa majorum traditione ad nos usque pervenisse. Porro inter ea multa, quæ S. Basilius Lib. *De Spiritu sancto* cap. 27. *a tacita, secretaque traditione* repetit, hoc etiam de sacris liturgiis respondit, inquiens: *Ad eumdem profecto modum & qui initio certos Ecclesiæ ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto, silentioque mysteriis suam servavere dignitatem.* Diximus etiam alibi, & repetendum est sæpius, fuisse Ecclesiæ relictam potestatem, *ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret;* ut Synodus Trid. declaravit Sess. XX. cap. 2. Jam vero ambigendum non est, ea omnia, quæ ad hujus Sacramenti, ac sacrificii substantiam pertinent, fuisse a Christo Domino determinata, sive in ipsa institutione, sive post resurrectionem, quando per 40. dies discipulis apparens, loquebatur de regno Dei, seu de spirituali Ecclesiæ regime. Hac potestate utens *pia mater Ecclesia ritus quosdam .... instituit,* ut eadem Sacrosancta Synodus declaravit Sess. XXIII. cap. 5., atque ita factum est, ut diversæ liturgiæ prodierint, in quibus tamen summa concordia invenitur, quantum ad partes essentiales, & tota diversitas est in orationibus, cæremoniis, aliisque ritibus. De quibus ritibus, & cæremoniis dignus est, qui legatur noster Angelicus Præceptor 3. P. quæst. 83. art. 4., præter alios multos, qui hanc spartam adornarunt.

PROPOSITIO II.

Sacrificium Eucharisticum est propitiatorium pro vivis, & defunctis.

524. Id definivit Concilium Trid. Sess. XXII. cap. 2. his verbis: *Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit,* docet S. Synodus, *sacrificium istud vere propitiatorium esse ..... Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.* Et can. 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit* (a).

525.

(a) Hæc definitio facta est ad condemnandum errorem Novatorum, qui nomen sacrificii aliquando Missæ, seu potius sacræ cœnæ concedunt, quamquam in sensu minus proprio, sed postea acerrime pugnant contra illud nomen *Sacrificii propitiatorii*, quod Ecclesia Missæ convenire semper docuit, volentes, Eucharistiam esse purum Sacramentum, quod dumtaxat sumentibus prodest, non autem sacrificium, quod possit pro aliis Deo offerri. Quod si appellari debeat *sacrificium*, volunt, ut solum dicatur sacrificium εὐχαριστικὸν, & λατρευτικὸν non autem *propitiatorium*, & *impetratorium*. Ita Lutherus in pestilentissimo Libro *De Capti. Babyl.*, Calvinus IV. *Inst.* cap. 18., Kemnitius in II. P. *Examinis Conc. Trident.*, & alii passim.

525. Et quidem hoc esse omnibus sacrificiis proprium, ut sint propitiatoria, tradit Apostolus ad Hebr. V. 1. dicens: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis:* unde postea infert, Christum seipsum obtulisse pro nostra redemptione, quia Sacerdos erat.

526. Præterea ad hanc peccatorum remissionem se altaris sacrificium instituisse ipse Christus Dominus ostendit, quando Apostolis dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* Lucæ XXII. 19., & apud Paulum 1. Corinth. XI. 24., *quod pro vobis frangitur*, græce κλώμενον; licet in nostro vulgato habeatur, *quod pro vobis tradetur*. De calice similiter Christus dixit apud Lucam: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, græce ἐκχυνόμενον *est effusus;* quod tempus præteritum significat sacrificium sui sanguinis in ipsa cœna Patri oblatum in remissionem peccatorum. Ubi notandum est quoque, non dixisse Christum de corpore, quod *vobis datur*, sed quod *pro* vobis datur, & similiter de sanguine, ut intelligeremus, hæc fuisse Deo oblata in sacrificium *pro nobis*. Cum autem nostrum Missæ sacrificium nihil sit aliud, quam illius sacrificii repetitio, eadem hostia, atque idem æternus Sacerdos, cujus nostri Sacerdotes non sunt successores, sed ministri in ejus nomine offerentes, manifeste sequitur, Missæ sacrificium esse vere propitiatorium. Quam rationem allegat mox citata Synodus Trid. inquiens: *Una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio* &c. Vid. Catechismus Rom. P. II. cap. 4. n. 76. seq.

527. Præterea hæc veritas ex perpetua Ecclesiæ consuetudine invicte probatur. Nam *primo* omnes liturgiæ, quotquot extant, oblationem continent pro remissione peccatorum. Illa Jacobi, quæ antiquissima est, & probabiliter genuinus illius Apostoli fœtus, ut multi opinantur, hæc habet: *Offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi*. Longum esset alias in medium proferre. Omittere tamen non possumus duas liturgias Basilii, & Chrysostomi; in quarum prima hæc leguntur: *Dignos effice nos, qui puro corde ... offeramus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra* &c. In altera vero *Idoneos redde ad inferenda tibi dona, & sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantiis*.

528. *Secundo*. Patres in eamdem sententiam conspirant, ut Origenes, qui Hom. XIII. in Levit. de Jesu Cristi commemoratione loquens, quam facere jubemur in sacrificio Eucharistiæ, *Ista est*, inquit, *commemoratio sola, quæ propitium facit Deum hominibus*. S. Cyrillus Catech. V. Mystagogica postquam Eucharistiam vocavit *hostiam propitiationis*, subdit: *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis, & illis eum, qui benignissimus est, propitium reddamus*. Damascenus autem Lib. IV. *De fide orthod.* cap. 13., postquam monuisset, hoc esse *purum, & incruentum sacrificium, quod ab ortu solis usque ad occasum sibi oblatum iri, Dominus per Prophetam* (Malachiam) *dixit*, subdit, nos per ipsum *morbis, omnifariisque immissis calamitatibus expurgari*.

529. Nec minus diserte Patres latini prædicant virtutem sacrificii Eucharistici ad remittenda nostra peccata. Nam S. Ambrosius Lib. I. *De officiis* cap. 48. *Offert*, inquit, *Christus seipsum quasi Sacerdos* (in Eucharistia), *ut peccata nostra dimittat*. S. Hieronymus in cap. I. Epist. ad Titum: *Si laicis*, inquit, *imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* Ac denique S. Augustinus Quæst. LVII. in Levit. *In multis*, inquit, *sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum*.

530. Jam vero hoc sacrificium non solum esse *propitiatorium* pro peccatis, sed etiam *impetratorium* aliarum gratiarum, iisdem momentis evincitur, scilicet auctoritate liturgiarum, in quibus sacrificium offerri dicitur, non solum pro culparum remissione, sed etiam *pro spe salutis, & incolumitatis nostræ*, pro pace, pro copia fructuum, & pro aliis temporalibus bonis. Audiatur Tertullianus, qui in *Apologetico* cap. 30. loquens de Christianis offerentibus *optimam, & majorem hostiam*, nempe Eucharisticam, *Nos*, inquiebat, *pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, & Deum vivum ...... vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt*. Et S. Cyrillus Jerosolym. Catech. V. Mystagogica: *Postquam confectum est*, inquit, *illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, & in summa pro omnibus, qui egent auxilio* (a).

531.

(a) Inter multa miracula, quæ Sanct. Augustinus Lib. XXII. *De Civ. Dei* cap. 8. in confirmationem Christianæ religionis sua ætate facta recenset, hoc etiam narrat de viro Tribunitio Hesperio, *qui cum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset*, rogavit Presbyteros, *ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessavit*. Non pauca hujusmodi miracula catholicæ Eccle-

531. Denique cum sæpe laud. Synodo Trid. confitendum est, hoc sacrificium, *non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offerri*; ad quod demonstrandum ea sufficient, quæ de antiquissimo, & perpetuo Ecclesiæ usu offerendi pro animabus in Purgatorio detentis sacrificia demonstravimus, Tomo VII. Dissert. IV. art. 2. prop. 3.

532. Objiciebat Lutherus olim, quod sicut baptismus unius non prodest alteri, ita Missa unius non potest aliis prodesse.

533. Ast hæc objectio ex falsa ipsius opinione oriebatur, quod Missa non sit sacrificium, sed purum Sacramentum. S. Thomas 3. P. qu. 79. art. 7. „ Hoc Sacramentum, inquit, sumentibus quidem prodest, & per modum Sacramenti, & per „ modum sacrificii, quia pro omnibus sumentibus offertur; dicitur enim in canone Missæ: „ *Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur*. Sed aliis, qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, inquantum pro salute eorum offertur; unde & in canone Missæ „ dicitur: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.* Et utrumque modum proficiendi Dominus expressit, dicens Matt. XXVI. „ *Qui pro vobis*, scilicet sumentibus, *& pro multis*, scilicet aliis, *effundetur in remissionem peccatorum*".

Quæres *primo*, *quid de Missis privatis, ac de solitariis dicendum sit?*

534. Resp., Missas *privatas* vocari, vel *a loco*, quia non publice in Ecclesia, sed in privatis oratoriis, vel sacellis; vel *a tempore*, quia non diebus festis, sed ferialibus; vel *ab assistentibus*, quia nonnisi coram paucis, aut fortasse nonnisi coram uno assistente celebrantur; vel demum quia nullus ex adstantibus in iis Sacramentaliter communicat. De his Missis ita statuit Synodus Trid. Sess. XXII. cap. 6.: *Optaret quidem sacros. Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret. Nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.*

535. Antiquum hunc morem esse celebrandi Missas privatas, colligitur ex miraculo mox relato a S. Augustino ad n. 530., nempe Missæ celebratæ in domo Hesperii ad reprimendam dæmonum vexationem, & ex pluribus aliis vetustissimis Ecclesiæ monumentis; inter quæ illud est memorandum, quod narrat Nicephorus Lib. VIII. *Hist.* cap. 31., S. Luciani, qui cum in carcere jaceret onustus catenis, nec stare, aut erigere se posset, supra pectus suum loco altaris sacrificavit. Et certe falluntur, qui cum Melanchthone in *Apol. Confess. August.* confidenter asserunt, ante S. Gregorium magnum Missas privatas non inveniri. Innumera harum Missarum exempla summatim collegit doctissimus Card. Jo. Bona Lib. I. *Rerum liturgic.* cap. 13.; ubi etiam respondet objectioni ductæ ex celebri illa Seraphici S. Francisci epistola, qua suos Religiosos monebat, & hortabatur, ut una tantum Missa in die contenti essent, etiamsi plures fuerint Sacerdotes.

536. Idem eminentissimus Scriptor cap. præc. observavit discrimen inter Missas *privatas*, & *solitarias*; quod scilicet Missæ *solitariæ* proprie illæ dicantur, quæ a solo Sacerdote, nemine præsente, & respondente, fiebant *olim* in Monasteriis; quod eis concessum fuisse *ex indulgentia*, scribit Odo Cameracensis in *Expositione Canonis*, ad illa verba: *Et omnium circumstantium &c.*, in quibus dicendis convertebant se ad Ecclesiam, dicentes, *se Ecclesiam in Ecclesia salutare*. Hoc autem privilegium postea sublatum fuit, & rejectæ ubique Missæ *solitariæ*. Immo apud Gratianum *De Consecr.* Dist. I. c. 61. hoc quoque statutum legitur, *ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur*. Sed viget contrarius usus, cum uno ministrante Missa celebretur (*a*).

Quæres *secundo*, *an Sacerdotes celebrantes adstringantur omnino fidelibus petentibus sacram communionem intra Missæ sacrificium porrigere?*

537. Resp. Controversia hæc ante non multos annos in nostra Italia excitata fuit, atque ad supre-

siæ dogma confirmant, sacrificium altaris esse propitiatorium, & impetratorium.

(*a*) Præcipua ratio exigendi in celebratione Missæ plures respondentes desumebatur ex eo quod in plurali numero dicatur *Dominus vobiscum*, *Oremus &c.* Sed hanc rationem refutavit Petrus Damiani in libro, cui titulum præfixit: *Dominus vobiscum*, ostendens etiam in privata recitatione officii dici solere plurali numero: *Venite adoremus*, *Oremus*, *Benedicamus Domino &c.* Ceterum de Missæ sacrificio legendus omnino est Nat. Alexander in Panoplia adv. Her. Sæc. XIII. & XIV. Dissert. XIII. De tota autem doctrina Eucharistiæ multa pia, ac devota, ac simul erudita invenientur apud P. Fulg. Cuniliati Ord. Præd. in Opere Italico *Il Predicatore Eucaristico ec.* Vol. 2. in I. Ven. 1752.

premum Petri Cathedræ tribunal delata. Sedebat in ea sapient. Pontifex Benedictus XIV., qui anno 1742. die 13. Nov. Const. edidit *Certiores effecti*, in qua primum retulit verba Synodi Trid. Sess. XXII. cap. 6. optantis, *ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret;* unde infert, nunquam vetuisse Ecclesiam, aut modo vetare, quin Sacerdos celebrans satisfaciat piæ, & *justæ* petitioni eorum, qui Missæ adstantes ad consortium admitti postulant ejusdem sacrificii, quod & ipsi pariter offerunt.

538. *At quoniam*, subdit prudentissimus Pontifex, *in Ecclesia Christiana opus est, cuncta ordinate, & congruenter disponi, Pastores vigilantiam, & curam suam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur eo accessu, eaque participatione; ex alia vero ita utrumque sortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio, unde facile confusio etiam, & scandalum oriretur. Quare Pastores monere debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes sacræ mensæ (quod maximopere probandum duximus) studeant tempus, locum, & circumstantias nancisci, quibus & ipsi justorum votorum suorum compotes evadant, nec instituta illa pietatis impediant. Hisque pastorum suorum monitis fideles se se dociles præbentes cavebunt, ne sibi injuriam factam querantur, si quandoque pro tempore, loco & personis Episcopus minimum opportunum censuerit, a Sacerdote celebrante Eucharistiam distribui iis qui adstant; quibus scilicet eo ipso tempore facilis, & obvia suppetit ratio ad eamdem mensam accedendi, pluribus aliis in locis cuivis instructam ... Sin autem iidem fideles ita moniti importune insisterent pro recipienda Eucharistia in iis temporis, loci, & personarum circumstantiis, quas* **excipiendas censuisset Episcopus**, *Ritualis Romani auctoritate etiam fretus, hæc illorum petitio, utpote nec justa, nec rationabilis, contumacem, ac refractarium animum demonstraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minime compositum Eucharistiæ, qua par est, pietate percipiendæ.*

Quæres *tertio*, *an sacra fidelium communio fieri possit extra Missæ sacrificium ex particulis præconsecratis?*

539. Resp. *affirmative*, si rationabilis adsit causa; *secus*, si non adsit: ita enim statuit Rituale Romanum: *Communio populi statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda: cum orationes, quæ post communionem in Missa dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent:* unde non desunt Theologi, qui eos culpæ reos omnino pronunciant, qui nulla habita ratione Ritualis Romani, *sine gravi causa* communionem extra Missæ sacrificium adstantibus ministrant. Sed aliqui pervicaciter contenderunt plane *divino præcepto* id prohiberi, excepto casu communionis infirmorum, qui Missæ adstare nequeunt (*a*).

Quæres *quarto*, *qua lingua sit utendum in celebratione Missæ* (*b*)?

540. Resp., Synodus Trid. Sess. XXII. can. 9. anathema perculit, qui dixerit, *lingua tantum vulgari Missam celebrari debere;* & cap. 8. ita decrevit: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ an-*

(a) Harum duarum controversiarum, quæ quamvis diversæ sint, disputantium tamen æstu simul mixtæ fuerunt, nitidam, atque accuratam historiam nuper nobis dedit cl. D. Ben. Volpi in Opusc., cui titulus *Storia della celebre controv. di Crema sopra il pubblico divin diritto alla comunione Eucar. nella Messa*, Venezia 1790. in 8., ubi rem ab ovo repetens ea exponit, quæ cum Jos. Guerrero sub pontificatu Ludov. Gabini (qui postea ad eminentissim. Purpuratorum Collegium evectus fuit), deinde sub ejus successore Ant. Lombardi contigerunt; quænam fuerit tantæ controversiæ prima, & exigua origo; quosnam præcipuos invenerit Guerrerus sui erroris patronos; quænam in hac causa fuerint scripta *anonyma;* ac deinde quomodo de uno errore ad alium transitum fuerit, scilicet non licere extra Missam communionem ex particulis præconsecratis, nisi in casu summæ necessitatis, qualis est communionis per modum viatici, distribuere; quo in errore defendendo diu pertinax fuit P. Mich. Nannaroni Dominicanus, qui tamen postea divina aspirante gratia solemnem edidit retractationem, & publica, minimeque dubia exhibuit veræ pœnitentiæ, & pietatis signa; ex quo tempore causa omnino finita videtur, non obstantibus quibusdam Scipionis Episcopi olim Pistoriensis inanibus conatibus.

(b) Eminentiss. Card. Jo. Bona Lib. I. *Rerum liturg.* cap. 5. rejecta opinione Jo. Eckii, quod Missa nonnisi hebraice usque ad tempora Adriani Imper. peracta fuerit, censet, Apostolos, eorumque successores tribus dialectis fuisse usos, nempe Latina in toto Occidente, Græca in Oriente, Jerosolymis vero Chaldaica. Huic doctissimo rerum liturgicarum scriptori contradixit alter in antiquis Ecclesiæ ritibus versatissimus, nempe Edm. Martene Lib. 1. *De ant. Eccl. ritibus* cap. 3. art. 2. contendens, aliquot argumentis, sive exemplis, demostrari posse, alias etiam linguas in sacris liturgiis adhibitas fuisse. Venerabilis autem Purpurati vindicias contra Martenium egit Rob. Sala ejusdem Ordinis Cisterciensis in adnotationibus ad hoc ipsum cap. V. Ceterum negari non potest, varium fuisse Ecclesiæ pro diversitate circumstantiarum hac in parte disciplinam. Joannes VIII. Sclavis recenter conversis indulsit, ut divina officia, & sacram liturgiam lingua Sclavonica peragerent, in Epistola 247. ad Sfentopulcrum Comitem Moraviæ; Gregorius vero VII. id negavit Uratislao Bohemiæ Duci; & alter Gregorius, nempe XIII. in Bulla XCI. pro erectione Collegii Maronitarum in Urbe ipsis concessit, Missas, & cetera officia ecclesiastica idiomate Chaldaico, vel Arabico celebrare.

antiquo, & a S. R. Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre, & magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis, mandat S. Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis, & festis. Quo decreto obviam itum est injustæ Henrici VIII. Anglorum Regis, ac quorundam aliorum Novatorum petitioni de celebranda Missa idiomate vulgari, ut populus assistens posset verba liturgiæ intelligere. Quesnellus renovavit Novatorum querelas in propos. 89. *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.* Plura contra hanc proscriptam sententiam in Gallia prodierunt opuscula, quæ simul collecta Clerus Gallicanus edi curavit Parisiis 1661.

541. Frustra autem opponitur Concilium IV. Later. ita cap. 9. præcipiens: *Quoniam in plerisque partibus intra eamdem civitatem, atque diœcesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus, & mores, districte præcipimus, ut Pontifices ejusmodi civitatum, sive diœcesium, provideant viros idoneos, qui secundum diversitatem rituum, & linguarum divina officia illis celebrent &c.*

542. Frustra, inquam. Neque enim mens fuit sacrosancti illius Concilii, ut ubique vulgari idiomate res sacræ fierent, quemadmodum nostri Novatores contendunt; sed cum eo tempore multæ Orientales provinciæ, immo ipsius Orientalis Imperii sedes in potestatem Latinorum venissent, noluit sacrum Concilium illos populos adigere, ut relicta propria lingua, ac liturgia, se Latinis moribus, ac ritibus accommodarent; propterea jussit Pontificibus latinis, ut spirituali eorum populorum servitio idoneos Sacerdotes præficerent. De Latino autem idiomate in tota Ecclesia occidentali abolendo, ut hæretici vellent, illi Sancti Patres ne cogitarunt quidem: quapropter latinæ linguæ usus in Hispania, Gallia, Germania, Pannonia, aliisque amplissimis regnis, & provinciis semper retentus est, usque ad illud lacrymabile tempus, quo pseudoreformatores non solum hanc salutarem disciplinam, verum etiam ipsa firmissima religionis dogmata evertere impie moliti sunt.

543. Placet autem hic aliqua exscribere, quæ laudatus (in not.) Card. pro defensione Trid. decreti summa eruditione attulit, ut probaret, non expedire, sacra mysteria linguis vernaculis celebrare, quia oporteret easdem linguas frequenter mutare. *Fert hoc*, inquit, *rerum humanarum vicissitudo, ut linguæ vulgares mutationibus subjectæ sint; vel quia corrumpuntur alterius nationis commercio, vel quia provinciæ in extraneorum Principum dominium transeunt, qui proprias leges, & mores, & linguam in eas introducunt. Vetus Gallorum lingua, qua uti solebant, priusquam regnum illud in provinciam a Romanis redigeretur, penitus oblita est. Sic etiam Hispani proprium amiserunt sermonem, cum potestati Romanorum subditi fuerunt. Veteres Francos, qui regnum in Galliis constituerunt, Germanica lingua locutos Beatus Rhenatus Lib. II. Rerum Germanicæ ostendit ex antiquissimo Codice Evangeliorum, quem Frisingæ se vidisse ait in linguam Francorum translatum, quæ eadem est, ac Germanica. Regiones quoque septemtrionales a Romanis subjectæ latine loqui didicerunt, donec ipsa latina lingua interiit, & ex ejus corruptione in Italia, Gallia, & Hispania vulgares hodiernæ exortæ sunt. Eodem fato Græca, & Chaldaica extinctis, Turcica, Arabica, & aliæ vulgares in plerisque regnis Orientalibus successerunt. Ut autem Religio adversus hujusmodi mutationes inconcussa maneret, semper, & ubique orthodoxa Ecclesia vetus idioma in divinis officiis retinuit, id exigente sacrarum rerum dignitate, & majestate, ut nihil in iis immutetur, nihilque extraneum, aut impurum in eas irrepat*, & cetera, quæ doctissimis notis illustravit supra laud. Robertus Sala. Vid. etiam, quæ nos diximus in super. Vol. Dissert. I. num. 551.

CAPUT POSTR.

De Eucharistiæ conficiendæ, & dispensandæ Ministro.

544. Multa erudite, & solide tractat de ministro Eucharistiæ noster Angelicus 3. P. qu. 82., ex quibus nos ea seligemus, quæ scitu magis necessaria videntur. Distinguere autem oportet ministrum conficientem Eucharistiam ab eo, qui jam confectam aliis dispensat. De primo sit

PROPOSITIO I.

Minister conficiens Eucharistiam est solus Sacerdos (a).

545. Prob. *primo* ex sacris litteris. Quando Christus ministros conficiendæ Eucharistiæ instituit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, cor-

(a) Teste S. Irenæo Lib. I. cap. 9. Gnostici vel ipsis mulieribus potestatem conficiendæ Eucharistiæ concedebant, idemque de Pepusianis, & Collyridianis refert S. Epiphanius. Waldenses potestatem hanc adimebant Sacerdotibus improbis, eamdem tribuentes laicis, dummodo probis. Horum errorem postea adoptarunt recentiores hæretici, potissimum Lutherani; quamvis nolint, laicos passim, ac sine necessitate hoc ministro-

solos Apostolos allocutus est: ergo iis solis, eorumque successoribus, quales certe non sunt laici, aut Clerici nondum sacerdotii Ordine insigniti, potestatem contulit consecrandi Eucharistiam.

546. Prob. *secundo* ex Conciliis. Magna Synodus Nicæna can. 18. abusum alicubi gliscentem, quod Diaconi vel ipsis Presbyteris Eucharistiam ministrare auderent, his verbis sustulit: *Nec canon, nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent Corpus Christi*. Concilium Lateran. IV. sub Innocentio III. celebr. clarius, & data opera hanc veritatem definivit, ita statuens: *Hoc itaque Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ*. Concilium Florentinum in decreto *Sacerdos*, inquit, *in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*. Quæ præcedentium Synodorum decreta confirmavit Synodus Trident. Sess. XXII. cap. 2., quo definitum fuit, Christum Dominum iis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, *instituisse Apostolos Sacerdotes, atque ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum*. Et Sess. XIII. cap. 8. ita de Eucharistia dixerat: *In Sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos, tamquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet*.

547. S. Thomas 3. P. q. 82. art. 1. hac theologica ratione utitur: *Hoc Sacramentum est tantæ dignitatis, quod non conficitur, nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicuti autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc Sacramentum, ita Sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino Lucæ XII.* 19. Hoc facite in meam commemorationem.

PROPOSITIO II.

Ad solum Sacerdotem proprie pertinet Sacramenti Eucharistiæ dispensatio.

548. Id probat Angelicus art. 3. triplici ex capite: *primo*, quia Sacerdos, ut mox dictum est, *consecrat in persona Christi; ipse autem Christus, sicut consecravit corpus suum in cœna, ita & aliis sumendum dedit; unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio*. *Secundo, quia Sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum: unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere*. *Tertio, quia in reverentiam hujus Sacramenti, a nulla re contingitur, nisi consecrata: unde & corporale, & calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis, ad tangendum hoc Sacramentum: unde nulli alii tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu*. Cohærenter ad hanc suam doctrinam idem Angelicus in devoto illo hymno, quem adoptavit Ecclesia, ita de Christo canebat:

> *Sic sacrificium istud instituit,*
> *Cujus officium committi voluit*
> *Solis Presbyteris, quibus sic congruit,*
> *Ut sumant, & dent ceteris.*

549. In resp. tamen ad 1. concedit, id quoque posse competere Diacono, *quia Diaconus, quasi propinquus Ordini sacerdotali aliquid participat de ejus officio, ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel Presbytero*. Reipsa Concilium Carthaginense IV. can. 38. *Diaconus*, inquit, *præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*.

550. Contra primam propositionem objici solent verba Sacræ Scripturæ, & Tertulliani, quibus videtur omnibus fidelibus dignitatem sacerdotalem esse tributam. Sed nos ea jampridem exposuimus in super. Vol. Dissert. II. cap. 1.

551. Obj. *primo*. S. Laurentius Diaconus S. Pontificem Xystum, cum ad martyrium pergeret, ita allocutus est: *Quo Sacerdos sancte, sine Diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit, Pater? Num degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem*. Ita legitur apud S. Ambrosium Lib. I. *De officiis* cap. 41., quamvis Ecclesia in ejus officio dicat: *cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*.

552. Resp. cum Card. Bona Lib. I. *Rerum liturg.* cap. 25. n. 4., hæc verba non de consecratione *Sacramentali*, sed de *ministeriali* esse intelligenda, et Diaconus dicatur consecrare, quatenus sanguinem consecratum dispensat. Quod etiam significare videntur Laurentii verba, quæ sequuntur apud eumdem Ambrosium: *Cui commisisti consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Unde infert eminentiss. Purpuratus, nullam fuisse

cau-

rum munus assumere. Hugo Grotius in Libro anonymo Amstel. edito anno 1638. *De cœnæ administratione, ubi Pastores non sunt*, docuit consecrandi Dominici Sacramenti Christianis omnibus jus esse. Eum confutavit Dion. Petavius in Diatriba De *potestate consecrandi, & sacrificandi a Deo concessa*; qui etiam hac de causa confutavit Salmasium in Lib. III. *De Eccl. Hierarchia*.

causam, cur illa vox *Consecrationem* mutaretur in hanc aliam, quæ in Breviario legitur, *Dispensationem*.

553. Inst. Grotius. Celebris est, referente Theodoreto Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 23., historia Frumentii, qui laicus cum esset, & apud Indos versaretur, quosdam Romanos mercatores eo adventantes hortatus est, ut *Romanorum more conventus facerent, & sacros ritus celebrarent*. Cum autem nullus inter eos esset Sacerdos, proculdubio a laicis cœnæ consecratio fieri debuit.

554. Huic Grotii argumento respondeo, non de Missæ sacrificio, nec de symbolorum consecratione hæc Theodoreti verba intelligenda esse, sed de precibus, quas Christiani simul convenientes statis horis fundere ad Deum solebant. Quod omnino indicat Ruffinus Lib. I. Hist. c. 9., a quo & Theodoretus, & Socrates hanc Frumentii historiam hauserunt, inquiens: *Hortabatur, ut propria quædam occuparent loca, ut in his Christianas preces obirent*. Ceterum quis audeat certo asserere, nullum eos mercatores secum habuisse Presbyterum, qui inter barbaras gentes ipsis posset Sacramenta ritu Ecclesiæ Romanæ ministrare?

555. Instat *secundo* Grotius contendens, etiam mulieribus necessitate urgente licuisse sacrificium Eucharisticum offerre. Nam in veteri Martyrologio ad diem pridie Kal. Jun. commemoratio fit S. Petronillæ filiæ beatissimi Apostoli Petri, quæ cum cogeretur Flacco comiti nubere, *tridui induciis impetratis cum S. Felicilla collactanea sua jejuniis, & orationibus vacans, tertio celebratis Dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectulo emisit spiritum*. In Martyrologio Roman. omissa sunt ea verba: *celebratis Dominicæ oblationis mysteriis*, utpote Pontificiis placitis de Altaris ministro incommodis.

556. Resp. *primo*, admodum probabile esse, Acta S. Petronillæ, ex quibus ejus commemoratio in Martyrologium derivata est, esse spuria, ut Enr. Dodwellus gravibus momentis ostendit in *Dissert. De jure laicorum sacerdotali* cap. 5. Sed si ut genuina admittantur, favent nostro martyrologio, nostræque sententiæ de Eucharistiæ ministro; ita enim habent; *Tertia itaque die veniens ad eam S. Nicomedes Presbyter celebravit mysteria Christi: Virgo autem sanctissima mox ut Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectulo emisit spiritum*.

557. Obj. *secundo*. Ut a nobis dictum est, Sacramentum Eucharistiæ consecratur virtute verborum Christi, quæ sunt hujus Sacramenti forma: immo etiam in persona ejusdem Christi, qui est Sacerdos in æternum: ergo nihil prorsus interest, a quocumque illa verba in persona, & nomine ipsius Christi proferantur.

558. Respondet Doctor Angelicus art. 1. ad 1., „ quod virtus Sacramentalis in pluribus consistit, „ & non in uno tantum; sicut virtus baptismi consistit in ipsis verbis, & in aqua. Unde & virtus consecrativa non solum consistit in ipsis verbis, sed etiam in potestate Sacerdoti tradita in sua consecratione, & ordinatione, cum ei dicitur ab Episcopo: *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis, quam pro mortuis* ".

Quæres, *an Sacerdos malus Eucharistiam conficere possit?*

559. Resp. *affirmative;* & est catholicæ fidei dogma, quod sine hæresi negari non potest, postquam in Synodo Constantiensi Sess. VIII. damnata est opposita doctrina Jo. Hus, & Jo. Wiclefi; & in Concilio Trident. Sess. VII. can. 12. anathema pronunciatum est ei, *qui dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum*.

560. Hoc autem antea S. Thomas hic art. 5. hac theologica ratione ostenderat: „ Sacerdos consecrat hoc Sacramentum, non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cujus persona consecrat hoc Sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi, quod est malus; habet enim Dominus bonos, & malos ministros, seu servos: unde Matth. XXIV. 45. Dominus dicit: *Quis putas est fidelis servus, & prudens?* &c. Et postea subdit: *Si autem dixerit malus iste servus in corde suo ....* Et hoc ad excellentiam Christi, pertinet, cui, sicut vero Deo, serviunt non solum bona, sed etiam mala, quæ per ipsius providentiam in ejus gloriam ordinantur ".

561. An autem minus valeat Missa mali Sacerdotis, quam boni ita explicat Angelicus art. 6.: *In Missa duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, quod est principale, & orationes, quæ in Missa fiunt pro vivis, & mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum, non minus valet Missa Sacerdotis mali, quam boni, quia utrobique idem conficitur Sacramentum. Oratio etiam, quæ fit in Missa, potest considerari dupliciter: uno modo, inquantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis; & sic non est dubium, quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa: alio modo, inquantum oratio in Missa profertur a Sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cujus Sacerdos est minister, quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet: unde etiam quantum ad hoc est fructuosa, non solum oratio Sacerdotis in Missa, sed etiam omnes ejus orationes, quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ, licet orationes ejus privatæ non sint fructuosæ*.

562. Idipsum Angelicus docet art. 7. de hæreticis, schismaticis, & excommunicatis, *quia receperunt potestatem consecrandi Eucharistiam in ordinatione sacerdotii... Et quia consecratio Eucharistiæ est actus consequens Ordinis potestatem*,

tem, illi, qui sunt ab Ecclesia separati per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem, possunt quidem consecrare Eucharistiam, quæ ab eis consecrata verum Corpus, & Sanguinem Christi continet; non tamen hoc recte faciunt &c. Hanc etiam potestatem non amitti per *degradationem*, ostendit Angelicus art. 8. Atque hæc sunt, quæ in materia tam ampla, & tam copiosa, non solum a nostris, sed etiam a Romanæ Ecclesiæ osoribus, Lutheranis, Calvinistis, Socinianis, ac schismaticis Græcis pertractata, magis necessaria, aut utiliora esse tyronibus judicavimus, quorum gratia brevitati, quoad fieri poterat, studuimus; quanquam fortasse aliquibus ejusdem obliti videri possimus. Nunc ad reliqua Ecclesiæ Sacramenta, Deo auspice, progrediamur.

DISSERTATIO VI.

DE PŒNITENTIA

1. Pœnitentia, quam Græci *μετάνοιαν*, *μεταμέλειαν* aut *ἐπιστροφὴν* vocant, sub duplici respectu considerari a Theologis solet, nempe prout est virtus quædam specialis ab aliis distincta, & prout unum est ex septem novæ legis Sacramentis. Quamquam vero instituti nostri ratio postulet, ut eam tantummodo consideremus sub secundo respectu, quædam tamen breviter præmittenda sunt de ipsa pœnitentia, prout inter virtutes numeratur, *quia*, ut scite monet Catechismus Roman. P. II. cap. 5. n. 3., *hujus virtutis actiones, tanquam materiam præbent, in qua pœnitentiæ Sacramentum versatur; ac nisi prius quæ sit pœnitentiæ virtus, recte intelligatur, Sacramenti etiam vim ignorari necesse est*. Aliquibus itaque de pœnitentiæ virtute breviter delibatis, omne studium nostrum ad dogmata Ecclesiæ de hoc Sacramento contra varios Sectariorum conatus stabilienda, & vindicanda conferemus: de Scholasticorum autem dissidiis non multum solliciti erimus; ita tamen ut iis, quæ scitu necessaria sunt, Tyrones nostros non fraudemus. Sit itaque

CAPUT I.

De Pœnitentia, prout virtus est.

2. De hujus vocis etymo multa disputant eruditi, quæ nobis minime necessaria sunt: neque enim ex vocum etymologia sua dogmata derivat Ecclesia, sed potius ex sensu, quo a Patribus illæ voces usurpatæ fuerunt (*a*). Pœnitentia autem, ut virtus considerata, definiri potest cum S. Thoma 3. P. qu. 85. art. 1. ad 3. *Displicentia, seu reprobatio peccati præteriti, cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei, & reatum pœnæ;* quandoquidem ipsum factum infectum fieri non potest.

3. Tria autem apposite distinguit Catechismus Rom., quæ in hac definitione continentur; quorum *primum* est, *ut pœnitens peccatum aboleat, omnemquæ animæ culpam, & maculam abstergat*: *alterum, ut pro sceleribus admissis Deo satisfaciat: tertium, ut homo in Dei gratiam redeat, in cujus offensionem, & odium, propter peccati fœditatem, incurrit*. Hanc pœnitentiæ virtutem ita descriptam *universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessariam fuisse*, definivit Concilium Tridentinum Sess. XIV. cap. 1. Id autem proterve ausi sunt inficiari Novatores, docentes, pœnitentiam nihil esse aliud, quam *resipiscentiam*, seu malæ vitæ mutationem, non autem ejusdem odium, ac punitionem (*b*); contra quos sit

PRO-

(*a*) Si quis tamen hoc eruditionis genere delectetur, legere poterit Joan. Morinum, doctissimum Oratorii Gallicani Presbyterum in *Comment. Hist. de administr. Sacram. pœnit.* Lib. I. cap. I., Petr. Nic. Dumortier in *Etymologia Sacra græco-latina*, & ex heterodoxis Jo. Gaspar. Swicerum in *Thesauro Ecclesiastico*, &c. Sumitur aliquando *pœnitere* in aliis significationibus, ut pro *pudere*, vel pro *tædere*. Sic Plinius Lib. V. c. 17. de Essenis eleganter dicebat: *Gens æterna, in qua nemo nascitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est*, nempe contemptus, & aspernatio. Invenimus etiam, hanc vocem *improprie*, & per ἀνθρωποπάθειαν tributam Deo Gen. VI. Sed hæc ad curiosos. Illud solum notare libet, pœnitentiam de iis tantummodo esse, quæ a nostra voluntate dependent; ut enim Gallus Asinius, & Laertius apud Aulum Gellium Lib. XVI. cap. 1. bene observabant, neminem dicimus *pœnitere*, *quod mortalis sit, aut quod offenso forte vulneratoque corpore dolorem sentiat, quando hujusmodi rerum nec consilium sit nostrum, nec arbitrium*. Quod etiam noster Angelicus observavit 3. P. quæst. 84. art. 2. ad 4.

(*b*) Lutherus hac etiam in parte ab aliquibus culpatur, quod turpiter erraverit scribens, *ad pœnitentiam non pertinere dolorem de peccato præterito, sed tantum vitæ emendationem*. Ita eum accusat Gregorius de Valentia Tom. IV. Disp. VII. q. 2. punct. 1., ubi ipsa Lutheri verba allegat. Reclamant Lutherani asserentes, *plus millies* in scriptis Lutheri occurrere, pœnitentiam esse odium, vel dolorem de vita præterita, quasi vero eorum Patriarcha nunquam fuerit manifestæ contradictionis, aut inconstantiæ convictus. Ea certe fuit Lutheri vox in art. 7. a Leone X. proscripto: „ Verissimum esse proverbium, & omni doctrina de „ contritionibus hucusque data præstantius: *de cetero* „ *non facere; optima pœnitentia nova vita*“. Denique negari non potest, a Luthero fuisse opera pœnitentiæ satisfactoria explosa; quem errorem etiam hodierni Lutherani sequuntur.

Merito etiam culpatur Theod. Beza, quod in annot. ad cap. III. Matth. *imperitiæ* accuset, qui verbum græcum *μετανοεῖτε* verterunt: *pœnitentiam agite;* unde ortas putat *falsas opiniones* (ut ipse loquitur) *de satisfactione, quibus hodie agitatur Ecclesia*. Culpandi item Erasmus, Laur. Valla, aliique elegantioris litteraturæ magis, quam sanioris doctrinæ studiosi, qui *μετάνοιαν* nonnisi *resipiscentiam*, seu vitæ mutationem in melius, non autem præteritorum dolorem, ac punitionem significare arbitrati sunt; ac propterea loco *pœnitentiæ* vocem *resipiscentiæ* ubique in sacra Scriptura substituerunt.

PROPOSITIO

Pœnitentiæ virtus ad delenda peccata non exigit solam resipiscentiam, seu solam vitæ mutationem, sed etiam eorumdem peccatorum detestationem, odium, ac punitionem.

4. Prob. *primo* ex sacris litteris, quarum aliquot testimonia collegerunt Patres Tridentini Sess. XIV. cap. 4. inquientes: „ Declarat igitur Sancta „ Synodus, hanc contritionem non solum cessatio„ nem a peccato, & vitæ novæ propositum, & „ inchoationem, sed veteris etiam odium contine„ re, juxta illud Ezech. XVIII.: *Projicite a vo„ bis omnes iniquitates vestras, in quibus prœ„ varicati estis, & facite vobis cor novum, & „ spiritum novum*. Et certe qui illos Sanctorum „ clamores consideravit. *Tibi soli peccavi, & ma„ lum coram te feci; laboravi in gemitu meo, „ lavabo per singulas noctes lectum meum: reco„ gitabo tibi omnes annos meos in amaritudine „ animæ meæ*, & alios hujusmodi generis, fa„ cile intelliget, eos ex vehementi quodam antea„ ctæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatio„ ne manasse ".

5. Multa alia nobis suppeditant divina eloquia veræ, ac laboriosæ pœnitentiæ documenta; ut illud Job cap. postr. 6. *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere:* tum illud memorabile apud Matth. XII. 41. *Viri Ninivitæ... pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ*. Quam aspera autem, & quam dura fuerit Ninivitarum pœnitentia, describit Jonas cap. III., scilicet in *jejunio, sacco, & cinere*.

6. Nullus vero esset orationis finis, si omnia, quibus Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Pacianus, Ambrosius, Hieronymus, aliique sancti Patres laboriosissima veræ pœnitentiæ opera nobis exponunt, exscribere vellemus. Patuca sufficiant speciminis loco; immo brevitatis gratia unus sufficiat magnus Augustinus, qui in Epist. CLIII. ad Macedonium inquit: *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impunitum esse non sinat: eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum, justumque judicium nullus contemptor evadit*. Et Serm. CCCLI. ad pœnitentiam non sufficere dicit, *mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium* (a).

7. Objicit *primo* Lutherus. *Pœnitentiæ* nomen *ἄγραφον* est, cum nullibi in sacris litteris reperiatur: ubicumque enim de hac virtute sermo fit, semper adhibetur vox *μετάνοια Metanœa*, quæ ex sua etymologia nihil aliud significat, quam *mentis, consiliique mutationem*, seu *resipiscentiam*: hæc autem resipiscentia absque ullo vitæ præteritæ odio, & absque ulla corporis castigatione haberi potest. Ita eos, qui se a via deerrasse cognoscunt, satis est in viam redire, etiamsi ejusdem erroris minime pœniteat. Præterea sancti Patres solam vitæ mutationem a peccatoribus exigere solent. Sic S. Ambrosius, *Vera pœnitentia*, inquit, *cessare a peccato*. Et Lactantius Lib. VI. *Divin. Institut.* cap. 13. *Agere pœnitentiam*, ait, *nihil aliud est, quam profiteri, & affirmare, se ulterius non peccaturum*.

8. Resp.; ut supra innuimus, in sacris religionis dogmatibus non tam vocum etymologiam, aut grammaticalem significationem, quam communem sanct. Patrum, atque Ecclesiæ acceptionem esse attendendam. Jam vero & sacræ litteræ, & sancti Patres, ac perpetuus Ecclesiæ usus, quando necessitatem pœnitentiæ nobis exponunt, non solam vitæ mutationem a nobis exigunt, sed etiam odium, ac detestationem præteritarum culparum, & congruam pro iis divinæ justitiæ satisfactionem. Quamobrem S. Isidorus Lib. VI. *Originum* pœnitentiæ nomen derivatum esse vult a *puniendo; dum ipse homo punit pœnitendo quod male admisit*. Et etiam qui vocem grecam *μετάνοιαν* latine dixerunt *resipiscentiam*, præteritarum culparum detestationem, atque castigationem minime excluserunt. Nam Lactantius Lib. VI. *Divin. Inst.* c. 24. postquam notasset, vocem græcam *μετάνοιαν* posse latine *resipiscentiam* dici, ita subdit: *resipiscit enim, ac mentem suam, quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum ad rectius vivendum &c.*

9. Quid? quod ipsi profani scriptores a pœnitentia non excludunt internum animi dolorem, nec sola mentis, aut vitæ mutatione contenti sunt. Certe Decimus Magnus Ausonius celebris Sæc. IV. Poeta ita Metanœam de se loquentem inducit.

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor (b).

Et Ovidius.

Pœnitet: oh si quid miserorum creditur ulli:
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

Plu-

(a) Non attulimus celebrem illum S. Augustini textum: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se, quod dolet commisisse*, ex Libro *de vera & falsa pœnitentia* depromptum, quo utitur S. Thomas hic art. 3., quia posterioribus temporibus detectum fuit, perperam illi Libro fuisse Augustini nomen impositum; quamobrem fuit in append. Tom. VI. a doctissimis Maurinis rejectus. Bene tamen adnotavit Melchior Canus in P. I. Relect. *de Sacram. pœnit.*, idem fere dictum fuisse a S. Ambrosio, dum Cons. I. super I. XXVII. inquit: *Plena est definitio pœnitentiæ, commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata sua velut quodam quotidiani sermonis flagello castiget, & commissa sibi flagitia condemnet*.

(b) Ausonium a Valentiniano datum filio suo Gratiano præceptorem, fuisse a Christi sacris alienum, cen-

Plura suppeterent hujusmodi profanorum dicta, si operæ pretium esset, iis uti in sacra doctrina confirmanda.

10. Ex iisdem tamen illud confirmari potest, quod S. Thomas docet 3. P. quæst. 84. art. 7. ad 1., *de jure naturali esse* & pœnitere de malis, & dolere ea fecisse, & doloris remedium quærere, & etiam aliqua signa doloris ostendere, sicut fecerunt Ninivitæ. Sane cum peccatum non solius animæ sit, sed etiam corporis, ratio postulat, ut remedium quoque sit utrique commune, totusque homo interior, & exterior ejusdem pœnas luat.

11. Quando vero sancti Patres pœnitentiam appellant *novam vitam*, id indigitant, quod in hac virtute est præcipuum, & id quod omnes ejusdem actus tendunt, quin tamen ceteras partes excludant, quas aliis in locis opportune commemorant. Sic Lactantius loco mox laud.; & sic quoque Ambrosius, qui tum in duobus libris *de Pœnitentia*, tum in illo *de lapsu Virginis*, tum denique multis aliis in locis veræ pœnitentiæ actus accurate exposuit, quos tam difficiles esse putavit, ut in Lib. II. *de Pœnit.* illud terribile protulerit, *facilius se invenisse*, *qui innocentiam servaverint*, *quam qui congrue egerint pœnitentiam*. Nimius autem essem, si omnia recenserem, quæ hic S. Pater, aliique de pœnitentia scripserunt, quam *baptismum lacrymarum*, & *baptismum laboriosum* merito appellant, utique quia non solum vitæ mutationem, sed dolorem etiam cordis, & corporis castigationem importat.

12. Inst. S. Paulus ad Gal. VI. 15. *In Christo Jesu*, inquit, *neque circumcisio aliquid valet*, *neque præputium*, *sed nova creatura*. Et ad Philipp. III. 13. dicit: *Quæ retro sunt*, *obliviscens &c.* Non itaque necessariam putavit Paulus præteritarum culparum recordationem, & pœnitentiam, sed tantummodo vitæ mutationem.

13. Resp. hanc Lutheri Scripturæ sacræ interpretationem, seu potius depravationem esse plane intolerabilem: nam primo loco, dum S. Paulus exigit *novam creaturam*, idem est ac exigere exspoliationem *veteris hominis* per veram pœnitentiam. Sic idem Apostolus I. Cor. V. 5. postquam fornicarium Corinthium post duram pœnitentiam Ecclesiæ reconciliavit, ceteros ita monuit: *Expurgate vetus fermentum*, *ut sitis nova conspersio*. Alia vero Paulina verba: *Quæ retro sunt obliviscens*, solus Lutherus de oblivione peccatorum intellexit; ceteri omnes Patres, & Interpretes unanimiter intelligunt de operibus bonis vitæ anteactæ, quæ Paulus quasi nihilum reputabat, unice intentus, ut ad sublimioris perfectionis apicem tenderet; qua de re totum illum contextum legere satis est.

14. Ob. *secundo* cum eodem Luthero. Stultum videtur dolere de peccato præterito, aut ipsum velle castigatione sui corproris infectum reddere, quod impossibile omnino est.

15. Respondet Angelicus 3. P. quæst. 85. art. I. ad 3., „ quod dolere de eo, quod prius factum „ est cum intentione conandi ad hoc, quod fa„ ctum non fuerit, esset stultum. Hoc autem non „ intendit pœnitens; sed dolor ejus est displicentia, „ seu reprobatio facti præteriti cum intentione re„ movendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei, „ & reatum pœnæ. Et hoc non est stultum “.

Quæres, *an virtus pœnitentiæ sit species justitiæ ?*

16. Respondet S. Thomas 3. P. quæst. 85. art. 3. *affirmative:* atque id probat hac ratione, bene notanda, qua hactenus dicta contra Sectarios de vera pœnitentiæ notione mirifice confirmantur. „ Pœnitentia non habet, quod sit virtus specialis „ ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato (ad „ hoc enim sufficeret charitas), sed ex eo, quod „ pœnitens dolet de peccato commisso, inquantum „ est offensa Dei, cum emendationis proposito. „ Emendatio autem offensæ contra aliquem com„ missæ non fit per solam cessationem offensæ, „ sed exigitur ulterius quædam recompensatio, „ quæ habet locum in offensis in alterum com„ missis, sicuti & retributio: nisi quod recom„ pensatio est ex parte ejus, qui offendit, utpote „ cum satisfacit; retributio autem est ex parte e„ jus, in quem est offensa commissa. Utrumque „ autem ad materiam justitiæ pertinet, quia u„ trumque est commutatio quædam. Unde ma„ nifestum est, quod pœnitentia secundum quod „ est virtus, est pars justitiæ “.

17. Attendenda est quoque præclara ejusdem Angelici doctrina ibidem ad 4., ubi inquit: „ Pœ„ nitentia licet sit directe species justitiæ, com„ prehendit tamen quodammodo ea, quæ perti„ nent ad omnes virtutes. Inquantum enim est „ justitia quædam hominis ad Deum, oportet, „ quod participet ea, quæ sunt virtutum theolo„ gicarum, quæ habent Deum pro objecto. Un„ de pœnitentia est cum fide passionis Christi, „ per quam justificamur a peccatis; & cum spe „ veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad „ charitatem. Inquantum vero est virtus moralis, „ participat aliquid prudentiæ, quæ est directiva „ omnium moralium virtutum. Sed ex ipsa ra„ tione justitiæ non solum habet id quod justitiæ „ est, sed etiam ea, quæ sunt temperantiæ, & „ for-

sent Cavens P. II. *Hist. Litter.*, Vossius in *Poetis latinis*, ac doctissimus Lud. Muratorius Tom. I. *Anecdot. Biblioth. Ambrosianæ*. Sed si etiam concedamus, eum fuisse Christianum, ut multi contendunt, potest tamen inter profanos scriptores recenseri, si verum est, quod Giraldus scribit Dial. X. *de Poetis*, *eum petulantiorem*, *& lasciviorem fuisse*, *quam ut inter Christianos numerari dignus esset*. Nemo vero eruditorum subscribit Trithemio, qui Ausonium non solum Christianum, sed etiam Episcopum Burdigalensem facit.

„ fortitudinis, inquantum scilicet ea, quæ delectationem causant, ad temperantiam pertinent, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem justitiæ veniunt. Et secundum hoc ad justitiam pertinet & abstinere a delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam, & sustinere dura, quod pertinet ad fortitudinem". Sed de his plura dabunt Melchior Canus *Relect. De pœnit.* P. II., & quod ille citat, scholarum Doctores.

CAPUT II.

De Pœnitentia, prout est novæ legis Sacramentum.

18. Quod nos vocamus *Sacramentum pœnitentiæ*, Græci dicunt τῆς μετανοίας μυστήριον, prout etiam loquitur sæpius a nobis memoratus Jeremias Patriarcha Constantinop. in sua censura *Confessionis Augustanæ*. Hoc autem sensu Pœnitentia definiri potest *Sacramentum, quo lapsis post baptismum, contritis, confessis, atque ad debitam satisfactionem dispositis absolutio a peccatis virtute clavium ab Ecclesia conceditur*; qua definitione & Sacramenti essentia, & ejusdem conditiones, atque effectus comprehenduntur. *Primo* autem contra Hæreticos nostrorum temporum ostendere debemus, pœnitentiam esse verum Sacramentum a baptismo distinctum (*a*).

PROPOSITIO I.

Pœnitentia est verum, & proprium novæ legis Sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata post baptismum commissa.

19. Sacrosancta Trid. Synodus Sess. 14. cap. 1. hoc nostræ salutis Sacramentum, quo negato omnes peccatores in desperationem agerentur, a Christo institutum fuisse docet, cum a mortuis excitatus insuflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* Jo. 20. *quo tam insigni facto*, subdit sancta Synodus, *& verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Et can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris*: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, *non esse intelligenda de potestate remittendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit...... anathema sit.*

20. Laudatis Christi verbis apud Joan. XX. ea similia sunt, quibus apud Matthæum XVIII. 18. Christus ita Apostolos allocutus est: *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, e-*

(*a*) Quinam fuerint primi hæretici, qui pœnitentiam ex albo Sacramentorum eraserint, non est omnino compertum. Nonnulli hujus erroris originem repetunt a Montanistis, & Novatianis, qui, ut postea videbimus, esse in Ecclesia quorumdam criminum remittendorum potestatem negabant. Repugnant Gaspar Juenin in *Comment. Hist. Dogm. de Sacram.* Dissert. XI. quæst. 2. cap. 1., & noster P. Ren. Hyac. Drouven *de re Sacram.* Lib. VI. quæst. 2. §. 1., putantes, ab iis Sæc. III. hæreticis negatam solummodo Ecclesiæ potestatem remittendi quædam *graviora crimina*. Post Montanistarum, & Novatianorum hæresim, quæ ob immitem crudelitatem nec late propagari, nec diu durare potuit, certum plane videtur, a nemine impugnatum fuisse pœnitentiæ Sacramentum usque ad Lutherana, & Calviniana tempora. Nam Waldenses, Wiclefistas, & Hussitas fuisse ab hoc capitali errore immunes, indubiis documentis ostendit Bossuetus Lib. XI. *Hist. Variat.* num. 104. & 165., cum tamen turpiter in eo hallucinarentur, quod malos Sacerdotes hac potestate privatos esse putarent.

Certum igitur hujus hæresis initium a factione Lutherana repeti poterit; quanquam hac etiam in parte ipsi Lutherani ancipites, & inconstantes fuerunt. Nam in *Confessione Augustana* hæc expressa habentur: *Vere igitur sunt Sacramenta, baptismus, cœna Domini, absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ.* Lutherus ipse *de captiv. Babyl.* non procul ab initio *tria* tantum ponenda vult Sacramenta, *baptismum, pœnitentiam, panem*. Sed in fine pessimi ejusdem libri pœnitentiam e numero Sacramentorum expungit dicens, *duo tantum esse in Ecclesia Dei Sacramenta, baptismum, & panem; nam pœnitentiæ Sacramentum*, subdit, *quod ego his duobus accensui, signo visibili, & divinitus instituto caret.* Magistri sui inconstantiam, & contradictionem secutus est Melanchthon, cum paucis quibusdam. Nunc autem Lutherani communiter nonnisi duo agnoscunt vere, & proprie dicta Sacramenta. Joan. Franc. Buddeus in *Instit. Theol. Dogm.* Lib. IV. cap. 1. §. 1. non plura esse docet Sacramenta, quam *duo, baptismum, & sacram Eucharistiam*; absolutionem autem nonnisi in *latiori* significatione *Sacramentum* dictam esse vult; & Jo. Gerardus in *Loco Theol.* Loco XVI. cap. 4., negat pœnitentiam esse Sacramentum *propriissime* dictum, & solummodo hoc nomine fuisse in *Confess. August.* appellatum, *quod inter reliqua omnia, quæ veris, & proprie dictis Sacramentis, baptismo scilicet, & cœnæ Dominicæ, conjunguntur, absolutio proxime ad eorum naturam accedat*; atque his subtilitatibus, & argutiis inconstantiæ, & contradictionis accusationem amoliri a se posse, Lutherani inaniter sperant.

Apertius, atque audacius pœnitentiæ Sacramento bellum indixerunt Sacramentarii, ducibus Ulr. Zwinglio in Lib. *de vera, & falsa relig.* cap. *de Sacramentis*, & Jo. Calvino Lib. IV. *Instit.* cap. 19. §. 15. & seq., contendentes, pœnitentiam nec improprie posse Sacramentum vocari, quibus apostata Spalatensis M. Ant. de Dominis impie supscripsit Lib. V. *De Rep. Ecclesiastic.* capp. 7. & 12.

erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Immo antea hanc clavium potestatem Petro singulariter contulerat, ad designandum scilicet supremam primatus in Ecclesia jurisdictionem in eo tamquam capite residere, dicens cap. XVI. 18. seq.: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ...... Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. His omnibus manifestissime patet, fuisse Apostolis, eorumque legitimis successoribus tributam a Christo sublimem illam potestatem ligandi, atque solvendi peccata post baptismum commissa, quam Ecclesia a primis temporibus usque ad nostra per suos ministros exercuit.

21. Jam autem in hujus potestatis exercitio verum contineri Sacramentum patet ex hoc, quod omnia, quæ ad veri Sacramenti essentiam requiruntur, nempe divina institutio, gratiæ collatio, & signum sensibile, inveniantur in actu, quo Sacerdos peccatorem a suis culpis absolvit. Invenitur divina institutio in supra allegatis verbis. *Quorum remiseritis, & quæcumque solveritis*. Invenitur collatio gratiæ, quia remissio peccatorum sine collatione gratiæ fieri non potest. Invenitur denum signum sensibile, tum in materia hujus Sacramenti, quæ in actibus pœnitentis sita est, tum in forma, quæ profertur a Sacerdote iis verbis: *Ego te absolvo* (a).

22. Prob. *secundo* Catholicum dogma ex traditione sanctorum Patrum, ex quibus more nostro nonnisi paucos, & illustriores seligemus. S. Cyprianus in Tract. *De lapsis* cap. 12. *Confiteantur singuli*, ait, *dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Deum valet*. Et epist. LIV. ad Cornelium Papam pacem, seu absolutionem se dare pœnitentibus profitetur, cum periculum infirmitatis urgebat, *quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur*.

23. S. Jo. Chrysostomus Lib. III. *De Sacerdotio*, hujus Ordinis sublimem dignitatem ostendens. „ Qui terram incolunt, inquit, atque in ea versantur, his commissum est, ut ea, quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: *quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cœlo*. Habent quidem terrestres principes vinculi potestatem, verum in corpus solum; id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit; " & cetera, quæ eloquentissimus Pater ibidem addit, lectu dignissima.

24. S. Ambrosius *De pœnit.* Lib. I. cap. 2. Novatianos, qui quorumdam graviorum criminum relaxandorum potestatem Ecclesiæ denegabant, inobedientes esse probat, & Deo injuriosos: „ Nam, inquit, cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: *Accipite Spiritum sanctum &c.* quis est, qui magis honoret, an qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet. " Et cap. 8. pœnitentiæ Sacramentum comparat Sacramento Baptismi, ita Novatianos compellens: *Cur baptizatis, si per hominem peccata remitti non licet? In Baptismo enim utique remissio peccatorum omnium est: nec interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent: unum in utroque ministerium est*.

25. Eadem Baptismi comparatione utuntur sancti Cyrillus Alexandrinus, & Hieronymus. Primus Lib. XII. in Joan. inquiens: *Duobus modis Dei Spiritu afflati homines peccata remittunt, ac retinent: vel cum dignos admittunt ad Baptismum, & indignos excludunt, vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoscunt*. Hieroymus autem in Dialog. I. contra Pelagianos *duobus maxime Sacramentis nobis sanguinem Christi applicari*, dicit, *in baptismate scilicet, & in pœnitentia, quæ imitatur Baptismi gratiam*: imitatur, inquam, quia in pœnitentia non fit illa plena culpæ, & pœnæ remissio, quæ fit in Baptismo.

26. S. Augustinus Lib. II. *De adulter. conjugiis* cap. 16. *Si a catechumeno*, inquit, *factum est homicidium, baptismate abluitur: si a baptizato, pœnitentia, & reconciliatione sanatur*. In Epist. XCVIII. ad Bonifacium de parvulo loquens, cum adoleverit, *Tunc*, inquit, *etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur*, nempe per pœnitentiæ Sacramentum.

27. Denique S. Leo Magnus in Epist. CVIII. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed*

(a) Ipsi doctiores inter Lutheranos veritatis luce compulsi id aliquando agnoscere coacti sunt, licet postea suis præjudiciis abrepti, quod una manu concedebant, altera retrahere conati fuerint. Christophorus Pfaffius Tubingensis Academiæ olim Professor, & Cancellarius *De orig. juris Eccles.* c. 1. *S. Theologos nostros*, inquit, *communi ore omnes fatentur, hæc* (verba Christi) *de peccatorum remissione, sive retentione a ministris Ecclesiæ facienda intelligenda esse*. Quid plura? Observante illustrissimo Bossueto Lib. 3. *Variat. Eccl. Protest.* n. 48., in vulgari Catechismo, quo utuntur Lutherani, hæc forma absolutionis præscribitur ministro: *Ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua, in nomine Patris, &c.* Eant nunc, & dicant, pœnitentiam non esse Sacramentum, nisi *improprie, improprissime*.

sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ renovetur æternæ, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent ..... Mediator enim Dei, & hominum Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

28. Hæc sanctorum Patrum testimonia luculenter ostendunt, fuisse in Ecclesia semper creditum, esse aliquod Sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa. Sed id adhuc luculentius patebit, si addatur illud invictum argumentum *præscriptionis*, quo superiori Vol. Dissert. I. cap. 7. usi sumus, ad probandum, ex unanimi, ac perpetuo omnium Ecclesiarum consensu septem esse Sacramenta in nova lege a Christo instituta. Neque enim aliunde hic omnium plane Ecclesiarum, populorumque consensus oriri potuit, quam ex primæva Apostolorum doctrina, quam omnes Christiani uno ore professi sunt, antequam schismata, atque hæreses orirentur.

PROPOSITIO II.

Sacramentum pœnitentiæ est a Sacramento Baptismi diversum (*a*).

29. Hoc pariter fuit a Synodo Tridentina contra Sectarios definitum Sect. XIV. cap. 2. his verbis: ,, Ceterum hoc Sacramentum (pœnitentiæ) multis rationibus a baptismo differre dignoscitur. Nam præter quam quod materia, & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet, constat certe, baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus; quid enim mihi (inquit Apostolus 1. Corinth. V.) de iis, qui foris sunt, judicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tamquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. "

30. ,, Alius est præterea baptismi, alius pœnitentiæ fructus: per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus; ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit. Cohærenter postea in can. 2. anathema pronunciatum est in eum, qui Sacramenta confundens, ipsum baptismum pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari ".

31. Mirabile sane est, Novatores non fuisse his Patrum Tridentin. rationibus permotos ad agnoscendum inter duo Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ discrimen; cum ipsi non alia de causa sacram cœnam a baptismo distinguant, nisi quia hæc duo Sacramenta diversis constant symbolis, diversis administrantur ritibus, diversos producunt effectus, atque unum ex his iterari non possit, bene vero alterum. Eccur itaque iisdem de causis non confitentur, baptismum, & pœnitentiam inter se vere distingui?

32. Objectio *prima* adversariorum dirigitur contra nostram probationem ex potestate clavium ligandi, atque solvendi Apostolis collata Joan. XX., & Matth. XVIII. Contendunt itaque, illa Christi verba apud Joan. *Accipite Spiritum sanctum &c.* non continere, nisi mandatum prædicandi Evangelium, & credentibus quidem annunciandi pœnitentiam, & remissionem peccatorum, non credentibus autem æternam condemnationem. Id ostendere nituntur ex loco parallelo Lucæ XXIV. 47. *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Et rursus Matth. ult. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*; unde inferunt, totam ligandi, atque solvendi potestatem nihil

hil

(*a*) Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 15. n. 4. vult, pœnitentiam esse ipsum Baptismi Sacramentum; quod repetit cap. 19. n. 17.; ubi dictum S. Hieronymi in epist. ad Demetriadem, quod pœnitentia sit *secunda tabula post naufragium*, *impietatis* accusare non veretur. Calvinum præcesserat Lutherus, non minus petulanter Lib. *De captiv. Babyl.* scribens, *periculosum*, *immo falsum esse opinari*, *pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium*, & *perniciosum esse*, *putare*, *per peccatum excidisse vim Baptismi*, & *navem hanc esse illisam &c.*; unde uterque hæresiarcha ad delenda peccata post Baptismum perpetrata nullum admittebat Sacramentum; sed solam fidem cum recordatione Baptismi jam suscepti. S. Thomas 3. P. quæst. 84. art. 6., ostendit, quomodo Sacramentum pœnitentiæ recte dicatur *secunda tabula post naufragium: nam sicut primum remedium mare transeuntibus est, ut conserventur in navi integra; secundum autem remedium est post navem fractam, ut quis tabulæ adhæreat; ita etiam primum remedium in mari hujus vitæ est, quod homo integritatem servet; secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per pœnitentiam redeat*. Ceterum non solus Hieronymus, sed alii etiam Patres, ut Tertullianus, & Ambrosius hac metaphora usi sunt, fortasse propter locum sancti Petri 1. epist. III. 20., ubi Baptismum comparat arcæ Noe.

hil esse aliud, quam mandatum prædicandi pœnitentiam, & remissionem peccatorum per baptismi Sacramentum. Hanc autem suam interpretationem confirmant auctoritate sancti Augustini, qui Lib. III. *De consensu Evangelist.* cap. 25. n. 74. utrumque textum Joannis, & Lucæ simul conjungit, notans ea a Luca adjuncta esse, quæ Joannes prætermisit. Pariter contendunt, verba Christi apud Matth. XVIII. nullam peculiarem continere potestatem Apostolis collatam, sed illud, quod omnibus fidelibus commune est, de dimittendis, vel non dimittendis privatis injuriis. Ita hunc locum commentatus est sanctus Augustinus Sermon. LXXXII. *De Verbis Evangel. Matth.* inquiens: *Cœpisti habere fratrem tuum tamquam publicanum, ligas illum in terra; sed ut juste alliges, vide: nam injusta vincula disrumpit justitia. Cum autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra. Cum solveris in terra, solutus erit & in cœlo.* Quæ sancti Doctoris verba referuntur in II. quæst. 3. cap. *Cœpisti.* Eamdem verborum Christi expositionem tradit Theophilactus Comment. in Matth.

53. Resp., utramque Sectariorum evasionem facile posse præcludi. Nam *primo* verba illa Jo. XX. *Accipite Spiritum sanctum &c.* non sunt nisi executio illius promissionis a Christo facta Matth. XVIII. *Quæcumque ligaveritis &c.*, quæ certe verba ad solam Evangelii prædicationem nullatenus trahi possunt, & veram indicant judiciariam potestatem, cum ibidem nulla sit mentio missionis, aut prædicationis, sed solummodo fraternæ, & occultæ peccatoris correptionis, quæ si inutilis fuerit, peccator est accusandus apud Ecclesiæ tribunal; & si Ecclesiam non audierit, expellendus, *sicut ethnicus, & publicanus.* Post autem Christus immediate subdit: *Amen dico vobis, quæcumque &c.* Non equidem negaverim in missione Apostolorum contentum fuisse præceptum docendi, & prædicandi pœnitentiam in remissionem peccatorum, atque etiam baptizandi, quod duo Evangelistæ Lucas, & Matthæus, aperte commemorant; sed id non impedit, quin præter hæc omnia ipsis Apostolis collata etiam fuerit judiciaria potestas lingandi, atque solvendi, ut S. Joannes expressis verbis nos docet, quamvis alii Evangelistæ de ea sileant: neque enim omnes scripserunt omnia.

54. Neque vero S. Augustinus, quando verba Sancti Joannis cum aliis verbis S. Lucæ simul conjunxit, voluit priora explicare per posteriora; sed tantummodo nobis ostendere, hæc verba ad eamdem Christi apparitionem pertinere; & quæ ab uno Evangelista omissa sunt, apud alios inveniri, unde consensum Evangelistarum demonstrat, cui non obest aliquarum rerum, vel circumstantiarum omissio. Unde confirmatur nostra responsio, Christum Dominum, quando Discipulos suos misit in mundum universum, iis mandatum dedisse prædicandi, docendi, baptizandi, & una simul contulisse judiciariam potestatem ligandi, atque solvendi per Sacramentum pœnitentiæ exercendam.

55. Quantum ad secundum locum ex Matth. XVIII., Augustinus, Theophilactus, & si qui sunt alii, qui verba Christi *Quæcumque alligaveritis &c.* applicent privatæ injuriarum dimissioni, *non afferunt*, inquit Estius, *proprium sensum verborum Christi; sed quod proprie dictum erat ad Apostolos, & eorum successores Ecclesiæ Præfectos, extensione quadam omnibus fidelibus accommodant*, ut nempe privata injuriarum remissio, quæ fit in terris, rata habeatur etiam in cœlis. Ceterum alibi, & quidem multis in locis ea Christi verba: *Quæ ligaveritis in terra &c. de Præpositis* intelligunt, *per quos Ecclesia gubernatur*. Ita Augustinus Lib. XX. *De civitate Dei* cap. 6. Alii autem Patres, & Interpretes tam vetusti, quam recentiores, minime dubitant, eo loci Christum promisisse eam judiciariam potestatem ligandi, atque solvendi, quæ erat Ecclesiæ omnino necessaria, & quam postea antequam ascenderet in cœlum, reipsa contulit.

56. Inst. *primo*. Idem sanctus Augustinus Tract. CXXI. in Jo. exponens ea Christi verba: *Quorum remiseritis peccata*, inquit: „ Ecclesiæ charitas, „ quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cor„ dibus nostris, participum suorum peccata di„ mittit; eorum autem, qui non sunt participes, „ tenet: ideo postquam dixit, *Accipite Spiritum* „ *sanctum*, hoc continuo de peccatorum remis„ sione, ac detentione subjecit." Non ergo judiciaria potestate, per aliquod Sacramentum, sed sola charitate Ecclesiæ hominibus peccata dimittuntur.

57. Resp., absolvere a peccatis judiciaria potestate proprie ad Sacerdotes pertinere, hoc tamen aliqua ratione pertinere etiam ad Ecclesiæ charitatem, quatenus suis precibus impetrat pœnitentibus eas animi dispositiones, quæ ad consequendum judiciariæ absolutionis effectum sunt necessariæ.

58. Inst. *secundo*. S. Hieronymus in cap. XIV. Isaiæ citans verba Prov. V. 22. *Funibus peccatorum suorum* (impius) *constringitur*, inquit: „ Quos funes, atque vincula solvere possunt & A„ postoli, imitantes Magistrum suum, qui eis di„ xerat: *Quæcumque solveritis super terram, e„ runt soluta & in cœlo*. Solverunt autem eos „ Apostoli sermone, Dei, & testimoniis Scriptu„ rarum, & exhortatione virtutum". Nulla hic potestatis judiciariæ mentio.

59. Resp. Quamvis solvere a peccatis *proprie* pertineat ad judiciariam potestatem Apostolis, eorumque successoribus a Christo collatam, *improprie* tamen, ac latiore sensu id dici potest etiam de sermonibus, de testimoniis Scripturarum, ac de piis exhortationibus, aliisque mediis, quibus peccatores disponuntur ad absolutionem, ejusque effectum obtinendum. Hoc itaque sensu verba Hieronymi accipi debent: quatenus Apostoli prædicatione, doctrina, testimoniis Scripturarum, atque ex-

exhortatione virtutum populos, sive ad baptismum, sive ad pœnitentiam adduxerant.

40. Inst. *tertio*. S. Cyrillus Alex. verba Christi exponit de peccatorum remissione, quæ fit in baptismo.

41. Resp., S. Cyrillum verba Christi referre, non ad solum baptismum, sed etiam ad pœnitentiam, quibus duobus Sacramentis remissio fit peccatorum, quamvis diverso modo: in Baptismo enim Sacerdotes tantummodo exercent ministerium abluendi, in Sacramento autem pœnitentiæ judiciariam potestatem absolvendi. Vid. sup. n. 25.

42. Inst. *quarto*. Cum sancti Patres multis modis explicent verba Christi, ut patet ex eorum testimoniis hactenus allatis, non videtur potuisse Synodum Trident. eos anathemate damnare, qui *verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annuntiandi detorquent*, quemadmodum fecit Sess. XIV. cap. 1. & cap. 3.

43. Resp., a Sacros. Trid. Synodo jure fuisse damnatas *commentitias* interpretationes, quibus Sectarii verba Christi detorquebant ad solam potestatem prædicandi verbum Dei, & annuntiandi evangelium, excluso obvio, & litterali sensu absolvendi, vel ligandi peccatores; non autem sanct. Patrum; aut Commentatorum libertatem: qua retento proprio, & litterali sensu, alios mysticos, & minus proprios quærunt. Ita etiam Card. Pallavicinus testatur in *Hist. Conc. Trid.* Lib. XII. cap. 12. n. 7. (*a*).

44. Inst. *quinto*. Si Christus iis verbis verum instituisset Sacramentum, sequeretur, hoc Sacramentum confici, nedum quando Sacerdos absolvit, sed etiam quando ligat; sed hoc secundum est absurdum; ergo &c.

45. Resp., ad Sacramentum proprie pertinere potestatem solvendi a peccatis, quia in solutione sola confertur gratia, quæ res est Sacramenti: potestatem vero ligandi designare officium Sacerdotis, eos non absolvendi, quos ad dignam Sacramenti susceptionem præparatos non invenerit, quos propterea proprie non ligat, sed a seipsis ligatos relinquit. Hac ligandi potestate usam fuisse Ecclesiam post Sæc. III. bene norunt, qui severam illorum temporum disciplinam erga homines apostasiæ a fide, vel quorumdam aliorum graviorum criminum reos compertam habent. Addunt aliqui, potestatem ligandi exerceri a Sacerdotibus impositione satisfactionis, ad quam præstandam pœnitentes obligantur.

46. Ob. *secundo*. In vet. testam. nullum erat Sacramentum ad luenda peccata, sed sola virtute pœnitentiæ delebantur, quod ipsa Trid. Synodus fatetur Sess. XIV. cap. 1., & nos ipsi ostendimus cap. 1.: nulla igitur erat causa, ob quam Christus hoc Sacramentum instituerit. Præterea, ut habetur Marci II. 7., nemo potest dimittere peccata, *nisi solus Deus*: ergo nullus homo judiciaria potestate potest hoc facere, ut nos credimus fieri in Sacramento pœnitentiæ. Reipsa Christus Dominus sine ulla Sacramenti forma peccata dimittebat, ut quod Lucæ VII. 48. mulieri peccatrici dixit, *Remittuntur tibi peccata tua*, & Matth. IX. 2. paralytico, *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*.

47. Resp. ad *primum*, si argumentum hoc valeret a veteri test. ad novum, etiam duo alia Sacramenta baptismi, atque Eucharistiæ expungenda essent. Hujus autem Sacramenti instituendi hæc causa a Catechismo Rom. affertur P. II. cap. 5. n. 10. „ ut nobis de remissione peccatorum, quam „ Deus pollicitus est, cum ait Ezech. XVIII. 27. „ *Si impius egerit pœnitentiam* &c. minus du„ bitare liceret. Vehementer enim pendere ani„ mo de intima pœnitentia opus esset, cum de „ suo cuique judicio in iis, quæ agit, merito ti„ mendum sit. Ut igitur Dominus huic nostræ „ sollicitudini subveniret, pœnitentiæ Sacramen„ tum instituit, quo per Sacerdotis absolutionem „ peccata nobis remissa esse consideremus, con„ scientiæque nostræ ob fidem, quæ Sacramento„ rum virtuti merito habenda est, pacatiores red„ deremur. Neque enim aliter accipienda est vox „ Sacerdotis peccata nobis legitime condonantis, „ quam Christi Domini; qui ait Paralytico Matth. „ IX. 2.: *Confide, fili, remittuntur tibi pecca*„ *ta tua*. " Vid. S. Thomas 3. P. qu. 84. art. 7.

48. Alterum levissimum est. In Sacramento enim pœnitentiæ, non secus ac in aliis, quæ *ex opere operato* gratiam in nobis efficiunt, Deus est prima causa operans, homo autem non præbet nisi suum ministerium. *Ecce*, inquit S. Basilius Lib. III. *De Spiritu S.* cap. 18., *per Spiritum sanctum peccata donantur: homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent: potestatis* inquam supremæ, a Christo non acceptæ. Christus autem, qui propria potestate *excellentiæ* peccata remittebat, Sacramentis ad hoc non indigebat. Præterea hoc pœnitentiæ Sacramentum nonnisi post suam resurrectionem instituit, ut supra dictum est n. 19.

49. Obj. *tertio* contra Propos. II. In sacris litteris pœnitentia cum baptismo conjungitur, ut proinde non duo, sed unum sint Sacramentum. Nam Act. II. ajebat Petrus: *Pœnitentiam agite, & bapti-*

(*a*) Ubi solitam Pauli Sarpii calumniandi licentiam castigat, qua Ambrosium Storck, *Pelargum* appellatum, illustrem Dominicanæ Familiæ Theologum huic decreto se opposuisse fingit, quia, ut ipse putabat, nemo veterum Patrum verba Christi de institutione hujus Sacramenti intellexerat; sed alii de Sacramento baptismi, alii vero de privata injuriarum condonatione. Quomodo enim id asserere ausus fuisset Pelargus vir doctus, ac pius, postquam multa, & luculenta Patrum testimonia ab aliis in hanc rem allata fuerunt, & quæ ipse præsens audierat?

ptizetur unusquisque in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum. Ulterius Apostolus Ephes. V. 25. *Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam*, *& seipsum tradidit pro ea*, *ut illam sanctificaret*, *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. En, concludit Calvinus, quomodo Christus mundat, & sanctificat Ecclesiam, non alio Sacramento, quam lavacro aquæ. *Denique*, si omnes evolvantur libri sacri novi testam., legimus quamsæpissime, Apostolos prædicasse pœnitentiam in remissionem peccatorum, nullibi tamen legimus eamdem dedisse sine baptismo.

50. Resp., verba illa S. Petri fuisse directa ad Judæos nondum baptizatos, quibus proinde nonnisi per baptismum remissio peccatorum dari poterat; unde pœnitentia, quam baptizandi præmittere debebant, non erat Sacramentum illud, quod pro solis baptizatis Christus instituit, sed virtus, quæ, ut ait Synodus Trid. Sess. XIV. cap. 1., erat *necessaria illis etiam*, *qui baptismi Sacramento ablui petivissent*, *ut perversitate abjecta*, *& emendata*, *tantam Dei offensionem cum peccati odio*, *& pio animi dolore detestarentur*.

51. Ad *secundum* resp., vere, & proprie tribui baptismo mundationem, & sanctificationem Ecclesiæ; tum quia peccatum originale, quod est peccatum naturæ, omnes homines inficiens, nonnisi per baptismum deleri potest; tum etiam quia per baptismum reddimur pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum capaces: quamobrem & ipsum pœnitentiæ Sacramentum aliquo sensu a baptismo dependet, atque a baptismo suam peccata dimittendi virtutem depromit.

52. Quamvis autem nullibi legeretur, Apostolos exercuisse hanc potestatem absolvendi baptizatos per Sacramentum pœnitentiæ, inepte tamen inde concluderent adversarii, ipsos eamdem non exercuisse, cum vix paucissima eorum, quæ Apostoli egerunt, sacris litteris consignata fuerint. Veruntamen aliqua non levia exercitii hujus Apostolicæ potestatis nobis libri sacri indicia suppeditant. Nam Act. VIII. 22. Petrus Simoni Mago, a Philippo jam baptizato, dixit: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua*, *& roga Deum*, *si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*, utique per Sacramentum pœnitentiæ. Aliunde pœnitentiæ impositæ, & absolutionis postea concessæ habemus indicium in illo incestuoso Corinthio, quem S. Paulus Satanæ tradi jussit 1. ad Cor. V., sive per veram traditionem, ut in carne vexatus spiritu salvus esset, sive per excommunicationem. Peracta autem dura pœnitentia, ipsum absolvi mandavit idem Paulus 2. Ep. II., atque illi condonavit gravissimum scelus; condonavit inquam *in persona Christi*; idest ut bene notat Angelicus Doctor in hunc Apostoli locum, auctoritate accepta a Christo illis verbis: *Quorum remiseritis*, &c., quemadmodum tam veteres, quam recentiores interpretes hunc locum intellexerunt (*a*).

53. Inst. *primo*. S. Augustinus potestatem remittendi peccata ad solum baptismum retulit: nam in Epist. CLXXXV. ad Bonifacium Comitem cap. 9. „Neque inquit, aliquid remanet in baptismo, „ quod non dimittatur, omnium præteritorum .... „ & quidquid ab eis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur". Et adhuc clarius in fine Libri I. *De nuptiis*, *& concupiscent*. n. 38. Apostoli dictum Eph. V. 25. „ Christus dilexit Ecclesiam .... mundans lavacro aquæ in verbo, sic „ accipiendum esse dicit, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, „ atque sanentur; non solum peccata, quæ omnia „ nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ „ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur: non ut baptisma quoties peccatur, „ toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur". Quam doctrinam non semel repetit aliis in locis.

54. Resp., his, aliisque in locis nihil aliud docuisse Augustinum, quam baptismum esse necessarium, ut peccata postea commissa per Sacramentum pœnitentiæ remittantur, ita ut baptismus sit veluti causa remota hujus remissionis, sine exclusione tamen Sacramenti pœnitentiæ, quod baptizatis ad remissionem peccatorum est omnino necessarium. Augustinus non alio eget interprete, quam seipso: nam in eodem loco objecto Lib. *De nuptiis*, *& concupisc*. ita pergit: *Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitentia*, *nisi baptismus sequeretur*, *vel postea*, *nisi præcederet*?

55. Inst. *secundo*. S. Fulgentius in Lib. *De fide ad Petrum* cap. 30. appellat baptismum *Sacramentum fidei*, *& pœnitentiæ*: non ergo pœnitentia a baptismo distinguitur.

56. Resp., hæc dicta esse a Fulgentio de baptismo adultorum, quem debet præcedere pœnitentia, non prout Sacramentum, sed prout est virtus; unde illud Sancti Petri Act. II. 38. *Pœnitentiam agite*, *& baptizetur unusquisque*, *&c.*

57. Inst. *tertio*. Patres priorum seculorum de pœnitentia conjuncta baptismo sæpissime locuti sunt, rarissime autem, aut numquam de pœnitentia, tamquam Sacramento a baptismate diverso.

58.

(*a*) Culpandus Erasmus, qui Græca verba ἐν προσώπῳ Χριστοῦ vertit *in conspectu Christi*, scilicet *coram Christo*; nam præter nostrum vulgatum interpretem, alii etiam doctissimi tam Latini, quam Græci id semper ita intellexerunt, ut Paulus *in persona*, hoc est *auctoritate Christi*, quemadmodum illum fornicarium jusserat tradi Satanæ, ita eadem auctoritate Christi illi suum delictum condonari voluerit, propter illa verba Matth. XVIII. *Quæcumque solveritis*, &c.

58. Resp., multas, & varias potuisse hujus rei causas esse, *primo* enim iis temporibus, quibus homines a Paganica, vel Judaica superstitione convertebantur, debuerunt sæpius de pœnitentia loqui, quæ præcedit baptismum, & a catechumenis agebatur. *Secundo*, fervente iis aureis Ecclesiæ nascentis sæculis fidelium pietate, non tanta erat de Sacramento pœnitentiæ loquendi necessitas. *Tertio*, non adeo expedire videbatur, hoc Sacramentum palam explicare, ne forte Gentiles, secreta pœnitentium confessione detecta, ansam Christianos calumniandi sumerent, quasi vero in abditis conventiculis aliquid contra Principum, ac Magistratuum potentiam molirentur. *Demum*, & ille haud ineptus timor accedebat, ne tepidiores fideles, audientes esse aliquod efficacissimum remedium ad peccata post baptismum commissa redimenda, proniores ad ea perpetranda fierent. Unde Tertullianus Lib. *De pœnit.* cap. 7. *Absit*, inquiebat, *ut aliquis interpretetur, quasi sibi etiam nunc pateat* (via) *ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum; & redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcirco deterior fit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quod ignoscitur*.

59. Quando vero immitis illa prodiit Novatianorum hæresis, de qua mox dicemus, omnem scilicet peccantibus post baptismum spem veniæ auferens, tunc Patres, atque Ecclesiarum Pastores & clarius, & sæpius de Sacramento pœnitentiæ locuti sunt, ut cap. seq. videbimus.

60. Obj. postremo. In Decretis causa I. qu. 1. cap. *Multi*, hæc referuntur Sancti Gregorii verba: *Sacramenta sunt Baptismus, Chrisma, Corpus & Sanguis Christi; quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius* (in eis) *operatur salutem*; sed in pœnitentia nullæ adhibentur corporales res: ergo &c. Et quamvis ea verba fortasse non sint Gregorii Papæ, sed potius sancti Isidori Lib. VI. *Etymologiarum* cap. 19., ratio tamen in iis ab alterutro allata militat contra pœnitentiam, ne sit Sacramentum, quia nullum est in ea externum symbolum.

61. Respondet S. Thomas 3. P. qu. 84. art. 1. ad 1. „ nomine *corporalium rerum* intelligi *lar-„ ge* etiam ipsos exteriores actus sensibiles, qui „ ita se habent in hoc Sacramento, sicut aqua in „ Baptismo, vel chrisma in Confirmatione ".

62. Inst. *primo*. Sacramenta Ecclesiæ a ministris Christi exhibentur; sed pœnitentia exhibetur ab ipso pœnitente, seu potius a Deo hominibus inspiratur: ergo &c.

63. Respondet ibid. S. Thomas ad 2. „ quod in „ Sacramentis, quæ habent corporalem materiam, „ oportet, quod illa materia adhibeatur a mini-„ stro Ecclesiæ, qui gerit personam Christi, in „ signum, quod excellentia virtutis in Sacramen-„ to operantis est a Christo. In Sacramento au-„ tem pœnitentiæ sunt actus humani pro mate-„ ria, quia proveniunt ex inspiratione interna; „ unde materia non adhibetur a ministro, sed a „ Deo interius operante: sed complementum Sa-„ cramenti exhibet minister, dum pœnitentem ab-„ solvit ".

64. Inst. *secundo*. In omnibus Sacramentis debet aliquid reperiri, quod est Sacramentum tantum; tum aliquid, quod est res, & Sacramentum; aliquid demum, quod est res tantum. Sic hæc tria inveniri in Baptismo, ostendit S. Thomas 3. P. qu. 66. art. 1., *primum* est aqua, & ejus usus, seu ablutio: *alterum* est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, & est signum Sacramentale interioris justificationis: *tertium* est interior justificatio, quæ est res significata, & non significans. At vero hæc tria non inveniuntur in pœnitentia: ergo &c.

65. Respondet Angelicus ibid. ad 3., *quod etiam in pœnitentia est aliquid, quod est Sacramentum tantum, scilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem absolventem; res autem, & Sacramentum, est pœnitentia interior peccatoris; res autem tantum, & non Sacramentum est remissio peccati: quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem, & secundum sunt quodammodo causa tertii*. Hæc autem clarius illucescent, ubi de materia agemus hujus Sacramenti.

66. Inst. *tertio*. Notissima est illa Sacramenti definitio tradita a S. Augustino: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; sed in pœnitentia nullum est elementum, sed sola verba, tum pœnitentis, qui se accusat, tum Sacerdotis, qui eum absolvit: ergo &c. Sane idem Augustinus Lib. XIX. contra Faustum cap. 16. Sacramenta vocat *visibilia signa invisibilis gratiæ*; & in Serm. *De baptismo ad Neophytos* vult, *Sacramentum ideo dici, quia aliud videtur, aliud intelligitur*.

67. Resp. cum S. Thoma 3. P. qu. 84. art. 1. ad 1., *in illis Sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsos actus humanos sensibiles esse loco materiæ, ut accidit in pœnitentia, & matrimonio: sicut etiam in medicinis corporalibus quædam sunt res exterius adhibitæ, sicut emplastra, & electuaria: quædam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quædam*. Frivola autem est objectio desumpta ex iis verbis *elementum*, & *visibilia signa*; quasi vero Augustinus omnium Sacramentorum materiam nonnisi in proprie dictis *elementis* constituerit, & non etiam in pane, oleo, & in aliis actibus exterioribus, quæ sub sensum cadunt, immo & in verbis, quæ videri quidem nequeunt; sed tamen audiuntur. Sufficit ergo, ut res sit sensibilis, & externa, ut ex Christi institutione fiat Sacramentorum materia.

CA-

CAPUT III.

Ostenditur, nullum esse peccatum, quod per Sacramentum pœnitentiæ remitti non possit.

68. Angelicus Doctor 3. P. q. 86. art. 1. bene observat, duplici sensu posse aliquod peccatum dici *irremissibile*, *primo*, quia aliquis de peccato dolere non posset: *secundo*, quia pœnitentia non posset delere peccatum; & subdit: „ Primo quidem modo non possunt per pœnitentiam deleri „ peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum, quia affectus eorum sunt confirmati in „ malo: ita quod non potest eis displicere peccatum inquantum est culpa, sed solum displicet „ eis pœna, quam patiuntur, ratione cujus aliquam pœnitentiam, sed infructuosam habent, „ secundum illud Sap. Cap. V. 3. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*. „ Unde talis pœnitentia non est cum spe veniæ, „ sed cum desperatione. Tale autem non potest „ esse aliquod peccatum hominis viatoris, cujus „ liberum arbitrium flexibile est ad bonum, & ad „ malum. Unde dicere, quod aliquod peccatum „ sit *in hac vita*, de quo quis pœnitere non possit, *erroneum est*, &c. ". Sed de hoc modo non agimus: quæritur enim hic solum, an sit aliquod peccatum tam grave, ut nullo modo etiam per veram pœnitentiam remitti queat; quod veteres quidam hæretici commenti sunt (*a*), contra quos sit

PROPOSITIO

Nullum est tam grave peccatum, quod in hac vita ab Ecclesia per Sacramentum pœnitentiæ deleri nequeat.

69. Prob. *primo* luculentissimis iis sacræ Scripturæ oraculis, quibus Christus Dominus Matth. XVIII. 18., & Jo. XX. Apostolis amplissimam, nullisque limitibus circumscriptam ligandi, atque solvendi potestatem dedit. Vid. sup. n. 19. (*b*).

70. Sed hæc tam perspicua Christi verba obscurare se posse sperabant Montanistæ, & Novatiani triplici effugio: *primo*, ea intelligi debere de baptismo, quo concedebant omnia præterita peccata deleri; non autem de pœnitentia eorum criminum, quæ post baptismum committuntur: *secundo*, distinguenda esse peccata contra proximum, vel Ecclesiam, a peccatis contra Deum; prima posse per claves Ecclesiæ remitti, utpote leviora, non autem alia, quæ gravissima reputantur: *tertio*, omnium peccatorum remittendorum potestatem solis Apostolis fuisse concessam, non vero eorumdem successoribus. Ita Tertullianus Montanista factus in Lib. *de pudicitia*, & Novatiani apud S. Ambrosium in duobus Libris *de pœnitentia*.

71. Verumtamen haud difficile fuit sanctis Patribus has frivolas exceptiones præcludere. Et quantum ad *primam*, argute ita reponebat Sanctus Pacianus Barcinonensis Epist. III. ad Sympronianum Novatianum: „ Quod si ad gentes hanc solvendi „ licentiam, vel ligandi spectasse concedam, multo „ magis ab baptizatos pertinuisse convincam. Nam „ si is solvi potuit, vel ligari, qui non habuit „ vinculum, quanto magis ille, quem fidei jura „ tenuerunt "? Neque enim homines per baptismum deterioris conditionis facti sunt, ut suorum criminum veniam, non quidem per baptismum, qui iterari non potest, sed per veram pœnitentiam consequi nequeant. Et Dominus Jesus duo aperte distinxit Sacramenta, & utrorumque conferendorum potestatem Apostolis contulit, cum dixit: *Ite, baptizate, &c. & Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis, &c.*

72. *Secundam* exceptionem penitus temerariam, omnique carentem fundamento sic ibidem S. Barcinonensis Antistes explodit: *Quæcumque solveritis, inquit, omnino nihil excipit; quæcumque, inquit, vel magna, vel modica*. Et S. Ambrosius

(*a*) Montanistæ, & Novatiani fuerunt hujus crudelissimæ hæresis auctores. Montanistæ nomen sortiti sunt a Montano homine Phrygio; unde etiam *Cataphryges* aliquando sunt nuncupati: tum postea dicti *Pepuziani* ab obscuro oppido Phrygiæ *Pepuzo*, ubi suos conventus habebant. Nulla ineptior, & absurdior hæresis nata est, cui tamen nomen dedit doctissimus vir Tertullianus falsis potissimum duarum fanaticarum mulierum Priscillæ, & Maximillæ revelationibus, seu potius incantationibus deceptus. Funestissimus tanti viri lapsus terrere omnes debet, ne alte, & superbe de se præsumentes similiter cadant. Illius ea sententia erat in Lib. *De pudicitia* cap. 18., *Levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi posse, majoribus, & irremissibilibus a solo Deo*; unde consequebatur, nullam graviorum criminum remittendorum potestatem Ecclesiæ a Christo fuisse datam. Vid. Nat. Alexander Dissert. IX. in Sæc. II.

Pejus errarunt Sæc. III. Novatiani, asseclæ illius Novatiani, qui Rom. Episcopatum ambiens, ac inani sua spe frustratus una cum Novato Carthagin. Presbytero fœdissimum in Ecclesia schisma excitavit; unde hæresis Novatiana orta est, cujus capitale erat dogma, lapsi in persecutione tanti criminis veniam indulgeri *ab Ecclesia* non posse; quam postea inclementiam Novatiani ad alia graviora crimina extenderunt, ac demum ad omnia peccata post baptismum commissa; quamvis omnia omnino a Dei misericordia remitti posse, non negarent; unde etiam eos ad divinam justitiam piis operibus placandam majorem in modum adhortabantur.

Aliqui ex Socinianorum grege eos saltem peccatores, qui nonnisi in fine vitæ pœnitentiam agebant, veniam obtinere posse negabant. Smalcius in *refut. thesium* Wolfg. Franzii scribebat, *facinorosos, qui a carnifice interficiuntur, vita æterna privari, esse plus quam verisimile*. Jonas autem Schlichtingius in *Disput. contra Meisnerum*, hominem, qui in peccatis tamdiu inhæserit, ut ei non amplius tempus suppetat, ut vitam, & mores emendet, *vi novi fœderis damnandum esse*, pronunciat.

(*b*) Usi non sumus innumeris iis vet. test. promissionibus, quibus Deus peccatores ad conversionem ex-

sius Lib. I. *de pœnit.* cap. 2. *Deus*, inquit, *distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit*. Et Lib. II. cap. 4. profert inter alia exemplum Simonis Magi omnium hæreticorum Patriarchæ, cui tamen dicebat Petrus Act. VIII. 22.: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi, &c.*

73. *Tertiam* pariter refutat S. Pacianus exemplo baptismi, & chrismatis, quorum conferendorum potestatem solis Apostolis Christus dedisse legitur: ipsi tamen Novatiani eamdem in successores Apostolorum descendere non diffitebantur. Unde sic adversus eos concludit: *Si ergo & lavacri, & chrismatis potestas, majorum longe charismatum, ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi. Quod etsi nos id ob nostra peccata temerarie vindicamus, Deus tamen illud ut Sanctis, & Apostolorum cathedram tenentibus non negabit, &c.*

74. *Ulterius*, quinam esset Christi verborum sensus, & quinam amplissimæ potestatis per eadem verba collatæ limites, debemus a veteribus Ecclesiæ Patribus, & moribus certissime addiscere. Veteres autem Patres statim ac immitis illa hœresis erupit, omnes pene facto agmine contra eam insurrexerunt, & pervicaces, ac crudeles illius defensores a sua, & totius Ecclesiæ communione separarunt. Id testatur Synodus Trid. Sess. XIV. cap. 1. his verbis: *Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione Ecclesia Catholica, tamquam hæreticos explosit, atque condemnavit*. Reipsa S. Cornelius Papa anno 251. collecta Romæ Synodo LX. Episcoporum Novatianos æterno anathema percussit.

75. In multis postea Conciliis, non solum lapsi, sed etiam cujuscumque gravissimi criminis rei ad Ecclesiæ misericordiam cum debitis pœnitentiæ signis confugientes, clementer recepti sunt; quibusdam tamen conditionibus appositis, ad expiandas præteritas culpas, novasque præcavendas admodum opportunis. Hujusmodi erant antiqui illi canones pœnitentiales, quos summi Pontifices, ac plures Synodi constituerunt, ut nonnisi cum multis mœroris, squalloris, ac publicæ pœnitentiæ signis ad pacem, & consortium fidelium reciperentur. Quot igitur sunt veteres saluberrimi canones pœnitentiales, tot sunt publica, & inconcussa antiquæ, & perpetuæ traditionis testimonia, quibus genuinus divinæ illius amplissimæ potestatis a Christo concessæ sensus declaratur. Atque hactenus allata argumenta plana, & invicta sunt; sed multæ postea, & graves sese offeruntur difficultates in quibusdam obscurioribus Scripturæ locis explicandis; meminerimus tamen, id sæpius in aliis certissimis fidei dogmatibus evenire, quin de iis dubitare propterea liceat: nam certum non tollitur per incertum, nec quod perspicuum est, per aliqua adjuncta obscuriora.

76. Object. *prima* petitur ex iis Christi verbis Matth. XII. 31. „Omne peccatum, & blasphemia „remittetur. Et quicumque dixerit verbum con„tra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem „dixerit contra Spiritum Sanctum, non remitte„tur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro".

77. Resp. *primo*, hoc testimonium non prodesse, sed potius obesse causæ Novatianorum, qui contendebant, nullum peccatum grave contra Deum ab Ecclesia remitti posse, sed tantummodo peccata leviora, & contra homines; Christus autem dicit: *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus... Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei*. Ita respondebant S. Pacianus Epist. III. & S. Ambrosius Lib. II. *de pœnit.* cap. 4.

78. Resp. *secundo* cum S. Thom. 2. 2. qu. 14. art. 3., peccatum in Spiritum Sanctum *diversimode* dici *irremissibile* juxta diversas sanctor. Patrum sententias, quas in duobus art. præcedentibus exponit. Secundum enim S. Augustinum (Serm. LXXI. *de verbis Domini*, Lib. I. *de Serm. Domini in monte* cap. 22., multisque aliis in locis) peccatum in Spiritum Sanctum nihil est aliud, quam impœnitentia finalis, quod peccatum est omnino irremissibile; dicitur autem impœnitentia finalis peccatum in Spiritum Sanctum, *quia*, inquit Angelicus, *est contra remissionem peccatorum, quæ fit per Spiritum Sanctum, qui est charitas & Patris, & Filii*. Quamvis autem hoc peccatum non consummetur, nisi in fine vitæ (tunc enim solum vere dicitur *impœnitentia finalis*) attamen in ipso vitæ præsentis cursu in iis præsumitur, qui non ex ignorantia; sed ex obstinata pervicacia manifestæ veritati resistunt (a).

79. Si autem cum aliis quibusdam sanctis Patribus peccatum, vel blasphemia in Spiritum S. sumatur pro peccato puræ malitiæ, opposito bonitati, quæ attribuitur Spiritui sancto, sicut peccatum infirmitatis dici potest contra Patrem, cui attribuitur potentia, & peccatum ignorantiæ contra Filium, cujus propria est sapientia, tunc dicitur peccatum irremissibile, *quia quantum est de se, habet meritum, ut non remittatur... Qui enim ex ignorantia, vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur*; qui autem ex certa malitia, ac determinata voluntate peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus pœna minuatur.

hortans omnium criminum suorum veniam clementissime pollicebatur; quia hæretici, quos impugnamus, soli Ecclesiæ, non autem Deo, remittendorum quorumdam criminum jus denegarunt.

(a) S. Augustinus in Laud. Serm. LXXI. postquam multa ad hunc locum explanandum dixisset, ita sermonem concludit: *Ut potui, difficilimam quæstionem, si tamen aliquatenus potui, Domino miserante, atque adjuvante tractavi, &c.*

tur. Sed pro majore hujus doctrinæ explanatione tres primi illius quæstionis articuli legendi sunt. Supposita autem doctrina ibi explicata.

80. Brevius hanc ipsam difficultatem expedit 3. P. quæst. 86. artic. 1. ad 3. dicens: „ Illud „ verbum, vel blasphemia contra Spiritum Sanctum est finalis impœnitentia, ut Augustinus dicit, quæ penitus irremissibilis est, quia „ post finem hujus vitæ non est remissio peccatorum. Vel si intelligatur per blasphemiam Spiritus sancti peccatum, quod fit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus sancti, „ dicitur non remitti, scilicet de facili: vel quia „ tale peccatum non habet in se causam excusationis, vel quia pro tali peccato punitur aliquis „ & in hoc sæculo, & in futuro". Ceterum etiam peccatum Pharisæorum, qui Christi miracula tribuebant Beelzebub, fuisse absolute remissibile, ex eo evincit Chrysostomus Hom. XXIV. in hunc loc. quod etiam ex illa impia, & obstinata secta non nulli Christi fidem amplexi fuerint (b).

81. Inst. *primo*, opponendo verba Heli Sacerdotis ita filios suos monentis Lib. 1. Reg. II. 25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Quibus similia sunt, quæ S. Joannes in fine suæ primæ epist. habet: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Hoc autem peccatum, interprete S. Augustino Lib. I. *De Serm. Dom. in monte* cap. 22., *est per invidiam, & malevolentiam oppugnare fraternam charitatem post acceptam gratiam Spiritus sancti, quod peccatum Dominus neque hic, neque in futuro sæculo dimitti dicit.* Et paulo ante dixerat, hujus peccati *tantam labem esse, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia & agnoscere, & enunciare cogatur*: est ergo aliquod peccatum irremissibile.

82. Resp., priorum verborum Heli filios objurgantis propter scandala, quibus homines a sacrificiis divinis avertebant, hunc esse obvium sensum: Si vos Sacerdotes ad Deum orandum pro populo electi, Deum ipsum offenditis, qui erunt alii pro vobis ad Deum orandum, & placandum idonei? Quæ objurgatio rectissima est: non tamen negat, etiam pro Sacerdotibus peccantibus esse orandum, eorumque peccata posse remitti.

83. Peccatum autem ad mortem, pro quo S. Joannes non vult esse orandum, interprete eodem S. Augustino in ipso loco laud., est illud, pro quo reus ipse Deum non orat, veniam petens; quod in peccatis puræ malitiæ evenire solet: secus ac in peccatis ignorantiæ, atque infirmitatis, quæ non sunt tam voluntaria, quam sunt peccata malitiæ. Hoc S. Augustinus declarat exemplo Petri, & Judæ. Petrus enim, quia ex infirmitate peccaverat, cito peccati sui veniam a Deo poposcit, & obtinuit. Judas contra, qui malitia peccaverat, *facilius desperatione cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam deprecatus est.* Angelicus autem laud. art. ad 2. bene adnotat, hæc omnia ita esse intelligenda, ut *de facili* nec gratia humilis orationis, nec venia a Deo obtineatur, non autem quod absolute obtineri non possit, adeo ut absolute pro eo Deus orari non debeat: „ sicuti, inquit, dicitur ille sanari non posse, qui non potest de facili sanari, potest tamen hoc fieri per „ divinæ gratiæ virtutem, quæ etiam interdum „ *in profundum maris convertit*, ut dicitur in Ps. „ LXIV. ".

84. Inst. *secundo*. Apostolus ad Hebr. XI. 4. inquit: „ Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & „ participes facti sunt Spiritus sancti ... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam". Item cap. X. 26. addit: „ voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam „ non relinquitur pro peccatis hostia". Ex his potissimum testimoniis triumphum canebant immites Novatiani, ut notat S. Thomas Lect. I. in cap. VI. hujus epist., ubi ita

85. Respondet, falsam esse interpretationem Novatianorum, sicut dicit Athanasius in epist. IV. ad Serapionem, quia ipse Paulus recepit incestuosum Corinthium 2. Corinth. II., & similiter eos Galatas, quos ita compellabat cap. IV. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio*. „ Est ergo intelligendum, „ inquit S. Doctor, sicut dicit Augustinus, quod „ non dicit, quod impossibile est *pœnitere*, sed „ quod impossibile est rursus *renovari*, idest *baptizari*: ad Titum III. *Per lavacrum regenerationis, & renovationis &c.*; numquam enim „ homo posset sic pœnitere, quod posset iterum „ baptizari". Docet itaque S. Apostolus, impossibile esse, aut baptismum ipsum iterari ad pœnitentiam istorum, aut eam gratiam baptismatis recuperari, quæ est gratia *regenerationis, & renovationis*. Unde S. Augustinus in *inchoata expost. Epist. ad Rom.* inquiebat: *Eos, qui jam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renovari, quia renovatio in baptismo est;*

(b) Sententiam S. Augustini, quod peccatum in Spiritum sanctum sit finalis impœnitentia, nonnullis argumentis oppugnavit Vener. Card. Bellarminus Lib. II. *de pœnitentia* cap. 16. Rejicit quoque aliam S. Thomæ, quod peccatum in Spiritum sanctum sit peccatum ex malitia ortum: & aliam suam proponit, peccatum in Spiritum sanctum *proprie nihil esse aliud, quam veritatem cognitam, & manifestam ex malitia improbare, & tamen non demonstrare, & detestabilem calumniare.* Haud difficile nobis videretur Augustinianam, & Thomisticam interpretationem tueri; sed operæ pretium non est, dimicando cum tam sapienti Theologo tempus illud terere, quod pro defensione dogmatum Ecclesiæ unice impendere nobis proposuimus. Quod si alicui Bellarminiana interpretatio magis arrideat, illa utatur.

est; & quidem talis, ut simul cum culpa tollatur etiam reatus pœnæ, quod non contingit in pœnitentia. Ita hunc locum præter Athanasium, & Augustinum a S. Thoma nominatos, explicant S. Gregorius Nazianz. Orat. XL. *in sancta lumina*, S. Ambrosius Lib. II. *de pœnit.* cap. 2., Chrysostomus, Theophilactus, atque Œcumenius. Athanasius vero optime notavit, hæc fuisse dicta a S. Paulo ad convellendum errorem Hebræorum, qui cum multa haberent, & quotidiana baptismata, existimabant, idem esse etiam in Religione Christiana.

86. Neque alium esse sensum eorum verborum ejusdem S. Pauli cap. X., putarunt sancti Patres, nempe *non relinqui hostiam pro peccatis*, hoc est alium baptismum, quo iterum a peccatis abluamur; sine exclusione tamen pœnitentiæ, quæ est tabula post naufragium. Optime notavit in hunc locum S. Jo. Chrysostomus, non dixisse Apostolum: *Non est amplius pœnitentia, neque est amplius remissio, sed non est amplius hostia*, hoc est, *non est amplius crux secunda*, seu secunda passio Christi, unde novus instituatur baptismus. Eodemque sensu illum locum intellexit S. Augustinus in mox citata exposit. epistolæ ad Romanos, scilicet significasse Apostolum, *non posse deinceps qui peccaverit, iterum baptizando purgari: quo intellecto, non intercluditur*, inquit, *pœnitendi locus*. Quibus S. Thomas inhærens, ut quomodo, ait, nunc non expectatur alia mors Christi, *ita nec post baptismum semel acceptum expectatur alius baptismus*.

87. Veruntamen si quis cum Origene, & aliquibus doctis interpretibus contentiosius velit, in his Paulinis textibus non indigitari baptismi renovationem, quæ impossibilis omnino est, sed ipsam pœnitentiæ virtutem, quo gravissima aliquot crimina deleri posse, Apostolus negare videtur, tunc propter alia apertissima S. Scripturæ loca, & maxime propter constantem universæ Ecclesiæ doctrinam, & praxim illud verbum *impossibile est* explicare cogimur, non de omnimoda impossibilitate, sed de maxima difficultate, quæ est in expiandis gravissimis quibusdam criminibus, ac potissimum apostasia a fide, quæ non vi tormentorum sit extorta, sed *voluntarie*, hoc est plena, ac malitiosa voluntate facta, qualis fuit illa Judæ, Simonis Magi, Juliani Augusti, aliorumque paucorum, qui sine ulla spe veniæ misere obierunt. Ac de his loquitur S. Petrus in 2. epist. cap. II., ubi ita concludit: „ Melius enim erat illis non „ cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem „ retrorsus converti ab eo, quod illis traditum est, „ sancto mandato. Contigit enim eis illud veri „ proverbii: canis reversus ad suum vomitum, & „ sus lota in volutabro luti ".

88. Obj. *tertio* exempla Esau, & Antiochi: de primo enim inquit Apostolus Hebr. XII. 17., quod *non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisivisset eam*. De altero autem scriptum est Lib. II. Machab. IX. 13.: *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*.

89. Respondet Angelicus 3. P. qu. 86. art. 1. ad 1., „ quod Esau non vere pœnituit: quod patet „ ex hoc, quod dixit Gen. XXVII. 41. *Venient dies* „ *luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem* „ *meum*. Similiter etiam nec Antiochum vere „ pœnituit: dolebat enim de culpa præterita, „ non propter offensam Dei, sed propter infirmi- „ tatem corporalem, quam patiebatur ". Quamvis hujusmodi exempla si quid probarent, etiam Deo potestatem veniæ concedendæ eriperent, quod & absurdissimum foret, & ut sup. ad n. 68. observavimus, nec ipsis Novatianis in mentem venit.

90. Sed quantum ad Esau, putant interpretes non ignobiles, illa verba, *non invenit pœnitentiæ locum*, referri ad obfirmatam Isaaci sententiam, negandi Esau benedictionem primogenituræ, Jacobo jam datam, a qua sententia lacrymis Esau se dimoveri, passus non est: id enim significari volunt iis græcis verbis μετάνοιας τόπον ab Apostolo adhibitis, quod scilicet μετανοια litteraliter significet *mentis mutationem*, quam Esau apud patrem invenire non potuit.

91. Obj. postremo aliquorum veterum testimonia, qui errori Novatianorum aperte suffragantur. *Primo* Hermas Lib. III. similit. 6. n. 2. inquiens de scelestioribus quibusdam peccatoribus. *Iis*, inquit, *non est per pœnitentiam regressus ad vitam ... Hujusmodi homines morti sunt destinati*. *Præterea* Lib. II. *Constitut. Apostol.* cap. 23. conceditur venia idololatris *per sinceram pœnitentiam*; sed si quis instructa *veluti acie rebelli tentet Deum, quasi malos non insectantem, hujusmodi venia carebit*. *Tertio* Origenes, & Theognostus apud S. Athanasium Epist. IV. ad Serapionem locum S. Pauli supra allatum n. 84. iis adaptant, qui post baptismum in peccata recidunt, *eosque misericordiam non consecuturos ajunt*.

92. Resp., horum omnium, & si quæ sunt alia hujusmodi veterum testimonia, explicanda esse de summa difficultate veræ, sinceræque pœnitentiæ in quibusdam obcæcatis, & scelestissimis peccatoribus; quos etiam aliquando divina gratia destitui, admodum probabilis est multorum Theologorum sententia. Ita explicari possunt objecta testimonia Hermæ, & auctores *Constitutionum Apostolic.*: neque enim dicunt cum Novatianis, hujusmodi peccata remitti *non posse*, sed eorum veniam non esse sperandam. Origenem, & Theognostum data opera refellit S. Athanasius laud. epist. IV. ad Serap. inquiens n. 13.: „ Si eorum „ causa, qui post lavacrum peccant, id dictum „ fuisset, & illi veniam peccatorum obtinere non „ possent, cur hominem apud Corinthios pœni- „ tentem in caritate confirmat Paulus: Galatas ve- „ ro retrorsum abeuntes parturit, donec formare- „ tur iterum in eis Christus? " *Prosequitur* deinde demonstrans, iis Apostoli verbis in epist. ad Hebræos „ non excludi peccatores a pœnitentia,

sed

„ sed ostendi, unicum esse Ecclesiæ catholicæ „ baptisma “.

93. Inst. *primo*. S. Cyprianus in Lib. *de lapsis* affert exemplum Moysis, Danielis, & Job, qui orantes pro peccatoribus exauditi non fuerunt, dicente Domino: *Et si tres in medio eorum fuerint, non liberabunt filios, nec filias, sed ipsi soli salvi erunt*. Et iterum: *Solus Deus misereri potest, homo non potest esse major*.

94. Respondebat olim S. Pacianus Novatianis, auctoritate tanti Episcopi, & Martyris se tuentibus, illum hæc protulisse contra lapsos pœnitere nolentes, & qui ex Martyrum, aut Confessorum precibus ad pacem, & communionem Ecclesiæ sine ulla pœnitentia recipi se posse, sperabant, contra quos recte utitur exemplis Moysis, Job, Noe, Danielis, aliorumque, qui veniam impetrare iis non potuerunt, quos vere suorum criminum non pœnitebat. *Quis enim*, inquit Pacianus, *liberare possit invitum? Quis pro superbis humiliare? Quis pro non pœnitentibus impetrare?*

95. Inst. *secundo*. S. Ambrosius in Lib. ad Virginem lapsam cap. 8. ita eam adhortatur: „ Inhære „ pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec „ tibi præsumas ab humano die posse veniam da„ ri, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri vo„ luerit. Quæ enim proprie in Deum peccasti, „ ab illo solo te convenit in die judicii expectare „ remedium “. Ita plane Novatiani ad pœnitentiam scelestissimos peccatores adhortabantur, ut absolutionem non ab Ecclesia, sed a solo Deo sperarent.

96. Resp., S. Ambrosium fortiter restitisse crudeli Novatianorum errori duobus libris *de pœnitentia*, unde S. Doctoris mens, & doctrina desumenda est. Quod si infelicem illam Virginem stupri, & infanticidii ream ad perpetuam pœnitentiam adhortatus est, non propterea putavit, tam gravia crimina esse *absolute*, & omnino irremissibilia, sed solum nonnisi magnis, ac durissimis pœnitentiæ laboribus posse eorumdem remissionem a Deo impetrari. Unde celebris illius sententia est Lib. II. *de pœnit*. cap. 10., quam sup. n. 10. retulimus, *Facilius inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam* (a).

97. Inst. *tertio*. S. Athanasius Epist. IV. ad Serapionem peccatum Pharisæorum, nempe blasphemiam in Spiritum S., vocat *irremissibile*, *inveniabile*, *indeprecabile*.

98. Resp., S. Athanasium vocasse peccatum Pharisæorum *irremissibile*, quia erat cum impœnitentia conjunctum; non fuisse autem peccatum Pharisæorum per pœnitentiam irremissibile, vel ex eo constat, quod in fine ejusdem epistolæ Pharisæis comparat Arianos, qui Christi divinitatem, similiter ac Pharisæi, negabant, & concludit, *tam illis*, *quam istis*, *nullam fore supplicii huic flagitio debiti remissionem*, nempe nisi a tam impia hæresi resipiscant (b).

99. Inst. *quarto*. S. Hieronymus in cap. XII. Matth. aperte fatetur, peccatum illorum, qui opera Spiritus S. tribuunt Beelzebub, esse *irremissibile*; & Epist. 149. ad Marcellam Novatianis concedit, eos, qui sponte Christianam religionem deserunt, peccati *irremissibilis* esse reos, & solum contendit, tale non esse illorum peccatum, *qui sacrificare compulsi sunt ante tribunal judicis*, & tormentorum vi infeliciter cedunt. En Doctoris maximi verba de Novatiano: *Doceat igitur, aliquem negatorem Beelzebub vocasse Christum* (quomodo eum vocarunt Pharisæi); *& ultro referam gradum*, *negatorem non posse veniam consequi post ruinam*. Consentiebat itaque Hieronymus Novatiano, quando erat sermo de apostatis voluntariis, & solum remissibilem dicebat eorum culpam, qui compulsi tormentis Christum negabant.

100. Resp., Hieronymum explicandum esse, ut explicanda esse docuimus verba Christi supra n. 77., idest delictum voluntariæ, & liberæ apostasiæ dici *irremissibile*, quia *non facile* remittitur, cum ex determinata malitia procedat; aliorum vero peccatum facilius remittitur, quia tormentorum vio-

(a) Librum de Virgine lapsa esse genuinum S. Ambrosii fœtum, dubitarunt Bellarminus *De Scriptor. Eccles.*, Possevinus in *Apparatu sacro*, & alii nonnulli, cum catholici, tum heterodoxi critici. Sed Editores Maurini, Nat. Alexander *Hist. Eccl. Sæc. IV.* cap. 6., & passim severiores critici S. Ambrosium in antiqua hujus libri possessione reliquerunt.

(b) Non attulimus insigne contra Novatianos testimonium ex Tract. *De communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, qui olim S. Athanasio tribuebatur, seu potius, ut plenius habet titulus: *Testimonia ex S. Script. de naturali communione similis essentiæ inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum*; quia hoc opus a Caveo, & nonnullis aliis rejicitur ut *spurium*: a Maurinis autem inter opera *dubia* numeratur. Illius Opusculi auctor n. 49. postquam ostendisset, illa verba Christi Matth. XII. *Omne peccatum, &c.* non posse litteraliter accipi, ita concludit: *Quin & hoc observandum est, non dixisse Christum: blasphemanti, & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse; sed blasphemanti, idest, in blasphemia perseveranti. Quandoquidem nullum est peccatum prorsus irremissibile apud Deum illis, qui vere ex animo, & ut par est, pœnitentiam agunt*. Joann. Morinus Lib. IX. *de Pœnitentia*; non solum hæc hactenus explicata, sed nonnulla alia veterum Patrum testimonia allegat, ut probet, *crimen unicum*, nempe blasphemiam in Spiritum sanctum, *adeo execrabile judicatum, ut illius reis veniam neque ab Ecclesia, neque a Deo unquam concedendam esse dixerint*. Nihil tamen affert doctissimus hic Oratorii Gallicani Presbyter, quod commode explicari non possit ex iis ipsis, quibus idem Auctor Lib. I. cap. 4., & seq. Novatianam hæresim oppugnaverat. Ipse demum confessus est, Patres qui videntur repugnare, esse de iis circumstantiis intelligendos, in quibus Deus ex inscrutabili sua justitia aliquando peccatoribus ea gratiæ auxilia denegat, quæ ad veram pœnitentiam concipiendam sunt necessaria. Vide, quæ diximus Tom. VI. P. I. Dissert. V. cap. 7.

violentia exortum, & infirmitati condonandum. Addo, experientia fuisse compertum, lapsos ex infirmitate, cessante persecutione, misericordiam Ecclesiæ implorasse, & pœnitentia imposita fuisse reconciliatos; apostatas autem voluntarios aut nunquam, aut rarissime tanti criminis pœnituisse, atque ad Ecclesiæ clementiam confugisse. Quando autem S. Doctor Novatiano consentire videbatur de voluntariis apostatis, non ex sua sententia id asserebat, sed ut disputationem contraheret ad solos lapsos ex humana fragilitate.

CAPUT IV.

De materia, & forma Sacramenti pœnitentiæ.

101. Ut in aliis Sacramentis, ita etiam in Pœnitentia duplex est materia, remota, & proxima; vel, ut aliis loqui placet, materia alia est, *circa quam* Sacramentum pœnitentiæ versatur; alia, *ex qua* constat Sacramentum. De prima vix ulla est inter Theologos controversia; multiplex vero de alia.

102. S. Thomas 3. P. quæst. 84. art. 2. sine hæsitatione resolvit, materiam remotam pœnitentiæ esse peccata, *non acceptanda, sed detestanda, & destruenda*. Cum autem triplex sit peccatum, originale, actuale mortale, & actuale veniale, in resp. ad 3. subdit, pœnitentiam *proprie & principaliter* esse de peccato actuali mortali; „ proprie quidem, quia proprie dicimur pœnitere de his, quæ nostra voluntate commisimus; principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis hoc Sacramentum est principaliter institutum. De peccatis autem venialibus est quidem pœnitentia proprie, inquantum sunt nostra voluntate facta; non tamen contra hæc principaliter est hoc Sacramentum institutum."

103. „ De peccato originali, pergit Angelicus, pœnitentia nec principaliter est (quod contra ipsum non ordinatur hoc Sacramentum, sed magis baptismus) nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum: nisi forte inquantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apostolus dicit " Rom. V. 12. In quo omnes peccaverunt. „ Inquantum tamen large accipitur pœnitentia pro quacumque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali (*a*)."

104. Haud ita facile est definire, quænam sit Sacramenti pœnitentiæ materia *proxima*, dissidentibus *primum* ab Ecclesia Catholica hæreticis, quorum error damnatus fuit: *deinde*, dissidentibus inter se Theologis, quorum sententiæ impune defenduntur. Nos hæreticorum errorem breviter refutabimus; Theologorum vero sententias satis erit referre.

105. Lutherani duas esse volunt pœnitentiæ partes essentiales, contritionem, & fidem. Nomine autem contritionis non intelligunt nobiscum voluntarium animi dolorem ex consideratione offensæ Dei in nobis excitatum, sed *interiores conscientiæ angores*, atque *terrores*, *ex vera peccati agnitione*, ut expresse continetur in *Confessione Augustana* art. 2., & ut loquitur post Lutherum Jo. Gerhardus Loco XVI. cap. 7. §. 41.; & nomine fidei non intelligunt fidem *historicam*, vel *dogmaticam*, qua veritates a Deo revelatæ credundur, & quæ totius justificationis radix, & fundamentum est, sed fidem promissionum, qua pœnitens peccatorum veniam sibi datam esse, certo credat. Vide, quæ diximus Tom. VI. P. II. Dissert. II. cap. 2.

106. Hunc Lutheranorum errorem damnavit Synodus Tridentina Sess. XIV. cap. 3., ubi de proxima pœnitentiæ materia, seu de ejus partibus ita loquitur: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*. Et postea eorum sententiam damnat, *qui pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt*. Et can. 4. *Si quis dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis, sibi per Christum remissa peccata, anathema sit*.

107. Sane terrores conscientiæ incussos ex cognitione peccati plurimum valere ad excitandam in nobis pœnitentiam, non inficiamur; manifestum est tamen, eos non sufficere. Christus enim non dixit, peccata fuisse mulieri remissa, quoniam timuit, sed quoniam *dilexit multum*. Multoque est absurdius, ut pars pœnitentiæ ponatur illa certitudo fidei, qua quis credat sibi remissa esse peccata; nam primo illa certitudo, seclusa divina revelatione, haberi non potest; *deinde* etiamsi haberetur, esset ipsa pœnitentia posterior, seu effectus, non autem pars, vel materia.

108. Calvinus Lib. III. *Institut.* cap. 3. num. 8. pœnitentiam duabus constare partibus & ipse dicit, sed sensu a Lutheranis diverso, scilicet *mortificatione carnis, & vivificatione spiritus*. Qui-

(*a*) Ex postremis his verbis perperam quis excusaverit damnatam illam ab Alexandro VIII. propositionem: *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali*; damnata est enim illa propositio in sensu Lutheranorum, & Calvinistarum, qui peccatum originale reponebant in vitiosa, ac rebelli concupiscentia carnis, quæ etiam post baptismum remanet; quem errorem jam proscripserat Trid. Synodus Sess. V., & nos data opera confutavimus Tom. IV. Dissert. III. sect. 3. cap. 1.

Quilibet tamen facile intelliget, utrumque esse pœnitentiæ effectum, non partes essentiales. Ille enim, quem vere pœnitet, debet veterem hominem exuere, & novum induere, ut Calvinus ipse eodem loco multis testimoniis Scripturæ sacræ verbosius explicat, quamvis sibi aperte repugnet, dum vult, ita per pœnitentiam hominem vivificari, ut plane regeneretur, & Dei imago fœdata per peccatum, ac pene obliterata in ipso reformetur: & postea contra veteres Patres, immo & contra ipsum S. Augustinum, obstinate contendit, *in Sanctis, donec mortali corpore exuantur, semper esse peccatum*, nempe concupiscentiam carnis, quam vere culpabilem esse docet. Quomodo enim simul cum regeneratione, & novo homine veterem Adam componet, & cum imagine Dei culpabilem concupiscentiam? Vid. quæ contra hanc sententiam a Synodo Trid. anathemate proscriptam diximus Tom. IV. Dissert. III. sect. 3. cap. 1.

Sententiæ Theologorum Catholicorum.

109. Omnes, quotquot sunt, orthodoxi Theologi in recipienda doctrina Concilii Trid. de tribus hujus Sacramenti partibus, *Contritione*, *Confessione*, *&* *Satisfactione*, corde, & ore consentiunt; & solum in controversiam vocant, an istæ tres partes proprie sint Sacramenti materia proxima? Quam controversiam intactam esse voluerunt Patres Tridentini (*a*). Præcipuæ autem Scholasticorum opiniones hæ sunt.

110. Prima Thomistarum, qui duce Angelico volunt, omnes tres enumeratas partes esse *proprie dictam* materiam, *ex qua* conficitur Sacramentum pœnitentiæ. Nam S. Præceptor 3. P. quæst. 84. art. 1. ad 1. & 2. dixerat, *actus humanos sensibiles* esse in hoc Sacramento *loco materiæ;* art. autem 2., *materiam proximam* hujus Sacramenti esse actus pœnitentis: quæst. postea 90. art. 1. inquit: *dictum est supra; quod in Sacramento pœnitentiæ actus humani se habent per modum materiæ; & ideo cum plures actus humani requirantur ad pœnitentiæ perfectionem, scilicet contritio, confessio, & satisfactio, consequens est, quod Sacramentum pœnitentiæ habeat partes*, scilicet tres enumeratas, quas postea ad Sacramentum hoc pertinere ostendit art. 2.

111. Hæc Thomistarum sententia communior est inter Theologos, maxime post duo generalia Concilia, Florentinum, & Tridentinum, in quibus definitum fuit, memoratos tres actus pœnitentis esse *quasi* materiam hujus Sacramenti. Quid autem significet illa particlua *quasi*, explicat Estius in IV. Dist. XV. §. 2., quia materia hujus Sacramenti non est aliquid corporeum, cujusmodi sunt aqua, oleum, panis, vinum, sed actiones pœnitentis, quæ non ita *proprie* materia vocari possunt. Et clarius loquitur Catechismus Rom. P. II. cap. 5. num. 13. his verbis: *Neque vero hi actus quasi materia a S. Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, & chrisma in Confirmatione*. Hic non immerito gloriantur Thomistæ, suam, & Angelici Præceptoris doctrinam menti Ecclesiæ esse conformem: non tamen dicunt, eam esse a Conciliis definitam; nam aliæ aliorum sententiæ damnatæ non sunt, & palam in Ecclesia docentur, & defenduntur, præcipue autem illa insignis Scotistarum scholæ,

112. Quæ una cum Doctore subtili materiam hujus Sacramenti vult esse absolutionem a Sacerdote pœnitenti impertitam. Hanc enim dupliciter spectari posse isti Theologi dicunt, & quatenus significat effectum Sacramenti, & quatenus est ritus sensibilis: sub priori respectu esse formam, sub altero materiam proximam Sacramenti. Hæc opinio magnos habuit patronos, cum ante, cum post duas memoratas Synodos œcumenicas, Florentinam, & Tridentinam. Eamdem enim etiam ante Scotum tenuerant Robertus Pullus Cardinalis, & Steph. Langhtonus Archiepiscopus Cantuariensis; multoque plures eidem suffragati sunt, postquam Scotus eam illustravit, & non contemnendis argumentis communivit. Inter hos numerantur Ochmanus, Jo. Major, & Jac. Almainus: ac denique post Tridentinum Concilium eidem adhæserunt nobilissimi Theologi, ut Jo. Maldonatus *De Pœnitent;* ubi nostram sententiam vocat *communiorem*, sententiam vero Scoti *veriorem*, Andreas Vega, illustris Franciscani Instituti Theologus, qui Concilio Trid. interfuit, aliique non pauci.

113. Tertia est sententia Guillelmi Antissiodorensis *de Pœnit.* cap. 3., Alexandri Halensis P. IV. *Summæ* quæst. 5. memb. 1. art. 1., & quorumdam veterum, qui materiam proximam Sacramenti pœnitentiæ dixerunt esse impositionem manuum, quæ tamen sententia postea a scholis exulavit. S. Thomas 3. P. quæst. 84. art. 4. probat, impositionem manuum non requiri ad hoc Sacramentum. Sane nec Concilium Trid., neque Florentinum ullam fecerunt impositionis manuum mentionem, cum tamen nihil omiserint eorum, quæ ad plenam hujus Sacramenti perceptionem pertinent. Negari autem non potest, impositionem manuum in reconciliatione pœnitentium tam publica, quam privata fuisse longo annorum decursu

(*a*) Vid. ejusdem Concilii historiographus Cardin. Pallavicinus Lib. XII. cap. 12., qui fortasse nimis subtiliter observat, cap. 2. & can. 4. Synodum declarasse *prænominatos pœnitentis actus non esse partes Sacramenti, sed pœnitentiæ, quatenus ex Dei institutione requirantur ad integritatem Sacramenti, & ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem*. Eamdem explicationem adhibuit Maldonatus *de pœnitentia*. [illegible] tamen in Trid. Concilii capite sic lego: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus &c.*

su usitatam; adeo ut Sacramentum pœnitentiæ soleret designari nomine impositionis manuum. Nunc etiam in Rituali Romano Confessario præcipitur, ut *dextera versus pœnitentem elevata dicat &c.* (a).

114. *Quarta* sententia est Durandi, viri docti, sed qui libenter a communi aliorum opinione recedebat; contendit autem in Dist. 16., proximam Sacramenti materiam esse pœnitentis confessionem; contritionem autem præcedere debere, ut dispositionem; satisfactionem demum esse pœnitentiæ fructum. Nunc pauca de

Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

115. De hujus Sacramenti forma ita præclare disserit S. Thomas 3. P. quæst. 84. art. 3. „ In „ qualibet re perfectio attribuitur formæ. Dictum „ est autem supra (art. 1. ad 2.), quod hoc Sa„ cramentum perficitur per ea, quæ sunt ex par„ te Sacerdotis; unde oportet, quod ea, quæ sunt „ ex parte pœnitentis, sive sint verba, sive fa„ cta, sint quædam materia hujus Sacramenti: „ ea vero, quæ sunt ex parte Sacerdotis, se ha„ beant per modum formæ. Cum autem Sacra„ menta novæ legis *efficiant*, *quod significant*, „ oportet, quod forma Sacramenti significet id, „ quod in Sacramento agitur proportionaliter ma„ teriæ Sacramenti; unde forma Baptismi est, „ *Ego te baptizo*, & forma Confirmationis est, „ *Consigno te signo crucis*, *& confirmo te chri„ smate salutis*: eo quod hujusmodi Sacramenta „ perficiuntur in usu materiæ: in Sacramento au„ tem Eucharistiæ, quod consistit in ipsa conse„ cratione materiæ, exprimitur veritas consecra„ tionis, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*. “

116. „ Hoc autem Sacramentum, scilicet pœ„ nitentiæ, non consistit in consecratione alicujus „ materiæ, nec in usu alicujus materiæ sanctifi„ catæ, sed magis in remotione cujusdam mate„ riæ, scilicet peccati, prout peccata dicuntur es„ se materia pœnitentiæ. Talis autem remotio „ significatur a Sacerdote, cum dicitur, *Ego te „ absolvo*: nam peccata sunt quædam vincula, „ secundum illud Proverb. V. 22. *Iniquitates suæ „ capiunt impium; & funibus peccatorum suo„ rum quisque constringitur*. Unde patet, quod „ hæc est convenientissima forma hujus Sacra„ menti, *Ego te absolvo*. “ Vid. Opusculum XXII. *De forma absolutionis*, ubi refutat assertionem cujusdam Theologi dicentis, *quod Sacerdos absolvendo uti non debet hac forma*, *Ego te absolvo*.

117. Cum autem sibi objecisset Angelicus, a Christo non fuisse hanc formam institutam, & Ecclesiam in quibusdam absolutionibus non uti oratione *indicativa*, sed potius *deprecativa*, *Misereatur vestri omnipotens Deus &c.*, vel *Absolutionem, & remissionem tribuat nobis omnipotens Deus* &c. ita.

118. Respondet ad 1. „ quod ista forma assu„ mitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petro di„ xit, Matth. XVI. 19. *Quodcumque solveris su„ per terram &c.*, & tali forma Ecclesia uti„ tur *in Sacramentali absolutione*. Hujusmodi „ autem absolutiones in publico factæ non sunt „ *Sacramentales*, sed sunt *orationes quædam „ ordinatæ ad remissionem venialium peccato„ rum*. Unde in Sacramentali absolutione non „ sufficeret dicere, *Misereatur tui omnipotens „ Deus &c.*, vel *absolutionem, & remissionem* „ &c., quia per hæc verba Sacerdos absolutio„ nem non significat fieri, sed petit, ut fiat. „ Præmittitur tamen etiam in Sacramentali abso„ lutione talis oratio, ne impediatur effectus Sa„ cramenti ex parte pœnitentis, cujus actus *ma„ terialiter quodammodo* se habent in hoc Sa„ cramento, non autem in Baptismo, vel in „ Confirmatione. “

119. In resp. autem ad 3. observat Angelicus, iis verbis *Ego te absolvo* additam fuisse invocationem sanctissimæ Trinitatis *In nomine Patris* &c., ut appareat, Sacerdotem absolvere, non potestate sua propria (nam potestas absolvendi a peccatis est solius Dei) sed *instrumentaliter in virtute divina*, *quæ interius operatur in omnibus Sacramentalibus signis*, *sive res sint*, *sive verba*. *Quia tamen*, subdit Angelicus, *hoc non est determinatum ex verbis Christi*, *sicut in baptismo*, *talis appositio relinquitur arbitrio Sacerdotis*.

120. Objicit iterum sibi S. Thomas, non posse Sacerdotem absolute dicere pœnitenti: *Ego te absolvo*, nisi ei divinitus reveletur, pœnitentem esse sic dispositum, ut seipsa Sacramenti fructum recipiat. Sed ita

121. Respondet ad 5.: „ Sacramenta novæ le„ gis, non solum significant, sed etiam faciunt, „ quod significant. Unde sicut Sacerdos baptizan„ do aliquem, ostendit hominem interius ablutum „ per verba, & facta, & non solum *significati„ ve*, sed etiam *effective*; ita cum dicit, *Ego „ te absolvo*, ostendit hominem absolutum, non „ so-

(a) Eruditissimus Jo. Morinus in *Comment. histor. de sacr. Pœnit.* Lib. VIII. cap. 15. probandum sibi sumpsit, reconciliationem per annos 1250., tam privatim, quam publice cum manus impositione factam fuisse; immo addit etiam quosdam certissimos testes temporum posteriorum, præcipue autem S. Carolum Borromæum, qui in Concilio V. Provinciali de manus impositione in Sacramento pœnitentiæ ita Confessario præcipit: *Quod in Ecclesia antiqui instituti, veterisque consuetudinis est, recte omnino servet, ut dum absolutionis formulam, precesque adjunctas profert; supra caput pœnitentis manum dexteram elevet; id quod etiam cum mysterii significatione fit*. Loco ergo impositionis, quæ propter structuram sedis confessionalis modo fieri non posset, sufficiet manus elevatio.

„ solum *significative*, sed etiam *effective*. Non „ tamen loquitur, quasi de re *incerta*; quia sicut alia Sacramenta novæ legis habent de se „ certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis; ita etiam & in hoc Sacramento...... Unde nec Sacerdos indiget speciali revelatione sibi facta, „ sed sufficit generalis revelatio fidei, per quam „ remittuntur peccata."

122. His omnibus accedit irrefragabilis Concilii Tridentini auctoritas, quod Sess. XIV. cap. 3. docuit, *Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ejus vis sita est, in illis ministri verbis positam esse*, Ego te absolvo &c., *quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ*. Id fuerat antea ab Eugenio IV. in Concilio Florentino pro instructione Armenorum definitum.

123. Negari quidem non potest, quod Morinus fuse probat Lib. VIII. *De pœnit.* cap. 8. & seq., antiquitus ordinariam, & vulgarem absolutionis formam fuisse *deprecatoriam*, cujusmodi etiam modo viget apud Grecos, ut ipsorum euchologia testantur. Sed quantum ad Latinos, in eo nimius est Morinus, quod velit ubique formam deprecatoriam in Ecclesia latina obtinuisse usque *ad annum salutis ducentesimum supra millesimum*; immo inferius addat, *ante annum Christi* 1300. *non obtinuisse*, ut ordinariis precibus formula adderetur indicativa.

124. Et multa quidem afferri possent, ut ostenderetur multo ante sæc. XII. usum cœpisse formulæ *indicativæ*, sed hoc sufficiat, quod Principes scholarum Sæc. XIII., Alexander Halensis, & S. Bonaventura de forma absolutionis indicativa loquantur, tamquam de forma ubique apud Latinos recepta, eamque solam valere docent; quod certe non docuissent, si hæc formula vel recenter introducta fuisset, vel non fuisset universim recepta. Præcipue autem attendendus S. Thomas, qui in prælaud. Opusc. XXII. assertionem cujusdam dicentis, quod Sacerdos absolvendo uti non debeat hac forma *Ego te absolvo*, non dubitavit appellare *temerariam*, *& præsumptuosam*; cap. autem 3. eam dicit oppositam *communi sententiæ magistrorum Parisiis regentium*. Itane vero, si forma illa indicativa fuisset ante paucos annos in Ecclesiam latinam invecta? Ut enim demus, ea tempestate non fuisse adhuc detecta vetustissima illa monumenta, quæ Morino præsto fuerunt, nemo certe suspicabitur, omnes illos Magistros, & Doctores scholasticos eorumque principem S. Thomam, etiam illa penitus ignorasse, quæ seculis superioribus non admodum remotis obtinebant. Multo igitur ante Sæc. XII. forma indicativa apud Latinos in usu fuerat (a).

125. Quantum vero ad Græcos pertinet, noster P. Jac. Goar, eorum rituum peritissimus, not. in *Orationes* ἐπὶ τῶν μετανοούντων observat, formam Græcorum *deprecativam* posse ad *indicativam* reduci; cum enim Deum ita rogant ἄνες, ἄφες συγχώρησον *dimitte*, *relaxa*, *condona*, subintelligunt *per me*. Et iterum τὸν δοῦλόν σου τῷ λόγῳ λυθῆναι εὐδόκησον *compłaceat tibi*, *solvi hunc servum tuum verbo*, supplendum *meo*. Hæc duo supplementa tacite in ea formula contineri, ex eo fit verisimile, quod in secunda oratione aperta fit mentio potestatis solvendi a Christo suis ministris collatæ; additur quippe hæc causalis: *Tu enim dixisti, Domine, quæcumque solveritis super terram &c.* Ceterum forma a modernis Græcis usitata hæc est: Pœnitenti roganti, *Precor, ut veniam mihi eroges*, respondet Sacerdos: *Habeo te venia donatum*, aut *condonatum*. Quæ verba formæ Latinorum æquipollere, fuse demonstrat Petrus Arcudius Lib. IV. cap. 3. *De Concordia Ecclesiæ orientalis, & occident.*, ubi affert hanc aliam Græcorum formulam: *Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem absolvendi, absolve hunc a peccatis suis*. Plura vide apud laud. Goarium, & Arcudium.

126. Sed quidquid id sit, cum nullibi legatur, aut Christum Dominum, aut Apostolos verba formæ hujus Sacramenti præcise determinasse, potuit Ecclesia justis de causis præcipere, ut forma indicativa adhiberetur, quæ, ut probat S. Thomas, verbis institutionis hujus Sacramenti conformior est. Id reipsa præstitit Ecclesia in duobus œcumenicis Conciliis, Florentino, & Tridentino, a quorum statutis recedere fas non est; unde Clemens VIII. præcepit Præsbyteris Græcis, ut si in casu necessitatis debeant aliquem Latinum absolvere, utantur forma in Concilio Florentino præscripta. Ita in *Instruct. super ritibus Græcorum* anno 1595.

CAPUT V.

De Contritione.

127. Tres esse pœnitentiæ Sacramenti partes, nempe *contritionem*, *confessionem*, *& satisfactionem*, definitum jam vidimus a Sacros. Trid. Sy-

(a) P. Edm. Martene Lib. *De ant. Eccl. ritibus* cap. 6. art. 5. num. 12. postquam dixisset, formulam in reconciliatione pœnitentium adhiberi solitam fuisse non *indicativam*, sed *deprecativam*, subdit: *Fatendum tamen est, in plerisque* (Ritualibus) *una cum orationibus reconciliatoriis formulas quasdam absolutionis indicativas reperiri*: ad quod probandum quatuor Codices producit, *vetustate*, *& antiquitate plane venerandos*. Postea addit duo Concilia sæculi XIII., Londinense an. 1268., & Nemausense ann. 1284., in quibus forma absolutionis indicativa præscripta fuit.

Synodo Sess. XIV. cap. 2. & can. 4. Sed ut dogmatica hæc Ecclesiæ definitio qua par est diligentia, contra vanos hæreticorum conatus defendatur, de singulis accurate agendum est: omnes enim, & singulas hæretici oppugnant (*a*). Primum itaque de Contritione.

128. Hæc autem prima, & potissima Sacramenti pars definitur a Concilio Trid. Sess. XIV. cap. 4. *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Huic tamen definitioni, licet optimæ, utpote a tam celebri Synodo nobis datæ, aliqui illud additum cupiunt: *& etiam cum proposito confitendi, & satisfaciendi*, ut aliæ pœnitentiæ partes includantur. Unde S. Thomas in Supplem. quæst. I. art. I. contritionem definivit *dolorem de peccatis assumptis cum propositio confitendi, & satisfaciendi* (*b*).

129. Porro hic dolor dicitur *animi*, non corporis. „ Monendi sunt fideles, inquit Catechismus „ Rom. num. 24., ne arbitrentur, eum dolorem „ corporis sensu percipi: contritio enim est vo„ luntatis actio; & S. Augustinus testatur, dolo„ rem pœnitentiæ comitem esse, non pœnitentiam. „ Verum peccati detestationem, & odium doloris „ vocabulo Patres significarunt; tum quia sacræ „ litteræ ita utuntur; inquit enim David: *Quam„ diu ponam consilia in anima mea, dolorem „ in corde meo per diem?* tum quia dolor in „ inferiore animæ parte, quæ vim concupiscen„ di habet, ex ipsa contritione oritur; ut non in„ commode contritio dolor definita fuerit, quod „ dolorem efficiat, ad eumque declarandum pœ„ nitentes vestes etiam mutare soliti sint. "

130. Additur dolori *detestatio*, ad significandum, quod sup. n. 4. & seq. contra Novatores non indiligenter ostendimus, pœnitentiam non solum *resipiscentiam*, seu vitæ mutationem, sed etiam præteritorum criminum odium, ac detestationem complecti debere, quod ibidem Synodus sacrosancta declarat.

131. Ponitur postremo *propositum non peccandi de cetero;* quod debet esse conjunctum *cum voto præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur*, ut Patres Tridentini ibidem definierunt, nempe confessionem, & satisfactionem.

132. Hæc contritio, juxta doctrinam eorumdem Patrum Tridentinorum, dividitur in *perfectam*, & *imperfectam*. *Primam* dicunt *charitate perfectam*, quæ oritur ex amore Dei super omnia dilecti, nimirum ex charitate, & quidem fervente, atque intensa; & quæ proinde *hominem Deo reconciliat, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*, quamquam non sine ejusdem Sacramenti voto, quod in ipsa contritione includitur: alteram vero, quæ *attritio* vocatur, illam esse, *quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur*. Porro *contritionis* nomen tam in sacris litteris utriusque testamenti, quam in vetustis Ecclesiæ Patribus sæpe occurrit; non ita vero nomen *attritionis*, cujus primam mentionem fecisse inveniuntur circa dimidium Sæc. XIII. Guillelmus Parisiensis, Alexander de Hales, & Albertus Magnus, ut post Morinum Lib. VIII. *De Pœnit.* cap. 2. fatetur Benedictus XIV. Lib. VII. *De Syn. Diæc.* cap. 3. Nobis tamen sufficere debet summa Concilii Trid. auctoritas, a quo fuit post Scholasticos hoc vocabulum usurpatum. Sed de attritione postea, nunc de contritione, de qua breviter quæremus duo: *primo*, an contritio charitate perfecta cum voto confessionis ante ipsam confessionem semper justificet? (*c*) *Secundo*, an ad Sacra-

(*a*) Nota est execranda illa Lutheri blasphemia in Lib. contra Lovanienses propos. 37. *Pœnitentia tradita a Lovaniensium Synagoga, scilicet, quod sit contritio, confessio, & satisfactio, nulla est, nisi Judæ proditoris, & similium, & ideo ut hæretica est damnanda.* Quæ tamen partium pœnitentiæ divisio a sanctis Patribus hausta est: nam S. Joan. Chrysostomus Hom. II. *De Pœnit.* has tres pœnitentiæ partes, *oris confessionem, cordis contritionem, & operis satisfactionem* ex sacris litteris aperte distinguit Tom. II. p. 287. Et S. Augustinus in Psalm. CXLVI. Deus, inquit, *sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes.* Luthero solemne erat, venerandos Ecclesiæ Patres, quando absurdis suis opinionibus opponebantur, pauci facere.

(*b*) Ibidem Angelicus originem hujus nominis exponit, observans discrimen *inter fractionem, & comminutionem, sive contritionem, in rebus materialibus, unde hæc nomina ad spiritualia transferuntur: quod frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur, sed comminui, vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in se solidum erat. Et quia ad dimissionem peccati requiritur, quod affectum peccati homo totaliter dimittat, quem per quamdam continuitatem, & soliditatem in sensu suo habebat, ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem.* Alii attritionem dictam volunt ex similitudine corporis duri, quod solum in superficie atteritur. Quod etiam S. Doctor probat in IV. *Sent.* Dist. 17. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. Sed hæc levioris sunt momenti.

(*c*) Id negat Guill. Estius in IV. Dist. XVII. §. 2. & seq. contendens, id fieri *aliquando;* nempe in casu necessitatis, deficiente Confessarii copia, non tamen *ordinarie*, neque *frequenter*, ac multo minus *semper;* suam tamen opinionem nonnisi ut *probabilem* exponit, & aliquibus argumentis communire satagit, atque ea diluere, quæ illi objiciuntur. Bellarminus Lib. II. *De Pœnit.* cap. 13. aliquem Doctorem anonymum vehementer confutat, quod adversus communem Theologorum sententiam scripserit, catechumenis, & pœnitentibus, quamvis perfecte conversis, & charitate flagrantibus, non remitti peccata, sive reatum mortis æternæ, nisi cum vel baptizantur, vel reconciliantur ministerio Sacerdotum, *nisi forte in mortis articulo*. Aurelius Piette inclytæ Eremitarum S. Augustini Familiæ alumnus, & Lovaniensis Academiæ insignis Theologus in IV. P. *Elucidationis difficiliorum Theol. quæstionum*

cramentum pœnitentiæ necessaria omnino sit contritio charitate perfecta? (*a*).

PROPOSITIO I.

Contritio perfecta ex charitate intensa cum voto confessionis pœnitentem plene justificat.

133. Prob. ex perspicuis Concilii Tridentini verbis Sess. XIV. cap. 4.: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Hac doctrina manifeste declarat Sacros. Synodus, contritionem non quidem *semper*, sed saltem *aliquando* esse ita charitate perfectam, ut peccatores statim justificet, etiam ante actualem pœnitentiæ Sacramenti receptionem.

134. Tridentinæ autem Synodi mentem dilucide explicavit idem Catechismus P. II. cap. 5.; ubi plura ad contritionis naturam, vim, & efficaciam declarandam affert. *Primo* enim num. 27. docet, perfectam contritionem esse *actionem charitatis*, adeoque *eumdem contritionis, & charitatis modum statuendum esse. At quoniam*, subdit, *charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit, ut contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat.* Et multis allatis ad hanc contritionis, & charitatis æqualitatem demonstrandam, concludit, contritionem esse debere, *non solum maximam, sed vehementissimam, atque ideo perfectam.* Inde postea infert n. 36., quantum sit confessionis beneficium; quamvis enim certum sit, contritione peccata deleri, „ quis ignorat, inquit, illam adeo vehementem, acrem, & intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori rationi communi hominum saluti consuleret: quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni cælestis Ecclesiæ tradidit. Etenim ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum est, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti, ac condonari &c."

135. Hæc libri Ecclesiæ nostræ symbolici longe gravissimi, & a summis Pontificibus maximopere commendati testimonia liquido ostendunt, contra nonnullos Rom. communionis Theologos, esse aliquam contritionem adeo vehementem, & perfectam, ut ante actualem confessionem omnia peccata deleat, & pœnitentem Deo reconciliet; esse tamen aliam minus vehementem, minusque perfectam, quæ nonnisi adjuncta confessione eumdem præstet effectum.

136. Momentosæ adeo Catechismi auctoritati aliquod pondus adjiciet doctrina S. Thomæ; unde idem Catechismus fuit maxima ex parte concinnatus. Jam vero Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 113. art. 10. agens de justificatione impii, hunc esse docet „ *communem, & consuetum cursum* justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum; *primo* quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat; quia *charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*, ut dicit Augustinus Epist. 106. Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut statim quamdam perfectionem justitiæ assequatur."

137. Plura cum ex sacris litteris, tum ex sanctis Patribus suppeditabunt Card. Bellarminus Lib. II. *De pœnit.* cap. 13. Dan. Concina *Theol. Christ.* Tom. IX. Dissert. II. cap. 5. Ben. Hyac. Drouven *De re Sacram.* Lib. VI. quæst. 4. cap. 2., Jo. Vinc. Patuzzi in *Ethica Christ.* Tract. X. cap. 2., & alii passim Theologi.

138. Illud vero maxime notandum, nonnullas fuisse a summis Pontificibus Pio V., & Gregorio XIII.

quæst. 7. multis argumentis evincere conatus est, non omnem amorem Dei *super omnia* stata lege justificare, atque oppositæ sententiæ argumenta solvere. Aliqui alii allegari possunt ejusdem sententiæ patroni, sed non multi.

(*a*) Affirmantem sententiam olim tenuerunt nec pauci, nec infimi subsellii Theologi; immo fere omnes Theol. scholasticæ proceres, ut Hugo a S. Victore, Rich. Victorinus, Rob. Pulius Cardin., Petrus Lombardus, Alexander Halensis, Guillelmus Antissiodorensis, Albertus Magnus, S. Raymundus, & Seraphicus Doctor S. Bonaventura; quorum testimonia collegit diligentissimus Witassius Tom. V. Immo si Morino credimus Lib. VIII. *De Pœnit.* cap. 3. num. 11., antiqua sententia de necessitate contritionis ante absolutionem concipiendæ usque ad tempus Concilii Trid. semper prævaluit, maximique viri, & magno numero eam mordicus defenderunt; & solum post Concilium Trident. major Doctorum pars sensim in aliam, quæ docet, attritionem sufficere, inclinavit, quibus visum est, oppositam esse nimis severam, & efficaciæ Sacramentorum non satis tribuere. *Non defuerunt tamen*, subdit Morinus, *Doctores insignes post illud tempus in hunc usque diem, nec contemnendi numero, quorum aliqui Concilio interfuerunt, qui antiquam sententiam propugnaverunt, aliisque longe præposuerunt.* Hanc opinionem, quæ sensim ac sensim e scholis exulavit, restituere conatus est Neerkassel Episcopus Castoriensis in suo *Amore pœnitente*, quem peculiariter Gaspar Juenin refutavit.

XIII. damnatas Baji propositiones, quæ sententiæ, quam oppugnavimus, videntur affines, utpote quibus asserebatur, charitatem perfectam posse esse sine remissione peccatorum, ut 31., 32. 70. & maxime 71., his verbis concepta: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti* (*a*).

PROPOSITIO II.

Ad Pœnitentiæ Sacramentum non est necessaria contritio charitate perfecta.

159. Hæc propositio sequitur ex præcedente, qua demonstratum est, per contritionem charitate perfectam pœnitentem justificari ante ipsam Sacramenti susceptionem. Si ergo hæc contritio necessario requireretur, jam omnes, quotquot ita dispositi ad hoc Sacramentum accederent, essent ante actualem ipsius receptionem justificati, cum tamen sancta Synodus declaraverit, esse aliam contritionem *imperfectam*, seu *attritionem*, quæ *quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*.

140. Patet etiam veritas nostræ propositionis ex iis, quæ supra num. 133., & 134. attulimus ex Concilio Trid., & Catechismo Rom. Si enim solum *aliquando* contingit, contritionem esse charitate ita perfectam, *ut hominem reconciliet Deo*, quemadmodum sancta Synodus loquitur, & si necesse fuit, Sacramentum pœnitentiæ institui, quia *pauci admodum* pervenire possunt ad illam contritionem *vehementem*, *acrem*, *intensam*, quæ necessaria est; ut peccata ante Sacramentum deleantur, sicut declarat Catechismus; si inquam hæc vera sunt, ut sunt profecto verissima, pro certo supponitur, eos pœnitentes vere absolvi, qui perfecta hac contritione carent, adeoque eamdem non esse dispositionem ad Sacramentum omnino necessariam.

141. Sed hic statim obvia est quæstio, quinam, & quantus sit hic contritionis gradus, qui sufficiat ad reconciliandum peccatorem ante ipsam absolutionem? S. Thomas in Supplem. quæst. 5. art. 3. inquirens, utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum, respondet, in contritione duplicem esse dolorem, *unum rationis, qui est displicentia peccati commissi, & hic potest esse parvus adeo, quod non sufficiat ad rationem contritionis ... sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem charitatis*. Alium postea dolorem distinguit Angelicus positum *in sensu*, *& parvitas hujus*, inquit, *non impedit rationem contritionis, quia non se habet essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidente ei adjungitur; & iterum non est in potentia nostra*. Ex qua doctrina liquido apparet, non omnem rationis dolorem, & amorem etiam *parvum*, & *remissum* ad veram contritionem, & charitatem sufficere. Sed postea illum determinare hujus doloris gradum, qui ad justificationem sufficiat, haud facile est; unde idem Angelicus 3. P. quæst. 80. art. 4. ad 5. *Homo*, inquit, *per certitudinem scire non potest*, *utrum sit vere contritus*.

142. Hanc vim justificandi absque Sacramento communiter Theologi tribuunt primario charitatis actui, quo diligitur Deus, ut summum, & infinitum bonum in se, & quidem *super omnia*, quæ dilectio Dei *super omnia*, judice S. Thoma, debet inveniri etiam in infimo charitatis gradu; inquit enim Angelicus 1. quæst. 184. art. 3. ad 2.: *Est autem infimus divinæ dilectionis gradus, ut nihil supra Deum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur, a quo perfectionis gradu qui decidit, nullo modo implet præceptum*, scilicet divinæ dilectionis. Quidam tamen sunt, qui exigunt quoque certum intensionis gradum, ut scilicet Deus non solum *appretiative*, sed etiam *intensive* super omnia diligatur (*b*).

143. Contra *primam* proposit. multa objiciunt, qui

(*a*) Quo in sensu damnatæ fuerint Bajanæ illæ propositiones, non omnino convenit inter Theologos. Sunt enim, qui putant, eas intelligendas esse de charitate habituali, & gratia sanctificante; quo sensu nedum falsæ, sed absurdissimæ forent. Ita P. Aurelius Piette loco sup. laud., qui hanc explicationem tribuit etiam P. Le Drou, & P. Franc. Suarez, cujus verba affert. Alii, monente eodem Aurelio, censent, damnatas propositiones loqui de perfecta *charitate actuali*, *& de perfecta contritione*. Legendus ipse Piette, qui nonnulla habet de Bajo, de Cunero Petri Episcopo Leuwardiensi, de Mart. Rythovio Episcopo Iprensi, aliisque Belgis Scriptoribus scitu digna.

(*b*) Doctissimus P. Joan. Franc. Bern. M. De Rubeis in suo Tract. *De Charitate* cap. 10. hanc materiam illustrat ex doctrina magni Bossueti, qui in Opere inscripto *Schola in tuto* Quæst. I. prop. 27. una cum schola asserit, *Deum, ut in se perfectum, bonumque, & beatum, esse excellentissimum, præcipuum, ac primarium charitatis objectum: Deum vero ut beneficum, ac beatificum, esse minus præcipuum, ac secundarium, alteri subordinatum: tamen per se maximum*. Propos. autem seq. vult, *ita hac motiva ordinata esse, ut Deus in se optimus, ac beatissimus possit quidem cogitari cogitatione abstractiva, ac transitoria, absque eo quod actu, & expresse cogitetur de Deo benevolo, ac benefico: sed Deus benevolus, ac beneficus ne cogitari quidem possit, nisi prius intellecto Deo in se beato, atque optimo, ordine sane naturæ, & per se cognitionis, non tamen semper temporis*. Ac demum propos. 29. *Hæc autem sufficere*, inquit, *ut intelligatur, Deum, ut in se optimum, ac beatissimum, esse specificum objectum, quo sine charitas nec esse, nec intelligi, aut cogitari possit: Deum vero ut benevolum, ac beneficum, motivum esse secundarium, & in primario, saltem virtute, comprehensum*. Hac doctrina supposita infert laud.

qui putant, dilectionem Dei super omnia *extra casum necessitatis* non justificare, nisi cum Sacramento conjunctam. In primis autem utuntur exemplo mulieris peccatricis, quæ ad Jesum Christum accessit, utique contrita, & diligens Deum *super omnia*; & tamen non fuit a suis peccatis absoluta, nisi quando illi dixit Christus Lucæ VII. 48. *Remittuntur tibi peccata tua*. Ubi Estius subtiliter observat discrimen inter dilectionem, & absolutionem; dilectio enim ut præterita enunciatur vers. præced.: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; remissio autem tempore præsenti: *Remittuntur*, ut intelligamus, non tunc fuisse mulierem apud Deum justificatam, quando *multum dilexit*, sed quando Christus eidem plenam absolutionem impertit.

144. Id confirmatur sententiis sanct. Patrum, Augustini, & Gregorii Papæ: quorum primus Hom. XXIII. inter 50. *Accessit*, inquit, *ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit ægra, ut rediret sana*. Gregorius autem Hom. XXXIII. in Evang. de eadem muliere hæc habet: *Nondum lota, sed lavanda ad fontem misericordiæ cucurrit*. Et rursus *Quæ ad medicum venerat ægra, sanata est*. Quibus accedit S. Bernardus in Serm. *de Magdalena* dicens: *Tangit pedes mundi, & mundantis immunda, & vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit*.

145. Resp. hæc omnia intelligenda esse, non *grammaticaliter*, & *litteraliter* de illo præcise instanti, quo mulier peccatrix ad pedes Jesu procubuit, illos lacrymis rigavit &c. Jam enim tunc temporis perfecta contritione omnia peccata sua deleverat; sed de tempore antecedenti, quando adhuc peccatorum sordibus immunda erat, & nondum prædominante charitate purgata. Hanc explicationem nobis suppeditat S. Bernardus Serm. IV. in *Dedicatione Ecclesiæ*, ubi hæc habet: *Errabat* (Pharisæus), *qui tamquam adhuc peccatricem horrebat, quæ divinis inhærens vestigiis, rigabat fletibus, tergebat crinibus, osculo premebat, ungebat unguento. Quis enim crimina jam deleta recenseat, quis tangenti succenseat, quæ dum commissa deplorat, odit iniquitatem? Numquid possibile est, regnare peccatum in animo contrito, & spiritu ingemiscente; aut non multa charitas operit multitudinem peccatorum? Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: merito proinde jam non peccatrix*. Dici etiam potest cum Card. Bellarmino Lib. II. *De pænit.* cap. 13., illa Christi verba: *Remittuntur* &c. esse referenda ad externam absolutionem coram hominibus quibus non constabat de interna absolutione coram Deo. Atque hac eadem ratione explicari debent objecta sanct. Patrum dicta, aliaque ejusdem generis, quæ adjici possent.

146. Idem Bellarminus sibi objicit verba Ananiæ Act. XXII. 16. ad Paulum jam perfecte ad Deum conversum, immo vas electionis a Christo jam factum: *Et nunc quid moraris? Exsurge, & baptizare, & ablue peccata tua*. Respondet autem, hæc omnia, Paulum facere debuisse, quamvis jam justificatum; sicut alii pœnitentes, licet jam justificati, tenentur ad omnia ea adimplenda, quæ Christus pro peccatorum remissione instituit. Nec ita presse accipienda sunt illa verba: *Ablue peccata tua*, quasi nondum per charitatem perfectam abluta fuissent; sed accipi debent in hoc sensu: *Suscipe Sacramentum baptismi*, pro ablutione peccatorum a Christo institutum. Et possumus Paulo adaptare, quod S. Augustinus scribit de Cornelio Quæst. XXXIII. in Num.: *Cornelius audiens, & credens, quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem baptismum cum suis, qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti; verumtamen nec visibile Sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus, lavaret quodammodo vestimenta sua* (a).

147. Ob. Si per contritionem vere delentur peccata, tunc superflua erit absolutio a ministro impertita, aut hæc absolutio non erit *actus judicialis, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata confitentis*; quod tamen asserere sub pœna anathematis a Concilio Trident. Sess. XIV. can. 8. prohibitum est.

148. Resp., fuisse aliquos, referente S. Thoma in Supplem. qu. 18. art. 1., qui hac difficultate pressi dixerunt, absolutionem sacerdotalem ordinari non ad remissionem culpæ, sed tantummodo ad remissionem pœnæ. Hac tamen opinione, ut omnino falsa rejecta, S. Doctor respondet, quod *virtus clavium operatur ad culpæ remissionem, vel in voto existens, vel in actu se exercens, sicut & aqua baptismi*. Unde etiam Synodus Trid. Sess. XIV. cap. 4. cum dixisset, contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, subdit, *ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*. Virtus igitur clavium semper operatur, sive actu, sive in voto. Hinc merito Synodus Constantiensis eam propositionem Wi-

noster Theologus, actus istos charitatis secundarios esse quidem *bonos*, sed tamen *imperfectos*, minimeque *justificantes*, nisi in ipsum Deum *plenissime in se, & sibi bonum* referantur. An vero in hoc primario charitatis actu præter appretiationem Dei *super omnia*, requiratur etiam gradus intensionis super omnia, discutit in cap. subsequ., & affirmative resolvit.

(a) Gaspar Juenin in suo *Comment. Historico, & dogmatico. De Sacram.* Diss. VI. qu. 4. art. 1. §. 4. censet, contritionem in Magdalena, & in Paulo non fuisse illam *caritate perfectam*, quæ ante actualem Sacramenti susceptionem justificat. Cum tamen Ecclesia testum conversionis S. Pauli celebret, credere videtur, ipsum fuisse simul & conversum, & justificatum. Ceterum de attritione, quæ licet aliquo initiali Dei amore sit informata, minime tamen ante Sacramentum justificat, inferius redibit sermo.

Wiclefi damnavit: *Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior, seu Sacramentalis, est sibi superflua, & inutilis.* Et hæc satis mihi videntur de hac controversia, quæ salva fide agitatur inter Theologos; quamvis eorum pars longe major nostræ sententiæ adhæreat. Videri possunt Scriptores sup. n. 137. laudati, qui fusiore calamo hæc pertractarunt, præcipue vero Ren. Hyac. Drouven, qui luculentis argumentis ostendit, sententias a nobis impugnatas esse quidem falsas, numquam tamen ab Ecclesia *solemniter* & *expresse* damnatas; & non paucos, nec ignobiles Theologos allegat, qui etiam post Concilium Trid. iisdem mordicus adhæserunt. Nos ad utiliora properabimus, scilicet ad explicandam illam attritionem, quæ cum Sacramenti perceptione ad pœnitentis justificationem sufficiat.

CAPUT VI.

De attritione. Ostenditur contra Lutherum, timorem servilem esse bonum.

149. Hoc attritionis vocabulum, quot ut supra notavimus n. 132. nonnisi Sæc. XIII. cœptum est usurpari, significat illam contritionem imperfectam, quæ *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur*, ut loquitur sacros. Trid. Synodus Sess. XIV. cap. 4. unde ex eadem sancta Synodo potest attritio definiri *animi dolor, & detestatio peccati commissi, vel ex turpitudinis ejusdem peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concepta, peccandique voluntatem excludens, cum spe veniæ.*

150. Porro, ut ea, quæ dicturi postea sumus de attritione, & quæ sunt maximi momenti, probe intelligantur, aliqua præmittenda sunt de Dei timore. De hoc enim solum loquimur, non de timore naturali, quo naturæ quodam instinctu omnia ea reformidamus, quæ nobis sunt noxia; aut de vano timore mundi, quo a bonis retrahimur, & ad mala perpetranda sollicitamur. Timor itaque Dei ille est, ad quem nos Christus hortatur, dicens Matth. X. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

151. Hic autem timor Dei communiter dividitur a Theologis in castum, seu filialem, servilem, & mixtum. Primus est, quo Deum ut nostrum amantissimum Patrem reveremur, & propterea maximopere cavemus, ne eum aliqua culpa offendamus, atque ab ejus gratia excidamus. *Servilis* autem timor ille est, quo servorum more Deum timemus, propter pœnas, quas suarum legum prævaricatoribus comminatur. *Mixtus* denique est, qui de utroque participat; ut quando quis timet offendere Deum, tum propter ipsius amorem, tum etiam propter pœnas ab eo comminatas. Ita S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 2. inquiens: *Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis, si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis; nam filiorum est timere offensam patris. Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.* De primo hic non est quæstio, quia pertinet ad contritionem, de qua cap. super. dictum est; sed de secundo, & tertio, in quo consistit attritio, & de quo magna post Concil. Trid. exorta est inter Theologos controversia. Prius tamen confutandus est exitiosus Lutheri error, qui omnem timorem servilem, ut culpabilem, & noxium, utpote qui homines faciat hypocritas, & magis peccatores, eliminandum esse contendit (*a*).

CAPUT POSTR.

Timor servilis in seipso est bonus, adeoque non facit homines hypocritas, & magis peccatores.

152. Id mirifice declarat Angelicus noster Præceptor 2. 2. q. 19. art. 4. inquiens: *Timor servilis ex parte servilitatis habet, quod sit malus; servitus enim libertati opponitur... Sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis: species enim moralis habitus, vel actus, ex objecto accipitur. Objectum autem timoris servi-*

(*a*) Mart. Kemnitius in II. P. *Examinis* negat, Lutherum id docuisse; sed facile est ipsum revincere ex ejusdem Lutheri Serm. *De pœnitentia* habito an. 1516., ubi loquens de tristitia pœnitentis, *ponderando peccatorum suorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem*, subdit: *Hæc autem tristitia facit hypocritam, immo magis peccatorem, quia solum timore præcepti, & dolore id fecit: & tales omnes indigne absolvuntur.* Cum autem hic doctrinæ Luther. articulus fuisset a Leone X. damnatus n. 6., Lutherus ira furens contra Leonis bullam, quam petulantissime *execrabilem Bullam Antichristi* appellabat, *Meus*, inquiebat, *certe est articulus, & Christianissimus, quem nihil ab innumerabilibus Papis, & Papistis non sinam extorqueri.* Hunc suum errorem pugnacissime idem Lutherus defendit in celebri disputatione Lipsiensi cum Echio ann. 1519. Magistro suo suppetias tulit Phil. Melanchthon in scurrili *Apologia pro Luthero adv. furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum.* Alii Lutherani, ut Joann. Gerhardus Loco XVI. cap. 8. §. 69., Lutherum excusant, quod non *simpliciter*, & *absolute* improbaverit *servilem* timorem, seu *attritionem*, sed solum pugnaverit contra Sophistas, qui statuunt, pœnitentem ex *attrito* virtute absolutionis fieri *contritum*, & sic justificari. Ceterum Lutherani nec attritioni, nec contritioni, sed soli fidei vim justificandi tribuunt, quod est ipsorum πρῶτον ψεῦδος.

vilis est pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur, tamquam principale malum, quod [redacted] contingit in non habente charitatem: vel quod ordinetur in Deum, sicut in finem; & per consequens pœna non timeatur, tamquam principale malum, quod contingit in [redacted] habente charitatem. Non enim tollitur species habitus per hoc, quod ejus objectum, vel finis ordinatur ad ulteriorem finem. Et ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas ejus mala. Nempe servilitas timoris in eo est, qui ita timet malum pœnæ, ut si illud non esset, a peccando non cessaret; unde etiam hic timor vocatur a Theologis *serviliter servilis*, ut ab alio secernatur, quo propter timorem pœnæ voluntas peccandi excluditur. Aurea hæc S. Thomæ doctrina alte est corde infigenda, ut semper præ oculis habeatur: ea enim omnia fere Lutheranorum sophismata exsufflantur. Timorem itaque servilem sic explicatum esse bonum

153. Prob. *primo* ex sacris utriusque testam. litteris, quæ non uno in loco ipsum commendant. Moyses Exodi XX. 30. *Ut terror illius*, inquit, nempe Dei, *esset in vobis, & non peccaretis*. Hunc ipsum timorem petebat a Deo rex David in Ps. CXVIII. dicens: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. In novo autem test. clara est sententia Christi Domini Matth. X. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus ... sed potius timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam*.

154. Præterea sacræ paginæ utriusque fœderis plenæ sunt comminationum, quibus Deus homines a peccatis deterrere, vel eos ad pœnitentiam revocare semper curavit. Ps. VII. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit*, & quæ sequuntur. Similia ubique occurrunt, ut supervacaneum sit ea simul colligere. Videri possunt Matth. V. XIII. XXIV. XXV. Marci IX. Lucæ XII. &c.

155. Dices. Timor servilis erat spiritus vet. test. spiritus autem novi est amor; unde S. Paulus Rom. VIII. 15. *Non enim*, ajebat, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore*; & 2. ad Timoth. I. 7. *Non enim nobis dedit Deus spiritum timoris*.

156. Resp. cum S. Thoma Lect. III. in cap. VIII. epist. ad Rom. in his excludi timorem serviliter servilem, qui malus est, quia refugit pœnam, sed non odit culpam, juxta ipsius doctrinam n. 151., quam ibidem repetit. Commendatur etiam lex amoris, quæ est proprius N. T. character.

157. Sacris Scripturarum oraculis uno consensu concinunt sancti Patres, qui ad peccatores convertendos sæpissime suppliciorum timorem adhibebant. Unus satis erit Augustinus, quem Lutherani totum in ære suo esse jactant. Innumera autem sunt hujus S. Patris loca, in quibus timorem pœnarum ut maxime salutarem commendat, quamvis ad justificationem minime sufficere, aperte doceat. Unum seligo ex Tract. IX. in epist. 1. S. Joannis admodum celebrem, quia ibi de timore, & amore data opera, & fuse disserit. Plura exscribere non pigebit: *Cœpit aliquis credere diem judicii, si cœpit credere, cœpit & timere; sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii, nondum est in illo perfecta charitas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? .... Timor quasi locum præparat charitati .... si nullus timor, non est, qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primo occupat mentem* &c. Anne malus, & noxius ille timor, qui locum præparat charitati, eamque in animam nostram introducit, sicut seta introducit filum?

158. Deinde ad explicandam illam compunctionem, qua timor nos stimulat, hac utitur similitudine: *Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere ... Plus dolet, cum curatur, quam si non curaretur; sed ideo plus dolet accedente medicina, ut numquam doleat, succedente salute. Occupet ergo cor tuum timor, ut inducat charitatem; succedat cicatrix ferramento medici &c.* Eadem repetit sexcentis in locis, in quibus non aliud agnoscit in peccatoribus charitatis initium, nisi fidem, qua primum Deum cognoscunt, deinde timorem, quo eum timent; & per timorem præbent locum charitati.

159. Augustini magistri sui doctrinam accurate secutus est fidelis discipulus S. Thomas 3. P. qu. 85., art. 7. ubi quærit, *utrum principium pœnitentiæ sit ex timore?* Respondet autem *primo* pœnitentiam, *quantum ad habitum, immediate a Deo infundi sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus*. Horum autem actuum, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, subdit, *primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thr. ult.* 21. Converte nos Domine ad te, & convertemur. *Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ sumit propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non jam propter supplicia. Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert*.

160. Hanc utriusque Sancti doctrinam, præcipue autem Angelici gradationem adoptavit, & consecravit sacros. Trident. Synodus Sess. VI. cap. 6. ita definiens: *Disponuntur autem* (peccatores) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt .... & dum*

pec-

peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. Quas dispositiones postea venerandi illius consessus Patres opportunis sacræ Scripturæ testimoniis confirmarunt.

161. Sess. autem XIV. cap. 4. eadem Synodus Lutheri errorem perstringens definivit, attritionem, quæ *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt.*

162. Neque his decretis contenti Tridentini Patres oppositum Lutheri errorem æterno anathemate damnarunt Sess. VI. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Et Sess. XIV. can. 5. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema sit* (a).

163. Huic inconcussæ Concilii Trid. doctrinæ inhærens Summus Pontifex Clemens XI. in celebri Constit. *Unigenitus* nonnullas Quesnelli propositiones damnavit, quæ proscriptum jam Lutheri errorem suscitare videbantur; nimirum LX. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem:* LXI. *Timor nonnisi malum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore Justitiæ non ducitur:* LXII. *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo:* LXIII. *Baptizatus adhuc est sub lege, sicuti Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore:* LXIV. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando:* & LXVII. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

164. Objiciebat *primo* Lutherus in Serm. *de pœnit.*, metum gravem, qualis est gehennæ, auferre libertatem, & assensum violenter extorquere: homines enim gravi terrore correpti ea coguntur facere, quæ absolute nollent. Reipsa docet Angelicus 1. 2. q. 6. art. 7. ad 2., *quod per metum agitur, quodammodo esse involuntarium .... nam timidus agit contra id, quod etiam nunc secundum se vult.* Jam vero, infert Lutherus, quænam potest esse utilitas in ea pœnitentia, quæ libera non est, sed maximis terroribus extorta, quos excitat gehennæ timor? *Præterea* talis pœnitentia non potest non esse hypocrita; cum pœnitens exterius simulet odium peccati, quod tamen intus in corde amat, & quod iterum libentissime patraret, nisi a ferreis timoris vinculis impediretur; ut enim inquit S. Augustinus Epist. CXLV. ad Anastasium, *qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere.* *Tertio* timor facit homines magis peccatores, quia majorem legis cognitionem inducit, sicut dicit Apostolus Rom. V. 11. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.*

165. Resp. cum S. Thoma (sup. num. 152.), timorem esse malum, non secundum se, sed *ex parte servilitatis*, qua homo non refugit malum spirituale, scilicet peccatum, sed tantum pœnam. Quamobrem sapientissimi Patres Tridentini illum solum timorem dixerunt donum Dei esse, & impulsum Spiritus sancti, qui *voluntatem peccandi excludit*. Hic autem timor non facit actum *absolute* involuntarium, sed solum *secundum quid*, ut loquitur S. Thomas 1. 2. qu. 6. art. 6.; & propterea Ecclesia eos omnes, qui metu pœnarum a fide defecerunt, ut gravissimi & voluntarii apostasiæ criminis reos semper habuit: quod crimen nonnisi diuturnis, & gravissimis pœnitentiis expiari poterat. Vid. S. Thomas 2. 2. quæst. 125. art. 3. & 4.

166. Idem dicatur ad 2. & 3. Quod enim homo hypocrita odium peccati exterius simulet, quod intus in corde amat, non ex natura timoris oritur, sed ex malitia hominis; quemadmodum non ex cognitione legis, sed ex corruptione naturæ fit, ut

(a) Synodus Trid. his verbis usa est, ut oppositum Lutheri errorem juxta ejusdem verba proscriberet. Vid. not. ad n. 151.

ut homo gravius peccet. Audiatur S. Paulus nobis a Luthero objectus in eadem epist. ad Rom. cap. VII. 7. seq. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? absit: sed peccatum non cognovi, nisi per legem.... occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Idipsum verum est de timore servili, qui quamquam in seipso bonus, & utilis sit, viamque ad charitatem introducendam aperiat, hominum tamen malitia, vel infirmitate potest fieri malus; ut cum impii ex timore gehennæ occasionem sumunt, Dei punitoris justitiam odio habendi.

167. Instat Lutherus. Nemo potest aliquid odisse, nisi ejus oppositum diligat, quia amor est prior odio; imo odium oritur ex amore; timor ergo servilis, qui non oritur ex amore justitiæ, non potest odium peccati in nobis gignere, adeoque semper malus est.

168. Resp., odium peccati in timore servili ortum habere ex amore, quo homo seipsum diligens timet peccatum, illudque odio habet, quia est causa pœnarum, quas horret. Sic homo suæ sanitatis sollicitus ea odio habet, quæ quamquam dulcia, & suavia, ipsi nocere possunt. Amor autem sui ipsius, dummodo ordini rationis subjectus, non est malus: ergo nec malus est timor pœnarum, dummodo ab illa servilitate liberetur, quam superius n. 152. cum S. Thoma diximus esse malam; & non solum pœna timeatur, sed etiam peccatum odio habeatur, quod est causa pœnæ.

169. Id præclare explicat S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 6., ubi inquirens, *utrum timor servilis remaneat cum charitate?* ita resolvit: *Timor servilis ex amore sui causatur, quia est timor pœnæ, quæ est detrimentum proprii boni: unde hoc modo timor pœnæ potest stare cum charitate, sicut & amor sui: ejusdem enim rationis est, quod homo cupiat bonum suum, & quod timeat eo privari.* Postea triplicem sui amorem distinguit Angelicus, unum charitati contrarium, quando aliquis *in amore proprii boni finem constituit:* alium, qui in charitate includitur, quando *homo se propter Deum, & in Deo diligit:* tertium, cum *aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen quod in hoc proprio bono non constituit finem.* Et cum dixisset, hunc amorem sui posse cum charitate simul consistere, ita etiam de hoc timore concludit, dicens: *Timor pœnæ distinguitur quidem secundum substantiam a timore casto, quia scilicet homo timet malum pœnale, non ratione separationis a Deo, sed inquantum est nocivum proprii boni; nec tamen in illo bono constituitur ejus finis, unde nec illud malum formidatur, tamquam principale malum; & talis timor pœnæ potest esse cum charitate. Sed iste timor pœnæ non dicitur esse servilis, nisi quando pœna formidatur, sicut principale malum. Et ideo timor inquantum servilis, non manet cum charitate; sed substantia timoris servilis cum charitate manere potest, sicut amor sui manere potest cum charitate.*

170. Obj. *secundo* bene multa S. Augustini testimonia, quibus triumphat Lutherus. Nihil enim frequentius apud hunc S. Patrem occurrit, quam per timorem pœnæ non expelli amorem culpæ, qui amor certe vitiosus est. *Inaniter*, inquit in epist. CXLV., *ille putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.* Multa hujus generis studiose collegit Jansenius Lib. I. *de gratia Christi* cap. 27., & seq., ut evinceret, *ex puro timore pœnæ non posse ita fugi peccatum, ut nullum aliunde peccatum incurratur;* quamvis postea cap. 35. multos recenseat fructus timoris pœnæ, quem propterea *minime exterminandum* censet.

171. Resp. cum S. Thoma 2. 2. q. 19. art. 4. ad 1., Augustinum intelligendum esse de iis, qui timent timore servili, *inquantum est servilis, ut scilicet non amet justitiam, sed solum pœnam timeat.* Sane præter loca superius laudata placet illud plane decretorium S. Doctoris testimonium afferre ex Serm. CLXI. *de verbis Apost.*, ubi postquam nonnulla dixerat de eo, qui abstinet a malo, quia *timet gehennam, timet supplicium ignis æterni, timet judicium Christi, timet societatem diaboli*, subdit, non audere se hunc timorem condemnare, sed solum vult, ut qui ita timet, seipsum interroget, an si Deus non videret, hoc malum facturus esset, & concludit: *si faceres, ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes; serviliter times, formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non sinit.* Itaue vero locutus fuisset magnus iste Ecclesiæ Doctor, si timorem *servilem* malum esse putasset, & per eum homines fieri hypocritas, & magis peccatores?

172. Quid plura? Non solum Augustinus timorem servilem non condemnat, sed nonnulla quæ ex ipso prodeunt bona, variis in locis recenset. *Primum* est, ut a peccando impediat: *alterum*, quod ad dilectionem perducat; quæ duo in loco mox indicato commemorat: *tertium*, quod pravam illam peccandi consuetudinem abrumpat, quam Augustinus *necessitatem* appellabat Lib. I. *Confess.* cap. 5. inquiens: *Ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quartum*, quod fiat consuetudo justitiæ. *Cum per timorem*, inquit S. Pater in Ps. CXXVII., *continet se a peccato, fit consuetudo justitiæ, incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus: postremum* emolumentum, etiam a Synodo Trid. imprimis observatum

Sess.

Sess. VI. cap. 6. est, quod peccatores a divinæ justitiæ timore utiliter concussi, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur. Unde in Ps. mox laud. CXXVII., de timore servili dicebat: *Bonus est iste timor*, *& utilis est*. Et in Serm. CLVII. De verbis Apost. concludebat: *fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*.

173. Obj. ultim. S. Joannes epist. 1. cap. IV. 18. *Timor*, inquit, *non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem*; unde inferebat Lutherus, timorem, qui opponitur charitati, maximæ omnium virtuti, bonum esse non posse.

174. Resp. cum S. Thoma 2. 2. q. 19. art. 10., quod „ timor servilis, quantum ad servilitatem, totaliter tollitur charitate adveniente: remanet tamen secundum substantiam timor pœnæ, & iste timor diminuitur charitate crescente, maxime quantum ad actum, quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet pœnam: primo quidem quia minus attendit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna: secundo quia firmius inhærens magis confidit de præmio, & per consequens minus timet de pœna". Unde patet, timorem *proprie* non opponi charitati, sicut malum opponitur bono, sed *improprie*, sicut via opponitur termino, aut medium fini; qui enim terminum, vel finem attigit, non amplius est in via, aut utitur medio.

CAPUT VII.

De Attritione formidolosa.

175. Exploso Lutheri errore, qui timorem pœnarum peccatoribus non solum inutilem, sed plane exitialem esse blasphemabat, nunc magna, & latissima controversia nobis discutienda offertur, inter Catholicos agitata; an timor pœnarum non solum utilis sit ad conversionem peccatoris, quod nemo negat, sed etiam una cum pœnitentiæ Sacramento sufficiat? Controversia autem solummodo est de timore, seu attrione *supernaturali*; naturalem enim non sufficere, omnes consentiunt, postquam Innocentius XI. ann. 1679. hanc propositionem damnavit: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam*. Motivum ergo pœnitentiæ debet esse supernaturale, quamvis occasio ad pœnitentiam excitans possit esse naturalis. Sic Ninivitis timor naturalis proximæ subversionis civitatis occasio fuit, ut per veram pœnitentiam ad Deum placandum converterentur.

176. Initium autem, & statum hujus celeberrimæ controversiæ nobis placet exponere his verbis sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. Lib. XII. *de Synodo Diœc.* cap. 13. „ Quamvis ante Tridentinum *communiter* Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam satis esse contritionem imperfectam, quam jam tum *attritionem* nuncupabant, *attritionis* tamen nomine *nunquam dolorem intellexerunt de peccato aliunde excitatum, quam ex motivo charitatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei*, sicut testatur doctissimus Morinus Lib. VIII. *de pœnit.* cap. 4. (a). Omnium autem *primi* Franc. Victoria, & Domin. Soto, ambo ex Ordine Dominicanorum, docuerunt, ad peccatorum remissionem virtute clavium assequendam, *satis esse attritionem mere servilem, seu conceptam ex solo metu gehennæ, modo tamen hæc a pœnitente bona fide reputetur contritio, ad quam ceteroquin eliciendam eum pro viribus conari debere, affirmarunt* (b). At Melchior Canus, Victoriæ, & Soti sententiam secutus, eam præterea extendit ad attritionem mere servilem *sic cognitam*, hoc est quæ a pœnitente non existimetur vera contritio, sed talis esse cognoscatur, qualis revera est, &c. "

177. „ Melchioris Cani sententia vix nata *scholas omnes pervasit*, & tanto plausu excepta est, ut plurimos, ac magni nominis statim invenerit patronos: *sed præ cæteris*, inquit Morinus, *hanc opinionem celebrem reddiderunt duo Theologiæ scholasticæ clarissima; & famosissima lumina, Franc. Suarez, & Gabr. Vasquez, quos innumeri nunc sequuntur Theologi*. Verum qui inter istos *doctiores*, *& sapientiores* habentur, *pavidi* quodammodo, & *meticulosi, ac magna cum cautela* illi *recenti* opinioni subscripserunt, quam ipsemet Canus „ non-

(a) Minime audiendus Lutherus, qui pro suo Ecclesiam calumniandi more, objiciebat, a Theologis Pontificiis fuisse omnem contritionis motum in Sacramento pœnitentiæ eliminatum, solumque servilem timorem invectum, *Falso*, inquit Synodus Trid. in fine cap. 4. Sess. XIV., *quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium* (nempe contritionis) *gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit*. Neque multum proficient adversarii, si unum, alterumve proferant ex vetustis Theologis, qui minus accurate, vel perspicue de attritione scripserit. Qua de re præter Morinum consuli possunt Claudius Hugo Matholdus Ord. S. Ben. in suis *Observat.* ad opera Card. Rob. Pulli P. V. cap. 31., & Christ. Lupus Augustin. in epist. ad Norisium cap. 4.; qui postremus ibid. putat ab Attritionistis aliquod præberi huic Lutheranorum calumniæ fundamentum.

(b) Gaspar Juenin Dissert. VI. cap. I. art. 2. §. 2. id ipsum ostendit, nempe a Franc. de Victoria, qui obiit circa an. 1546., admissam fuisse necessitatem amoris initialis, eumque solummodo docuisse, sufficere attritionem mere servilem, *modo tamen pœnitens adhibita morali diligentia se se bona fide reputet contritum*; eamdemque fuisse sententiam Dominici Soto, qui Franciscum audierat, illique in cathedra Theol. Salmanticensi successerat.

,, nonnisi dubitanter adstruxerat P. V. *Relect. de*
,, *pœnit.* inquiens: *Contritio ponitur pars Sacra-*
,, *menti, quia est certa, & indubitata mate-*
,, *ria. Quod autem attritio sufficiat, quamvis*
,, *verum sit, non est adeo certum, & indubi-*
,, *tatum; & ideo Concilium Florentinum, com-*
,, *munisque sententia tenens certum, relinquens*
,, *incertum, ponit, contritionem partem esse hu-*
,, *jus Sacramenti*. Hac eadem moderatione lo-
,, quitur Suarez, &c. ..... Suarezii monitum con-
,, firmat Phil. Gamachæus ..... & Paulus Comito-
,, lus, &c. &c. "

178. ,, Sed quod isti, tanta adhibita circumspe-
,, ctione affirmarunt, posteriores Doctores ob au-
,, ctum sibi consentientium numerum *animosio-*
,, *res facti*, non solum absque ulla dubitatione,
,, & limitatione asseruerunt, sed contrariam sen-
,, tentiam requirentem in pœnitente aliquem cha-
,, ritatis amorem, saltem initialem, carpere, &
,, *censura* afficere non dubitarunt, eam *omnino*
,, *improbabilem*, *periculosam*, *Tridentini men-*
,, *ti contrariam*, *atque implicite*, & *virtualiter*
,, *quodammodo ab eodem Tridentino proscriptam*
,, dictitantes " Hactenus summus iste universæ Ec-
clesiæ Pastor, qui subinde Episcopis cavendum
præcipit, ,, ut in suis Synodis, aut in instructio-
,, ne Sacerdotum, quam Synodis quandoque at-
,, texunt, aliquid decernant, aut de attritionis me-
,, re servilis ad Sacramentum pœnitentiæ suffi-
,, cientia, aut de amoris saltem initialis necessi-
,, tate, adhuc quippe sub judice lis est, adhuc
,, impune pro una, & altera sententia dimicatur ".

179. ,, Sed non ideo (subdit providentissime
,, Benedictus) prohibentur Episcopi Confessarios
,, monere, ut pœnitentes ad veram, & perfectam
,, contritionem hortentur, & excitent; id siqui-
,, dem faciendum suadent etiam præcipui aucto-
,, res, qui pro sufficientia doloris ex solo metu
,, gehennæ steterunt ..... Et quod magis est, ita
,, fieri præcipit Rituale Rom., jussu Pauli V. e-
,, ditum ..... cui consonat Rituale Argentinense e-
,, ditum a Card. de Roham, &c. "

180. His prælibatis duo nobis hic demonstranda sunt, *primo* non sufficere ad pœnitentiæ Sacramentum rite suscipiendum attritionem illam *formidolosam*, quæ secluso omni amore Dei, saltem initiali, concipitur ex sola consideratione turpitudinis peccati, aut timore pœnarum, & potissimum gehennæ: *secundo*, hunc amorem Dei saltem initialem, ad valorem Sacramenti requisitum, esse amorem *benevolentiæ*, seu charitatis, non vero tantum amorem solius spei, seu *concupiscentiæ*, quo Deum, ut nobis bonum, duntaxat diligimus (a).

181. Ut autem tam amplam, & tam implexam materiam, qua majori possumus perspicuitate tractemus, eamdem in tres articulos partiemur: in quorum *primo* ostendemus, nunquam fuisse ab Ecclesia damnatam, nec *explicite*, nec *implicite*, illam Theologorum opinionem, quæ ad pœnitentiam necessario requirit aliquem saltem initialem Dei amorem ex motivo charitatis, quod aliqui, ut supra vidimus num. 179., imprudenter asserere non sunt veriti: in *secundo*, non sufficere attritionem mere formidolosam: in *tertio* autem necessario requiri aliquod initium divini amoris, & quidem ex objecto charitatis, ut non sufficiat amor spei, & concupiscentiæ.

ARTICULUS I.

Manifeste ostenditur, sententiam, quæ negat ad valorem Sacramenti pœnitentiæ sufficere attritionem formidolosam, nullo unquam fuisse Ecclesiæ decreto damnatam.

182. Hoc satis evinceret libertas, qua nemine contradicente eamdem sententiam Theologi omnium Ordinum, & nationum palam in tota Ecclesia defendunt. Sed quoniam acuti quidam adversarii non solum fidenter asserunt, sed quibusdam subtilibus cavillationibus contendunt, attritionem formidolosam ut sufficientem in Sacramento pœnitentiæ definitam in Conc. Trid. fuisse, cogimur hanc patentissimam veritatem saltem breviter demonstrare (b).

183.

(a) Celebratissimi Theologi Carmelitæ Salmanticenses in Tract. *de charitate* Disp. II. dub. 2. §. 5. n. 29. aliquos memorant, qui docebant, amores illos, quibus alia, vel alia divina perfectio diligitur, puta summa ejus *misericordia præcise & liberalitas*, ita charitatis esse proprios, ut sufficiant ad justificationem impii, instar proximæ, & ultimæ dispositionis ad gratiæ sanctificantis infusionem *quia ipsum Deum omnibus creaturis anteponunt*; atque ita sententiam *amoris concupiscentiæ* quodammodo præformarunt. Sed eam postea maxime illustravit Theologus doctissimus, & acutissimus Honoratus Tournely, qui postquam quæst. 1. art. 3. concl. 1. docuisset *attritionem aliquem saltem inchoatum, & initialem Dei amorem includere debere*, ne decretis Cleri Gallicani an. 1700., quibus attritio formidolosa proscripta fuerat, aperte contradiceret, hoc effugium invenit dilectionis *concupiscentiæ*, seu *spei*, quam simul cum attritione formidolosa sufficere multis argumentis evincere conatus est, & multos reipsa in suam sententiam pertraxit: adeo ut omnes Attritionistæ posteriores eidem subscribant.

(b) Non pauci, nec solo nomine noti Theologi id asserere non dubitarunt. Jo. Card. de Lugo Disp. V. *de pœnit.* sect. 9. num. 165. loquens de Sylvio doctissimo S. Thomæ Commentatore, qui in Supplem. qu. 1. art. 1. attritionem formidolosam ad Sacramentum minime sufficere docet, ita imprudenter pronunciat: *Hæc tamen sententia est contra omnes Theologos, & contra Tridentinum*. P. Dom. Viva Tom. II. *Theolog.* P. VI. quæst. 3. art. 2. *Ex verbis Tridentini*, inquit, *si non minus de fide, certum tamen moraliter est, attritionem &c.* sententiam autem nostram tamquam *improbabilem communissime rejici* affirmat. P. Claudius La-Croix sententiam de sufficientia attritionis appellare non dubitat *plus quam moraliter certam*. Denique si audiamus doctissimum Augustinianum Petrum Lamb.

183. Et *primo* id aperte testatur Card. Pallavicinus, qui ex genuinis Actis, in arce S. Angeli asservatis, illius Concilii historiam contexuit, atque ab innumeris Pauli Sarpii mendaciis, & calumniis feliciter vindicavit. Legantur enim ea, quæ Lib. XII. cap. 10. scribit eminentissimus auctor, & unusquisque videbit, sacrum Concilium non aliud voluisse damnare, quam impiam Lutheri blasphemiam, quod illa attritio, quæ concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, *hominem faciat hypocritam, & magis peccatorem;* non autem ferre sententiam de scholastica quæstione, &c. Videbit insuper, cum in præconcepto decreto diceretur, hanc contritionem imperfectam, seu attritionem *sufficere*, fuisse postea hoc verbum cum nonnullis aliis expunctum, & in decreto a Patribus approbato, prout nunc legitur, substitutum aliud verbum *disponit*.

184. Prob. ulterius hæc nostra assertio a Benedicto XIV. loco sup. laud., ubi num. 8. postquam attulisset auctoritatem *probatissimi historici* Card. Pallavicini, ita pergit: „ Ad hæc, ut observat „ Launojus in Dissert. *De mente Concilii Trid.* „ *circa contrit. & attrit.* P. II. cap. 6., & citatus Le Drou, ex ipsismet Patribus, & Theologis, qui Concilio Trid. interfuerunt, eodem Concilio absoluto, aliqui propugnarunt necessitatem „ inchoatæ contritionis, seu amoris initialis, ad „ Sacramentum pœnitentiæ, inter quos Frider. „ Nausea Episcopus Viennensis in Austria in suo „ Catechismo, & Franc. Sonnius Episcopus Antuerpiensis Tract. IV. *de pœnit.* cap. 6.: alii pro „ sufficientia attritionis mere servilis dimicarunt, „ uti Andreas Vega, & citati Dominicus Soto, & „ Melchior Canus. Non *autem*, concludit, *fuissent Præsules, & Theologi in has oppositas* „ *sententias distracti, si quid a Concilio Trident.* „ *de hac re definitum scivissent* ".

185. Prob. *tertio* ab eodem sanctissimo Pontifice ex decreto Alexandri VII., qui, cum hac de re in Belgio vehementius, quam par erat, disputaretur, die 5. Maji 1667. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ reservatæ, præcepit *cunctis, & singulis fidelibus ... ut non audeant, alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, vel contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*. Itane loqui potuisset Alexander VII., si aliquid hac de re fuisset in Concilio Tridentino statutum? (*a*).

186. His argumentis luce meridiana clarioribus victas dare manus aliqui vitilitigando, & cavillando recusant. Et *primo* Card. Pallavicini auctoritatem ex eo labefactare conantur, quod sententia amoris initialis, quam antea palam defenderat, præoccupatus, historiam Concilii eidem accomodare conatus fuerit, *quamquam vir ceteroquin ingeniosissimus post accuratam auctorum omnium Synodalium lectionem ea demum prompsit, quæ ipsi nihil, aut fere nihil, nobis vero* (Attritionistis) *plurimum prosunt*. Ita Balth. Francolinus unus ex fervidioribus nostri ævi Attritionistis Lib. I. cap. 1., ubi ulterius contendit, verbum *disponere* a Synodo Trident. subrogatum idem prorsus significare, ac aliud verbum *sufficere*, quod expunctum fuit, quia Concilium non loquitur de dispositione remota, cum etiam extra Sacramentum attritio formidolosa *remote* disponat ad gratiam impetrandam, sed loquitur de dispositione *proxima*, quæ in Sacramento ad justificationem *sufficit;* adeoque &c.

187. Resp., primam exceptionem esse sapientiæ, & integritati eminentissimi Historiographi magnopere injuriosa, quasi vero aut celeberrimi illius consessus acta oscitanter expenderit, aut Trident. Patrum mentem ex eorumdem verbis minime assecutus fuerit, aut denique partium studio ea in alienum sesum detorserit. Quamobrem hujusmodi exceptio nec responsionem mereri videtur.

188. Altera etiam exceptio vel ipso primo intuitu absurda apparet. Si enim illud verbum *disponit* idem prorsus significat, ac *sufficit;* ad quid illa mutatio facta est? Fortasse ad fucum faciendum Episcopo Tudetano, aliisque Patribus, quibus verbum *sufficit* displicebat? Itane agebatur in sacra illa Patrum Synodo, in cujus medio Christus ipse aderat? Scilicet ut mutatio expetita non reipsa fieret, sed dumtaxat fieri simularetur? Et ulterius, itane simplices erant illi Episcopi, ut solius vocis, non autem sensus mutatione contenti essent? aut ita rudes, ut sibi astute imponi non adverterent? Id totum non solum sapientia, & sanctitate Patrum Tridentinorum indignum est, sed etiam sano, & communi sensui repugnans. Quamobrem dubitari non potest, eosdem nonnisi dispositionem *remotam* in attritione agnovisse, etiam quando Sacramento conjungitur, quamvis in Sacra-

le Drou in Præf. egregii sui Libri *De contritione, & attrit.*, adeo crevit quorumdam audacia, *ut indulgenter se agere arbitrentur, si* (nostram sententiam) *hæreseos non damnent, sed dumtaxat dicant, non posse sine nota defendi, esse certo falsam, improbabilem, definitioni Tridentini dissentaneam, Baji, & Jansenii fœtum, & neotericum commentum*.

(*a*) Summus Pontifex assertionem negantem necessitatem aliqualis dilectionis appellavit *communiorem suo tempore;* sed communior antea non erat, ut Benedictus XIV. testatur (sup. num. 176.), & cujus *vestigium* in solo Granatensi Episcopo se deprehendisse asserit ex Actis Concilii Card. Pallavicinus; nec *communior* postea fuit, quando memoratus mox amplissimus Cardinalis, aliique magno numero contrariam sententiam amplexi sunt, ac strenue defenderunt.

cramento minus remota sit, quam quando attritio concipitur extra Sacramentum. Hæc autem attritio fieri potest dispositio proxima, si cum initiali aliquo amore conjungatur, ut postea videbimus.

189. Inst. *primo*. Verba decreti reformati de attritione hæc sunt: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*. Ex toto autem contextu sic adversarii subtiliter colligunt: in priori membro, cum dicitur, attritionem non posse sine Sacramento ad justificationem perducere, idem est, ac si dicatur, non esse dispositionem *proximam*: ergo ab opposito, quando subditur, eamdem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam *disponere*, idem est, ac si dicatur, ipsam esse dispositionem *proximam*.

190. Resp., neg. cons.: nam si hæc fuit Patrum Trid. mens, eccur in secundo propositionis membro non retinuerunt verbum *perducere*, quo in primo usi erant, ut nempe dicerent, attritionem in Sacramento *perducere* pœnitentem ad Dei gratiam impetrandam? Cur enim non retinuerunt verbum *sufficere*, quo dispositio *proxima* melius exprimebatur? Hæc autem mutatio non casu, sed consulto facta est, ne controversiæ Scholasticorum attingerentur. Nihil ergo valent subtiles, & grammaticales argutiæ, quæ unico flatu dispelluntur, dicendo, attritionem ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ conceptam, esse *in se bonam*, esse *donum Dei*, & *Spiritus sancti impulsum*; demum *ad impetrandum Dei gratiam disponere*, non tamen *sufficere*. Quod si hujusmodi subtilitatibus indulgendum esset, quid impediret cum aliquibus notare, non fuisse dictum de attritione: *In Sacramento autem ad gratiam Dei impetrandam disponit*, sed potius, quod pœnitentem *ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit?* quod aliquatenus diversum videtur. Sed in re tam manifesta supervacaneum prorsus est ad has subtilitates confugere (*a*).

191. Inst. *secundo*. In decreto prius concepto inveniebantur hæc verba: *cum sine aliquo dilectionis motu* (attritio) *vix esse queat*; quæ postea in eodem decreto deleta sunt, non alia certe de causa, nisi ut constaret, attritionem sine ulla dilectione esse posse.

192. Resp., merito hæc verba fuisse expuncta, quandoquidem agebatur de attritione, quæ non *sufficit*, sed solum disponit ad Sacramentum pœnitentiæ.

193. Inst. *tertio*. Concilium comparationem instituit inter contritionem charitate perfectam sine Sacramento, & attritionem una cum Sacramento; atqui prima sufficit ad justificationem; ergo etiam altera.

194. Resp. in eo situm esse comparationem, quod contritio charitate perfecta ante Sacramentum *sufficit* ad justificationem; attritio vero non *sufficit*, sed *disponit*.

195. Inst. *quarto*. Lutherus asserebat, ad justificationem necessariam esse contritionem charitate perfectam, nullatenus vero justificari eos, qui cum sola attritione servili ad pœnitentiæ Sacramentum accedunt: ergo sancta Synodus ut Lutheri doctrinam damnaret, definire debuit oppositum, nempe attritionem servilem ad justificationem in Sacramento sufficere.

196. Resp., Lutherum non solum asseruisse, attritionem servilem ad justificationem minime sufficere (in qua assertione a Catholicis non discrepabat) sed ulterius addidisse, attritione fieri hominem hypocritam, & magis peccatorem: qui error merito damnatus fuit, cum ipsa attritio sit *donum Dei*, & *Spiritus sancti impulsus*, *non adhuc quidem inhabitantis*, *sed tantum moventis*, *quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*, ut Tridentinum loquitur.

197. Inst. *quinto*. Attritio servilis a Concilio vocatur *contritio imperfecta*; ergo quemadmodum contritio *perfecta* sufficit sine Sacramento, ita imperfecta sufficiet cum Sacramento.

198. Resp. neg. cons., quia non solum Concilium attritionem dixit esse *contritionem imperfectam*, sed addidit, eam *non posse peccatorem perducere ad justificationem*, *viam ad justitiam parare*, atque *ad gratiam impetrandam disponere*, non *sufficere*.

199. Instant *postremo*. Si concilium non definivit, attritionem servilem sufficere cum Sacramento ad remissionem peccatorum, nos minime docuit, quinam dolor contritionis imperfectæ, seu attritionis, una cum Sacramento justificet, quod certe fuisset eo sapientissimo consessu indignum; eoque magis, quod initio Sess. XIV. sanctissimi illi Patres promiserant, velle se *exactiorem*, & *pleniorem de pœnitentiæ Sacramento definitionem* tradere, quam antea fecerint in Decreto justificationis Sess. VI.

200. Resp., Concilium determinasse, *Contritionem* obtinere primum locum inter actus pœnitentis, qui sunt *quasi materia* hujus Sacramenti. Addit postea, hanc contritionem *aliquando*, non semper, esse *charitate perfectam*, *hominemque Deo reconciliare*, *priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*. Hinc bene notavit Melchior Canus supra laud. n. 177., *Contritionem* esse *certam*, & *indubitatam materiam* Sacramenti pœnitentiæ, prout etiam declaraverat Concilium Florentinum, com-

(*a*) Aliqui Theologi, ut huic palmari Adversariorum objectioni satisfaciant, negant omnino, Patres Trid. in eo decreto loqui de attritione *mere servili*. Alii vere nobiscum dicunt, hoc etiam *admisso*, non autem plene *concesso*, illam attritionem *disponere* quidem *remote*, non autem *proxime*, nec *sufficienter*. *Utraque responsio*, inquit Juenin, *qua prorsus enervatur hoc de re adversariorum argumentum*, *nititur gravissimis momentis*, quæ eruditus auctor ibidem affert.

communisque sententia tenet. Quid ergo de attritione? Synodus Tridentina condemnavit blasphemias Lutheri, controversias autem Catholicorum intactas reliquit. At vero, inquiunt, promiserant Patres, se *exactiorem*, & *pleniorem definitionem* daturos. Ita est; & reipsa multo plura in hac Sessione inveniuntur explicata, quam in Sess. VI. de Justificatione; non tamen inde erui potest, etiam definitum fuisse, attritionem, quæ ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex metu gehennæ concipitur, cum Sacramento *sufficere*, cum ex opposito certum sit, determinato consilio fuisse expunctum illud verbum, eique hoc aliud subrogatum *disponere*, quin aliquid postea adderetur, ad definiendum, hanc dispositionem esse proximam, vel remotam.

Quæres, *an saltem Patres Synodi Trident. in eam sententiam inclinaverint, quæ dicit, attritionem formidolosam ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ plane sufficere.*

201. Resp., omnino certum esse, nihil hac de re fuisse a Synodo definitum, ut hactenus indubiis momentis evincimus; unde solum inquiri potest, in quamnam sententiam doctissimi illi Patres propensiores fuerint? Hæc autem quæstio inutilis non erit. Si enim ostendatur, sapientissimo illi Præsulum cœtui de alicujus amoris necessitate in Sacramento pœnitentiæ fuisse persuasum, eo magis constabit de novitate, atque falsitate, aut saltem incertitudine adversæ opinionis. Id autem multis argumentis demonstravit illustrissimus Ecclesiæ Gallicanæ Sydus Jac. Ben. Bossuetus in Opere Gallico inscripto *De Amore Dei in Sacram. pœnit. necessario ex doctrina Conc. Trid.* Nos brevitati studentes nonnisi pauca seligemus (*a*).

202. Ac *primo* ob oculos ponenda sunt verba cap. 6. Sess. VI. *Disponuntur autem* (peccatores) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum ..... Et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur; ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem &c.* Et can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Profecto his verbis sacrum Concilium dispositiones ad justificationem necessarias aperto distinguit, nempe *primo* fidem, *deinde* divinæ justitiæ timorem, *tertio* spem per Christum, *demum* dilectionem Dei *incipientem*. *Quarum dispositionum*, inquit laud. Bossuetus, *si quis vel unam dextraxerit, tanti Concilii integram, perfectamque doctrinam truncasse judicabitur.* Cum autem actus *dilectionis* distinguatur ab actu *spei*, manifeste sequitur, hic sermonem esse de initio amoris benevoli ex charitate, non vero de amore *concupiscentiæ*, unde oritur spes. Quod etiam ostendunt illa verba notatu digna: *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt;* iis enim significatur, a peccatoribus se ad justificationem disponentibus eam justitiam esse diligendam, quæ Deus ipse est, & quæ sæpissime a sanctis Patribus, imprimis autem a S. Augustino, Deus nominatur, qui justificat nos *per fidem Jesu Christi*, ut loquitur Paulus ad Rom. III. 22. (*b*).

203. Objicitur tamen *primo*, non omnes illos actus a Tridentino proponi ut ad justificationem omnino necessarios: nam actum timoris necessarium non esse, ostendit exemplum Martyrum, in quibus fides, spes, & summa charitas justificans sine timore fuerunt. *Secundo* Sess. XIV. ubi iterum dispositiones ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ requisitæ recensentur, nihil de dilectione Dei positum fuit. *Tertio* in Sess. VI. non de pœnitentiæ Sacramento, sed tantummodo de ba-

(*a*) Fusius hoc argumentum pertractatum invenietur apud aliquos eximios August. Scholæ Theologos, Franc. Farvaquium in *Quæst. de attrit. &c.*, Christian. Lupum in *Quæst. dogm. circa Contrit. & Attrit.*, tum in Epist. ad Henr. Noris, qua suam Dissert. ab objectionibus vindicavit, apud Pet. Lamb. Le Drou Episc. Porphyriensem in *Dissertation. De contrit. & attrit.*, & in *Confut. discuss. theol. D. August. Michel*, quibus addendus est, singulare ejusdem Familiæ decus Joan. Laur. Berti Lib. XXXIV. *De Theol. Discipl.* cap. 5. Non pauci alii eamdem spartam adornarunt, ac præcipue Mathurinus Queras in *Dilucidatione hujus celebris quæstionis &c.* Neque vero hoc loco præterire innominatos debeo aliquos Dominicanos meos, Theologos præstantissimos, qui in hoc argumento, & in explodenda formidolosa attritione operam suam utilissime collocarunt. Natalem dico Alexandrum, Vinc. Contensonium, Drouvenium, Billuart, Concinam, Paturzium, Serryum &c.; unde quamvis primi attritionis formidolosæ assertores, ut supra ex Benedicto XIV. n. 178. notavimus, fuerint Dominicani, iisque postea nonnulli alii, ac non ita pridem doctissimus Card. Vinc. Lud. Gotti accesserint, dici tamen nullatenus potest, hanc esse Thomisticæ Scholæ, aut Prædicatorum Instituti opinionem. Eminentissimus tamen Cardin. Gotti putavit, suam sententiam posse cum nostra *aliqualiter* conciliari, docens, attritionem *ex parte objecti, finis, & termini* debere respicere amorem Dei.

(*b*) Narrante Pallavicino Lib. VIII. cap. 13., cum in præconcepto decreto nulla facta esset mentio dilectionis Dei, instantibus Salvatore Alepo Episc. Sassariensi, Claudio Jajo Soc. Jesu, Lippomano Coadjutore Veron., & Pio Gener. Conventualium, decretum reformari debuit, adjectis iis verbis: *illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Idem Historicus Lib. XII. cap. 10. num. 25. inter eos, qui necessitatem dilectionis Dei in attritione requirebant, numerat Bern. Colloredo Episcopi Foroliviensis Theologum, illustrem S. Dominici filium.

baptismo actum est: neque vero oportet, ea omnia, quæ in Sacramento baptismi necessaria sunt, etiam in Sacramento pœnitentiæ requiri.

204. Resp., certissime tenendum esse, omnes illos actus a Synodo memoratos esse necessarias ad justificationem dispositiones, uno excepto timore, qui peractum summæ, & intensæ charitatis ex peculiari Dei gratia conceptæ suppleri potest, ut in sanctis Martyribus, necnon in Paulo, aliisque *paucis*, extraordinario Dei beneficio contigit. Dixi *paucis*: in aliis enim ex ordinario cursu gratiæ fides, spes, timor, & dilectio justificationem præcedere solent. Vide dicta cum S. Thoma sup. n. 159. Ceterum in can. 3. omittitur quidem timor, non autem fides, spes, & *dilectio*, sine quibus nemo prorsus justificatur, aut justificari potest.

205. Secundam, & tertiam objectionis partem diluimus observando cum laud. Bossueto, necesse non fuisse, ut *explicite* quæ dicta fuerant Sess. VI. de actibus pœnitentiæ ad baptismum requisitis, Sess. XIV. iterum repeterentur, quando agebatur de pœnitentia, ut Sacramento. Nonnullas quidem differentias inter utrumque Sacramentum Sacr. Synodus enumerat, tum Sess. VI. cap. 14., tum Sess. XIV. cap. 2. nihil tamen vel minimum habet, quo indicetur, in baptismo quidem, non autem in pœnitentia inchoatam quamdam dilectionem requiri. *Præterea* in utroque loco Sacramentum pœnitentiæ appellatur *secunda tabula post naufragium deperditæ gratiæ*, ad quam *sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit*; ut proinde nonnisi absurdissime inferri possit, aliquid minus ad Sacramentum pœnitentiæ requiri, quam in adultis requiratur ad Sacramentum baptismi.

206. Ulterius notanda pariter sunt, quæ habentur Sess. XIV. cap. 4., ubi Sancta Synodus ad probanda ea, quæ dicta fuerant, adhibet exemplum Ninivitarum, qui *hoc timore utiliter concussi ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt*. At vero, ut optime colligit Card. Pallavicinus Lib. XII. *Hist.* cap. 10., certum erat Patribus, *eo tempore, quo Sacramentum* (pœnitentiæ) *adhuc non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minime suffecisse per se ad peccatum delendum, sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitatis affectus, quem omnes necessarium fuisse fatentur ante novam legem ad justitiam recipiendam*. Plura persequi non vacat: nobis enim in præsentiarum satis est demonstrasse, nihil contra nostram sententiam in Sacrosancta Trid. Synodo fuisse statutum; cujus oppositum perperam non pauci ex nostris adversariis probare nisi sunt.

ARTICULUS II.

Nonnullis argumentis evincitur necessitas alicujus amoris, saltem initialis, ad justificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ consequendam.

207. Primum argumentum suppeditant frequentissima S. Scripturæ oracula, in quibus charitas, & dilectio Dei, non solum majorem in modum commendatur, sed ut ad justificationem, & salutem omnino necessaria præcipitur. Paulus Apostolus in prima ad Corinth. postquam cap. XIII. multis verbis declarasset, nullam virtutem, nullumque Spiritus S. donum sine charitate prodesse, eamdem epistolam his verbis concludit: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*. Eidem concinit S. Joannes Epist. 1. cap. III. 14. inquiens: *Qui non diligit, manet in morte;* item cap. IV. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Et alia innumera id genus occurrunt, quibus maximum illud præceptum diligendi Deum super omnia nobis inculcatur: atqui si ullum unquam tempus est hujusmodi præceptum adimplendi, illud certe est, quo peccator a Deo aversus, vult per pœnitentiam ad Deum converti, eique reconciliari.

208. Nam agitur tunc de recuperanda Dei offensi amicitia: quomodo autem sperandum est, Deum conversum iri ad nos, nisi prius nos ejus gratia adjuti ad eum convertamur? Hinc illæ Dei invitationes per suos Prophetas Ezechielem, Joelem, & alios: *Convertimini, convertimini &c.* Ezech. XXXIII. 11. *Convertimini ad me in toto corde vestro .... scindite corda vestra* Joel II. 12. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos* Zach. I. 3., & alia ejusdem generis pene innumera, quæ certe non indicant conversionem sine ulla dilectione, & ex solo timore factam: cor etenim peccatoris a Deo aversum, & creaturis conglutinatum, nonnisi per actum dilectionis potest a creaturis avelli, & ad Deum reverti.

209. Hanc rationem nobis suppeditat Angelicus Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 72. inquiens: *Primum, quod in pœnitentia requiritur, est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur a peccato, dolens de commisso, & proponens non committendum, quod est de ratione conversionis. Nec vero mentis reordinatio sine gratia esse non potest; nam mens nostra debite ad Deum converti non potest sine charitate, charitas autem sine gratia haberi non potest*. Et adhuc clarius 3. P. quæst. 86. art. 2. ut probet, peccatum mortale remitti non posse sine pœnitentia, hoc utitur ratiocinio. *Cum enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam .... Offensa autem peccati mortalis proce-*

dit

dit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile: unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ &c. Ex quo Angelici ratiocinio manifeste apparet, veram, & omnimodam conversionem ad Deum sine motu charitatis haberi non posse, quidquid postea sit de aliquo initio conversionis, quod aliqui tribuunt etiam timori, quatenus viam parat charitati.

210. Huic argumento est aliud affine, quod attritio, quæ ad justificationem disponit, debet *voluntatem peccandi excludere* ex definitione Tridentini; atqui voluntas peccandi non excluditur nisi per amorem justitiæ, seu Dei ipsius, qui est justitiæ fons: qui enim solo pœnarum metu movetur, manum quidem a peccato coercet, illud tamen vere & proprie non odit; neque a peccatoris corde cupiditas mala tollitur, nisi amor Dei in eo regnet.

211. Atque hæc est perpetua S. Augustini doctrina, cujus omnes fere ejus libri pleni sunt. *De spiritu, & littera* cap. 14. *Mandatum*, inquit, *si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit: non enim fructus est bonus, qui de veritate radicis non surgit.* Et Lib. *de natura, & gratia* cap. 57. *Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi.* Et epist. CXLV. ad Anastasium *Inaniter*, inquit, *putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis ..... Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit .... Tantum ergo quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit.*

212. Augustini doctrinam multi alii Patres constanter tradiderunt, ex quorum numero duos seligo, Gregorium Magnum, & Bernardum. Horum primus Lib. III. *Pastoralis curæ* admon. 14. *Admonendi sunt*, inquit, *qui flagella metuunt, ut si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant; neque in suppliciorum timore permaneant, sed amoris gradum nutrimento charitatis excrescant .... Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse, quod metuat, ut audacter illicita committat.* En quomodo sancti Patres timorem gehennæ bonum quidem esse dicunt, non tamen sufficere ad omnem peccandi voluntatem penitus extirpandam.

213. Adhuc expressius loquitur Bernardus *De diligendo Deo* cap. 12. inquiens, *solam charitatem ab amore sui, & mundi advertere posse animam, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertunt animam: mutant interdum vultum, vel actum, affectum nunquam. Facit quidem nonnunquam & servus opus Dei, sed quia non sponte, in sua adhuc duritie permanere cognoscitur: facit & mercenarius, sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur.*

214. Hos duces, & magistros secutus Angelicus sæpius, & aperte docet, solo timore non excludi voluntatem peccandi, nisi amor justitiæ accedat. *Qui timore pœnæ*, inquit 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2., *ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet a peccato.* Et 3. P. quæst. 85. art. 6. *Actus*, inquit, *virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei.* Et in *Quæst. Disputatis* quæst. 7. art. 11. *Ejusdem*, inquit, *rationis est, quod voluntas feratur in appetitum contrarii, & in detestationem alterius. Nullus autem usum habens liberi arbitrii, potest inchoare novam vitam, quæ est per gratiæ infusionem, nisi amet, & appetat gratiæ bonum, & ideo oportet, quod detestetur omne malum repugnans.* Vid. etiam quæ supra attulimus n. 209. ex Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 72. (*a*).

215. Tertium fortissimum argumentum nobis suppeditant iidem sancti Patres, qui nihil frequentius, aut vehementius inculcant, quam necessitatem amandi Deum, non solum ad voluntatem peccandi excludendam, sed etiam ut ab ipso præteritorum peccatorum veniam impetremus. Aliquot eorum verba speciminis loco dabimus: nimis enim excresceret oratio, si vel præcipua tantum eorumdem testimonia colligere vellemus. Quænam sit constans, & aperta SS. Augustini, Gregorii, & Bernardi doctrina, jam vidimus num. 211. seq. Nunc de quibusdam aliis.

216. S. Jo. Chrysostomus Hom. IV. in 2. ad Cor. *Cum peccaveris*, inquit, *ingemisce, non quod pœnas daturus sis: nihil enim hoc est; sed quod Dominum tam benignum, tam te amantem, tam denique salutis tuæ cupidum offenderis:* ubi insufficientiam timoris liquido ostendit dicens: *nihil enim hoc est.*

217. S. Leo Magnus Serm. XCII., qui est VII. de *jejunio VII. mensis* cap. 1. postquam observasset, præceptum dilectionis Dei & proximi ad utrumque testamentum pertinere, subdit. *Tantaque est sub hujus geminæ charitatis edicto utriusque copula testamenti, ut sine istarum connexione virtutum nec lex quemquam inveniatur justi-*

(*a*) Vel ipsi Gentiles hanc veritatem solo rationis lumine viderunt; unde illud celebre Hortatii Lib. 1. Epist. 16.

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ:
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

sufficere, nec gratia: censet ergo summus hic Pontifex, & Ecclesiæ Doctor, solam attritionem sine dilectione modo non sufficere, sicut nec olim sufficiebat sub lege.

218. S. Gregorius Papa Lib. I. *Moral.* cap. 1. ita commentatur illa verba Job IX. 35. *Neque enim possum metuens respondere*, inquiens: *Quia vere obsequia Deo non reddimus, si ex timore mandati illius, & non potius ex amore servimus.* Hæc pauca ex sanctis Patribus, quibus non inutile fuerit, aliquos Scholasticorum Principes adjungere.

219. S. Thomæ doctrinam sup. n. 214. exposuimus. Scotus autem Doctor subtilis, quamquam ut notum est, haud raro ab eodem S. Doctore omnino recesserit, in hoc tamen eidem perfecte consentit. Nam in IV. Dist. 18. *Contritio*, inquit, *ad hoc ut sit dispositio ex congruo ad receptionem gratiæ, oportet ... quod homo pœniteat, non solum propter timorem pœnæ, sed timore filiali ..... si timor non sit cum amore, non disponit ex congruo.*

220. Doctor Seraphicus S. Bonaventura in IV. *Sent.* Dist. 18. *Sacramenti*, inquit, *nemo recipit effectum, nisi charitatem habeat saltem in principio confessionis; vel in medio, vel in fine. Multi habent in fine, qui non habent in principio*: Nempe vel per prudentis Confessarii admonitiones, vel per preces, quæ absolutioni præmittuntur; potest pœnitens a Deo impetrare gratiam contritionis, quam initio non habuit. Longum autem esset dicere de singulis posterioribus; facile tamen demonstratur, excurrendo per Scholasticorum sæcula, sententiam de necessitate charitatis in Sacramento pœnitentiæ fuisse inter Theologos communem, usque ad tempora Concilii Trid.; immo non paucos fuisse, qui charitatem plene perfectam requisierint, Vid. supr. n. 176.; & Jo. Morinum *De Sacrm. pœnit.* Lib. VIII. cap. 3. seq.; tum Car. Witasse Tom. V. Quæst. 3. sect. 3. Valde copiosum catalogum eorum Theologorum, qui attritionem formidolosam tamquam insufficientem exploserunt, invenies etiam apud P. Dan. Concinam Tom. IX. *Theol. Christ.* Lib. I. *de Sacr. pœnit.* Diss. II. cap. 8. §. 7.

221. His, aliisque argumentis, quæ brevitatis studio omittimus, illud gravissimum accedit, quod Sanctissimus Pontifex Innocentius XI. anno 1679. hanc inter ceteras probabilismi laxiores propositiones sacro obelo confixit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia tantum probabili non est utendum in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.* Cum itaque opinio de sufficientia attritionis formidolosæ, quæ concedatur esse probabilis, sit certe minus tuta, sequitur manifeste ex vi damnatæ istius propositionis, illicitum esse eamdem opinionem sequi.

222. Porro adversarii, ut ab hoc fulmine apostolico suam de attritione sententiam tueantur, non aliam meliorem invenerunt viam, quam asserendi, eamdem sententiam non esse solum probabilem, aut probabilissimam, sed plane *moraliter*, aut etiam *plusquam moraliter certam*, nostram vero *improbabilem* prorsus esse (Vid. sup. not. ad num. 183.). Ad hanc quippe certitudinem confugere coguntur: *si enim*, inquit P. Claudius La-Croix Lib. VI. num. 874., *non esset practice certa, sed tantum probabilior, aut etiam probabilissima, contineretur damnatione primæ propos. per Innocentium XI. Non est illicitum &c.*; quod omnes adversarii asserere debent.

223. Jam vero hic omnium Theologorum fidem imploramus, ut serio perpendant, an *probabilior*, *probabilissima*, *moraliter*, immo *plusquam moraliter certa* illa opinio dici possit, quæ non est Concilio Trid. vetustior, ut supra (n. 176.) ex Benedicto XIV. vidimus, quam post ipsum Concilium Trid. multi, gravesque Theologi, ex eorum etiam numero, qui eidem Concilio interfuerant, aperte rejecerunt; alii vero, ut Victoria, Soto, Canus, nonnisi timide, & ut in praxi *minime tutam* amplexati sunt (num. 177.); & cui postea amplissimi Cardinales Pallavicinus, Denhoffius, Aguirrius, Camus, doctissimi Episcopi, ut Bossuetus, aliique bene multi, Scriptores, & Theologi omnium Ordinum, & nationum insignes (a); celebres Universitates, Parisiensis, & Lovaniensis, ac denique totus florentissimi Galliarum regni consessus in comitiis anno 1700. aperte condemnarunt? Innumerabilis hic gravissimorum virorum chorus ne cassa quidem nuce æstimabitur? Et in altera stateræ lance positus contra novellum Attritionistarum inventum nihil prorsus præponderabit? Et adhuc quis dicere perget, eorum opinionem *probabiliorem* esse, *probabilissimam*, *moraliter*, *immo plusquam moraliter certam?* (b).

224. Hoc argumentum, quod multo amplius illu-

(a) Longum istorum catalogum contexuit Car. Witasse Tom. V. *De Pœnit.* quæst. 3. sect. 3.; quibus non pauci addi possunt, qui postea floruerunt. Nos unum nolumus præterire, qui multis titulis nominari meretur. Is est cl. P. Mich. Angelus Griffinus inclytæ Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli illustris alumnus, de sacris litteris, ac præsertim de morali Theologia optime meritus, in egregio suo Opere recenter in lucem emisso, cui titulus *Plurium a S. Sede Apost. damnat. propositionum moralium censura* P. II. Lib. VII. cap. 21. num. 36. Bononiæ 1793. in 4.

(b) Placet ob oculos ponere, quæ laudati sapientissimi Præsules Gallicani ann. 1700. in hac materia decreverunt: *Primo* assertionem illam *Attritio ex metu gehennæ sufficit sine ulla dilectione Dei, sive sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta, & supernaturalis est*, damnarunt, *ut temerarium, scandalosam, perniciosam, & in hæresim inducentem*. Da-

lustrari, ac confirmari posset, videtur plane demonstrative evincere, sententiam formidolosæ attritionis, utpote nec certam, nec tutam, sin minus *explicite*, *&* *directe*, *implicite* saltem, & *indirecte* fuisse a Sanctissimo Pontifice Innocentio XI. damnatam. Sed quoniam Ecclesia Romana omnium aliarum mater, & magistra eamdem sententiam palam, & impune defendi permittit, nostra ratiocinia supremo ejusdem judicio humiliter subjicienda sunt. Interim tamen numquam prohibitum fuit Theologis sententiam formidolosæ attritionis etiam ex hoc capite fortiter impugnare, quod cum certa non sit, sed ad summum probabilis, neque tuta esse possit, adeoque in praxi sit illicita (*a*).

224. Fortissimam hujus argumenti vim eludere nonnulli conati sunt, dicentes, ex damnatione illius propositionis tantummodo sequi, illicitum esse *conferre*, non autem *recipere* Sacramenta &c.: vel, doctrinam de sequenda tutiori opinione *intelligendam esse ex parte eorum*, *quæ adhibet ex se minister Sacramenti*, *ut ea sint certa*, *&* *sine ullo periculo in re*. *At vero dolor est aliquid requisitum ad Sacramentum ex parte ipsius*, *qui recipit Sacramentum*. Verba sunt Vasquezii in 1. 2. quæst. 19. artic. 6. disp. 63. cap. 1.

226. Resp., primam evasionem non male a doctissimis Carmelitis Excalceatis Salmanticensibus Tom. XV. P. II. tract. 24. disp. 7. dub. 1. §. 6. vocari *meram fugam speculativam*; ideo enim oraculo Innocentiano prohibitum fuit conferre Sacramenta secundum opinionem minus tutam, quia merito dubitari potest de eorum valore: ergo pariter eadem de causa illicitum erit, ipsa Sacramenta *recipere*. Alia autem evasio innititur prorsus arbitrariæ distinctioni inter ea, quæ minister præstare debet, & ea, quæ a pœnitente dependent; ut in primis debeat sententia certa, & tutior alteri præferri, non autem in aliis; quam certe distinctionem neque innuit, neque novit beatissimus Pontifex, provide sollicitus, ne Sacramenta periculo nullitatis exponerentur. Deinde, seposito etiam Innocentiano decreto, quis neget, pœnitentem peccare contra charitatem sibi debitam, dum sequendo opinionem incertam, & non tutam, seipsum periculo exponit non recipiendi effectum Sacramenti? Cur ergo non peccabit etiam minister, si sciens pœnitentem esse sic male dispositum, ejusdem peccato cooperetur?

227. Memorati mox celebratissimi Theologi Salmanticenses aliam proponunt ejusdem argumenti solutionem, contendentes, sententiam formidolosæ attritionis esse *tutiorem*, adeoque ex vi decreti Innocentiani esse sequendam. *Tutiorem* autem illam esse probant, quia in nostra sententia vel admittendum est, amorem charitatis super omnia posse cum peccato mortali ante absolutionem consistere, qui fuit error Baji a summis Pontificibus damnatus; vel non posse consistere, & tunc Sacramentum pœnitentiæ nunquam conferet *primam* gratiam; quod pariter est erroneum. Ad evitandum igitur hunc duplicem erroris scopulum concludunt, nullam esse *tutiorem* viam, quam illam attritionis formidolosæ, quæ peccatum non delet, sed illud potestati clavium delendum relinquit. Idem fere habet Gregorius de Valentia Tom. IV. Disp. VII. quæst. 8. puncto 4.

228. Sed *primo* mirari subit, acutissimos, & profundos eos Theologos non vidisse, eorum ratiocinium, si quid valeret, valere etiam contra illos omnes, qui, si non præcipiunt, consulunt saltem pœnitentibus, ut per actum contritionis conentur se ad absolutionem recipiendam disponere. Mitto alia absurda, quæ ex illo Salmanticensium ratiocinio manifesta consecutione fluunt.

229. Et difficultati breviter respondeo, *primo* ex doctrina certissima Synodi Tridentini supra n. 133. allata, *aliquando* reipsa pœnitentes justificari per contritionem charitate perfectam, antequam Sacramentum ipsum suscipiatur, quin tamen illi duo consequantur errores, scilicet vel peccatum componi cum charitate perfecta, vel per Sacramentum pœnitentiæ non conferri *primam* gratiam, quia nempe illa justificatio non fit sine voto Sacramenti, ut diximus supra num. 148.; adeoque virtute clavium.

230. Resp. *secundo*, amorem charitatis initialem, seu in gradu tenui, & remisso, non sufficere ad justificationem sine Sacramento pœnitentiæ, quod in-

mnarunt pariter hanc aliam: *Concilium Tridentin. adeo expresse definivit*, *attritionem*, *quæ non vivificet animam*, *quæque supponatur sine amore Dei esse*, *sufficere ad absolutionem*, *ut anathema pronuntiet adversus negantes*, pariter damnarunt *ut falsam*, *temerariam*, *Concilio Trid. contrariam*, *&* *in errorem inducentem*. Post autem declararunt, de mente Concilii Trid. tam in Sacramento baptismi, quam in Sacramento pœnitentiæ duo esse monenda, & docenda, *primum*, *ne quis putet*, *in utroque Sacramento requiri*, *ut præviam contritionem*, *eam*, *quæ fit charitate perfecta*, *&* *quæ cum voto Sacramenti*, *antequam actu suscipiatur*, *hominem Deo reconciliet*. *Alterum*, *ne quis putet in utroque Sacramento securum se esse*, *si præter fidei*, *&* *spei actus non incipiat diligere Deum*, *tamquam omnis justitiæ fontem*. Atque ex eo an. 1700. opinio *puræ* attritionis a tota Galliarum Ecclesia, quæ usque ad postrema hæc infelicia tempora florentissima fuit, perpetuo exulavit; quamvis postea ab acutissimo Tournelio in locum charitatis inchoatæ amor *spei*, seu *concupiscentia* contra mentem Bossueti, aliorumque Episcoporum, qui memoratis comitiis interfuerunt, subrogatus fuerit; qua de re videbimus postea.

(*a*) Præter decretum Alexandri VII. supra n. 185. memoratum etiam Benedictus XIII. in Appendice ad Concilium Rom. indefinitum reliquit, an pura, & nuda attritio ad justificationem in Sacramento sufficiat, & Benedictus XIV. De Syn. Diœc. Lib. VIII. cap. 13. concludit, hanc magnam litem sub judice esse, & utramque sententiam impune defendi.

inferius operose demonstrandum erit. Interim sufficiat auctoritas solidissima Catechismi Romani, qui ut supra vidimus n. 134. ita habet: *At quoniam pauci admodum ad hunc gradum* (contritionis perfectæ) *pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret; quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni cælestis Ecclesiæ tradidit*. Sed de hac paradoxa doctrina dignus est, qui legatur P. Dan. Concina, qui non obstante summa, qua illos illustres Theologos de Ecclesia, ac Thomistica schola optime meritos veneratione prosequebatur, suum zelum cohibere non potuit, quin illam solita sua vehementi facundia acriter confutaret T. IX. *Theol. Christ.* Dissert. II. cap. 10. §. 6.; ubi bene advertit, doctos illos Theologos fuisse quodammodo adactos ad illam novam subtilitatem excogitandam, quia aliorum falsas hujus nostri argumenti solutiones probare non poterant.

231. Dices. Si ex vi oraculi Innocentiani deberemus in hoc Sacramento sententiam *tutiorem* sequi, oporteret illam amplecti, quæ requirit contritionem *perfectam*. Quamquam enim nunc paucorum sit, habuit tamen olim multos patronos, ut supra num. 132. & seq. ostensum est; & est profecto *tutior*, quam nostra.

232. Resp., nomine sententiæ *tutioris* in propositione ab Innocentio XI. condemnata non intelligi eam, quæ inter *tutas* est *tutior*, vel *tutissima*, sed eam, quæ inter probabiles est magis tuta, quam opposita. Hinc ex condemnatione illius propositionis nos recte inferimus, esse illicitum sequi opinionem attritionis formidolosæ, quia si etiam concedatur, eam esse probabilem, concedi tamen haud potest, eamdem esse *tutam*, quod vel ipsi primi ejusdem auctores *doctiores*, & *sapientiores*, Soto, Canus, Suarez, Gamachæus, Comitolus, confessi sunt sup. num. 177. Sententia vero nostra de sufficientia amoris initialis in attritione non solum est probabilior, & communior, sed omnino tuta, præcipue postquam Catechismus Rom. declaravit, fuisse a clementissimo Domino institutione Sacramenti pœnitentiæ *faciliori ratione* communi hominum saluti consultum, quoniam, cum pauci admodum ad hunc gradum contritionis perfectæ pervenirent, fiebat, *ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset*. Vid. sup. n. 134.

233. Objiciuntur *primo* multa ex sacris litteris, quæ tamen vel nullam, vel nonnisi levissimam continent difficultatem; scilicet *primo* urgent duas parabolas Evangelii, alteram filii prodigi, qui sola fame coactus redire ad patrem, misericordiam obtinuit Lucæ XV.; alteram servi illius, qui debebat decem millia talenta, misertus autem dominus *omne debitum dimisit illi* Matth. XVIII., qui tamen solo pœnarum timore ductus procubuerat ad pedes domini sui. *Ulterius* inquiunt; cohærentes ad has parabolas S. Paulus sæpius testatur, nos *justificari gratis, per fidem, non per amorem, sine operibus legis*; in quibus primum locum obtinet dilectio Dei Rom. III., & alibi. *Tertio* idem Apostolus Rom. V. 8. *Commendat autem*, inquit, *charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus ... Christus pro nobis mortuus est*. Et rursus: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*: quibus sanctus Apostolus declarat, non propter præcedentes nostros charitatis actus, sed unice propter Christi merita nos Deo reconciliari.

234. Resp. ad primum parabolam filii prodigi, fuisse quidem illum infelicem adolescentem fame, miseriisque excitatum, ut ad patrem rediret: *surgam, & ibo ad patrem meum*; sed postea signa doloris, atque amoris dedisse illis vocibus: *Pater, peccavi in cælum, & coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus*. Sed si etiam fingatur, ingratum filium nullo fuisse erga optimum parentem suum amore commotum, non inde probaretur, etiam in Sacramento pœnitentiæ idipsum contingere peccatori, ut sine ullo dilectionis actu possit Deo reconciliari: neque enim eadem est ratio Dei, & hominum; homo quippe ex præcepto evangelico tenetur injuriam dimittere proximo suo, etiam non pœnitenti; non sic autem Deus.

235. Alia autem parabola non solum non prodest, sed valde obest adversariis; quia enim servus ille nequam externis solum pœnitentiæ signis misericordiam ab hero suo extorserat, iste cognita ejus nequitia, statim revocavit jam datam debiti remissionem; unde sequitur, Deum, qui corda hominum scrutatur, nobis debita non remissurum, nisi videat, nos internis veri doloris actibus ejus misericordiam implorare. Ulterius neutro in loco sermo est de Sacramento pœnitentiæ, quod nondum fuerat institutum.

236. Ceterum si ex parabolis sumenda sunt in hanc rem argumenta, nulla aptior videtur, quam illa Lucæ VII., ubi duo debitores inducuntur, quibus fœnerator debitum donavit, uni minus, alteri plus: interrogavit autem Christus Simonem Pharisæum: *Quis ergo eum plus diligit?* Et eo respondente: *Æstimo, quia is, cui plus donavit*, subjunxit Christus, *Recte judicasti;* ac postea conclusit de muliere peccatrice: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et quamquam hæc remissio facta non fuerit per Sacramentum pœnitentiæ, luculenter tamen nos docet, quid Deus a pœnitente exigat, & dilectionem esse mensuram, qua Christus utitur in dimittendis nostris peccatis.

237. Alteram difficultatem, quam Novatores etiam objiciebant contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ de justificatione, sic diluit Synodus Tridentina Sess. VI. cap. 8. *Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari* di-

dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire. Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Vid. quæ hic de re latius disputata sunt Tom. VI. P. II. Dissert. II.

238. Verba demum Apostoli Roman. V. perperam ab adversariis trahuntur ad Sacramentum pœnitentiæ, cum ab ipso referantur ad immensam charitatem Dei, qua filium suum nobis dedit, cum adhuc inimici essemus, ut per ejus sanguinem, & mortem reconciliaremur Deo: reconciliaremur, inquam, per Sacramenta, quorum ope virtus, & efficacia Dominicæ passionis nobis applicatur. In ipsa etiam receptione Sacramenti pœnitentiæ vere dicimur *reconciliari*, *cum inimici essemus*, quia, ut modo observatum est cum Patribus Trident., *nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam promeretur.*

239. Instant opponendo nonnulla divina oracula, quibus timor sufficiens esse dicitur ad expellendum peccatum, quibus & nos sup. num. 155. contra Lutherum usi sumus, & quibus hæc alia addi possunt. Eccl. 1. 11. & seq. maximopere commendatur timor, & vers. 27. expresse dicitur: *Timor Domini expellit peccatum*; & cap. XXV. 15. *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Domini*. Prov. XIV. 27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinet a ruina mortis* (*a*).

240. Resp., hæc, aliaque similia sacræ Scripturæ loca significare, timorem servilem bonum, & utilem esse, ad justificationem disponere, ac viam charitati præparare, non tamen ad veniam impetrandam sufficere. Quamobrem idem Ecclesiasticus I. 16. eum vocat *initium: Initium sapientiæ timor Domini;* & cap. XXV. 16. aperte dicit, *Timor Domini initium dilectionis ejus*. Unde Augustinus Tract. IX. in Epist. Jo. n. 4. recte inferebat: *Ergo incipit timor, quia initium sapientiæ timor Domini: timor quasi locum præparat charitati.*

241. Ob. *secundo* aliquot sanct. Patrum dicta in commendationem timoris. Origenes in fine Lib. III. in Job *Timor*, inquit, *judicii, terror, atque formido futurorum omnem timorem corruptibilem, & carnalem in oblivionem deducit, atque foras mittit*. Si ergo timor supplicii omnem peccandi voluntatem excludit, utique ad justificationem sufficiet. *Præterea* S. Basilius in Ps. XXXIII. n. 6. *Quemadmodum*, ait, *qui clavis transfixi sunt, membra corporis ad agendum immobilia habent, sic quorum anima divino timore correpta est, ii omnem perturbationem ex peccati affectionibus provenientem vitant*. Eademque fere habet Ambrosius Serm. XV. in Ps. CXVIII. *Tertio* S. Hieronymus in cap. I. Malachiæ inquit: *Vult primum Deus, ut filii ejus simus, & bonum voluntate faciamus. Si hoc consequi nolumus, ut saltem servos nos habeat, & a malis per suppliciorum formidinem recedamus. Quarto* S. Gregorius Magnus Lib. II. in Lib. I. Regum cap. 2. n. 17. ait: *Tunc quippe peccare desinimus, cum superna gratia mollitis cordibus futura tormenta formidamus.* Cetera ejusdem generis brevitatis studio omittimus.

242. Resp., varium esse posse similium locutionum quæ haud raro apud sanctos Patres occurrunt, sensum: *primo* enim sæpe loquuntur de timore Dei cum aliquo dilectionis initio conjuncto, & quo sustentatur charitas imperfecta, illa nempe, quæ nondum foras mittit omnem timorem; & hujusmodi timor est valde commendabilis. *Ulterius* commendabilis etiam, & utilis est timor servilis, qui saltem exterius malum impedit, quamvis interiorem peccandi voluntatem non omnino excludat. *Demum* ea maxime de causa commendabilis est timor, quod viam parat charitati, quæ solet per timorem introduci. Sed objecta testimonia breviter expendamus.

243. Origenes (seu potius anonymus auctor, nam illi tres libri Origeni abjudicantur) dicit quidem, timorem corruptibilem, & carnalem, vinci, & expelli a timore multo majore futurorum suppliciorum, unde sequitur, hunc timorem esse bonum: quod nemo, nisi Lutherus, negat; sed non propterea asserit, hunc ipsum timorem, si solus sit, ad nostram justificationem sufficere. Neque de hujus ignoti scriptoris mente sollicitos nos esse oportet.

244. Basilius *de timore perfecto* loquitur, nempe filiali; unde inquit ibidem: „ Nisi timor instituerit vitam nostram, testimonia in corpore comparare non potest: *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas* “. Et post verba objecta ita concludit: *Qui perfectum timorem suscipit, ac omnia timet circumspecto metu, nihil peccabit, cum nihil contemnat.* Multo autem clarius id asserit S. Ambrosius Serm. XV. in Psalm. CXVIII. explicans eadem Psalmistæ verba: *Confige timore tuo carnes meas:* inquit enim: *Qui diligit Domini testimonia, configit clavis carnes suas*. Et post multa sermonem concludit dicens: *Hunc timorem sequitur charitas, quæ consepulta cum Christo, non divellatur a Christo, moriatur in Christo, adtumuletur Christo, resurgat cum Christo.*

245. Hieronymus pariter loquitur de timore servi-

(*a*) De vers. 27. cap. I. Eccles. vide dicta in Tom. 6. P. II. Diss. II. in not. ad n. 20.; sed addendum, lectioni nostri vulgati Interpr. suffragari Clementem Alexand. Lib. I. *Pedagogi* cap. 8. eadem verba allegantem, quamvis loco *expellit* habeat *ἀποθεῖται despicit, aversatur*. Quamobrem Synodus Trident. Sess. XI. cap. 6. jure meritoque eadem verba allegavit contra Novatores.

vili, qui utilis quidem est, ut recedamus a malis, non tamen sufficit, ut *filii Dei simus*, *&* *bonum plena voluntate faciamus*.

246. Gregorius demum, qui apertissime nobis favet (sup. n. 312.) explicandus est de timore cum charitate conjuncto, quem habere non possumus, nisi *superna gratia corda nostra emolliantur*.

247. Inst. *primo*. S. Augustinus, cujus maxima est auctoritas, pluribus in locis timorem servilem, & sufficientem commendat. *Primo* Serm. CLXI. *De verbis Apost.* n. 8. *Timor*, inquit, *quo gehennam times*, *& ideo mala non facis*, *continet te*, *& sic volentem peccare animum interiorem non sinit*. Item Tract. IX. in Epist. S. Jo. n. 4. *Timor Dei sic vulnerat*, *quomodo medici ferramentum putredinem tollit*. Demum, omissis aliis locis celebris est illa distinctio Christianorum, quam habet *De catechizandis rudibus* cap. 17., nempe in eos, qui fidei christianæ nomen dant, ut hominibus placeant, vel aliqua incommoda vitent; tum in eos, qui idipsum præstant, ut commoda temporalia sibi parent; ac tertio in eos, qui Christiani fiunt, ob metum gehennæ, & ad lucrandum regnum æternum; atque hos postremos *vere Christianos* esse pronunciat. Censet ergo timorem, & spem sufficere ad obtinendum salutarem baptismi effectum. Cum autem teste eodem S. Augustino in fine Libri *De adulter. conjugiis*, *eadem* omnino sit pœnitentiæ, ac baptismi ratio, spes, & timor ad consequendam justificationem etiam in pœnitentia sufficient.

248. Resp., S. Augustinum, non aliam agnovisse in timore virtutem, nisi ut malum exterius impediat, atque sic hominem ad charitatem disponat, ex qua nostrorum peccatorum vera remissio dimanat. Hoc S. Doctor in ipso Serm. CLVI. objectum his verbis declarat, quæ subdit: „ Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & veniet charitas: intrat in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres; charitas id agit, ut nolis facere, etiamsi impune possis admittere." Et totus est ibi Augustinus, ut timoris insufficientiam, & necessitatem charitatis ostendat.

249. Similiter loquitur S. Doctor in laud. Tract. IX., nihil aliud boni in timore agnoscens, nisi quod externum malum cohibet, & sensim, ac sensim ad charitatem introducendam disponit. „ Sunt homines, inquit ibidem num. 5., qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit charitatem; sed sic venit, ut exeat. Si enim propter pœnas times Deum, nondum amas, quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo, quod mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor castus ".

250. Tertium S. Augustini testimonium, cui magis insistunt adversarii, facile explicabitur, & cum perpetua S. Patris doctrina componetur, si totus attendatur contextus, in quo lucidenter ostenditur, fidem, spem, & timorem bonas esse dispositiones ad Christianam religionem profitendam, non tamen sufficere, nisi etiam sancta dilectio accedat. Antea enim cap. 4. *De catechizandis rudibus* postquam charitatis necessitatem exposuit, ita Catechistam alloquitur: „ Hac ergo dilectione tibi tanquam sine proposito, quo referas omnia quæ dicis, quidquid narras, ita narra, ut ille, cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet ". Postea sic prosequitur cap. 5. „ De ipsa severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est ..... Rarissime quippe accidit, immo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, quo non sit aliquo Dei timore perculsus. Si enim aliquod commodum expectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando ...... vult fieri Christianus, non fieri vult potius, quam fingere ". Cohærenter ad hæc principia cap. 17. triplicem distinguit eorum classem, qui Christiani fieri volunt, nempe eorum, qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines, a quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt, quos timent; & hos *reprobos* appellat; tum eorum, qui intrant Ecclesiam Dei, ut feliciores sint in rebus terrenis, quam illi, qui non colunt Deum; & hos dicit esse in periculo, & facile a fide deficere. Denique eum *vere Christianum* appellat, qui *propter beatitudinem sempiternam*, *& perpetuam requiem*, *qua post hanc vitam sanctis futura promittitur*, *vult fieri Christianus*, *ut non eat in ignem æternum cum diabolo*, *sed in regnum æternum intret cum Christo:* hæc enim spes, & desiderium beatitudinis sempiternæ, sicut & timor ignis æterni, est supernaturalis, & charitati perfectæ locum parat; unde subdit immediate: *Qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum*, *ut plus amet Deum*, *quam timeat gehennam*. Atque hac solum de causa istos postremos, qui Christo nomen dant *propter beatitudinem sempiternam* &c. vere Christianos esse pronunciat. Ceterum iniquum esset, omnibusque sanioris criticæ regulis contrarium, ex hoc solum obscuro loco mentem S. Augustini definire, innumeris aliis prætermissis, in quibus nitide, luculenter, apertissime necessitatem charitatis ad obtinendam justificationem statuit.

251. Inst. *secundo*. S. Gregorius Nazianz. in Orat. IV. alias III. num. 60. tres pariter distinguit Christianorum classes, eorum nempe, qui *bono conjungi propter ipsum bonum exoptant;* tum illorum *honestorum*, *& laudabilium virorum*, qui *pretio*, *ac mercede aliquid faciunt;* & in tertia classe eos collocat, qui *pœnæ metu a scelere*, *& maleficio deterrentur*. Hanc triplicem Christiano-

rum

rum classem etiam alii Patres distinxerunt, ut Gregorius Nyssenus Tom. I. Orat. 4., Hieronymus Epist. XXI. ad Damasum, aliique.

252. Resp., S. Gregorium Nazianz. tres quidem memoratos distinguere *Christianorum* gradus, non tamen asserere, omnes istos esse justos, atque salvandos, etiamsi nunquam eo progrediantur, ut expetent Deo conjungi propter ipsum Deum. Et quanquam eos, qui pretio, ac mercede aliquid faciunt, aut pœnæ metu a scelere, & maleficio absterrentur, *honestos, & laudabiles viros* appellet, ex hoc tamen non sequitur, eos esse justos apud Deum, nisi spei, & timori aliquam saltem imperfectam charitatem adjungant; sed solum spem, & timorem bonorum, & malorum supernaturalium esse actus honestos, laudabiles, & bonos, quamquam ad veram justitiam insufficientes. Et si ex generali illa Nazianzeni locutione, aliisque similibus concludi posset, non esse necessarium aliquem charitatis actum in Sacramento pœnitentiæ, concludi etiam deberet numquam esse in tota vita necessarium, & posse homines sine charitate salvari; quod est absurdissimum; soli enim *filii* Dei, qui nempe Deum, ut patrem diligunt, jus habent ad regni cœlestis hæreditatem.

253. Hieronymus autem luculentius distinguit eos, qui ex Judæis *justi* erant, & *misericordes*, *non ob ipsum misericordiæ bonum*, sed vel propter desiderium terrenæ felicitatis, vel propter pœnarum timorem; eos tamen non appellat *justos*, aut *misericordes* coram Deo, sed apparenter coram hominibus, seu potius veros hypocritas. Et nisi ita explicetur Doctor maximus, sequeretur, in ejus sententia ad veram justitiam sufficere spem, & metum mere naturalem, bonorum scilicet, & malorum hujus vitæ, quod falsum omnino, & absurdum esset.

254. Inst. *tertio*. S. Bernardus Serm. VIII. *De diversis*, explicans varios status, quibus anima est sub Deo, *primum* ponit statum mercenariorum, qui *aut nullo, aut exiguo desiderio æternorum* serviunt Deo, a quo terrena petunt. *Jam vero*, pergit Sanctus Pater, *in secundo statu incipit esse sub Domino qui tanquam servus carcerem timet, & metuit, ne subjugatur pœnis; in quo sane statu conversio est, exitusque a sæculo, & introitus vitæ*, &c. quid clarius?

255. Resp., ex ipsis Bernardi verbis manifeste apparere, illam *conversionem*, *illumque exitum a sæculo, & introitum vitæ* esse initialem, & insufficientem, ut ille sic timens inter filios Dei computetur, sicut insufficiens est illorum spes, qui *aut nullo, aut exiguo desiderio æternorum*, & solum propter terrena serviunt Deo. De hujus S. Abbatis doctrina vide supra dicta num. 213.

256. Inst. *quarto*. S. Thomas in IV. Dist. VI. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 5. *Ad hoc*, inquit, *quod homo præparet se ad gratiam in baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio*. Et Dist. XXII. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. *Quando aliquis*, inquit, *accedit ad confessionem attritus, non plene contritus, si obicem non ponat in ipsa confessione, & absolutione, sibi gratia, & remissio peccatorum datur*.

257. Resp. ad *primum*, nomine *attritionis* a S. Doctore non intelligi eam, quæ excludat omnem charitatem actualem, & imperfectam, sed illam, quæ excludit charitatem actualem perfectam: alias hic textus Angelici opponeretur Concilio Tridentino, quod ab adultis baptizandis omnino exigit, ut Deum tamquam omnis justitiæ fontem *diligere* incipiant. Ceterum in eodem Lib. IV. Dist. XX. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1. *Antiochus*, inquit, *veniam consecutus fuisset, si vere pœnituisset: sed non habuit veram pœnitentiam*. Quare? *quia non ex amore justitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ, quam expectabat, vel dolore pœnæ, quam sustinebat;* unde monet, hoc facile contingere iis, quos in fine vitæ pœnitet. Similiter explicanda sunt alia Angelici Doctoris verba, & si quæ alibi inveniuntur iis similia, nimirum de attritione non pure formidolosa, sed quæ charitatem includit solum initialem, & remissam, quæ ad impetrandam gratiam sanctificantem *per se* non sufficit: sufficit postea, quando est cum confessione, & absolutione conjuncta.

258. Ob. *tertio* celebre Scholarum effatum: *Attritus virtute Sacramenti fit contritus*.

259. Resp., hoc Scholasticorum effatum admitti posse, si de ea attritione intelligatur, quæ cum aliquo Dei amore conjuncta sit. Cum enim iste amor ab amore in contritione requisito non differat specie, sed tantum gradibus, & intensione, facile intelligitur, quomodo vi, & efficacia Sacramenti amor inchoatus augeatur, atque ita intendatur, ut pœnitens vere contritus fiat. Secus autem censemus de attritione, omni dilectionis actu denudata, cum impossibile sit, actus specie diversos in se invicem mutari. Quamobrem non alia ratione dici posset, hominem ex attrito fieri contritum, nisi quatenus post attritionem superveniret contritio; sicut dicitur, de mane fieri meridiem, & hominem ex peccatore fieri justum; quem tamen sensum non admittunt, qui volunt, attritionem amoris expertem ad justificationem sufficere (*a*).

260.

(*a*) Jo. Morinus, non minus in Scholasticorum libris, quam in veteribus Ecclesiæ monumentis admodum versatus, Lib. VIII. *de pœnit.* cap. 3. & seq. observavit; a sæculo XII., quando vocabulum *attritionis* apud Scholasticos obtinere cœpit, maximas enatas fuisse de hujus proloquii sensu controversias, & septem plane diversas sententias enumerat. Affert etiam memoranda illa verba Dominici Soto, qui in IV. Dist. XVIII. quæst. 3. art. 2. inquit: *Doctrina hæc de attritione, quæ in Sacramento fit contritio, licet sit vera, non*

260. Inst. *primo*. Pœnitentia, non secus ac baptismus, vocatur *Sacramentum mortuorum*, & dicitur conferre *primam gratiam*, certe non alia de causa, nisi quia pœnitentes omni erant gratia, & charitate destituti.

261. Resp., illud charitatis initium, quod ad veram attritionem requiritur, minime sufficere ad justificationis gratiam sine Sacramento consequendam. Quamobrem Sacramentum ipsum recte dicitur peccatorem spiritualiter mortuum vivificare, illi nempe gratiam habitualem conferendo, quæ est vita animæ. Potest etiam appellari *Sacramentum mortuorum* respectu illorum, qui cum contritione perfecta ad illud accedunt. Quamvis enim ante actualem Sacramenti susceptionem justificati, & vivi jam sint, hæc tamen justificatio a Sacramenti voto dependet, unde semper aliqua ratione Sacramento tribuitur.

262. Queruntur denique adversarii, nostram sententiam nimis duram, & asperam esse, quæ proinde jugum legis Christi multo gravius reddat, quam fuerit jugum legis Mosaicæ: in hac enim solum contritio exigebatur sine confessione; modo autem contritioni additam esse peccatorum externam confessionem. Hinc Theologi, qui vulgo audiunt *benigniores*, magno numero in oppositam manibus, pedibusque iverunt opinionem, ut eam *communiorem* Alexander VIII. jure appellarit.

263. Veruntamen nihil absurdius dici potest, quam legem *charitatis*, *& amoris*, qualis est lex Christi, duram, & asperam esse, levem autem fuisse legem *timoris*, cujusmodi erat Mosaica. Sunt quidem etiam in lege Christi præcepta, quæ homini infirmo, & debili videntur gravia, & difficilia, sed ipsa etiam *levia* facit charitas; quod centies repetit S. Augustinus. Legatur ejus Sermo LXX., ubi explicat hæc ipsa Christi verba Matth. XI. 30. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; nec alia ratione explicat, quam per amorem, qui *omnia sæva, & immania, prorsus facilia, & nulla efficit*. Sane Tridentina Synodus non dubitavit pœnitentiam appellare baptismum *laboriosum*, ad quem *sine magnis fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire non possumus*; sed omnis labor per charitatem suavis redditur.

264. Mirandum vero non est, quod regnante probabilismo, quo sententiis benignioribus, & laxioribus lata aperta est via, etiam in hac parte a sanctor. Patrum, ac veterum Theologorum justo rigore recessum sit. *Homines enim*, scite inquit Morinus *de pœnit.* Lib. VIII. cap. 4., *ut plurimum in causa relaxationis disciplinæ, & severitatis morum minuendæ ita comparati sunt, ut qua data porta statim ruant*. Ceterum facile ostendi posset, si necesse foret, sententiam, quam suo tempore Alexander VII. *communiorem videri* asseruit, ita sensim decrevisse, ut hanc laudem debuerit oppositæ concedere. Vid. sup. not. ad num. 185.

ARTICULUS III.

Ostenditur, amorem initialem ad veram attritionem requisitum, non esse amorem concupiscentiæ, & spei, sed benevolentiæ, & charitatis.

265. Ut supra ad num. 223. notavimus, nonnulli Theologi, cum nimia veritatis luce compulsi, inficiari amplius non auderent, aliquem Dei amorem, saltem initialem, & remissum, esse ad veram cordis conversionem, adeoque ad pœnitentiæ Sacramentum rite percipiendum, omnino necessarium, controversiæ, quæ maxime fervebat, statum immutandum esse censuerunt, ut non amplius de necessitate amoris initialis disputaretur, sed tantummodo de hujus amoris qualitate, & natura, contendentes, eum esse non debere amorem *benevolentiæ*, seu *charitatis*, quo Deus amatur propter seipsum ut summum, atque infinitum bonum, sed sufficere amorem *concupiscentiæ*, quo Deus diligitur propter nos, ut summe *bonus nobis*. Vide dicta de hac amoris Dei distinctione Tomo VII. Dissert. III. num. 12. (*a*).

266.

est tamen ita multum vetus. Patres enim antiqui solam contritionem agnoscebant necessariam ad confessionem. Pœnitentiam, qui mihi diceret non se pœnitere propter Deum, absolvere non auderem.

(*a*) Quoniam hujus opinionis vel primus, vel saltem præcipuus auctor dicitur Henr. Tournely, præstat, eadem ipsius verbis breviter declarare. Quæst. 5. artic. 3. postquam duplicem distinxisset amorem Dei *super omnia*, alterum *perfectum*, qui est *veræ charitatis*, alterum *imperfectum*, seu *minus perfectum*, qui *fundamentum habet in spe christiana*, ac juxta communiorem Theologorum doctrinam primum appellasset amorem *amicitiæ, & veræ charitatis, quo Deus diligitur, quia in se summe bonus, ac perfectus*, alterum vero amorem *concupiscentiæ, seu spei, quo Deum diligimus, quia nobis bonus*, sic pergit: *Communior Theologorum sententia est, attritionem ex solo metu pœnarum, sine illo Dei amore saltem inchoato, & initiali, non sufficere*; quam thesim solita sua argumentorum copia ex Scriptura, ex sanctis Patribus, ex Conc. Trid., atque ex ratione invicte demonstrat. Postea vero in Concl. II. statuit, *sufficere* ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ eum solum amorem spei, quo Deus diligitur, *quia nobis bonus, nostra beatitudo, ac finis ultimus*. Hanc suam thesim probatione non indigere arbitratur, cum manifeste fluat ex quibusdam principiis a se jam constitutis, videlicet *perfectionem charitatis non ex intensione gradus, sed ex formali, ac specifico ejus motivo duci; charitatem essentialiter ex suo formali, ac specifico motivo perfectam, in quocumque gradu sit, hominem Deo reconciliare; & alia de certum esse, charitatem perfectam non esse necessariam ad Sacramentum dispositionem*

266. Observandum vero est, amorem *initialem*, quem necessarium esse volumus Sacramento pœnitentiæ, debere esse *appretiative* summum, seu ut Deus diligatur super omnia, ut nullum prorsus sit creatum bonum, cui Deus non præferatur (Hoc enim exigit vera ad Deum conversio Vid. sup. num. 141. ex D. Thoma): non autem *intensive* summum, idest acrem, vehementem, & intensum, qualem in contritione perfecta requiri superius num. 134. ex auctoritate Catechismi Rom. ostendimus. Hoc brevite prænotato

267. Prob. nostra assertio *primo* omnibus iis argumentis, quibus supra num. 207. seq. probavimus ex sacris litteris, atque ex sanctis Patribus, necessariam esse aliquam saltem inchoatam Dei dilectionem; neque enim de alia Dei dilectione Scripturæ, & Patres loquuntur, quam de ea, quæ fertur in Deum, ut summum bonum, & charitatis Theologicæ objectum.

268. Præterea Trid. Synodus Sess. VI. cap. 6. amorem *spei*, seu *concupiscentiæ*, ab amore *charitatis* initialis aperte distinguit, & pœnitentes ab utroque ad justificationem disponi asserit: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati a divina gratia, atque adjuti .... a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, &c. En duos distinctos pœnitentium motus spei, & dilectionis inchoatæ. Iterum can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. En iterum distinctos actus *fidei*, *spei*, *dilectionis*. Ubi etiam animadversione dignum est, non sine multo, gravique examine fuisse illa verba *illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, decreto inserta, ut magis constet, non amorem *spei*, & *concupiscentiæ*, sed amorem *charitatis* esse a Concilio requisitum. Vid. sup. not. ad num. 202.

269. Ac meo quidem judicio nec refutari meretur subtilis illa Tournelii responsio, Concilium distinxisse utique *dilectionem a spe; at quis certo*, subdit, *asserere potest, an eam distinguat vel tamquam rem a re, vel tantum ut effectum a causa, partem a toto, proprietatem a natura?* Itane vero Patres illi sapientissimi post diutinam discussionem addenda censuerunt illa verba *Deumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, incertum relinquentes, an continerentur in amorem *spei*, quam jam inter dispositiones præcedentes numeraverant? Si semel hujusmodi argutiis locus detur, nihil porro erit ratum, & fixum in Ecclesiæ decretis (*a*).

270. *Tertio*. Charitas initialis, seu *inchoata* est ejusdem speciei, ac charitas *perfecta*. Ita docet expresse Sanctus Augustinus, cum aliis in locis, tum potissimum Tract. IX. in epist. Sancti Joannis, ubi explicans ea verba: *Charitas foras mittit timorem: Timor*, inquit, *non est in charitate, sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta*, inquit, *charitas foras mittit timorem ... Cum cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit*, &c.

271. Idem docet S. Thomas in IV. Dist. XVII. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. inquiens: *Attritio dicitur accessum ad perfectam contritionem; unde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo sunt comminuta, sed non perfecte. Sed contritio dicitur, quando omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo significat attritio in spiritualibus quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed imperfectam: contritio autem perfectam*. Et iterum art. 5. quæstiunc. 3. *Contritio*, inquit, *habet duplicem dolorem, unum rationis, qui est displicentia peccati commissi; & hic potest esse adeo parvus, quod non sufficiat ad rationem contritionis ... sicut etiam amor potest esse remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis*, nempe perfectæ. Nec omittenda, quæ Angelicus docet 2. 1. quæst. 19. art. 8., ubi quærit, *an timor initialis differat secundum substantiam a timore filiali?* Respondet autem *negative*; quia timor *initialis accipitur secundum quod competit statui incipientium, in quibus inchoatur quidem timor per inchoationem charitatis, non tamen inest eis timor filialis perfectus, quia nondum pervenerunt ad perfectionem charitatis; & ideo timor initialis hoc modo se habet ad filialem, sicut charitas imperfecta ad perfectam. Charitas autem perfecta, & imperfecta, non differunt secundum essentiam, sed solum secundum statum*. Qui majorem perspicuitatem desiderant, videntur mihi quærere lucem in meridie.

272. Ob. *primo* palmare adversæ sententiæ fundamentum. Amor charitatis *appretiative* summus, quo nempe diligitur Deus *super omnia*, non potest simul cum peccato consistere: si ergo hic dilectionis actus necessario requiratur, ut attritio in Sacramento pœnitentiæ sufficiat, quilibet pœnitens an-

(*a*) Eximius P. Suarez 3. P. Dist. 4. sect. 8. *Diligere Deum*, inquit, *ut omnis justitiæ fontem, non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere Deum, ut auctorem gratiæ, & omnium supernaturalium bonorum, quomodo charitas diligit ipsum ..... Nec vero dicit Concilium, hunc amorem pertinere ad spem, sed potius præsupponere spem.... Nam amor concupiscentiæ non sequitur proprie ex spe, sed ad illam potius supponitur*. Erat autem Suarez ita de sua sententia securus, ut ibidem addat, *existimare se neminem negaturum, Concilium loqui de dilectione charitatis*.

ante actualem Sacramenti susceptionem justificatus jam erit, ut proinde falsa sit illa Rom. Catechismi doctrina (sup. num. 134.), fuisse necessariam hujus Sacramenti institutionem, quia nonnisi *a paucissimis alia via peccatorum venia speranda esset*; & sic frustra Christus Dominus claves ligandi, atque solvendi tradidisset Ecclesiæ.

273. Resp. *primo*, in Concilio Constantiensi anno 1414. fuisse illum Wicleffi articulum damnatum: *Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior, seu Sacramentalis est sibi superflua, & inutilis*. Et Synodus Trident. Sess. XIII. can. 11. *Ne tantum Sacramentum*, inquit, *indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem*. Quod antea etiam cap. 7. decreverat. Si autem potestas clavium non est otiosa, & inutilis iis, qui perfecta contritione instructi sunt, multo minus erit inutilis aliis, qui nonnisi imperfecta, inchoata, ac debili charitate ad Deum convertuntur.

274. Resp. *secundo*; ex mox citati Rom. Catechismi doctrina manifeste patere, illam contritionem, qua sine Sacramento deleri peccata dicuntur, *adeo vehementem, acrem, & intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit*, & ad quam *pauci admodum* perveniunt. Pro certo itaque habet Catechismus, aliam esse contritionem (nam de sola contritione ibi loquitur) minus vehementem, cum qua beneficio clavium justificationem, & salutem faciliori ratione consequi possumus. Idipsum pro certo habuit Sanctus Augustinus; nam Tract. XIII. in Joan. loquens de necessitate baptismi, *Quantumcumque*, ait, *catechumenus proficiat* (quomodo autem proficiet sine aliquo charitatis initio?), *adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum*. At vero nihil frequentius apud ipsum S. Doctorem, quam charitate omne expelli peccatum, & simul cum peccato omnem timorem. Duplicem ergo agnovit S. Augustinus charitatem, alteram incipientem, infirmam, & imperfectam, quæ vim justificandi ex se sola non habet; alteram robustam, perfectam, & efficacem, cum qua peccatum consistere nequit.

275. Inst. *primo*. Hæc charitas, utut imperfecta, hominem a peccato avertit, & convertit ad Deum, sicut in ultimum finem: non ergo componi potest cum peccato, quod a Deo ultimo fine avertit.

276. Resp., conversionem, quæ fit ad Deum per charitatem inchoatam, esse imperfectam, quæ proinde ad culpam delendam minime sufficit. *Est enim*, inquit Angelicus 1. 2. qu. 113. art. 10., *iste communis, & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat, quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus dicit Tract. V. in epist. Joan.* Ita Angelicus. Alii autem pro majore claritate dicunt, peccatorem per charitatem inchoatam converti ad Deum *affective*, non *effective*; nempe charitas illa inchoata omnem peccati affectum excludit, adeoque ad Deum *affective* convertit; non tollit autem peccati maculam, adeoque *effective* ad Deum perfecte minime convertit. Id ipsum debent quoque Attritionistæ in suo systemate docere. Si enim ab ipsis sciscitemur, an attritio formidolosa excludat omnem voluntatem peccandi, respondebunt utique, *excludere*, nisi velint definitioni Tridentini contradicere: ergo homo *affective* avertitur a peccato, in quo ponebat suum finem, & convertitur ad Deum, tamquam ad ultimum finem. Si autem quæramus ulterius, an peccator ita attritus sit justificatus ante Sacramentum pœnitentiæ, proculdubio respondebunt, non esse justificatum: ergo *effective*, & perfecte non est conversus ad Deum propter reatum culpæ nondum deletum.

277. Inst. *secundo*. Attritio formidolosa expellit quidem peccatum, immo ipsam voluntatem peccandi, sed non convertit peccatorem ad Deum, cum non sit dolor de peccato propter offensam Dei *super omnia* dilecti; unde intelligi potest, quod sine Sacramento non justificet. Non sic autem res se habet de initiali charitatis amore, qui necessario importat conversionem ad Deum, adeoque & justificationem.

278. Resp. *primo*, Adversarios ex definitione Concilii Trid. debere admittere simul cum detestatione peccati, etiam initium dilectionis Dei, tamquam *fontis omnis justitiæ*, adeoque non solum aversionem a peccato, sed etiam quamdam conversionem ad Deum: ergo similis est ratio. *Deinde* impossibile est, aliquem ab uno termino recedere, quin ad alium oppositum accedat: ergo si per attritionem formidolosam homo recedit a creatura, necessario debet ad creatorem accedere. Sed necessarium non est, ut Deus peccatori, statim ac incipit ad ipsum converti, omnem peccati reatum condonet, ipsique suam sanctificantem gratiam plene largiatur. Hinc possumus in homine attrito agnoscere quemdam vitæ spiritualis gradum, non tamen vitam perfectam, & plenam. Hujus duplicis vitæ spiritualis, *perfectæ*, & *imperfectæ* fundamentum habemus in condemnatione propositionis LXIII. Mich. Baji, *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ & vitæ novæ propositum, & inchoatio per gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in Christo vite efficitur, commentitia est, & Scripturis minime conveniens judicatur*. Si hæc propositio ut falsa juste proscripta fuit, vera erit nostra doctrina illi opposita.

279 Inst. *tertio*. Minima charitas sufficit ad delendam peccati maculam. Nam id aperte docet S. Thomas 3. P. quæst. 70. art. 4. dicens: *Minima gratia* (habitualis) *potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale .... minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti:* si ergo aliquis initialis amor charitatis in attritione requiratur, simplex attritio justificabit.

280. Resp., S. Thomam id asserere de gratia, ac charitate sanctificante, & habituali, qualis ea est, quæ infunditur in baptismo, non autem de gratia, & charitate actuali, qualis requiritur in Sacramento pœnitentiæ, ac multo minus de charitate inchoata, remissa, & adhuc infirma, qualem nos in attritione necessariam dicimus. Id patet manifestissime ex scopo illius articuli, ubi Angelicus quorumdam Theologorum doctrinam refutabat, dicentium, per Circumcisionem fuisse quidem collatam gratiam, quæ hominem faciebat *dignum vita æterna, sed quæ non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec etiam ad implendum mandata legis*. Ut hanc opinionem refellat Angelicus (cui etiam ipse junior adhæserat), inquit, hoc esse verum, *quia minima gratia*, &c. Et hæc satis sint de hac celeberrima controversia, quæ inter Catholicos, salva fidei unitate, a duobus, & amplius sæculis indecisa versatur. Nunc ad tuendum catholicæ Ecclesiæ dogma de Confessionis necessitate progrediamur.

CAPUT VIII.

De Confessione Sacramentali.

281. Quam nos peccatorum Confessionem nominamus, Græci vocant ἐξομολόγησιν *exomologesim;* unde quod Matth. III. 6., & Marci I. 5. de Judæis dicitur, quod *baptizabantur a Joanne confitentes peccata sua*, Græce habetur ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας. Immo & Latini nonnumquam hac eadem voce usi sunt, ut Tertullianus in Lib. *De pœnit.*, Sanctus Cyprianus in Tract. *De lapsis*, aliique; quamquam notantibus doctissimis viris, Albaspinæo Lib. II. *Observat. Sacr.* Observ. 27. Petavio ad S. Epiphan. Hær. LIX. & Morino Lib. II. *De pœnit.* cap. 2. num. 4., haud raro nomen *exomologesis* adhibetur ad significandos varios pœnitentiæ gradus, de quibus postea.

282. Porro confessio peccatorum, vel potest esse tantum interna solo cordis affectu Deo facta, ut illa Davidis Ps. XXXI. *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei;* vel etiam externa, & ore prolata, quæ a Græcis ἐξαγόρευσις, seu *enuntiatio* dicta est.; ut quando Josue dixit Achan: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. Responditque Achan Josue, & dixit ei: vere ego peccavi Domino Deo Israel*. Rursus hæc confessio *oralis*, vel *publica* esse potest, vel *privata*. Hæc secunda dicitur etiam *auricularis*, vel *clancularia*, & *arcana*, qua Sacerdos, cui fit, nemini prorsus quacumque de causa eam manifestare potest; & contra hanc Novatores clamare non cessant, concedentes quidem eam utilem esse variis de causis, non tamen fuisse a Christo institutam, nec ullam haberi de ea divinum præceptum, immo nec Ecclesiasticum ante Innocentium III., quem primum illius auctorem fuisse comminiscuntur; quamobrem eamdem *Innocentianam* vulgo appellant (*a*).

283. Antequam vero catholicum dogma contra Sectarios proponamus, explicanda est Confessionis Sacramentalis natura, quæ hac communi definitione continetur: *Est accusatio Sacramentalis* pec-

(*a*) Quinam fuerint primi Confessionis auricularis hostes, incertum est. Sunt, qui hujus erroris originem a Novatianis repetant, de quibus dictum est ad num. 66., quatenus negantes, gravia peccata remitti posse, consequenter inutilem esse eorumdem confessionem asserebant. Alios, qui dicebant, peccata Deo *solummodo* confitenda esse, memorat Concilium Cabillonense celebr. anno 813. can. 33. Wiclefum confessionis necessitatem, non quidem absolute, sed pro iis saltem, qui perfecta contritione justificati jam sunt, sustulisse patet ex ipsius artic. sept. damnato in Concilio Constantiensi Sess. VIII. an. 1415. *Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est superflua, & inutilis*. In hunc errorem incidisse dicuntur Petrus de Osma Doctor Salmanticensis, ab Episcopo Toletano anno 1479. probante summo Pontifice Sixto IV. damnatus, Desiderius Erasmus, Nic. Rigaltius, & quod magis mirabile videtur, celebris admodum P. Mich. Aiguanus Bononiensis, patriæ suæ, ac Familiæ Carmeliticæ decus, atque ornamentum; cujus gesta, & varii generis scripta accurate, ac copiose pro more suo nobis dedit vir, non solum sanguinis nobilitate, sed etiam muneris gestis, litteris, atque eruditione clarissimus, meique amicissimus, Comes Joan. Fantuzzi in Tomo I. *Delle notizie degli Scrittori Bolognesi*.

Lutherus, & Calvinus solita Novatorum inconstantia confessionem auricularem modo *utilem*, & *necessariam*, immo *afflictis conscientiis remedium* (Ita Lutherus *De Captiv. Babylon.*, & alibi, ac Calvinus Lib. III. *Instit.* cap. 4.); modo *cruentissimam carnificinam* appellarunt, *conscientiarum laqueum*, *tyrannidem*, *multisque nominibus Ecclesiæ noxiam*. Scio equidem, utrumque hæresiarcham a contradictionis nota ab aliquibus liberari, quod confessionem *liberam*, & *spontaneam* utilem esse, fateantur; eam autem, quam nos prædicamus, ut a Christo Domino institutam, & præceptam, tamquam *impossibilem* respuant, & *perniciosam*. Sed an hoc sufficiat ad illorum contradictionem tollendam, viderint alii. Nobis sat erit, necessitatem confessionis auricularis ex divino præcepto cum Synodo Trident. luculenter evincere, præcipue contra Joan. Dallæum, qui longa, & cavillosa Dissert. conatus est, Ecclesiæ Rom. doctrinam impugnare; quam tamen strenue defenderunt Jac. Boileau *in Hist. Confess. Auric.*, Dion. Sammarthanus in Tract. *De Confess.*, ac præcipue Natal. Alexander in Dissert. XIV. in Sæc. XIII., & XIV.

peccatorum post baptismum commissorum facta Sacerdoti, ad illorum remissionem virtute clavium obtinendam. Dicitur *accusatio*, idest non pura narratio, vel expositio criminum, sed vera accusatio ex animo et per pœnitentiam expiandi. Additur *post baptismum commissorum*, quia nonnisi ista pœnitentiæ Sacramento subsunt. Dicitur postea *facta Sacerdoti*, quia, ut inferius ostendemus, soli Sacerdotes fuerunt a Christo instituti Ministri hujus Sacramenti. Demum subditur *ad illorum remissionem*, &c. quia, ut bene observat Catechismus Rom. P. II. cap. 5. n. 38., *hoc judicium longe dissimile est a forensibus capitalium rerum quæstionibus, in quibus confessioni pœna, & supplicium, non culpæ liberatio; & errati venia constituta est*. His præhabitis, sit

PROPOSITIO I.

Ex divinis Scripturis N. T., sin minus efficaciter, saltem sufficienter eruitur divina confessionis oralis institutio, & præceptum.

284. Prætermissis nonnullis locis, ex quibus Card. Bellarminus, & aliqui alii Theologi nostram propositionem demonstrare conantur, quæ tamen judice Nat. Alexandro, & nobilissimis Scripturæ sacræ interpretibus ad hoc dogma non pertinent, iis potissimum verbis innitimur, quibus Christus Dominus potestatem ligandi, atque solvendi Apostolis contulit apud Matthæum XVIII. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo* (a); & Joan. XX. 22. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ex his enim Christi verbis manifeste eruitur, Apostolos, eorumque successores fuisse judices in foro pœnitentiæ constitutos cum potestate ligandi, atque solvendi; atqui id præstare minime possunt, nisi pœnitentium causa integre, & plene cognita; & rursus plena hæc causæ cognitio haberi aliter nequit, quam ex ipsorum pœnitentium confessione: ergo &c.

285. Hæc potissimum ratio movit Patres Tridentinos, ut Sess. XIV. cap. 5. definirent, *institutam fuisse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere*. Et can. 6. anathema dicerent ei, qui *negaverit, confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum*. Hanc rationem allegavit etiam sanctus Thomas in Supplem. quæst. 6. artic. 1., & IV. *cont. Gent.* cap. 72.

286. Contra hanc probationem plura objicit Dallæus. *Primo* Origenes, Chrysostomus, ac nonnulli alii hanc ligandi, atque solvendi potestatem ad omnes fideles extendunt, propter verba præcedentia apud Matth. *Si peccaverit in te frater tuus &c.*, quasi scilicet Christus tantum voluerit fidelibus omnibus insinuare, quod si peccantibus in nos dimiserimus, Deus quoque nobis peccata nostra dimittet. *Secundo* Dallæus negat, Sacerdotes esse a Christo constitutos judices, cum teste Apostolo non sint nisi *legati*, *ministri*, & *dispensatores mysteriorum Dei* 1. ad Cor. IV., & 2. Cor. V. *Tertio*, quemadmodum summus Princeps judices constituendo, non prohibet, quin subditi possint ad se immediate confugere; ita multo minus Christus Dominus tribuens Apostolis ligandi, ac sol-

Porro Synodi Trid. doctrina, „ depulsis Novatorum „ erroribus, fusa per omnes Catholici orbis provincias, fideliumque omnium animis insita penitus, ac „ defixa, pacatissima consensione, nec sine ingenti „ animarum fructu, pura, & integra fide tenebatur. „ Verum... cum in hac fidei, ac doctrinæ constantia „ nil dudum Christianæ plebi *ab apertis hostibus* metuendum videretur, prodierunt repente *ex nostris*, „ qui nobis bella moverent; *si tamen nostri dicendi* „ *sunt, quos ad inimicos transisse rupto fœdere, sentiamus* (S. Cælestinus ep. ad Cler. & pop. Clpum). „ Editum sane recens, nec sine acerbi doloris sensu „ accepimus, libellum Germanico idiomate, cujus hæc „ est latine reddita inscriptio: *Quid continet documenta antiquitatis Christianæ de auriculari confessione?* „ ab Eybel Vindob. apud Jos. Nob. de Kurzbeck 1784. „ Ediderat jam scriptor iste paucis ante annis *Introductionem in jus Eccles. Catholicorum*, quem librum „ decreto sub die 16. Febr. currentis anni Indicis Congregatio, maturo adhibito examine, censuit inter „ damnatos libros referendum. At hoc novo libello palam omnibus factum est, perspicueque declaratum, „ qui scriptoris hujus animus semper antea fuerit, „ quove demum tendant eorum consilia, qui omni „ scriptionum genere student fidelium animos alienare „ ab ea Sede, *cum qua Ecclesias universas, & fideles, quæ undique sunt, omnes oportet convenire, &c.*" Ita immortalis Pius VI. feliciter regnans in suis Litteris *Mediator Dei, & hominum* die 11. Nov. 1784., quibus infaustum Eybelii librum damnat, *tamquam continentem doctrinas, & propositiones respective falsas, captiosas, temerarias, scandalosas, seditiosas, sanctis Patribus contrarias & injuriosas, sapientes hæresim, erroneas, hæreticas, & a Concilio Trid. ut hæreticas damnatas*. Quæ sapientissimi Pontificis censura quam justa sit, ex mox dicendis apparebit.

(a) Inepte cavillantur Seldenus *De Synedriis Ebr.* Lib. I. cap. 9., Lightfootus in *Horis Ebr.* in Matth. XVI. 19., Vitringa in *Synagoga veteri*, aliique a Christoph. Matth. Pfaffio laudati in *Origin. juris Ecclesiast.* cap. 1. artic. 2., contendentes, Christum non esse locutum de hominibus ligandis, vel solvendis, sed de rebus permittendis, vel prohibendis, quia non dixit: *Quoscumque alligaveritis &c.*, sed neutro genere *Quæcumque &c.* Inepte inquam, quia horum verborum sensus determinatur ex aliis parallelis Joan. XX. *Quorum remiseritis peccata &c.*, quæ certe non aliter intelligi possunt, quam de potestate solvendi peccatorum vincula, vel ligandi, idest ligata relinquendi.

solvendi potestatem, fidelibus vetuit, quin ad seipsum per interiorem pœnitentiam immediate confugiant, ac peccatorum remissionem obtineant. *Demum*, etiamsi detur, Apostolos fuisse constitutos *judices*, ad ipsos non spectabit peccata dimittere: nam penes judices arbitrium non est, reos a pœnis absolvendi. Hoc enim summis Principibus reservatur.

287. Resp. ad *primum*, hanc verborum Christi interpretationem nonnisi raro, & apud paucos inveniri. Communiter enim Patres, & sacri interpretes ea intelligunt de potestate Sacerdotibus divinitus data ligandi, atque solvendi peccatores in foro interno conscientiæ, prout eos bene, vel male dispositos esse ex eorum confessione cognoverint. Ita Chrysostomus superius n. 23. laudatus Lib. III. *De Sacerdotio* cap. 5., ubi multa habet hanc in rem lectu dignissima. Ita fere omnes alii Patres, & sacri Expositores.

288. Ad *secundum*. Quod Dallæus negat Apostolos fuisse a Christo constitutos veros *judices* cum plena ligandi, atque absolvendi potestate, asserunt uno ore sancti Patres, quorum perfacile esset longum texere catalogum. Neque vero contradicit Apostolus, dum, qui judices a Christo constituti sunt, vocat *legatos*, *ministros*, *dispensatores*: hæc enim nomina, atque officia non pugnant cum nominibus, atque officiis judicum.

289. *Tertium* Dallæi effugium facile præcluditur, observando, non solum permissum, sed etiam præceptum esse peccatoribus, ut ad Dei misericordiam interna pœnitentia confugiant, simul tamen Christum voluisse, ut Ecclesiæ clavibus se subjiciant, quia hoc eis non solum valde utile futurum erat, sed etiam recto suæ Ecclesiæ ordini necessarium, ut oves pastoribus, ægri medicis, peccatores judicibus subderentur: quamquam hic *de facto* tota controversia est, quod ex sacris paginis manifeste eruitur, non de arcanis Dei consiliis in hac potestate tribuenda, quæ nos latere possunt.

290. Postrema objectio Dallæi levissima est. Quis enim negaverit, supremam dimittendi peccata potestatem solius Dei esse? Sed audebitne Dallæus inficiari, potuisse Deum eamdem potestatem quibusdam hominibus a se inter alios delectis delegare? Nonne etiam Principes, & Reges terræ possunt quibusdam suis ministris, & judicibus plenam conferre potestatem reos absolvendi? Immo Chrysostomus loco laud. *De Sacerdotio*, ex quo Reges possunt plenam aliquibus potestatem largiri, ligandi, atque solvendi quoscumque voluerint, colligit, id quoque fuisse Sacerdotibus a Christo concessum, subdens: *At vero Sacerdotes majorem acceperunt potestatem, quanto cœlum terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant*.

291. Objicit *secundo* Dallæus contra id, quod una cum Trid. superius diximus n. 284., non posse scilicet Sacerdotes officio judicis in absolvendis pœnitentibus fungi, nisi ex ipsorum confessione perspectam habeant eorumdem conscientiam. Id minime necessarium esse, inquit, quia etiam in baptismo illa exercetur potestas ligandi, ac solvendi, quam Christus Apostolis contulit Jo. XX.: atqui tamen non exigitur ab adultis baptizandis peccatorum confessio: ergo pariter &c.

292. Resp., ea Christi verba: *Quorum remiseritis &c.* proprie ad Sacramentum pœnitentiæ, non autem ad baptismum pertinere: *primo*, quia Christus addidit: *& quorum retinueritis, retenta sunt*; hæc autem de baptismo intelligi proprie nequeunt: tum quia in infantibus potestas retinendi nullo modo exerceri potest; in adultis vero, quando aliqui ut indigni repelluntur, *proprie* non exercetur potestas retinendi peccati solis Sacerdotibus concessa: nam quilibet fidelis repetendo ea Evangelii verba: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.* valet *incredulos* hujus Sacramenti indignos judicare; tum maxime, quia potestas judiciaria non potest exerceri, nisi in eos, qui per baptismi januam in Ecclesiam ingressi jam sunt, dicente Apostolo 1. Cor. V. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Hæc autem potestas *ligandi*, vel *retinendi peccata* proprie exercetur in Sacramento pœnitentiæ, quando justis de causis negatur, vel suspenditur absolutio. Quod si aliqui Patres, ut Cyrillus Lib. XII. in Jo., vel Interpretes, ut Jansenius Gandavensis, memorata Christi verba etiam ad baptismum extenderunt, minus *proprie* locuti sunt, quatenus etiam in baptismo remittuntur peccata, sed non per potestatem judiciariam, quam Ecclesia in eos, qui foris sunt, exercere non potest.

293. Ob. *tertio*. Nullibi legitur in sacris litteris Apostolos, vel qui ab Apostolis animarum pastores constituti sunt, fidelium confessiones excepisse; non est autem verisimile, eos nullum de hac re præceptum dedisse, immo nihil prorsus memorasse: si confessionem peccatorum esse ad pœnitentiam omnino necessariam credidissent. *Ulterius* S. Paulus 1. ad Cor. XI., ubi de dispositionibus ad Eucharistiam digne sumendam agit, *Probet autem*, inquit, *seipsum homo &c.*; non præcipit, ut *confiteatur*, quemadmodum postea præcepit Synodus Trident. Sess. XIII. cap. 7.

294. Resp., argumentum hoc inficiale, quo sæpe contra Ecclesiam utuntur heterodoxi, nullius esse roboris, ubi positiva, & sufficientia habentur contraria fundamenta: neque enim omnia in sacris codicibus scripta sunt, quæ vel fecerunt, vel facienda docuerunt Apostoli. Sane, ut superius adnotavimus, Calvinistæ simul, ac Lutherani, quamvis negent, confessionem peccatorum esse necessariam, fatentur tamen aliquando eamdem esse multis de causis utilem, ac propterea fidelibus consulendam. At vero ubinam legunt, Apostolos hoc consilium fidelibus dedisse? Quo igitur jure adversarii, non obstante hoc sacrorum Codicum silentio, contendunt, confessionem privatam quando-

doque esse utilem; ita nos contendimus, esse hominibus lapsis præceptam, & necessariam, quanquam nullum ex sacris litteris ejus exemplum afferre possimus.

295. Alterum eadem facilitate solvitur. *Probet autem*, idest examinet *seipsum homo*, ait Apostolus; non autem addit, inquit Dallæus, si se peccatorem invenerit, *pœniteat*, *& confiteatur*. Si ita est, ut Calvinista commentatur, neque peccatori necessaria erit interior pœnitentia, quia Paulus eam non memorat. At vero, inquit, hæc subintelligitur. Quidni ergo subintelligatur etiam confessio exterior, qua peccator se potestati clavium subjiciat, quam Christus Apostolis, eorumque successoribus dedit?

296. Inst. Deus ore Prophetarum sexcentis in locis veniam pœnitentibus promittit, nulla facta confessionis externæ mentione, quæ in Vet. Testam. necessaria non erat: ergo etiam in novo nihil plus exigit Deus a peccatoribus, quam internam, & sinceram pœnitentiam, nisi dicere velimus, jugum Domini Jesu Christi esse gravius jugo Hebræis imposito. Accedit, quod in Apocalypsi cap. II. Episcopis, qui a gradu suo exciderant, nihil aliud præcipitur, nisi ut *pœnitentiam agant*, *& prima opera faciant*.

297. Resp., jugum in Vet. Testamento pœnitentibus impositum, fuisse multo gravius, & difficilius, quam sit jugum Christi in novo fœdere: tum quia Hebræi ad circumcisionem, atque ad multa sacrificia, purificationes, ac cæremonias tenebantur, ut peccata expiarent: tum quia nonnisi per veram, perfectamque contritionem poterant cum Deo reconciliari; tum multo magis, quia abundantior nobis præsto est Christi gratia, qua sola redditur ejus jugum suave, & onus leve. Unde merito S. Augustinus Lib. IX. *Contra Faustum* cap. 13. *Alia*, inquiebat, *nobis Sacramenta data sunt*, *virtute majora*, *effectu meliora*, *actu faciliora*, *numero pauciora*. Facile item explicantur, quæ Dallæus objicit ex Apocalypsi. Quanquam enim non memoretur expresse confessio externa; comprehenditur tamen inter opera pœnitentiæ, quam tepidi illi Episcopi agere jubentur (*a*).

298. Inst. *secundo*. Christus Dominus parabolas, & quædam exempla nobis suppeditat, quibus manifeste ostendit, sola cordis conversione sine ulla oris confessione remissionem peccatorum obtineri. Notæ sunt duæ parabolæ, filii prodigi, & publicani; quorum prior ad patrem reversus benignissime receptus fuit; alter autem divina misericordia implorata descendit justificatus. Exempla autem Zachæi, mulieris peccatricis, & latronis ostendunt, peccata dimitti posse sine confessione.

299. Resp., antequam Sacramentum pœnitentiæ institueretur, solam pœnitentiæ virtutem fuisse necessariam ad remissionem peccatorum; modo autem non sufficere, postquam Christus Sacramentum instituit, & claves regni cœlorum Ecclesiæ dedit; nisi fingere velimus, eas frustra, & otiose datas fuisse. *Nemo sibi dicat*, inquit Augustinus Homil. LIX., *occulte ago*, *apud Deum ago*, *novit Deus*, *qui mihi ignoscit*, *quia in corde ago* (scilicet pœnitentiam). *Ergo sine causa dictum est*, *quæ solveritis in terra*, *erunt soluta in cœlo; ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ. Frustramus evangelium*, *frustramus verba Christi &c.*

300. Objicit denique multa verbosus Dallæus ex ratione, conatus ostendere, pluribus de causis arcanæ confessionis usum esse valde perniciosum, & absurdum. Potissima afferemus, ac diluemus; cetera apud Natalem Alexandrum, aliosque Scriptores, qui quatuor illius pseudo-ministri libros data opera refutarunt, legenda consulimus. *Primo*, inquit Dallæus, impossibilem esse integram confessionem peccatorum, tum quia non facile omnia memoriæ occurrunt, tum quia non omnia cognoscuntur, juxta illud Psalmi: *Delicta quis intelligit?* tum etiam quia difficile plerumque est, mortalia a venialibus distinguere, hinc nasci scrupolos, & anxietates, ut propterea arcana hæc confessio non immerito fuerit *cruentissima animarum carnificina*, *& conscientiarum laqueus* appellata. *Secundo*, perniciosa, & timenda est reip. gubernatoribus, ac summis Principibus, tum quia subditorum obedientia a Confessariorum voluntate pendet (fac enim Confessarium pœnitentibus jubere, nec legibus pareant, quas illicitas ipse judicat, pœnitentes profecto, ne beneficio absolutionis priventur, Confessario magis quam Principi obtemperabunt); tum etiam quia possunt sub arcano confessionis sigillo seditiones, rebelliones, & conjurationes contra reipubl. tranquillitatem, & Principum vitam fieri, & tegi; quod turbolentissimis illis Henricorum III., & IV. temporibus contigisse Thuanus narrat Lib. IV. *Histor*. *Tertio*, noxiam, aut saltem valde periculosam esse ipsis sacris ministris probat ex eo, quod sæpe cogantur spurcissimas, & obscœnissimas pœnitentium culpas patienter audire, unde in eis facile possunt impuræ, & fœdissimæ cogitationes excitari, quod reipsa haud raro evenire probant severissima summorum Pontificum decreta contra *Sollicitantes in confessione*. Coguntur etiam non sine magno tentationum periculo legere libros morales, in quibus omnes turpitudinum species, ac modi explicantur, cujusmodi est spissum Thomæ Sanchez opus *de matrimonio*, cujus Thomus III. Romano obelo configi meruit. *Demum*, hanc externam confessionem hoc secum incommodum ferre asserit,

ut

(*a*) Joann. Morinus Lib. IX. *De pœnit.* cap. 34. seq. usum Hebræorum confitendi peccata sua in decem diebus expiationum ex eorum Rabbinicis libris erudite describit. In fine autem Commentar. adnotationem addit in Judæorum pœnitentiales.

ut pœnitentes eadem peccata etiam horrenda sæpius repetentes omnem verecundiam exuant, & sub spe absolutionis facile obtinendæ in eorumdem vitiorum cœno perpetuo volutentur. Hæc, aliaque hujus generis rethorica potius eloquentia, quam solida eruditione Dallæus, & ceteri Novatores exaggerant.

501. Resp., in tota hac objectione multa falsa, vel admodum exaggerata inveniri, vel quæ vitia sunt hominum, non autem hujus saluberrimi Sacramenti consecutiones. Et *primum* quidem falsissimum est: neque enim sub præcepto integræ confessionis continetur, ut pœnitens debeat ea etiam peccata confiteri, quæ inculpata ignorantia non cognoscit, vel memoriæ nullatenus occurrunt; sed solum requiritur, ut in re tanti momenti necessaria diligentia adhibeatur. Sane Trid. Synodus Sess. XIV. cap. 5. postquam ea enumerasset, quæ ad confessionis integritatem pertinent, concludit: *Sed & impium est, Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus;* Ab occultis meis munda me, Domine.

502. Quod si aliqui occasionem inde sumant, se scrupulis, & anxietatibus torquendi, id eorum temperamento, & indoli plerumque tribuendum est, non vero Sacramenti naturæ; quod duobus argumentis facile evincitur: *primo* aliorum longe plurium exemplo, qui frequenter ad Sacramentalem confessionem accedunt, quin ullis scrupulis, & anxietatibus excrucientur: *secundo* ex illorum exemplo, qui etiam apud Protestantes, ubi nullum agnoscitur distinctæ confessionis præceptum, hujusmodi scrupulorum tormento obnoxii sunt. Et sane cur isti pavidi, & meticulosi dubiis angi non poterunt, an summum suarum culparum dolorem conceperint? An vere ad Deum conversi fuerint? An efficax non peccandi in posterum habeant propositum? &c. &c. Reipsa ad tollendos scrupulos, sedandamque conscientiam in plerisque tam Lutheranorum, quam Calvinistarum sectis nihil opportunius inventum fuit, quam auricularis confessio. Perperam igitur &c.

503. Ad *secundum* resp., ea, quæ commemorata sunt, aliaque similia, perperam tribui Sacramentali confessioni, a qua non dimanant, cum non sint nisi hominum vitia, qui rebus etiam sanctissimis abuti quandoque solent. Prudentes, ac pii Confessarii legum civilium non minus, quam ecclesiasticarum observantiam suis pœnitentibus inculcabunt, memores illius doctrinæ Apostolicæ Hebr. VIII. 17. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis;* & ad Titum III. 1. *Admone illos, principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire* &c. Quod si aliqui sui officii prævaricatores extiterunt, juste reprehensi, & puniti sunt. Eadem ratione improbati, ac puniti fuere illi verbi Dei præcones, qui, eodem Thuano referente, sancto evangelizandi munere turpiter abutebantur, ut populos contra legitimas potestates ad rebellionem excitarent. Nec propterea Novatores ad sanctissimum concionandi munus ab Ecclesia tollendum his abusibus commoventur. Ceterum tantum abest, ut Sacramentalis confessio ansam parricidiis, seditionibus, incendiis præbeat, ut potius hæc, & alia horrenda crimina impediat: qui enim improbitate, & perditissima malitia ad hæc immania scelera ducuntur, de confessione ne cogitant quidem. Si qui autem erronea conscientia, aut fanatismo impulsi Confessario id detegant, certum est, eos salutaribus monitis instructos, ad meliorem frugem redituros. Certum est quoque criminis conscios non esse absolvendos, nisi impiam conjurationem detegant, adeoque &c.

504. Ad *tertium*, si verum adversarii fateri velint, consentire debebunt, inter tam multos Ecclesiæ Dei ministros nonnisi paucissimos esse, qui vel ex auditis obscœnis confessionibus, vel ex lectione Casuistarum se corrumpi passi sint. Implorata Dei gratia, quam pie, & sincere orantibus Deus non denegat, possunt hi scopuli evitari, ac reipsa a maxima Confessariorum parte evitantur; & iniquum est, miserandos aliquorum lapsus, quos charitas deberet operire, qalam proferre, atque ad invidiam conflandam exaggerare.

505. Postremum levissimum est: qui enim juxta Spiritus sancti monita de propitiatis peccatis solliciti semper sunt, eorumque veniam a Dei misericordia jugiter postulare non cessant, majora semper gratiæ auxilia a Deo impetrant, quibus & præteritorum criminum maculas deleant, & a novis cautius abstineant; unde & Propheta regius dicebat: *Peccatum meum contra me est semper*, & Ezechias apud Isaiam XXXVIII. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Incaute demum adversarii addunt, confessionem Sacramentalem præbere ansam peccandi sub spe veniæ obtinendæ. *Incaute* inquam, minime advertentes, hoc argumento, si quid valet, tolli etiam pœnitentiam internam, quæ per ipsos sufficit ad remissionem peccatorum. Et ulterius stupore dignum est, non vidisse acutissimum Dallæum, sublata externa confessione, auferri etiam quoddam frænum, quo homines a peccatis cohiberi solent, ne scilicet cogantur non sine pudore suam inconstantiam, infirmitatem, aut malitiam Confessario revelare, seque durioribus pœnitentiæ laboribus subjicere; quæ motiva etsi non sufficiant, adjuvant tamen, & roborant infirmos, & debiles pœnitentes, ne licentius peccent. Et sane ipsi Novatores volentes nolentes fateri sæpius de-

debuerunt, oralem confessionem, cujus necessitatem negant, utilem saltem esse multis de causis, adeoque maximopere consulendam.

306. Hactenus captiosas, ac cavillosas Dallæi, aliorumque objectiones breviter explosimus; sed non ita breviter alteram ejusdem Dallæi objectio refelli poterit, qua simul congestis antiquitatis monumentis probare sibi visus est, disciplinam privatæ, & auricularis confessionis novellam esse, & ab Innocentio III. anno 1215. primitus invectam; ad quam falsissimam objectionem penitus expungendam, simulque ad confirmanda ea, quæ hactenus ex sacris litteris allata fuere, sit

PROPOSITIO II.

Confessionis Sacramentalis necessitas, & usus perpetuus in Ecclesia ex Patribus ostenditur.

307. Ad hanc veritatem demonstrandam necesse non est cuncta retro sæcula percurrendo, omnia, quæ de usu, & necessitate confessionis auricularis reperiuntur, veterum monumenta afferre, quod aliqui incredibili diligentia feliciter præstiterunt: nobis enim sufficient illustriora seligere (*a*). Et quidem ex ipso Apostolorum ævo aliqua confessionis mentio extat apud S. Clementem Rom. in 2. epist. ad Corinthios, cujus aliquot fragmenta sine dubio authentica supersunt. Ibi enim nos hortatur, ut quandiu sumus in hoc mundo, & tempus pœnitentiæ habemus, toto corde resipiscamus: *postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere*. Sanctissimus Pontifex non solum *pœnitentiam*, sed etiam *confessionem* tamquam ejus partem commemorat.

308. Sæculo autem II. S. Irenæus, qui Ecclesiæ Lugdunensi præfuit ab anno 177. usque ad an. 202., quo martyrio coronatus est, Lib. I. *adv. hær.* cap. 6. narrat, quasdam mulieres a Valentinianis deceptas, & postea ad Ecclesiam reversas, *cum reliquo errore & hoc confessas fuisse*, scilicet crimen carnalis corruptionis, quod certe occultum fuerat. Et cap. 13. Marcum præstigiatorem mulierum *corporibus contumeliam irrogasse*, eas vero redeuntes ad Ecclesiam confessas fuisse, *& secundum corpus exterminatas se ab eo, veluti cupidine, & inflammatas valde eum dilexisse* &c. Parum autem interest, an Irenæus de publica, an de privata confessione loquatur; semper enim verum erit, necessariam tunc fuisse judicatam criminum etiam occultorum Sacramentalem confessionem. Illa quippe fœdissima, & pudenda crimina publica esse non poterant, occultissimæ autem certe erant quædam eorumdem circumstantiæ, quas aliis revelare insitus fœminis naturalis pudor non permisisset, nisi id divina lege omnino præceptum esse, atque ad peccatorum obtinendam remissionem prorsus necessarium, fuisset illis persuasum.

309. Post Irenæum audiatur Cyprianus illustris sæc. III. Episcopus, & Martyr, qui in Tract. *De lapsis* illos collaudat, *qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, ac simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt; animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt*. Annon hæc erat occultorum criminum Sacramentalis confessio? Hanc autem occultorum criminum confessionem necessariam fuisse ad eorumdem veniam obtinendam aperte declarat S. Martyr, ibidem subdens: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est*. Nihil clarius, ut arbitror, dici potest ad necessitatem confessionis comprobandam.

310. Origenes plura habet pro occultorum criminum necessaria confessione in duabus Homiliis II. & III. in Levit.; sed brevitatis gratia ea solum afferemus, quæ dicit Hom. II. in Ps. XXXVII. num. 4. ubi explicans ea verba: „ Quoniam iniquitatem meam ego pronunciabo, inquit: Pronunciationem iniquitatis, idest confessionem peccati frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus “. Postea allato exemplo eorum, qui indigestam materiam stomacho evomentes relevantur: „ sic (concludit) etiam hi, qui peccaverint, si quidem occultant, si retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere ..... Si intellexerit, & præviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est “. Dubium porro non est, nomine *Medici* nihil aliud intellexisse Origenem, quam Sacerdotem, quem alibi expresse nominaverat, scilicet Hom.

(*a*) Otium nobis hac in parte fecerunt viri doctissimi Witassius, Morinus, Juenin, Tournellius, Drouven, ac Natalis Alexander, qui magnam veterum monumentorum copiam collegerunt. De Tertulliano legi meretur Jac. Pamelius in notis ad ejus librum *De pœnitentia*. Ceterum antiquissimum esse in Ecclesia usum confitendi peccata occulta, concedere debuit Ernes. Grabius in *Observat.* ad Lib. I. S. Irenæi.

Hom. II. in Levit. Aperte autem liquet, ibi duplicem distingui confessionem, alteram privatam, quæ necessaria omnino est pœnitenti; alteram publicam, quæ consilio medici periti relinquitur (a).

311. Sæculo IV. & plura, & illustriora habemus confessionis auricularis testimonia. Lactantius, quamquam plus elegantiæ, quam profundæ Theologiæ laude celebris, idoneus tamen testis erit doctrinæ, suo tempore in Ecclesia vigentis. Jam vero Lib. IV. *Instit.* cap. 17. pœnitentiam nobis propositam esse, dicit, *ut si cor nudaverimus*, *idest si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus*, *veniam consequamur*, *quæ contumacibus*, *& admissa sua celantibus denegatur ab eo*, *qui non faciem*, *sicut homo*, *sed intima*, *& arcana pectoris intuetur*. Et cap. 30. illam esse veram Ecclesiam dicit, *in qua est confessio*, *& pœnitentia*, *quæ peccata*, *& vulnera*, *quibus subjecta est imbecillitas carnis*, *salubriter curat*. Ubi Novatianos tacite refellit, qui graviorum criminum veniam a Deo quidem interna cordis pœnitentia impetrari posse concedebant, ab Ecclesia autem per confessionem externam, & absolutionem dari posse negabant; ut propterea nullum dubium sit, Lactantium Firmianum de orali, & arcana confessione esse locutum.

312. Hoc ipsum ineluctabile Ecclesiæ dogma confirmant Patres latini eodem sæc. IV. florentes, Hilarius, Ambrosius, Innocentius Papa, Hieronymus, & Augustinus; quorum testimonia affert, & a distortis Dallæi interpretationibus vindicat Nat. Alexander, ad quem lectorem remittimus, uno Augustino contenti, quem inter omnes veteres maximo se in pretio habere sæpe fatentur Protestantes. Hic S. Doctor Hom. XLIX. inter quinquaginta de adulteris loquens, eos ad pœnitentiam his verbis hortatur: *Agite pœnitentiam*, *qualis agitur in Ecclesia*, *ut oret pro vobis Ecclesia*. *Nemo sibi dicat: occulte ago*, *apud Deum ago*, *&c.* Vide sup. n. 299. Quod autem de adulteris dicit S. Doctor, utique de aliis etiam peccatoribus intelligendum est. Et certe de omnibus peccatis, quæ ab Apostolo enumerantur epist. ad Galatas, loquens S. Doctor in Hom. L. seu Serm. CCCLI. *primo* jubet, ut homo *seipsum judicet*, *& mores convertat in melius*, scilicet per internam pœnitentiam, postea monet, ut *veniat ad Antistites*, *per quos illi in Ecclesia claves ministrantur* ... *a Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum*, *&c.*

313. Adhuc clarius de orali confessione locuti sunt duo sanctissimi Romani Pontifices Innocentius I., & Leo magnus. Ille quidem in epist. ad Decentium, inquiens: *De pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare*, *ut attendat ad confessionem pœnitentis*. Alter vero in Epist. CLXVIII. vetat, *ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publice recitetur*, *cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta*. His duobus tertium jungere debemus S. Gregorium re, & nomine magnum, qui Hom. XXVI. in Evang. multa disserit de prudentia Sacerdotibus necessaria ad pœnitentes absolvendos: *tunc enim*, ait, *vera est absolutio Præsidentis*, *cum æterni arbitrium sequitur Judicis*. Id probat exemplo Lazari, quem prius a morte Christus suscitavit, deinde discipulis jussit, ut a vinculis solverent: atque ita concludit: *Veniat itaque foras mortuus*, *idest culpam confiteatur peccator*. *Venientem foras solvant discipuli*, *ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere*, *quam meruit*, *qui non erubuit confiteri*, *quod fecit*.

314. Eadem semper fuit, & adhuc est Ecclesiæ græcæ doctrina, ut facile demonstrari potest ex S. Basilio in *Regulis brevioribus* ad interrogat. 229., & ex Gregorio Nysseno Orat. *in eos*, *qui alios acerbe judicant*. Sed præstat unum audire Chrysostomum, cui potissimum fidunt Adversarii. Hic autem magnus Ecclesiæ græcæ Doctor Hom. XXX. in Gen. habita in Hebdomada sancta hortabatur populum Antiochenum, ut tunc maxime & jejunii cursus intenderetur, & preces continuarentur, *& fieret diligens*, *& pura peccatorum confessio*, utique privata, quæ omnibus communis erat, non publica, quæ solum a paucis peragebatur. Præterea Lib. III. *De Sacerdotio* ostendit excellentiam Sacerdotum novæ legis, quia Sacerdotes Judæorum homines non purgabant a lepra, sed solum purgatos declarabant; nostri vero, *non lepram corporis*, *sed immunditiam animæ non purgatam probandi*, *sed potius purgandi potestatem acceperunt*. Undenam vero ista potestas, nisi ex verbis Christi: *Quæcumque solveritis? &c.* Demum, aliis S. Patris locis omissis, clarissima sunt, quæ habet Hom. II. *De cruce*, *& latrone*, inquiens de Christo: *Si latronem in cruce tanto honore dignatus est*, *multo magis nos insita sua benignitate dignabitur*, *si voluerimus peccatorum confessionem instituere*. Loqui autem se de confessione externa ostendit subdens: *Ut igitur & nos benignitate illa perfruamur*, *peccata propria confiteri ne erubescamus*; *magna enim confessionis vis est*, *& multa ejus pœnitentia*: in confessione enim interna; quæ fit soli Deo, nullum est ruboris obstaculum vincendum.

315. Atque hæc abunde sufficere possunt, ut manifestissime pateat, non ab Innocentio III., sed multo antea, immo a primis Ecclesiæ incunabulis, atque ab ipsis Apostolis epocham confessionis externæ, qualis modo in Ecclesia Catholica viget, esse desumendam. Possumus hic repetere aureum illud S. Augustini principium Lib. IV. *Contra Donat.* cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia*

(a) Audiendus non est Dallæus, qui ad elevandum hujus testimonii plene decretorii vim, dubitari voluit, an Homiliæ istæ genuinæ sint, contra omnium pene aliorum criticorum judicium.

clesia, *nec Conciliis institutum*, *sed semper retentum est*, *nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*.

316. Et merito concludere possumus cum Synodo Trid. Sess. XIV. cap. 5.: *Unde cum a sanctissimis*, *& antiquissimis Patribus magno*, *unanimique consensu secreta confessio Sacramentalis*, *qua ab initio Ecclesia sancta usa est*, *& modo etiam utitur*, *fuerit semper commendata*, *manifeste refellitur inanis eorum calumnia*, *qui eam a divino mandato alienam*, *& inventum humanum esse*, *atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse*, *docere non verentur*.

317. Objiciunt *primo* confessionis auricularis hostes, & invictum nostrum argumentum a tanta, & tam spissa veterum testium nube petitum declinare se posse putant, dicendo, fideles pœnitentes non alia de causa debuisse ad Ecclesiæ Præsides, & Sacerdotes accedere, quam ut detectis animæ vulneribus, receptaque instructione, ac pro pœnitentia peragenda operum designatione, sub spe divinæ misericordiæ reconciliationem obtinere possent.

318. Respondet Eybelio talia comminiscenti, vel potius recoquenti sapientissimus Pontifex Pius VI. in Brevi sup. ad n. 282. commemorato, ex constanti Ecclesiæ doctrina, *eam esse vim*, *& efficaciam Sacramenti pœnitentiæ*, *ut per illud pœnitentes*, *etiam ante peracta pœnitentiæ opera*, *consequi reconciliationem queant*, *nec tantummodo in instruendis pœnitentibus*, *operibusve pœnitentiæ designandis versari sacerdotale ministerium in hujus Sacramenti administratione*, *sed ut clavium potestate utens Sacerdos*, *tamquam judex*, *ac fidelis dispensator*, *& prudens*, *tum salutares pœnas*, *ac satisfactiones confitentibus non designare modo*, *sed & imponere*, *tum vere pœnitentes absolvere a culpis valeat*. Reipsa quid aliud significant illa Christi verba semel & iterum repetita: *Quæcumque solveritis &c.?* Quid illa Cypriani exhortantis fideles ad *confessionem*, *dum satisfactio*, *& remissio facta per Sacerdotes grata est Deo?* Quid illa Augustini: *Ergo sine causa dictum est: quæcumque solveritis &c.: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ?* Vid. sup. n. 308. seq.

319. Obj. *secundo* Dallæus, nullum inveniri confessionis auricularis usum apud Communiones a Rom. Ecclesia separatas. Id de Æthiopibus, & Abissinis testantur Alphonsus Mildesius, Gaspar Paes, Emman. Almeida, Franc. Alvaresius, Nicol. Godignus, & Damianus a Goez. Idipsum de Christianis S. Thomæ in India asserit Jarricus. Id quoque idem asserit de Armenis ex Antonio Gouveano, & ex Nicolao Orlandino. Alphonsus a Castro in verbo *Confessio* accusat Jacobitas, quod confessionem non habeant; & Petrus Arcudius Lib. IV. *De Sacram.* cap. 2. conqueritur, quod Græcorum, ac Russorum Sacerdotes fere numquam peccata sua confiteantur. Addi potest testimonium Jos. Simonii Assemani, qui Tom. II. *Bibliothecæ Orient.* pag. 155. fatetur confessionis Sacramentum a Cophtis impugnari. Hæc manifeste ostendunt, non a Christo Domino, nec ab Apostolis, sed ab Innocentio III. confessionem auricularem fuisse institutam.

320. Resp. cum Nat. Alexandro, *primo* mirandum non esse, nonnullas Communiones orientales, quæ fœdo schismate se ab Ecclesia Catholica, & Apostolica Romana separarunt, ut in multis aliis, ita in hoc capitali dogmate a recta fide aberrasse: neque ab ipsis, quæ modo in spissis ignorantiæ tenebris versantur, sed ab antiquis Patribus, ac etiam ab Ecclesia græca, quæ quamvis schismatica, confessionem tamen Sacramentalem constanter retinuit, ut mox videbimus, apostolicam traditionem esse requirendam.

321. Præterea non facile adhibenda est Itineratoribus, aut etiam Missionariis fides, qui non tam ex earum gentium libris symbolicis, quam ex corruptis populorum moribus de earumdem religione sæpe judicarunt. Certe eruditissimus Vanslebius in Historia Ecclesiæ Alexandrinæ, seu Jacobitarum Cophtorum, gallico idiomate edita ex nobilissimis eorumdem scriptoribus ostendit, confessionem Sacramentalem, ut omnino necessariam, ab eis credi. Unde etiam eorum Patriarcha in sui inauguratione statim Confessarios nominare solet, qui Christianæ plebis confessiones excipiant. Prostant item apud ipsos Tractatus, quibus instructiones, & formulæ continentur ad confessionem rite edendam. Addit denique Vanslebius, se propriis oculis usum confessionis apud eosdem vidisse, quanquam admodum infrequentem. Idem de Æthiopibus testatur laud. Vanslebius, addens, inter alia pietatis opera, quibus graviter ægrotantes se ad mortem disponunt, etiam confessionem recenseri. Idipsum possumus merito credere de aliis schismaticis Communionibus, quarum doctrinam non omnino perspectam habemus. Eruditissimus autem Jos. Simonius Assemanus Tom. II. *Biblioth. Orient.* pag. 171. ex Officio Syrorum in Codice Vaticano falsum esse ostendit Gabr. Sionitam, dum scripsit, a Jacobitis nullam confessionem admitti, atque ita concludit: *Ex hoc Officio*, *& ex Syrorum*, *Cophtorumque auctoritatibus*, *quos citant Echellensis*, *& Nayronus*, *nullus ambigendi locus relinquitur*, *confessionis auricularis disciplinam apud Orientales nationes*, *non modo catholicas*, *verum etiam hæresi*, *aut schismate infectas*, *si Cophtos excipias*, *sacrosanctam semper fuisse*. Multa addi possent ex Morino, Renaudotio, aliisque Scriptoribus, qui hanc spartam diligenter adornarunt.

322. Sed de Græcis nulla excitari potest dubitatio. *Primo* enim in Synodo Florentina nihil prorsus de Sacramento pœnitentiæ cum Græcis actum est, quia una, eademque nobiscum erat eorum doctrina. *Secundo* Jeremias Patriarcha in celebri sua *Censura* (de qua vide dicta in Dissert. I. cap.

7.

7. n. 221.) omnia septem Sacramenta, prout in Ecclesia Romana admittuntur, a Græcis etiam admissi professus est. *Tertio* sæpius a nobis memorata *Orthodoxa confessio catholicæ Ecclesiæ Orientalis* (vid. Dissert. I. num. 125.), quæ etiam in Ecclesia Ruthena vim omnem obtinet, quæst. 113. inter partes pœnitentiæ omnino necessarias ponit *contritionem cordis*, & deinde ita pergit: *Hanc cordis contritionem sequi debet viva voce sigillatim facta omnium peccatorum confessio. Nihil enim solvere pater spiritualis potest, ubi nihil solvendum deprehenderit, nec pœnam, mulctamque ideo imponere. Quarto* idipsum patet ex Græcorum euchologiis, & libellis pœnitentiariis, in quibus mentio confessionis factæ a pœnitente reperitur. Plura *demum* allegari possent Simeonis Thessalonicensis *De Sacramentis*, Gabrielis Philadelphiensis in Libello pariter *De Sacramentis*, aliorumque Græcorum testimonia, si pluribus opus esset ad consensionem græcæ Ecclesiæ cum latina in hoc dogmate comprobandam.

323. Objicit *tertio* Dallæus. In veterum Patrum libris nihil prorsus occurrit, quo fideles instruantur, quomodo Confessarii erga pœnitentes, & vicissim pœnitentes erga Confessarios se gerere debeant; quarum tamen instructionum pleni sunt libri post invectam confessionem auricularem a Theologis exarati, in quibus agitantur innumeræ de Confessione quæstiones, & disputationes, veteribus prorsus ignotæ. Hinc illæ *Summæ*, *Summulæ*, *Curatorum Manipuli*. *Pœnitentialia*, *Confessariorum specula*, *Instructiones*, *Aphorismi*, *Directores*, *Decisiones casuum conscientiæ*, & cetera id genus, quorum apud veteres nec vola est, nec vestigium, non alia de causa, nisi quia ipsum confessionis dogma inauditum erat. Nihil enim hujus rei invenitur in *Constitutionibus Apostolicis*, quæ sub nomine Clementis prodiisse creduntur sæc. IV.: nihil in vitis, & gestis sanct. Patrum Cypriani, & Augustini, quas Pontius, & Possidius diligentissime conscripserunt, & qui sine dubio ipsorum curam in audiendis confessionibus minime prætermisissent, si hujusmodi munere Ecclesiæ Antistites fungi consuevissent. Idemque notat Dallæus de aliis sanctissimis Episcopis, Gregorio Thaumaturgo, Athanasio, Basilio, Ambrosio &c.; unde infert, nullum eorum ætate fuisse confessionis auricularis usum.

324. Resp., nullam esse hujus argumenti inficialis vim, cum indubia suppetant testimonia hujus confessionis ab iisdem sanctis Patribus non semel, nec obscure commemoratæ. Quod vero tanta garrulitate objicit Dallæus de multis, variisque controversiis, quas circa confessionem auricularem recentiores Moralistæ excitarunt, veteribus scriptoribus prorsus ignotas, si quid probaret, probaret etiam, multa alia sacrosanctæ nostræ religionis dogmata fuisse recenter invecta, quia de ipsis pariter Scholastici multas, & varias, ac nonnunquam inutiles, atque otiosas controversias excitarunt, a veteribus Patribus intactas: quam tamen consequentiam adversarii minime admittent.

325. Alterum, quod subdit Dallæus, a biographis quorumdam Sanct. Patrum nihil notatum inveniri de officio Confessarii ab iisdem exercito, admodum leve apparebit, si consideretur, in ejusmodi vitis, quæ breves admodum sunt, nonnisi ea inveniri, quæ ad peculiarem ipsorum laudem pertinent, cujusmodi sunt ipsorum scripta, præclara quædam gesta, non autem communia Episcoporum officia, prædicandi, docendi, & Sacramenta administrandi. Ceterum, quia S. Ambrosius singulari quodam charitatis affectu pœnitentes excipiebat, illos ad fletum suis ipsis lacrymis compellens, S. Paulinus ejus Diaconus hoc etiam munus audiendi pœnitentium confessiones memoriæ proditum voluit in ejus vita a se conscripta.

326. Similiter solvitur alia Dallæi objectio inde petita, quod in vitis, vel encomiis veterum Sanctorum nullibi legatur, quod de suis culpis apud aliquem secreta confessione se accusaverint; quod tamen de Sanctis recentioris ævi prætermitti non consuevit. *Similiter* inquam, solvitur hæc objectio, quia argumento dumtaxat negativo innititur, quod in hac nostra caura futile esse, jam dictum est. Sed illud addendum, sanctissimos illos viros, heroicis virtutibus ornatos, nullam habuisse necessitatem ad hoc pœnitentiæ Sacramentum accedendi; quotidiana enim, & levia peccata orationibus, eleemosynis, jejuniis, aliisque corporis castigationibus deleri poterant.

327. Futile item aliud argumentum est, quod Dallæus ex eo repetit, quod in relationibus, quæ habentur, obitus veterum quorundam Sanctorum, ut S. Cypriani apud Pontium, S. Helenæ matris Constantini apud Eusebium Lib. III. *De Vita Constantini* cap. 43., Antonii Monachorum parentis apud Athanasium, S. Monicæ apud Augustinum Lib. IX. *Confessionum &c. &c.* cum minutiores etiam circumstantiæ describantur, altum silentium fit confessionis ante obitum peractæ, quod tamen apud nos piaculum esset reticere. Addit pseudo-Minister Calvinista multa alia ejusdem generis, ut Nosocomium Romæ a Fabiola institutum, & a S. Hieronymo in epist. ad Oceanum descriptum, in quo tamen non legimus fuisse aliquem Presbyterum audiendis ægrotantium confessionibus præfectum. Narrant Pontius in vita Cypriani, & Dionysius Alex. apud Eusebium Lib. VII. *Hist.* c. 22. quanta fuerint Christianorum charitatis officia erga miseros pestilentia correptos, quin tamen aliquid dicant de confessione Sacramentali. Multa alia similia exempla agglomerat Dallæus, semper concludens, nullum fuisse antiquitus confessionis externæ usum, quia scriptores vetusti nullam ipsius mentionem fecerunt, ubi eam fieri maxime oportebat.

328. Futilis inquam est hæc objectio, sicut & superiores: neque enim omnia scripta sunt, vel scribi tunc consueverunt, quando & multo minor,

quam nunc sit, erat scriptorum copia, ac multo minus scribendi otium, ministris Ecclesiæ in obeundis suis muniis perpetuo occupatis. Ceterum si hoc silentium aliquid contra oralem confessionem evinceret, dicendum foret, nec fuisse in usu confessionem internam soli Deo factam, de qua pariter illi scriptores silent: immo nonnumquam nec ipsam Sacramentalem communionem commemorant, quam tamen minime fuisse neglectam, adversarii ipsi inficias non ibunt. Addo, plerumque nec legi in hujusmodi vetustis monumentis baptismum fuisse Catechumenis in mortis periculo collatum; anne igitur colliget Dallæus, nullam fuisse baptismi necessitatem, aut nullum usum? Ceterum confessionis externæ, & sacerdotalis absolutionis necessitatem satis colligere possumus ex iis pœnitentibus, qui in periculo mortis absolvi consueverunt, etiamsi tempus pœnitentiæ ipsis præscriptum nondum esset elapsum. Quod argumentum positivum omnibus negativis Dallæi argumentis diluendis sufficit.

329. Id etiam colligi potest ex iis, quæ habet S. Augustinus Epist. CCXXVIII. ad Honoratum, ubi loquens de temporibus persecutionum, enarrat, *quantus in Ecclesia fieri soleret ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem. Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* Falsum est igitur, quod Dallæus nimis confidenter asserit, nullam fuisse reconciliationem adhibitam iis, qui periculo mortis expositi erant.

330. Sæculis porro posterioribus VIII. IX. &c. multo ante Innocentium III., in periculo mortis consuevisse fideles confessionis Sacramento se communire, indubiis constat monumentis. Alcuinus Epist. 46. ad Damoetam ita eum hortatur: *Tu vero iter tuum confessione confirmare, eleemosynis roborare memento*. Patres Concilii Calchutensis in Anglia anno 787. celebrati can. 20. ita statuunt: *Si quis, quod absit, sine pœnitentia, aut confessione de hac vita discessit, pro eo minime orandum est*. Et non pauca suppetunt hujusmodi monumenta, quæ quamvis sint temporum posteriorum, indicant tamen, eamdem fuisse etiam sæculis vetustioribus Ecclesiæ consuetudinem; præcipue cum adversarii sæpius provocati, ut certam novæ, ut ipsi dicunt, disciplinæ epocham designent, non aliam designare potuerunt, quam Concilii Lateran. sub Innocentio III.; quæ epocha laudatis monumentis multo posterior est.

331. Neque solum urgente periculo mortis, sed etiam in solemnioribus anni festivitatibus consuevisse fideles se confessionis Sacramento purificare, ut majori pietate eas solemnitates celebrarent, testis est Egbertus Eboracensis Episcopus, qui vixit Sæc. VIII. Ita enim loquitur in *Dialogo*: *Hæc a temporibus Vitaliani Papæ* (qui regnavit ab an. 657. ad an. 672.), *& Theodori Dorobernensis Archiepiscopi inolevit in Ecclesia Anglorum consuetudo, & quasi legitima tenebatur, ut non solum Clerici in monasteriis, sed etiam laici cum conjugibus, & familiis suis, ad Confessores suos pervenirent, & se fletibus a carnalis concupiscentiæ consortio his duodecim diebus cum eleemosynarum largitione mundarent, quatenus puriores Dominicæ communionis perceptionem in Natali Domini perciperent*. Nec desunt ejusdem generis sacra monumenta Innocentiano ævo multo vetustiora, quibus luce meridiana clarius patescit, turpiter hallucinari Sectarios, dum Innocentium volunt primum fuisse in Synodo IV. Lateran. an. 1215. arcanæ confessionis auctorem.

332. Objicit *quarto* Dallæus. In *Historia Indiarum*, & *Sinarum* edita a Jarrico, & a Trigantio Jesuitis legitur, illos Gentiles plura objecisse contra auricularem confessionem, ad quorum difficultates tollendas nonnulla dicuntur facta miracula; at vero nullæ a veteribus Paganis contra hoc Sacramentum inveniuntur excitatæ difficultates, nec ulla ad eas tollendas miracula facta: ergo &c. *Ulterius* nec memoriæ proditum est, aliquos ex veteribus hæreticis contra externam peccatorum confessionem insurrexisse; quod nos etiam innuimus ad n. 282.; at vero post Innocentium III. admodum multi eam & verbis, & scriptis acerrime impugnarunt: hujus porro discriminis ratio non aliunde repeti potest, quam veteribus Christianis eam fuisse prorsus ignotam.

333. Resp., non facile primis temporibus, vigente disciplina arcani, fuisse Infidelibus hoc Sacramentum manifestatum; unde mirum non est, nullas fuisse contra ipsum a Gentilibus difficultates motas (a). Catechumenis vero facile potuisse hoc doctrinæ Christianæ caput una cum aliis persuaderi ex illis miraculis magnis, & stupendis, quibus Apostoli, eorumque successores Religionis Christianæ veritatem comprobaverunt: neque enim necesse erat, ut pro singulis fidei nostræ articulis nova ederentur miracula. Operam autem perdunt heterodoxi, dum aliquorum miraculorum veritatem in dubium revocare, aut prorsus explodere conantur, cum centies ipsis fuerit responsum, a quorumdam incertorum prodigiorum veritate certitudinem Ecclesiæ dogmatum non pendere, quæ firmissimis, & inconcussis Scripturæ sacræ, & traditionis fundamentis innititur. Aliqua tamen sunt hujusmodi miracula, quæ facile contra Protestantium garrulitatem defendi possent, si otium suppeteret.

334. Aliud argumentum Dallæi si valeret, dicer-

(a) Laudatissimus Annalium parens Baronius ad an. Christi 56. n. 18. putat, calumniam illam a Gentilibus in Christianos conflatam apud Minutium Felicem in *Octavio*, quod virilia Sacerdotum adorarent; inde

cendum esset, multa religionis dogmata fuisse priscis fidelibus ignota, usque ad illa tempora, quibus cœperunt hæretici ea impugnare; quod absurdissimum foret. Quanto potiore jure nos concludemus, auricularem confessionem perpetuo in Ecclesia fuisse usitatam, quia possumus eos Novatores digito monstrare, quos certo constat, eam *aperte* tollere irrito conatu ausos esse? Hæc est aurea Tertulliani regula *De præscript. hæret. In omnibus veritas imaginem antecedit: post rem similitudo succedit. Ceterum satis ineptum, ut prior in doctrina hæresis habeatur .... Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum.*

335. Obj. *quinto* decantatam Nectarii historiam, quam referunt Socrates Lib. V. cap. 19. Sozomenus Lib. VII. cap. 16., & Nicephorus Lib. XII. cap. 28., videlicet hunc Patriarcham Constantinop. *absolvisse Presbyteros Ecclesiarum, qui pœnitentiæ præerant:* causam autem hujus absolutionis fuisse quamdam nobilem mulierem, quæ accedens ad Pœnitentiarium Presbyterum, *delicta post baptismum a se perpetrata singillatim confessa erat. Presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis, & orationibus continuis vacaret ... Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse;* unde magnum in populo scandalum enatum est. *Cum igitur* (pergit Socrates) *ob eam causam ecclesiastici homines dicteriis appeterentur* (*a*), *Eudæmon quidam Presbyter Alexandria oriundus Episcopo Nectario suasit, ut Pœnitentiarium quidem Presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio, & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem sineret accedere.* Ex hac historia, quæ contigit circa annum 390. colligit Calvinus, confessionem externam non esse juris divini, utpote quæ potuit lege ecclesiastica aboleri (*b*). Dallæus autem magistro suo aperte contradicens, negat, confessionem auricularem tunc abolitam fuisse, quia, ut ipse putat, nunquam fuerat in usu; quod probat tum ex silentio Socratis, Sozomeni, Cassiodori, & Nicephori, qui Nectarii factum narrantes, nullam privatæ confessionis mentionem ingerunt; tum potissimum ex verbis Socratis asserentis, *unicuique permissum fuisse pro arbitrio, & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere*, prout nimirum ante institutum Pœnitentiarium consuetum erat.

336. Resp., si vera narrat Socrates, atque ex eo Sozomenus, & alii, de quo aliqui dubitant (*c*), certissimum puto, nonnisi publicum Pœnitentiarium propter scandalum, fortasse ex ejus imprudentia obortum, fuisse abrogatum. Haud antiqua erat ejusdem Pœnitentiarii institutio, probabiliter facta propter Novatianorum querelas, quod peccata nimis facile in Ecclesia remitterentur. Pœnitentiarii autem munus erat, moribus Christianorum invigilare, publicas peccatorum accusationes recipere, ordinem in pœnitentium gradibus servare, secretas etiam confessiones audire, & pœnitentes quandoque ad publicam quorumdam criminum manifestationem, & pœnitentiam adigere; unde fortasse secretum matronæ stuprum palam factum est, cum gravi Ecclesiastici Ordinis dedecore. Pœnitentiario amoto, res in pristinum statum restitutæ sunt, nempe & confessio privata, quæ ex Apostolica traditione descenderat, servata Sacerdotibus ad id munus destinatis facienda, & etiam publica pro gravioribus quibusdam, ac notoriis criminibus ab Episcopo imponenda: nam etiam post Nectarium pœnitentiæ publicæ in Ecclesiis orientalibus monumenta reperiuntur (*d*).

337.

ortam, quod pœnitentes ad genua Sacerdotum procumberent, dum sua illis confitebantur peccata.

(*a*) Dum hæc lego, in mentem veniunt, quæ S. Augustinus Epist. LXXVIII. de quibusdam sui temporis nefariis hominibus scribebat, quod si aliquis *Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credebant.* Dignus est locus, qui legatur.

(*b*) Calvinus Lib. III. *Institut.* cap. 4. n. 7. solita sua impotenti rabie ita nos compellit: *Hic hic aures asini isti arrigant. Si lex Dei erat auricularis confessio, cur ausus esset Nectarius eam refigere, ac convellere?* Calvinum secuti sunt Molinæus, Masculus, & alii. Sed Dallæus ejus symmista *asini* improperium non timuit, aperte negans, confessionem auricularem fuisse a Nectario *refixam, ac convulsam*, sed solum publicam.

(*c*) Doctissimus Gardinalis Baronius ad an. 56. n. 26., non multam fidem Socrati adhibendam esse vult, quia sine dubio Novatianis addictus erat, & nonnulla habet in sua narratione aut parum verisimilia, aut aperte falsa. Longius progressus est Latinius Viterbiensis in Dissert. Romæ edita anno 1587., ac totam illam Socratis narrationem ut falsam rejecit. Verumtamen Card. Bellarminus Lib. III. *De Pœnit.* in fine cap. 14. recte sic scribit: *Non facile adduci possum, ut credam, historiam illam falsam esse, quæ tum scribebatur, cum adhuc viverent, qui rei gestæ interfuerant; præsertim cum res, quæ narratur, non in angulo aliquo, sed in urbe celeberrima, conscio populo universo, contigisse dicatur.* Sunt ab opposito qui fatentur, a Nectario fuisse confessionem secretam de medio sublatam, ut Thomas Waldensis Tom. II. cap. 141., & Canus *Relect. de Sacram.* in fine P. V. His tamen major, immo maxima pars Theologorum repugnat.

(*d*) Card. Baronius loco sup. laud. putat, atque etiam nonnullis momentis probat, non omnem publicam pœnitentiam fuisse a Nectario sublatam, sed eam solum, quæ fiebat aliquorum criminum occultorum, servata alia, quam canones pro peccatis publicis exigebant, & quæ etiam sæculis sequentibus diu perseveravit. Alii autem doctissimi duo Cardinales, Bellarminus, & Perronius, Nat. Alexander, Dion. Petavius, ac Godefridus Hermantius (invita S. Jo. Chrysostomi) putant, omnem pœnitentiam publicam a Nectario abolitam, & solam confessionem privatam retentam. Pœnitentia publica poterat aboleri, quia nonnisi ecclesia-

337. Neque vero nostræ responsionis vim labefactat solita Dallæi objectio, quod neque duo Historici Socrates, & Sozomenus, neque Nectarii consiliarius Eudæmon aliquam faciant mentionem confessionis secretæ, quæ retenta fuerit. Non inquam: argumento enim hoc negativo nostra positiva fundamenta non convelluntur. Præterea cum totum illud scandalum ex sola publica confessione ortum fuerit, non autem ex confessione privata, & arcana, æquum erat, ut tantummodo de prima, non autem de altera verba fierent: de hac enim nihil fuerat innovatum.

338. Inst. *primo*. Ex verbis Socratis supra relatis constat, a Nectario ex imprudenti Eudæmonis consilio non solum fuisse loco motum Presbyterum, qui confessionibus præerat, sed etiam unicuique permissum, *pro arbitrio, & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere*, quod manifeste indicat, quamcunque etiam privatam confessionem fuisse sublatam.

339. Resp., non uni tantum Presbytero curam fuisse ab Episcopo datam, audiendi privatas fidelium confessiones, cum in frequentioribus civitatibus, præsertim vero in regia urbe Constantinop. omnium populosissima, fuisset prorsus impossibile, necessitati, & utilitati populorum hac ratione satisfacere; non erat vero impossibile, aut multum difficile, uni primario Sacerdoti publicæ paucorum pœnitentiæ præsidere, ut debitus servaretur ordo. Quamobrem remoto Presbytero Pœnitentiario, deduci quidem potest, abolitam fuisse publicam confessionem, non autem privatam, quæ Episcopo, & Sacerdotibus ab eo deputatis fiebat.

340. Verborum autem Socratis sensus non est, quod fideles gravium culparum rei possent *pro arbitrio* ad Sacramentorum communionem accedere, non expiata prius per privatam confessionem conscientia; sed quod non amplius adstringerentur, ut antea, se coram Pœnitentiario sistere, & juxta ejus præscriptum statutas a canonibus pœnas palam persolvere, antequam ad Sacramentorum communionem admitterentur.

341. Inst. *secundo*. Socrates loco laud. se consilium Eudæmonis improbasse scribit, eique dixisse, *ansam ex eo singulis datam esse* liberius peccandi; atque expressius id notat Sozomenus, inquiens: *Nam antea, ut equidem existimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui sua ipsi delicta enuntiabant, tum ob severitatem judicum, qui ad id erant constituti*. Hoc autem verum non foret, si abrogata publica pœnitentia, retenta fuisset privata confessio.

342. Resp., etiam retenta privata confessione, & solum abrogata publica pœnitentia, ansam fuisse aliquibus datam liberius ea peccata perpetrandi, a quibus sine publica confusione, sine multis lacrymis, jejuniis, ac supplicationibus absolvi non consueverant: hæc enim magnam certe vim ad homines in officio continendos habebant.

343. Inst. *tertio*. Quid factum fuerit a Nectario, discere possumus ex S. Joan. Chrysostomo, qui eidem in Throno Constantinopol. successit. Is autem S. Pater & sæpe, & aperte docet, confessionem peccatorum faciendam esse coram Deo, non coram hominibus. Hom. LVIII. *Verecundaris*, inquit, *& erubescis enuntiare peccata? Sane quidem si coram hominibus ea dicenda essent, & evulganda, non tamen ita pudere te oportuit: pudor enim est, & ignominia peccare, non quæ peccaveris, confiteri. Jam vero neque necessarium est, testibus præsentibus confiteri. Apud conscientiæ rationem fiat inquisitio delictorum. Sine testibus fit judicium. Deus te confitentem solus audit*. Item Hom. IV. de Lazaro. *Cur igitur, quæso, pudescis, & erubescis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat? Immo vero ei, qui Dominus est, & qui tui curam gerit, & humanus est*. Similia sæpius repetit S. Pater, hujus tredecim testimonia huc spectantia studiose collegit Dallæus, non ut consentiat patriarchæ suo Calvino, effutienti fuisse a Nectario secretam confessionem abolitam, sed ut evincat, nunquam in Ecclesia Constantinop. hanc confessionem obtinuisse. Et quidem inficiari non possumus, hæc testimonia simul unita magnam exhibere difficultatem, in qua solvenda Theologi non unam instituunt viam (a). Nos autem cum nostro Natali Alexandro

344. Respondemus, Chrysostomum *plerumque* non

sticis legibus erat instituta, & reipsa sensim, ac sensim, in omnibus regionibus cessavit; non sic autem privata, & distincta omnium gravium culparum confessio, quæ ex Apostolica traditione descenderat, & ubique in Catholica Ecclesia semper obtinuit. Unde Synodus Trident. Sess. XIV. cap. 5. ita statuit: *Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda*.

(a) Doctissimi Cardinales Baronius, Bellarminus, & Perronius dicunt, S. Joannem prædecessoris sui Nectarii factum defendere voluisse, ac propterea de sola pœnitentia publica, quæ per eum fuerat abrogata, esse intelligendum. Dion. Petavius in animadv. ad S. Epiphanium Hær. LIX. postquam locum Chrysostomi ex Hom. V. *De Incompr. Dei natura* de abolita pœnitentia publ ca explicasset, hæc addit notatu digna: *Quamquam multa sunt a sanctissimis Patribus, præsertimque a Chrysostomo in Homiliis aspersa, quæ si ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris, boni sensus inania videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad imperitam fere multitudinem exaggerandi causa, & subito quodam impetu dicendi, ac calore profusa feruntur plerumque licentius. Unde ex aliorum comparatione locorum, vel Conciliorum potius, ac Patrum temperanda, & in gyrum veritatis revocanda sunt*.

non privatam, & secretissimam, sed publicam tantummodo confessionem excludere, ex qua sola probrum, & infamia in pœnitentes redundabat. Unde in Hom. XXI. ad pop. Antioch. laudat summam Dei clementiam, quod nos *non cogit, in medium procedentes, quæ peccavimus enuntiare, sed sibi soli rationem reddere jubet*; quibus verbis non excludit Sacerdotem, qui vicem Dei gerit, ejusque auctoritate pœnitentem solvit, vel ligat; siquidem Sacerdoti secrete confiteri, idem prorsus censeri potest, ac Deo soli confiteri. Hanc fuisse Chrysostomi mentem colligere possumus, tum ex aliis locis supra num. 310. laudatis, ubi externam pœnitentis confessionem exigit; tum etiam ex iis, quæ habet Hom. XX. in Gen., ubi de peccatore inquit: *Si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, & ad confessionem facinorum festinare, & ulcus ostendere medico, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, ac soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum abolitio est etiam delictorum*. En quomodo Chrysostomus a confessione, quæ fit soli Deo, non excludit eam, qua pœnitens loquitur *soli* medico, *nullo alio conscio*.

545. Alia hujus S. Patris loca præsto essent, si tempus ea afferre sineret. Immo noster Jac. Goarius inter varias absolutionis formulas, quæ apud Græcos obtinent pag. 538. edit. Ven., hanc affert sub nomine S. Jo. Chrysostomi, in qua Sacerdos ita precatur: *Tu optime, & valde misericors Domine, cuncta, quæ filius meus spiritualis N. contrito corde coram te tenuitati meæ confessus est, in præsenti, & in futuro sæculo condona* &c. Nonnullas alias doctissimus hic Dominicanus orationes Sacerdotis in absolutione pœnitentium affert, in quibus omnibus apparet confessio peccatorum facta coram Deo, & Sacerdote. Unde recte colligere possumus, quando Chrysostomus, aut alii Patres sufficere dicunt, confessionem soli Deo factam, voluisse quidem excludere necessitatem publicæ confessionis coram Pœnitentiariis, non autem privatæ, & arcanæ coram Episcopo, vel Sacerdote ab ipso ad hoc munus destinato.

546. Dixi autem *plerumque* S. Archiepiscopum excludere solam *publicam* confessionem, non autem *privatam*; alicubi enim etiam *privatam* excludit, sed tunc solum, quando minime est necessaria, ut in Catechumenis. Sic in *Catech.* II. *ad illuminatos* Tom. II. pag. 240. Dei clementiam extollit, quod *sibi soli rationem reddere jubeat, & sibi confiteri*. Ea vero instructio directa erat ad catechumenos, a quibus non exigitur externa confessio, sed solum interna, qua coram Deo peccata confiteantur, & detestentur.

547. Dices iterum. Hom. V. *De incomprehens.* Tom. I. pag. 490. peccatorem ad pœnitentiam exhortans, *Non te*, inquit, *in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo: conscientiam tuam expande coram Deo; ostende ipsi vulnera, & ab eo medicamenta postula ... licet enim taceas, ipse novit omnia*.

548. Resp., ibi loqui Chrysostomum de quotidiana, aut saltem frequenti confessione interna, quæ Deo fieri debet; nihil autem addit de externa, facienda Sacerdoti, de qua opportunis in locis verba fecerat. Id patet ex iis, quæ addit Hom. II. in Ps. L. inquiens: *Cum autem in lectum, hoc est in tranquillum portum te conjecisti, nec ullus est, qui tibi molestiam exhibeat, dic cordi tuo, atque animæ tuæ: exegimus hodiernam diem, o anima: quid boni fecimus, aut quid mali admisimus?* Ex quo autem S. Doctor consulat hoc quotidianum conscientiæ examen, atque internam apud Deum cordis confessionem, minime sequitur, eum non exegisse certis temporibus, ac præcipue in solemnitate paschali *diligentem, & puram peccatorum confessionem*. Vid. sup. n. 314.

549. Haud dissimili ratione explicari possunt quædam testimonia Sanct. Hilarii, Basilii, Ambrosii, Maximi Taurin, tum Cassiani, Juliani Pomerii, ac Bedæ, qui internam cordis confessionem soli Deo factam ita extollunt, ut nullam agnoscere videantur externæ, & auricularis necessitatem. Plerumque enim isti Patres locuti sunt de contritione perfecta, quæ utique peccata omnia delet, & ante oris confessionem hominem peccatorem Deo reconciliat, quod patet exemplis Davidis, Mulieris peccatricis, Latronis, & Petri, quibus uti solent: isti enim, sola interna cordis contritione plenissime justificati fuere, cum eo tempore Sacramentum confessionis nondum esset institutum. Non propterea laudati Patres externam, & arcanam, confessionem, quæ Sacerdoti fieri debet, aut saltem ejus votum excludunt: eam enim aliis in locis satis aperte declarant, ut videri potest apud sæpe laud. Natalem Alexandrum, & alios, qui fusiori calamo Dallæum confutarunt.

550. Objicit postremo Dallæus. Non multo ante definitionem Innocentii III. Theologi inter se dissidebant, an confessio interna soli Deo facta ad justificationem sufficeret, an vero etiam externa necessario requireretur: non ergo certum erat, externam confessionem esse ex institutione divina. Ant. prob. *primo* ex his verbis II. Concilii Cabillonensis celebr. in fine sæc. IX. can. 33.: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt: quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent; quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam*. Neutram sententiam Concilium damnat; immo approbare videtur, subdens: *Confessio, quæ Deo fit, purgat peccata; ea vero, quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgantur peccata*. *Secundo*, post sæculum IX., usque ad XIII. plures scriptores Catholici docuerunt, confessionem soli Deo factam ad peccatorum veniam obtinendam sufficere. Nam Magister sententiarum Lib. IV. Dist. XVII. hanc proponit quæstionem, *an sufficiat confiteri soli Deo?*

Deo? An oporteat, confiteri Sacerdoti? Respondet autem: *Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio, sine judicio sacerdotali, & confessione Ecclesiæ*; quorum rationes ibidem affert. Eamdem quæstionem proponit Gratianus Dist. I. *De Pœnit.* his verbis: *Utrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione, absque oris confessione quisquam possit Deo satisfacere? Sunt enim, qui dicunt, quemlibet criminis veniam sine confessione Ecclesiæ, & sacerdotali judicio posse promereri*; quorum sententiam pluribus Scripturæ, & Patrum testimoniis confirmat. Idem præstat in confirmationem sententiæ oppositæ, ac tandem judicium lectoris prudentiæ relinquit: *utraque enim sententia*, inquit, *fautores habet sapientes, & religiosos viros*. *Unde Theodorus Cantuariensis Episcopus ait in Pœnitentiali suo: Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere sancta Ecclesia* &c. Ita capp. 89. & 90. Additur etiam glossa Jo. Theutonici, qui ad initium Distinct. *De pœnit.* hanc eamdem quæstionem ita resolvit: *Sed melius dicitur, eam (confessionem) institutam fuisse a quadam universalis Ecclesiæ traditione, potius quam ex novi, vel veteris test. auctoritate*. Demum Scholasticis antiquis non satis persuasum fuisse videtur, confessionem esse juris, & institutionis divinæ. Nam S. Bonaventura dicit, ante Concilium Lateran. non fuisse hæresim negare confessionis necessitatem. Durandus dubitat, an confiteri peccata sit præceptum, vel consilium. Scotus denique *rationabilius* quidem dicit confessionem esse juris divini, non posse tamen facile eum impugnari, qui illam solum de præcepto Ecclesiæ esse contenderet.

551. Resp., fuisse quidem veteres quosdam Theologos, qui olim de hoc Ecclesiæ dogmate dubitarunt, vel illud aperte negarunt, sed eos ab errore excusari nullatenus posse: excusantur tamen *ab hæresi*, cum nulla tunc existeret Ecclesiæ definitio. Idem contigit in quibusdam aliis Ecclesiæ certissimis dogmatibus, ut in causa Rebaptizantium, & Chiliastarum, quorum erroribus multi, & gravissimi Patres adhæserunt. Sic pariter non pauci, nec ignobiles errorem Semipelagianorum, antequam a Synodo Arausicana condemnaretur, palam, & pugnaciter professi sunt. Hi omnes excusantur quidem ab hæresi, sed non ab errore; neque ipsorum error ullum potuit veritati, & firmitati doctrinæ catholicæ detrimentum afferre. Ita in casu nostro &c. Sed ut ad singula descendamus.

552. Concilium Cabillonense can. 32. confessionem Sacerdoti faciendam esse, decernit, ut de orthodoxa ejusdem doctrina dubitari non possit. Can. autem 33. ad indicandum, nonnunquam per veram cordis contritionem plenam obtineri peccatorum remissionem, antequam oris confessione clavibus Ecclesiæ subjiciantur; aliquando vero eamdem remissionem nonnisi per Sacramentalem absolutionem haberi posse, inquit, *plerumque Deum salutis auctorem hanc præbere suæ potentiæ invisibilis administratione*, nempe vere contritis; *plerumque medicorum operatione*, quando contritio perfecta non est. Juxta hanc eamdem doctrinam illa Synodus potuit etiam dicere de perfecte contritis *confessionem, quæ Deo fit, purgare peccata; quæ vero Sacerdoti fit, docere, qualiter* salutaribus pœnitentiis, aliisque mediis *purgentur peccata*; non sic autem de contritis *imperfecte*.

553. Magister sententiarum controversiam illam agitans, utriusque partis fundamenta breviter exponit, sed postea ita pro veritate resolvit: *Ex his, aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primum, & deinde Sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas*, ac subinde oppositæ sententiæ fundamenta penitus convellit, mentem sanctorum Patrum, qui objecti fuerant, juxta veram doctrinam Ecclesiæ explicans.

554. De Gratiano major est difficultas. Refert doctissimus, & elegantissimus Ant. Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus Lib. I. *De emendatione Gratiani* Dial. 17., fuisse, qui putarent, hanc Distinctionem I. non esse Gratiani; additque, in quadam scheda Correctorum Romanorum hæc verba inveniri: *Tractatus hic de pœnitentia non videtur esse Gratiani, sed alicujus paulo antiquioris, & totus huc videtur translatus, deestque in exemplaribus antiquis*. Quidquid autem sit de hac multorum opinione, quam in dubio videtur reliquisse Tarraconensis Archiepiscopus, non est ambigendum, doctrinam in ea Distinctione contentam esse prorsus falsam, & erroneam, uti sapienter notarunt doctissimi viri a Gregorio XIII. ad correctionem Gratiani selecti. Immo S. Thomas in expositione Dist. XVIII. eamdem doctrinam aperte *hæresim* nominavit, simul tamen Magistrum sententiarum, ac Gratianum excusans, quia scripserunt ante determinationem Ecclesiæ sub Innocentio III. factam. Quod etiam asserit S. Bonaventura in hunc locum (a).

555. Observandum est etiam, inter illos *sapientes, ac religiosos viros*, quos citat Gratianus, unum nominari Theodori Cantuar. *Pœnitentiale*; & quidem ex codice vitiato: codices enim Mss. Biblioth.

(a) Id est, quia tempore hujus Concilii fortasse nonnullæ obscuritates sublatæ sunt, propter aliquos, qui negabant, confessionem factam Sacerdoti esse necessariam *jure divino*. *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christ. fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur*. Ita definivit Concilium Trid. Sess. XIV. cap. 5.

blioth. Thuanææ, quibus usus est Jac. Parvus in sua illius *Pœnitentialis* editione, non habent verba a Gratiano allegata. Inveniuntur quidem illa verba in cap. 33. Concilii Cabillonsis II., sed sine illis adjectis, *ut Græci*, & pariter sine illis, *ut tota fere sancta Ecclesia*, quasi vero Græci, & aliqua Ecclesiæ pars huic dogmaticæ veritati repugnarent; quod utrumque falsum esse, abunde probatum est.

356. Glossa autem Jo. de Semeca, seu Theutonici hac in parte *rejicienda est, & expungenda, velut manifestum continens errorem*, inquit Estius in IV. Dist. XVII. §. 7., nisi forte Glossator nomine *institutionis* explicare voluerit determinationem temporis, quo confessio peccatorum secreta facienda est, quæ utique determinato in Concilio Lateranensi *instituta* fuit. *Quæ vero a Durando, & Scoto hac in re minus considerate dicta sunt, non debent præjudicare reliquorum omnium Doctorum, & totius Ecclesiæ consensui, & judicio*. Verba sunt Estii in loco laudato; quamvis & isti benigna interpretatione haud difficulter cum communi Ecclesiæ doctrina conciliari possint.

Quæres *primo, quænam sit confessionis Sacramentalis necessitas?*

357. Respondet S. Thomas in IV. Dist. XVII. quæst. 3. art. 1. quæst. 3.; *ad confessionem nos dupliciter obligari. Uno modo ex jure divino ex hoc ipso, quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt post baptismum. Alio modo ex præcepto juris positivi, & sic tenentur omnes ex ista institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innocentio III., tum ut quilibet se peccatorem recognosceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei; tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedat; tum ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus inter gregem lateat*.

358. In resp. autem ad 3. de illis, qui non habent nisi peccata venialia, hæc addit: *Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur. Vel potest dici secundum quosdam, quod ex Decretali prædicta non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc, quod dicit, quod debet omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest: & secundum hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat, absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur*.

Quæres *secundo, utrum possit quis per alium, vel per scriptum confiteri?*

359. Respondet S. Thomas in *Supplem.* quæst. 9. art. 3. *negative*, hanc afferens rationem; *quod confessio non solum est actus virtutis, sed etiam pars Sacramenti. Quamvis autem ad eam, secundum quod est actus virtutis, sufficeret qualitercumque fieret, etsi non esset tanta difficultas in uno modo, sicut in alio; tamen secundum quod est pars Sacramenti, habet determinatum actum, sicut & alia Sacramenta habent determinatam materiam; & sicut in baptismo ad significandam interiorem ablutionem assumitur illud elementum, cujus est maximus usus in abluendo; ita in actu Sacramenti ad manifestandum ordinarie assumitur ille actus, quo maxime consuevimus manifestare, scilicet proprium verbum. Alii enim modi sunt inducti in supplementum istius*.

360. Excipit tamen Angelicus casum hominis muti, vel cujus lingua non intelligitur a Confessario; unde ad 2. inquit: *In eo, qui usum linguæ non habet, sufficit, quod per scriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam possit*.

361. Huc accedit suprema Clementis VIII. auctoritas, qui an. 1602. hanc propositionem damnavit: *Licet per litteras, seu per internuntium, Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*. Sed de hac quæstione, aliisque similibus plura dabunt Theologiæ Moralis Tractatores, quæ nos omittere cogimur, ne hujus Libri moles plus justo augeatur.

CAPUT IX.

De tertia Sacramenti pœnitentiæ parte, nempe de satisfactione.

362. Nonnulla hac de re dicta jam sunt cap. 1., ubi contra Protestantes ostendimus, virtutem pœnitentiæ non esse solam resipiscentiam, seu vitæ præteritæ mutationem, sed etiam ejusdem vitæ odium, detestationem, ac *punitionem*. Nunc de eadem punitione aliqua addenda sunt, prout est pars Sacramenti pœnitentiæ, & recepto vocabulo *satisfactio* nominatur. Hoc autem vocabulo designatur actio illa, qua *injuriam Deo nostris peccatis illatam, quantum possumus, compensare conamur, ac proinde illius justitiæ satisfacere*. Dicitur autem satisfactio pars Sacramenti pœnitentiæ, non tamen *essentialis*, sed *integralis* tantum; quia opera satisfactoria debent præstari ab homine jam justificato, ut per illa remissionem pœnæ a Deo mereatur.

363. Noster Angelicus in *Supplem.* quæst. 12. art. 3. satisfactionem dicit esse *Medicinam curantem peccata præterita, & præservantem a futuris. Et secundum hoc*, subdit, *dupliciter potest satisfactio definiri: uno modo respectu culpæ præteritæ, quam recompensando curat; & sic dicitur, quod satisfactio est illatæ injuriæ recom-*

compensatio, secundum justitiæ æqualitatem .... Alio modo potest definiri, secundum quod præservat a culpa futura; quam præservationem fieri dicit secundum S. Augustinum, seu potius Gennadium, *De Eccles. dogmat.* cap. 54., & per *remotionem causarum*, & per *pœnitentiam liberi arbitrii*.

364. Hic autem satisfactionem potissimum consideramus sub primo respectu, nempe prout est compensatio injuriæ Deo nostris peccatis illatæ. Et quidem posset Deus, si ita ei placeret, quemadmodum in baptismo, ita etiam in Sacramento pœnitentiæ, universum nobis debitum condonare; sed quæstio est, an ita voluerit? Id voluisse Deum, affirmant Protestantes, ac propterea supervacaneam esse dicunt omnem nostram satisfactionem (*a*); negant autem Catholici una cum Synodo Trid., quæ Sess. XIV. cap. 8. declaravit, *falsum omnino esse, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*. In cujus dogmatis confirmationem sit

PROPOSITIO I.

Post culpam, atque æternam pœnam in Sacramento pœnitentiæ remissam, superest aliqua pœna temporalis operibus satisfactoriis luenda.

365. Prob. perspicuis, & illustribus Scripturæ sacræ exemplis, *primo* Adami, deinde Moysis, Aaron, aliorumque, quibus Deus culpas condonavit, pœnas tamen gravissimas ab eis exegit. Præ ceteris autem notandum est exemplum Davidis, cui Nathan Propheta condonata fuisse a Deo atrocissima adulterii, & homicidii crimina pro certo asseruit; pœnas tamen gravissimas pro eis luere debuit.

366. Deinde nostro dogmati suffragantur omnes sancti Patres, ex quibus duos, vel tres brevitatis causa seligimus. Sanctus Jo. Chrysostomus in Hom. LXXX. ad populum Antioch. *Non satis est*, inquit, *sagittam ex corpore extrahi, sed plaga quoque a sagitta inflicta sananda est: sic etiam in anima post acceptam peccati veniam, pœnitentia curanda est plaga relicta:* restat ergo aliquid luendum, etiam culpa remissa.

367. S. Augustinus Tract. CXXIV. in Jo. n. 5. *Cogitur*, inquit, *homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum; prolixior est enim pœna, quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna*. Vid. etiam Lib. XXII. *cont. Faustum* cap. 67., & in Psalm. L. num. 15., & quæ supra attulimus num. 6.

368. Demum S. Gregorius Magnus Lib. IX. *Moralium* cap. 17. *Nequaquam*, ait, *peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit*, Dominus transtulit peccatum tuum, *& tamen multus post cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit*.

369. Frustra autem Calvinus conatur elabi, quasi hæc a Patribus dicta sint de satisfactione præstanda Ecclesiæ propter scandalum fidelibus datum; non autem de satisfactione præstanda Deo, propter ipsius offensam. Frustra inquam; nam præter quam quod hæc distinctio commentitia est, nec facile potest allatis Patrum testimoniis hæc restrictio accommodari, S. Cyprianus nimis aperte eam excludit in Lib. *De Lapsis* dicens: *Deus orandus est, & nostra satisfactione placandus* (*a*).

370. *Tertio*, ut verbis utar Patrum Trident. Sess. XIV. cap. 8. „ & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram „ in

(*a*) Lutherus, ut alias notavimus, in suis dogmatibus semper inconstans, primo negabat, Deum propter peccata ullam in hac vita a nobis reposcere pœnam, ut apparet ex Sermone *de Indulgentiis*, quem habuit anno 1518., & ex *Astericis*, quos opposuit Echii *Obeliscis* ad initium secundi. Post autem aperte admisit reatum pœnæ temporalis in hac vita luendum post culpam remissam. Ejus asseclæ omnem satisfactionem sustulerunt, tum ut superfluam, quia Deus remittendo culpam etiam omnem pœnam remittit, tum etiam ut injuriosam passioni Christi, qui pro nostris peccatis superabundanter divinæ justitiæ satisfecit. Ita Joan. Gerhardus *Loco theol.* XVI. cap. 8. sect. 3. Jo. autem Franc. Buddeus in *Institut. Theol. dogm.* Lib. IV. cap. 3. §. 45. totus est, ut contra nos evincat, *satisfactionis, & indulgentiarum errorem*, ut ipse loquitur, ex veteri Ecclesiæ disciplina male intellecta esse derivatum. In camdem sententiam conspirant fere omnes Lutherani post *Confess. Augustanam*, ejusque apologiam a Phil. Melanchthone adornatam in Art. *De satisfactione*.

(*a*) Calvinus Lib. III *Institut.* cap. 4. a n. 25. usque ad finem contra tertiam hanc pœnitentiæ partem solita rabida sua eloquentia debacchatur, atque enumeratis iis piis operibus, quibus nos Deo pro offensis nostris satisfieri credimus, nempe lacrymis, jejuniis, oblationibus, charitatis officiis, &c. subdit: *Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem*. Postea irridet distinctionem culpæ, & pœnæ, quasi una sine alia remitti possit, eamque distinctionem omni studio explodere conatur; sed frustra ut videbimus.

Pessima hac doctrina Protestantes viam sibi straverunt ad alia nostræ Ecclesiæ dogmata ipsis invisa prorsus tollenda, nempe de Indulgentiis, de Sanctorum invocatione, de votis monasticis, de jejuniis, ac potissimum de incruento Missæ sacrificio, quod pro vivis, ac defunctis Deo offertur, quibus omnibus injurias Deo peccatis nostris illatas compensare nitimur.

„ in die iræ ". Quæ ratio etiam apud veteres „ sæpius allata invenitur.

571. His, aliisque de causis sapientissimi illi Patres can. 12. anathema contra eum pronunciarunt, „ qui dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eo satisfecisse. *Et can.* 13. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit ".

572. Objicit *primo* Calvinus testimonia Scripturarum vet. test., quibus Deus tam plenam promittit pœnitentibus veniam, ut nec sit amplius eorum peccatorum memor. *Ego sum*, inquit ore Isaiæ XLIII. 25., *ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non ero memor*. Multa alia similia inveniuntur apud Ezechielem XVIII., & Jeremiam XXXI., ex quibus sic argumentatur Calvinus. Quando Deus alibi minatur peccatori, se non recordaturum justitiarum, quas antea fecerat, significat, se nullum pro eis præmium largiturum: ergo quando dicit, se memorem non futurum iniquitatum, pariter significat, se nulla pro iis pœnam exigere. Unde Augustinus in Ps. XXXI. Enarr. 2. inquit: *Si texit peccata Deus, noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere, maluit ignoscere*. Præterea in novo Test. dicitur, *remitti nobis peccata per nomen ejus*. Act. X. 43., & 1. Jo. II. 1. 2. 12. *Si quis peccaverit, habemus advocatum apud Patrem, Jesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Scribo vobis, filioli, quia remittuntur vobis peccata propter nomen ejus;* quibus verbis manifeste ostenditur, non aliam esse pro nostris peccatis satisfactionem, præter eam, quam Christus pro nobis obtulit, plenam, & superabundantem (Hoc argumentum magni faciunt adversarii, & multis utriusque testamenti locis illustrant; immo nos accusant, quasi nostris satisfactionibus crucem Christi evacuemus). *Demum* in novo test. ubicumque legitur remissio peccatorum, nihil additur de pœna per satisfactionem luenda. Legitur Luc. XVIII. 14., *Publicanum descendisse a templo justificatum*, pœna nulla sequitur; in alia parabola Matth. XVIII. non solum servo debitori remittitur debitum, sed etiam pœna carceris. Petrus delicti veniam sine ulla pœna obtinuit: *lacrymas ejus*, inquit Ambrosius Serm. 45. *de pœnit. Petri, legimus, satisfactionem non legimus*. Et audit paralyticus Matth. IX. 2., *surge, remittuntur tibi peccata tua*, pœna non imponitur; latroni promittitur paradisus, mulieri peccata remittuntur. Omnes, concludit Calvinus; quæ in Scriptura commemorantur absolutiones, gratuitæ describuntur.

573. Verum nihil facilius, quam has Calvini objectiones diluere, solidissima illa distinctione culpæ, & pœnæ; & iterum pœnæ æternæ, & temporalis. Omnia allata Scripturarum testimonia, tam vet., quam novi test., quibus Deus remittere dicitur pœnitentibus peccata, neque eorum amplius recordari, nihil aliud significant, quam tolli omnem reatum culpæ, tum etiam reatum pœnæ æternæ: non autem pœnæ temporalis, & satisfactoriæ. Firmum, & inconcussum hujus distinctionis fundamentum habemus in rege David, cui dixit Nathan 2. Reg. XII. 13. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris;* neque tamen illi remissa fuit omnis pœna temporalis, ut supra num. 365. observatum est. Immo nota sunt & illa Davidis pœnitentis verba ad Deum: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me*, non utique a reatu culpæ, quem sibi remissum esse certo sciebat, sed a reatu pœnæ; unde etiam subdebat: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper;* quibus verbis, inquit Catechismus Romanus, illud petebat a Domino, ut pœnam suo crimini debitam condonaret, *atque a peccati reliquiis purgatum in pristinum decoris, & integritatis statum restitueret*. Et sic etiam Augustinus intelligendus est de culpa, quam Deus pro sua misericordia tegit, & delet, non de pœnis temporalibus, quas post culpæ remissionem juste a peccatoribus reposcit.

574. *Secunda* Calvini objectio ex ignorantia nostræ doctrinæ, vel potius ex solita Ecclesiam calumniandi prurigine oritur: eam autem diluit sacros. Trid. Synodus Sess. XIV. cap. 8. recte observans, nostram satisfactionem totam a Christi gratia pendere, *in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*. Et ante Synodum Trid. S. Thomas 3. P. quæst. 49. art. 3. ad 2. hanc difficultatem expendens, *ad hoc*, inquit, *ut consequamur effectum passionis Christi, oportet nos ei configurari .... Unde oportet, quod illi, qui post baptismum peccant, configurentur Christo patienti per aliquid pœnalitatis, vel passionis, quam in seipsis sustineant, quæ tamen multo minor sufficit, quam esset condigna peccato, & cooperante passione Christi*.

575.

(a) Non adeo obtusus erat Calvinus, ut non videret, vana esse hujusmodi effugia; unde §. 39. melius judicavit hunc nodum secare, quam solvere, dicens: *Parum autem me movent, quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter, omnes fere, quorum libri extant) aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere, & dure locutos*. Quanta arrogantia!

575. *Postrema* objectionis pars eadem responsione refellitur, scilicet in laud. exemplis tantummodo explicari remissionem culpæ, quæ utique gratuita est, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, potest eam mereri; non tamen sequitur, nulla esse debere satisfactionis opera, quæ utpote facta ab homine jam justificato, merentur etiam condonationem pœnæ, tum in hac vita, quam in altera, nempe in Purgatorio. Quod si aliqui propter doloris, & charitatis vehementiam a Christo cordium scrutatore, etiam a reatu pœnæ absoluti fuere, ii in exemplum trahi non possunt respectu aliorum pœnitentium, quorum corda Confessarii nequeunt inspicere, immo nec ab ipsismet pœnitentibus perfecte cognoscuntur. Justificatio Publicani est mera parabola. Petrus non solum flevit, sed *flevit amare*, & toto vitæ suæ tempore pœnitentiam egit. De paralytici pœnitentia Scriptura silet. Mulier peccatrix vehementia charitatis meruit remissionem plenam. Latroni loco pœnitentiæ fuit supplicium crucis patienter toleratum. Sermones, quos Calvinus citat sub nomine S. Ambrosii, judicio doctissimorum PP. Benedictinorum omnes apocryphi sunt. Ea tamen verba inveniuntur Lib. V. in Luc. cap. 22. Verum, ut notat iidem editores Benedictini, nomine *satisfactionis* intelligitur hoc loco *defensio*; quomodo reus *satisfacere* conatur accusatori. Potest etiam intelligi *excusatio*, a qua Petrus abstinuit, satagens suum crimen lacrymis lavare, magna scilicet, & longa pœnitentia. Ceterum qualem, & quantam a peccatoribus verus Ambrosius exegerit pro suis culpis satisfactionem, ex iis apparet, quæ ad Virginem lapsam scripsit. Vid. sup. n. 96.

576. Inst. *primo*. Ut S. Thomas docet 3. P. quæst. 86. art. 3., hoc *esset contra perfectionem misericordiæ Dei*, *cujus perfecta sunt opera*, *ut dicitur Deuter. XXXII.; unde cujus miseretur, totaliter miseretur*; ubi citat Augustinum (seu potius alium Auctorem) in Lib. *De pœnit.* dicentem: *Quædam impietas infidelitatis est, ab illo, qui justus, & justitia est, dimidiam sperare veniam*. Unde etiam in veteribus canonibus, & glossis ille recitatur versiculus:

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit;
Aut nihil, aut totum te lacrymante dabit.

577. Resp., hanc doctrinam esse verissimam, ubi agitur de remissione culpæ, atque etiam pœnæ æternæ; non autem quando sermo est de pœnis temporalibus, ad satisfaciendum divinæ justitiæ, vel in hac vita, vel in Purgatorio. Ceterum Angelicus III. *Cont. Gent.* cap. 158. inter alias rationes, quibus ostendit, homini pœnitenti necessaria esse *opera pœnalia, quibus affligatur, propter hoc, quod peccavit*, hanc etiam affert *ex divinæ justitiæ ordine* petitam, qui *requirit, ut peccato pœna reddatur; unde* concludit, quod si peccator *a se hanc pœnam non exigit ...... hæc pœna infligetur ei a Deo, nec talis pœna satisfactoria dicetur, cum non fuerit ex electione patientis, sed dicetur purgatoria, quia alio puniente quasi purgabitur*.

578. Inst. *iterum cum Calvino*. Tam ex sacris litteris, quam ex sanctis Patribus aperte edocemur; justos a Deo sæpe affligi, non in vindictam, quemadmodum puniuntur impii, sed ut inde ad resipiscentiam proficiant. Ad quod confirmandum multa congerit testimonia: sed frustra.

579. Respondemus enim, id utique verum esse, sed per hoc non tolli, quin Deus justissimus, & misericors judex etiam electos puniat, ut eos a levioribus maculis emundet, & simul a futuris præservet, atque ita misericordiam simul & justitiam exerceat. Præclare Augustinus in Ps. L. num. 11. Deum alloquens, *Ignoscis*, inquit, *confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita servatur misericordia, & veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur*.

580. Ob. *secundo*. Satisfactio pro nostris peccatis est impossibilis. Deus autem nobis impossibilia non præcipit: ergo &c. Prob. maj. Satisfactio, ut inquit Catechismus Rom. num. 62., *est rei debitæ integra solutio*; sed in casu nostro satisfactio debet æquari offensæ; sed offensa Deo illata est gravitatis infinitæ: ergo infinita quoque deberet esse satisfactio, quod est impossibile. *Præterea*, servus, qui totum, quod habet, domini est, non potest pro aliquo debito recompensare; sed nos servi sumus Dei, & quidquid boni habemus, ab ipso habemus: non ergo possumus nostris bonis operibus Deo offenso satisfacere. *Tertio* quidquid possumus boni operari, Deo debitum est, jure creationis, redemptionis, sanctificationis, & pro innumeris aliis beneficiis, unde Dominus ipse Lucæ XVII. 10. *Cum feceritis*, inquit, *omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite; servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*. *Denique*, peccatum actuale est gravius, quam originale; sed homo non potest Deo satisfacere pro peccato originali, ergo neque pro actuali.

581. Hisce objectionibus resp. S. Thomas in *Supplem.* quæst. 12. art. 1., & præmittit, non posse hominem Deo satisfacere *secundum æqualitatem quantitatis*, se solum *secundum æqualitatem proportionis: & hoc sicut sufficit*, inquit, *ad rationem justitiæ, ita sufficit ad rationem satisfactionis*.

582. Ad *primam* autem prob. dicit, *quod sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ majestatis, ita etiam satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest*. Ulterius cum eodem Angelico observandum est, satisfactioni, quæ ab homine justificato præstatur, addi virtutem meriti Christi, *quod quodammodo infinitum fuit*.

583. *Ad secundam* dicit, *quod homo, qui ad ima-*

imaginem Dei factus est, aliquid libertatis participat, inquantum est dominus suorum actuum per liberum arbitrium; & ideo ex hoc, quod per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere potest.

584. *Tertiam* objectionem solvit Angelicus, observando, quod *quamvis posse suum homo Deo debeat, non tamen ab eo exigitur de necessitate salutis, ut totum, quod possit, faciat; quia hoc est ei impossibile secundum statum præsentis vitæ, ut totum posse suum in aliquid unum expendat; cum oporteat, eum circa multa esse sollicitum: sed est quædam mensura homini addita, quæ ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum Dei: & super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciat.*

585. *Postremam* difficultatem sic diluit: *Originale peccatum, etsi minus habeat de ratione peccati, quam actuale; tamen est gravius malum, quia est ipsius humanæ naturæ infectio: & ideo per unius hominis puri satisfactionem expiari non potuit, sicut actuale.*

PROPOSITIO II.

Ministri Sacramenti pœnitentiæ possunt, & debent pœnas satisfactorias pœnitentibus imponere.

586. Ita Sacros. Trid. Synodus cap. 8. Sess. XIV. cujus verba licet aliquanto prolixiora, non pigebit audire: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum peccatoribus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur* (a). *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem; nam claves Sacerdotibus non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent; nec propterea existimarunt, Sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum; & sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, & satisfactionis D. N. J. C. vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui; quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent; ut omnem satisfactionis vim, & usum tollant.* Et can. 15. *Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse, quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit.*

587. Neque vero hæc de novo fuere Tridenti decreta; sed potius quæ antiquitus in usu jam erant, renovata. Nam Innocentius I. in epist. ad Decentium cap. 7. ait: *De pondere æstimando delictorum, Sacerdotum est judicare ...... ac tunc demum dimitti* (pœnitentem), *cum viderit congruam satisfactionem*. Leo Magnus epist. CVIII., alias 93. *Mediator*, inquit, *Dei, & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Imprimis autem legendus est S. Cyprianus in Lib. *De lapsis*, ubi multa habet de operibus satisfactoriis in lapsorum reconciliatione imponendis.

588. S. Thomas IV. *Cont. Gen.* cap. 72. istud nostræ fidei dogma hoc ratiocinio demonstrat: *Quandoque per contritionem amota culpa, & reatu pœnæ æternæ soluto, remanet obligatio ad aliquam pœnam temporalem, ut justitia Dei salvetur ..... Cum autem subire pœnam pro culpa, judicium quoddam requirat, oportet, quod pœnitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi judicium in taxatione pœnæ expectet; quod quidem per suos ministros exhibet Christus, sicut & cetera Sacramenta. Nullus autem potest judicare de culpis, quas ignorat: necessarium igitur fuit, confessionem institui,* quasi *secundam partem hujusmodi Sacramenti, ut culpa pœnitentis innotescat Christi ministro &c.*

589. Ob. *primo*. Apostolus ad Eph. IV. 28. scribit: *Qui furabatur, jam non furetur:* nihil ergo aliud a peccatore exigit, quam ut a peccatis abstineat; unde ita illum locum commentatur Teophilactus: *Punire namque est fori judiciarii: dehortari a vitiis, Christi doctrinæ est.* Hanc interpretationem Theophilactus hausit ex Magistro suo Chrysostomo, qui Hom. XXVIII. in 1. epist. ad Cor. ita explicat illa verba Apostoli. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur: Non inquit, si puniamus, si supplicium de nobis sumamus, sed si dijudicaremus, hoc est, si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere, si nos ipsos condemnare, liberaremur ab hujus, & futuri sæculi suppliciis.*

590. Resp., Apostoli verba explicanda esse, non quasi ad pœnitentiam sufficiat a peccatis abstinere,

re,

(a) Nunquam satis laudandus S. Carolus Borromæus canones antiquos collegit, quibus pro singulis peccatis certæ imponebantur pœnitentiæ, non ut eorum executio postliminio restitueretur, sed ut Confessarii illos præ oculis habentes normam inde sumerent pro operibus satisfactoriis injungendis. Hanc S. Caroli *Instructionem* Romanis typis edi curavit Gaspar. Card. Carpineus sub Pontificatu Innocentii X. 11.

re, sed quia hoc primum est, & principalius. *Non enim*, inquit Theophilactus, seipsum clarius explicans, *satis est a peccato quiescere, sed contraria via est adeunda, diversum ab eo conficiendum iter. Antea operabatur malum? Jam nunc operetur bonum &c.* Unde manifestum liquet, a Theophilacto non aliam punitionem excludi, quam quæ in foro sæculari per leges infligitur. Chrysostomus autem de sola remissione culpæ, & pœnæ æternæ hic loquitur; non excludit autem alias pœnas temporales, quas alibi, nempe Hom. XLII. in Matth. eumdem Pauli locum expendens, magnifice prædicat, inquiens: *Audi Paulum dicentem &c. Et quonam modo, inques, a meipso rationem vivendi, & supplicium exigam? Largos lacrymarum effunde fluvios, laboribus, & vigiliis te ipsum affige &c.*

591. Ob. *secundo*. In baptismate nulla opera satisfactoria imponuntur: cur ergo imponenda erunt in pœnitentiæ Sacramento?

592. Respondent Patres Tridentini, divinæ justitiæ rationem exigere, *ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel &c.* Vid. sup. num. 570. Quamquam ex veteribus monumentis constat, etiam Catechumenos adultos fuisse olim diuturnis, & duris pœnitentiis ad baptismum dispositos, juxta illud S. Petri Act. 1. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*, hæc tamen pœnitentia, sicut & illa, quæ olim pro peccatis publicis exigebatur ante absolutionem, non erat ad tollendam pœnam post remissionem culpæ, ut modo sunt opera satisfactoria post absolutionem, sed erat dispositio ad obtinendum præcipuum Sacramentorum, baptismi, & pœnitentiæ effectum, nempe ipsius culpæ remissionem.

593. Inst. *primo*. Apostolus Roman. V. 20. *Ubi*, inquit, *abundavit delictum, superabundavit gratia;* quod verum non esset, si gratia Dei simul cum culpa non remitteret & pœnam. *Præterea*, cap. VIII. 1. *nihil ergo damnationis*, inquit, *est iis, qui sunt in Christo Jesu;* quales sunt ii, quibus culpa remissa est.

594. Resp. *ad primum* cum S. Thoma 3. P. quæst. 88. art. 2. ad 3., gratiam dici ab Apostolo *superabundantem, quantum ad ipsam gratiæ rationem; quia magis gratis beneficium remissionis magis peccatori confertur. Quamvis quandoque abundanter peccantes abundantius dolent, & sic abundantiorem habitum gratiæ, & virtutum consequuntur, sicut patet in Magdalena.* Alterum explicat Synodus Trid. Sess. V. *de renatis* Sacramento baptismatis, in quibus nihil odit Deus, ac proinde *nihil est damnationis*, iis nempe, *qui vere consepulti sunt cum Christo per baptismum in mortem.*

595. Inst. *secundo*. Remota causa removetur effectus: sed culpa est causa pœnarum: ergo remota culpa &c. Unde Tertullianus *de bapt.* cap. 5. *Exempto*, inquit, *reatu eximitur pœna.* Accedit, quod remissa culpa, homo redit in amicitiam Dei; amicus autem non potest reposcere ab amico pœnam pro culpa, quam jam condonavit.

596. Resp. ad *primum*, remissa culpa removeri pœnam æternam, posse tamen remanere pœnas aliquas temporales, quod exemplis supra n. 565. allatis manifestum fit. Neque in iis, quæ a Dei voluntate pendent, licet uti philosophicis rationibus. Quamvis in rebus ipsis naturalibus quidam effectus sunt permanentes, etiam causa remota, qui nempe dependent quidem a causa ut fiant, non dependent autem ab ea, ut conserventur. Dictum Tertulliani referendum est ad pœnam æternam, quæ utique eximitur, exemplo reatu culpæ. Alterum eadem facilitate diluitur: neque enim pugnat cum divina misericordia, ut ab amicis reconciliatis Deus aliquas temporales pœnas reposcat, tum ut suæ justitiæ aliqua ratione satisfiat, tum etiam ut pœnitentes gravitatem culpæ cognoscant, atque humiliores & cautiores reddantur.

597. Ob. ult. Nostra sententia de necessitate satisfactionis fidelium conscientias perpetuo torquebit; quilibet enim dubitabit, an Deo ad strictos justitiæ apices satisfecerit; tum etiam an opera satisfactoria in statu gratiæ præstiterit, quod Theologis post Sanctum Thomam omnino necessarium esse docent, ut satisfactione pœnæ debitæ deleantur.

598. Resp. cum S. Thoma in *Supplem.* quæst. 14. art. 2. ad 2., hominem pro certo scire non posse, an Deo pro suis peccatis integre, & plene satisfecerit, & ideo dici Ecclesiast. V. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu;* non tamen propterea esse conscientiam scrupulis, & anxietatibus torquendam, sed retinendum esse illum pavorem, & timorem, quem sacræ litteræ sæpius commendant, & Trid. Synodus Sess. VI. cap. 9. inculcat, simul tamen uniendam spem, & fiduciam in divina misericordia, quæ sufficit ad conscientiam pacandam. Vid. dicta Tom. VI. P. II. Dissert. II. cap. 4. Addit vero Angelicus, *non exigi, ut propter hunc metum homo satisfactionem expletam iteret, si conscientiam peccati mortalis non habeat; quamvis enim pœnam non expiet per hujusmodi satisfactionem* (factam sine gratia habituali), *tamen non incurret reatum omissionis ex satisfactione neglecta.*

Quæres *primo, utrum unus possit pro alio satisfacere?*

599. Respondet S. Thomas in *Supplem.* quæst. 13. art. 2., *quod pœna satisfactoria ad duo est ordinata, scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato. In quantum ergo est ad medicinam sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri; quia ex jejunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius bene agere consuevit, nisi secundum accidens, inquantum aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum. Sed hoc est per modum meriti, magis*

quam

quam per modum satisfactionis. Sed quantum ad solutionem debiti, unus potest pro altero satisfacere, dummodo sit in charitate, ut opera ejus satisfactoria esse possint. Vid. Lib. III. *cont. Gent.* cap. 158.

400. Neque huic doctrinæ obstat propositio ab Alexandro VII. num. 15. damnata, *quod pœnitens propria auctoritate potest sibi substituere alium, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat*. Non inquam id obstat; propositio enim damnata respiciebat *ipsam pœnitentiam* a Confessario impositam, quam certe pœnitens debet per seipsum implere; non autem opera satisfactoria generaliter sumpta. Immo ipse Angelicus ibid. ad 4. docet, quod si aliquis ad *aliquam pœnam se obligasset, non prius a debito esset immunis, quam eam solvisset*; quanto magis si a Confessario sit obligatus? Quæres *secundo, an satisfactio præcedere debeat absolutionem?*

401. Resp. *negative*; quia Alexander VIII. has propositiones confixit: num. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id quodammodo dictante*: 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus*: 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*. Guill. Estius in IV. Dist. XV. §. 15. etiam reprobatum fuisse dicit in Concilio Complutensi sub Sixto IV. hunc Petri de Osma articulum: *Non esse absolvendos pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta*. Has damnatas doctrinas revocabat illa Quesnelli propositio num. 77. *Modus plenus sapientia, & lumine est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur*, a Clemente XI. justissime proscripta. Atque hodierna Ecclesiæ praxis gravi innititur rationi, ut nempe pœnitens opera satisfactoria præstare possit in statu gratiæ, quo solum in statu meritoria esse possunt condonationis illarum pœnarum, quæ peccatis etiam remissis debentur.

402. Inficiari quidem nolim, aliam fuisse Ecclesiæ praxim priscis illis temporibus, quibus publica vigebat pœnitentia; nonnisi enim decurso toto pœnitentiæ stadio absolutio concedebatur. Omni autem caret fundamento, quod aliqui suspicati sunt, eos pœnitentes fuisse privata absolutione reconciliatos, antequam austeræ illi disciplinæ subjicerentur. Potius dicere debemus, alios peccatores canonicis pœnis minime obnoxios, fuisse statim absolutos, ut postea majori cum fructu opera satisfactoria exequerentur, prout hodie in Ecclesia fieri solet. Propositum tamen satisfactionis præstandæ absolutionem præcedere debet.

BREVIS APPENDIX

De pœnitentia publica.

403. Hactenus de arcana peccatorum confessione, quæ in aures Sacerdotis fit, & pro qua privata satisfactionis opera imponuntur. Nunc autem pauca addenda sunt de pœnitentia publica. Quam austera illa fuerit priscis Ecclesiæ temporibus, colligi potest ex iis Tertulliani verbis *De pœnit.* cap. 9.: „ Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare: ceterum, pastum & potum pura non esse, non ventris scilicet, sed animæ causa; plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere." Et quamvis aliqua possit esse in hujusmodi verbis exaggeratio, certum est tamen ex aliis ecclesiasticis monumentis, admodum severam olim fuisse graviorum criminum punitionem, cujus brevis hæc est Synopsis.

404. Quatuor communiter distinguebantur publicæ pœnitentiæ gradus, quorum prior vocabatur πρόσκλαυσις *fletus*, in quo pœnitentes sacco induti, & cinere respersi, squallore obsiti extra Ecclesiam sub dio lacrymis, ac gemitibus misericordiam humillime implorabant. Alter dictus est ἀκρόασις *auditio*, quia ejus ordinis pœnitentes admittebantur ad audiendum verbum Dei in vestibulo, seu *Narthece* Ecclesiæ una cum catechumenis, & ante oblationem cum eisdem pellebantur. Tertius erat ὑπόπτωσις *prostratio*, quia pœnitentes in inferiori Ecclesiæ parte prope fores *prostrati* frequentem manum impositionem, ac benedictionem ab Episcopo, & a Clero recipiebant. Quartus erat σύστασις *consistentia*, seu *aggregatio*, quia pœnitentes aggregati jam erant cœtui fidelium quoad preces, & præsentiam divinis Mysteriis, nondum tamen eorumdem participes efficiebantur. Hæc constant ex Sancto Basilio, qui in Epist. canon. ad Amphilochium can. 22. *Est*, inquit, *in quatuor annos iis, qui fornicati sunt, definita castigatio. Oportet autem primo excludi eos precibus, & flere ad januam Ecclesiæ; secundo excipi ad audiendum; tertio excipi ad pœnitentiam* (quo nomine peculiariter appellabatur impositio manuum); *quarto in aggregationem populi abstinentes ab oblatione* (ad quam non admittebantur, nisi qui communicabant); *deinde illis boni participationem permitti. Boni* autem nomine designatur Eucharistia.

405. Quantum vero ad Clericos addenda sunt, quæ

quæ habet Sanctus Augustinus Epist. CLXXXV. n. 45., scilicet hoc fuisse „ constitutum in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum „ redeat, vel in clericatu maneat, quod, subdit, „ non desperatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ factum est... ne forsitan etiam detectis „ criminibus, spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam." Hujus tam severæ disciplinæ multa extant monumenta, præcipue in variis epistolis Sancti Gregorii Magni, qui ejusdem tenacissimus fuit. Atque hic erga Clericos rigor servatus fuisse creditur usque ad IX. seculum; quamvis, ut Morinus probat Lib. IV. *De pœnit.* cap. 14., temperamenta quædam huic severitati aliquando fuerint adhibita.

Quæres *primo, a quo tempore usus publicæ pœnitentiæ in Ecclesia invaluerit?*

406. Resp., si de pœnitentia publica quoad substantiam loquamur, eam esse Apostolis coævam; ut patet ex illo incestuoso Corinthio, quem Paulus tradidit satanæ, hoc est, publicæ pœnitentiæ subjecit 1. Corinth. V., & nonnisi post exactum in pœnitentia aliquod tempus Ecclesiæ communioni restituit. Ejusdem publicæ pœnitentiæ apertam mentionem invenimus apud Tertullianum (supra num. 405.), & apud nonnullos alios, qui ad eam significandam plerumque utebantur verbo ἐξομολογεῖσθαι *exomologesim facere*, quo nomine intelligebant jejunia, macerationes, aliasque corporis castigationes, quibus pœnitentes cogebantur Deo, & Ecclesiæ satisfacere. At vero quantum ad durationem, & ad certos determinatos pœnitentium gradus, hæc disciplina nonnisi post medium tertium sæculum in usu cœpit. Hujus initium aliqui repetunt ex epist. canonica S. Gregorii Thaumaturgi circa an. 265. Sed diligentiores critici observarunt, ea, quæ de quatuor pœnitentium stationibus in ipsa epist. leguntur, esse ex S. Basilio deprompta, eique epistolæ inserta. Quapropter ipse S. Basilius primus creditur, qui harum stationum expressam fecerit mentionem (*a*).

Quæres *secundo, quandonam hæc publica pœnitentia in desuetudinem abierit?*

407. Resp. ex iis, quæ supra num. 355. diximus de facto Nectarii, communis fere nata est eruditorum opinio, in Ecclesia Constantinopolit., ac in pluribus aliis orientalibus, eo tempore abrogatam fuisse publicam confessionem, ac pœnitentiam, sin minus omnino, saltem magna ex parte, scilicet quantum ad publicam occultorum criminum confessionem, quantum ad certum pœnitendi tempus, ac quantum ad quatuor distinctas stationes *flentium*, *audientium*, *prostratorum*, & *consistentium*; ac pœnitentiæ disciplinam fuisse ad primævum statum redactam; in quo, ut diximus, quædam severæ, & publicæ satisfactiones semper in usu fuerunt. Apud Latinos autem rigor publicæ pœnitentiæ juxta statuta canonum diutius perduravit, ita ut etiam Sæc. XIV. quædam ejusdem vestigia in aliquibus Ecclesiis appareant.

408. Non tamen putandum est, publicam pœnitentiam ita penitus exolevisse, ut in quibusdam casibus restitui non debeat. Synodus enim Trident. quamvis Sess. XIV. cap. 5. definierit, publicam peccatorum confessionem non esse divino præcepto mandatam, immo nec satis consulte humana aliqua lege præcipiendam, Sess. tamen XXIV. cap. 8. *De reformat.* ita statuit: „ Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. „ Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde „ alios scandalo offensos, commotosque fuisse non „ sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ „ pœnitentiam publice injungi oportet &c. (*b*)".

CAPUT X.

De Indulgentiis.

ARTICULUS I.

Proponitur, & defenditur Ecclesiæ dogma.

409. *Indulgentiæ* nomen non in sensu grammaticali hic sumitur, scilicet pro lenitate, ac facilitate animi, qua quis aliquid impune fieri indulget, atque permittit, & plerumque sumitur in malam partem (*c*); sed pro remissione pœnæ juste alicui debitæ: quo sensu etiam ab Ecclesia ado-

(*a*) Dolent eruditi, periisse illum librum *pœnitentialem*, quem a seipso conscriptum memorat Sanctus Cyprianus epist. LII. ad Antonianum. Nonnulli tamen alii servati sunt. Unum Romanum valde antiquum adtexuit Ant. Augustinus ad suam *Epitomen juris canonici*. Idem doctissimus Augustinus a multis mendis purgavit canones pœnitentiales, qui habentur post *Decretum* Gratiani in editione Romana. Alios antiquos libros pœnitentiales ediderunt Morinus in Append. ad Tract. *De pœnit.*, & Martene Tom. II. *De antiq. Eccles. ritibus*. Duos etiam evulgavit solertissimus Muratorius Tom. V. *Antiq. Ital. medii æv.* Dissert. LXVIII. erutos ex Biblioth. Capituli Veronensis, & Monasterii Bobiensis.

(*b*) Innumeri sunt scriptores, qui hæc sacræ antiquitatis monumenta suis lucubrationibus illustrarunt. Tyronum utilitati admodum inservient, quæ viri doctissimi, Nat. Alexander in sæc. IV. Dissert. VI., & seq., Jo: Morinus in Commentar. Histor. *De Sacram. pœnitent.* Lib. IV. & seq., Chardon *Storia de' Sacramenti* Tom. II. copiose disseruerunt, præter Sirmondum in *Hist. pœnit. publicæ*, Petitum in notis *ad Pœnitentiarium Theodori*, Petavium, Albaspinæum, Martenium, Thomassinum, Witassium, Tournelium &c. &c.

(*c*) Ut a Quintiliano Lib. I. *Institut.* dicente: *Mollis illa educatio, quam nos indulgentiam vocamus, nervos omnes mentis, & corporis frangit*. Et Tullius Lib. XII. epist. ad Atticum ait, *filium patris indulgentia depravari*. Plura inveniri poterunt apud Card. Bellarminum Lib. I. *De Indulgentiis* cap. 1., ubi etiam

doptatum fuit hoc nomen *indulgentiæ* ad significandam remissionem tum pœnitentiæ canonicæ in foro Ecclesiæ, tum etiam pœnæ temporalis, quam Deus juste a peccatoribus exigit, & cujus relaxandæ facultatem Ecclesiæ dedit potestate clavium. Hæc autem *indulgentia* fuit ab antiquis designata variis nominibus *pacis*, *remissionis*, *donationis*, seu *condonationis*. Ipsum tamen *indulgentiæ* vocabulum invenitur apud S. Pacianum Epist. 3. contra Novatianos, & adhuc antiquitus temporibus S. Cypriani; & modo commune factum est, ut hæc pœnarum *remissio* non alio, quam *indulgentiæ* nomine appelletur. Sed hæc obiter de nomine; nunc de re ipsa.

410. Porro variæ circumferuntur *indulgentiæ* definitiones; sed hæc nobis placet tradita ab Eusebio Amort Canonico Lateran. in copiosissimo suo Tract. *De indulgentiis* Clementi XII. dicato, ac Romæ probato, quod sit *Remissio pœnæ adhuc post absolutionem Sacramentalem peccatis debitæ, in foro interno coram Deo valida, facta per applicationem thesauri Ecclesiæ a Superiore legitimo*. *Primo* enim supponitur, quod supra cap. IX. probatum est, remissa culpa, & pœna æterna per sacerdotalem absolutionem, adhuc superesse pœnas temporales congrua satisfactione persolvendas; indulgentia ergo est harum temporalium pœnarum remissio. *Secundo* additur, hanc remissionem concedi *post absolutionem Sacramentalem*, neque enim per indulgentias remittitur culpa, quæ per Sacramentum pœnitentiæ jam deleta supponitur. *Tertio* dicitur illa remissio *in foro interno coram Deo valida*, ad excludendam falsam hæreticorum interpretationem, quod Ecclesia non possit condonare nisi illas *Canonicas* pœnitentias, quæ in foro externo ab ipsa sunt constitutæ. *Quarto* subditur, hanc remissionem fieri *per applicationem thesauri Ecclesiæ*, scilicet meritorum Christi, & Sanctorum, ut proinde indulgentia importet debitam Divinæ justitiæ satisfactionem applicatione hujus thesauri. *Demum* requiritur legitima superioris auctoritas, quæ non residet, nisi apud summos Pontifices, & apud Episcopos in suis Diœcesibus. Vix dici potest, quantum Heterodoxi contra hoc tam proficuum Ecclesiæ dogma deblaterent (*a*). Contra eos sit

PROPOSITIO.

Est in Ecclesia potestas concedendi pœnitentibus indulgentias ad remissionem pœnæ peccatis debitæ, etiam coram Deo; ejusque potestatis usus fidelibus est admodum salutaris.

411. Ita contra Novatores definivit Concilium Trid. Sess. XXV. in Decreto de indulgentiis his verbis: „ Cum potestas conferendi indulgentias a „ Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi „ potestate divinitus sibi tradita antiquissimis e„ tiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Sy„ nodus indulgentiarum usum Christiano populo „ maxime salutarem, & sacr. Conciliorum aucto„ ri-

eos enumerat, qui ejus ætate ex cœtu Catholicorum hanc amplissimam materiam tractaverant. Multi alii postea accesserunt, non facile numerandi, quorum tamen aliqui caute legendi sunt; dum enim abusus olim invectos, & qui non omni ex parte eradicari potuerunt, plus æquo exaggerant, damnatos ab Ecclesia errores insinuare possunt. Inter alios vitandum indico libellum gallicum *Traité theologique, dogmatique, & critique des indulgences, & jubilés de l' Eglise Catholique*, decreto Congr. Ind. 22. Febr. 1755. prohibitum, quem tamen miramur, fuisse italico sermone Pistorii an. 1783. impressum, ac postea Tom. XI. *Collectionis Opusc.* iterum evulgatum. Multo autem magis mirandum, atque intime dolendum, hunc librum ab Apostolica Petri Sede damnatum, fuisse in Synodo Pistoriensi ann. 1786. Sess. V. §. XVI. pro Cleri instructione circa Indulgentias propositum.

(*a*) Ut omittamus Waldensium, Wiclefi, Hussitarum, aliorumque errores, quos post Card. Bellarminum recenset P. Theodorus a Spiritu sancto Carmelita excalceatus in accurato *Tractat. Dogmat. morali de Indulgentiis* Romæ edito 1743. Dissert. proœm. §. 6.: & adhuc copiosius P. Eusebius Amort in sua *Notitia Histor. Dogmat. polem., ac critica de Indulg.* P. II. sect. 1., incipiemus a Luthero, qui suæ impiæ defectionis ab Ecclesia Catholica initium sumpsit ab impugnandis Indulgentiis. Anno enim 1517. incœpit contra abusum Quæstorum, & improbas Indulgentiarum nundinationes declamare; sed postea dogma ipsum aperte impugnavit, contendens: *Papam nec velle, nec posse ullas pœnas remittere præter eas, quas arbitrio vel suo, vel canonum imposuit: & thesauros Ecclesiæ non esse merita Christi, & Sanctorum*. Sed vaferrimus hæresiarcha se, suaque omnia judicio Ecclesiæ Romanæ subjicere protestabatur; immo Leoni X. Pontifici maximo ita scribebat: *Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero cum omnibus, quæ sum, & habeo. Vivifica, occide; voca, revoca; approba, reproba, ut placuerit: vocem tuam vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo*. Summus Pontifex Leo X. maxima clementia utens nihil eorum omisit, quibus posset hominem errantem in viam veritatis reducere; sed cum ejusdem pertinaciam in errore plurimis experimentis compertam habuisset, celebrem Bullam emisit, quæ incipit *Exurge Domine* 15. Junii an. 1520., qua 41. Lutheri propositiones, ut *hæreticas*, vel *scandalosas*, vel *piarum aurium offensivas*, vel *falsas*, vel *simplicium mentium seductivas*, prævio S. R. E. Cardinalium, necnon peritissimorum Theologorum, & in jure Pontificio Doctorum examine *respective* damnavit.

Eodem fere tempore indulgentias impugnare apud Helvetios aggressus est Ulricus Zwinglius. Et postea prava utriusque vestigia sequens erupit in Gallia Jo. Calvinus Lib. III. *Instit.* cap. 4. §. 38. vocans Indulgentias *Sanguinis Christi profanationem, satanæque ludibrium*; & cap. 5. §. 2. *quæstuosas nundinationes de animarum salute*. Hos coriphæos sequuntur magno consensu heterodoxi; &, quod stupendum est, cum ipsi omnem pœnitentiam explodant, Ecclesiæ irascuntur, quod per indulgentias ejusdem pœnitentiæ partes condonet.

„ ritate probatum, in Ecclesia retinendum esse „ docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, „ qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. " Idipsum fuerat in Concilio Constantin. definitum, damnata impia illa Jo. Wiclefi propositione: *Fatuum est credere indulgentiis Papæ, & Episcoporum*. Unde postea Martinus V. in sua Bulla eos, qui de hæresi suspecti essent, interrogari jussit, an credant, *quod Papa omnibus Christianis vere contritis, & confessis ex causa pia, & justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum?* Etiam Leo X. in sua Bulla *Exurge Domine* anno 1520. nonnullos Lutheri errores circa indulgentias apostolica censura notavit, ut mox diximus.

412. Prima hujus sanctissimæ nostræ religionis dogmatis pars prob. *primo* ex potestate clavium Petro, ceterisque Apostolis concessa Matth. XXI. & XVII., item Jo. XX. Cum enim Christus Ecclesiæ dederit potestatem ligandi pœnitentes, iis opera satisfactoria imponendo, ita etiam eidem Ecclesiæ contulit potestatem solvendi, hoc est imposita, vel imponenda opera satisfactoria justis de causis relaxandi (*a*).

413. Prob. *secundo*. Illa potestas, qua perpetuo Ecclesia usa est, nonnisi divinitus illi tradita esse potuit; at vero Ecclesia hac potestate relaxandi pœnas peccatis debitas perpetuo usa est, quod his monumentis ostenditur. *Primo* Apostolus, qui epist. 2. ad Corinth. V. infelicem illum talis fornicationis reum, *qualis nec inter gentes auditur*, tradiderat satanæ *in interitum carnis*, ut nempe corpore vexaretur a dæmone; postea in altera epist. cap. II. ipsum consolandum esse præcipit, *ne forte abundantiori tristitia absorberetur*, ac subdit: *Cui autem aliquid donastis* (seu potius *donatis* χαρίζεσθε), *& ego; nam & ego quod donavi; si quid donavi, propter vos in persona Christi*. Quorum verborum non alius esse potest sensus, quam Paulum commiseratione motum, tempus pœnitentiæ, vel si placet, separationis ab Ecclesia, quam tanti criminis reus merebatur, per *indulgentiam* abbreviasse, ne abundantiori tristitia absorberetur. Ita hunc locum intellexerunt Chrysostomus, Theophilactus, Theodoretus, & Œcumenius; ex latinis autem Sanctus Pacianus Barcinonensis Episcopus epist. 3., & Sanctus Ambrosius *De pœnit.* cap. 6. & ult.

414. Neque obest, quod quidam observant, hic non agi de pœnitentia, quæ per *indulgentiam* relaxatur, sed de excommunicatione, qua infelix ille Corinthius fuerat ab Ecclesia pulsus, & satanæ traditus, postea Ecclesiæ restitutus. Non inquam id obest; hoc enim etiam dato, vera Apostoli *indulgentia* fuit, quod citius ad fidelium consortium revocaretur, quam grande illius crimen merebatur. *Deinde* Chrysostomus aperte illum locum de pœnitentia incestuoso illi imposita intellexit; Chrysostomum autem multi alii, tam Græci, quam Latini Patres secuti sunt; quod ad nostri dogmatis probationem sufficit.

415. *Præterea* nemo ignorat antiquam illam consuetudinem, ut lapsi, cum nondum statutum pœnitentiæ tempus absolvissent, ad Martyres in carceribus detentos confugerent, quorum intercessione condonationem reliqui temporis pœnitentiæ impetrabant. Hanc consuetudinem laudabat Tertullianus, quando adhuc orthodoxus erat, in Lib. *Ad martyres* cap. 1., culpabat autem Montanista jam factus in Lib. *De pudicitia* cap. ult., quasi indulgentiarum usus esset ecclesiasticæ disciplinæ relaxatio. De hoc veteris Ecclesiæ more aliqua leguntur, apud Eusebium Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 1., ubi agit de Martyribus Alexandrinis. Sed præ omnibus audiendus S. Cyprianus, qui hanc erga lapsos misericordiam approbabat quidem, sed nimium ejusdem abusum reprehendebat. Plura habet in Epist. XI. edit. Pamelii ita Martyres alloquens: „ Oro vos, quibus possum precibus, ut E„ vangelii memores, & considerantes, quæ, & „ qualia in præteritum antecessores vestri Marty„ res concesserint, quam solliciti in omnibus fue„ rint, vos quoque sollicite, & caute petentium „ desideria ponderetis, utpote amici Domini, & „ cum illo postmodum judicaturi, inspiciatis & „ actum, & opera, & merita singulorum, ipso„ rum quoque delictorum genera, & qualitates „ cogitetis, ne si quid abrupte, & indigne vel a „ vobis promissum, vel a vobis factum fuerit, a„ pud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra eru„ bescere incipiat. " Atque ita prosequitur morem invectum, ut qui in carceribus pro Christi fide ad martyrium destinati erant, pro lapsis misericordiam, & pacem peterent, minime condemnans, moderationem tamen, & circumspectionem adhiberi cupiens, ne nimia indulgentia rigor disciplinæ solveretur. Cypriani misericordiam, justo rigore temperatam, approbavit Clerus Romanus in Epist. ad Cyprianum.

416. Postea vero cessante persecutione lapsorum causa accuratiori examini subjecta fuit; habito Episcoporum Concilio, in quo, ut inquit ipse Cyprianus Epist. LII. ad Antonianum, *Scripturis diu ex utraque parte prolatis temperamentum salubri moderatione libratum fuit, ut nec in totum spes communicationis, & pacis lapsis denegaretur ..... nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent*. Addit insuper, Romam super hac re scri-

ptum

(*a*) Ad hæc non videntur attendisse pauci quidam Theologi, qui ex sacris litteris potestatem concedendi indulgentias erui non posse existimarunt. Alphonsus de Castro Lib. VIII. *adv. hæret.* incaute id scripsit, nec propterea indulgentiarum dogma negavit, ut quibusdam visum est.

ptum fuisse ad Cornelium Papam, qui & *ipse cum plurimis Coepiscopis habito Concilio, in eamdem sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit*. Ac concludit, talem moderationem fuisse constitutam, *unde non tantum indulgentiam, sed & coronam lapsus acciperet*. Quis hic non videat illum indulgentiarum usum, qui postea in Ecclesia perpetuus fuit?

417. Sequentibus enim temporibus eadem disciplina servata est. Nam in Concilio Nicæno statutum fuit can. 11., ut de iis, qui ferventiores fuerint in pœnitentia peragenda, *liceat Episcopo aliquid humanius cogitare*; nempe aliquid de consueto rigore relaxando. Idemque statutum fuerat can. 4. in Concilio Ancyrano, paulo ante Nicænum celebrato, scilicet anno 314. ubi dicitur: „ Episcopum hanc habere licentiam oportet ..... ut „ humanius agens, secundum vitæ modum tempus alicui pœnitentiæ breve, aut etiam prolixius, quod correctioni necessarium videri, addat ". Idemque postea servatum fuit in pluribus Conciliis sequentibus, usque ad sæc. XI. & XII., in quibus multo major indulgentiarum copia iis concessa fuit, qui in bello contra infideles sacræ militiæ nomen darent; scilicet ab Urbano II. in Concilio Claromontano an. 1095., a Calixto II. in Concilio Later. I. anno 1123., ab Eugenio III. an. 1144., & ab Innocentio III. in Concilio Lateran. IV. anno 1215., nempe consideratis expensis, laboribus, longis itineribus, periculis, creditum est, posse, ac debere copiosius indulgentiarum beneficium pro causa tam justa, & pia crucesignatis liberaliter concedi. Concessæ autem postea fuere aliis de causis non tam gravibus, sed tamen piis, nimirum iis, qui pro ædificatione alicujus templi, pro sternendis publicis viis, pro pontibus construendis, aliisque similibus operibus certam pecuniæ summam obtulissent (*a*).

418. Ex his paucis pronum est colligere, potestatem conferendi indulgentias semper in Ecclesia Christi viguisse, ita ut nulla ipsius origo inveniri possit, nisi Apostolica; cum ab opposito facile nos possimus illos nominare, qui diversis temporibus contra indulgentias insurrexerunt, (*b*) usque ad Patrum, avorumque nostrorum ætatem, in qua Novatores omnem moverunt lapidem, ut hoc saluberrimum culparum nostrarum remedium de medio tollerent. Sed qui Novatores? Illi fortasse, qui rigidi zelatores cuperunt antiquos pœnitentiales canones restitutos? Absit. Ii ipsi, qui contra jejunia, carnis macerationes, aliaque opera laboriosa declamare non cessant; qui satisfactionem negant esse pœnitentiæ partem; qui omnem pœnam temporalem una cum culpa a Deo remitti comminiscuntur; qui denique generalissimam indulgentiam omnibus pœnitentibus sine ulla distinctione falso promittunt. Quis tantam suis ipsorum principiis repugnantiam suspicatus unquam fuisset? Sed id ὡς ἐν παρόδῳ. Nunc iterum ad dogma Ecclesiæ.

419. Prob. itaque altera proposit. pars, scilicet valere indulgentias etiam ad minuendas pœnas peccatis nostris debitas coram Deo. Ut enim sapienter S. Thomas advertit in *Supplem.* quæst. 25. art. 1., „ Christus Dominus expresse promisit Petro, Matth. XVI., ut quod in terra remitteret, „ in cœlo remitteretur. Unde remissio, quæ fit „ quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, absolvendo a „ pœnitentiis injunctis. Et ideo dicendum, quod „ valent & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & confessionem, & absolutionem, sive sit injuncta, sive non (*c*) ". Hæc ratio magis confirmatur ex definitione Concilii Trident. supra allata, quod *indulgentiarum usus Christiano populo sit maxime salutaris*.

420. *Accedit* exemplum Apostoli, qui ut supra num. 413. ostendimus, incestuoso Corinthio indulgentiam concessit *in persona Christi*, qui ut idem Apostolus inquit Hebr. IX. 11., est *Pontifex futurorum bonorum*; unde intelligimus, eam indulgentiam valuisse ad relaxandam pœnitentiam, non solum hujus sæculi, sed etiam futuri, hoc est etiam

(*a*) Bene notavit S. Thomas in *Supplem.* quæst. 25. art. 3., *quod temporalia ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia debemus uti temporalibus. Et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, sicut est repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant; sicut constructio Ecclesiarum, & pontium, & aliarum eleemosynarum largitio*.

(*b*) Mart. Kemnitius in IV. P. *Exam. Conc. Trid.* fatetur originem indulgentiarum non satis ex historia colligi posse. Debuisset ex hoc ipso ab Apostolis ejusdem initium repetere.

(*c*) Ibi S. Doctor eos confutat, qui dicebant, indulgentias *non valere ad absolvendum a reatu pœnæ quam quis in Purgatorio secundum judicium Dei meretur; sed valere ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex canonum statutis*. Hanc ab Angelico confutatam opinionem suscitarunt moderni aliqui sacrorum Ecclesiæ usuum intemperantes censores, ut auctor supra memoratus proscripti Tractatus *De indulgentiis* pag. n. 61. seq.; quem ut magistrum secuta memorata superius Pistoriensis Synodus falso, & erronee definivit, *indulgentia in sua præcisa notione non esse aliud, quam remissionem partis pœnitentiæ a canonibus statutæ*. Ut autem notat Bellarminus Lib. I. *De Indulg.* cap. 7., hæc eadem fuit opinio Lutheri, Calvini, aliorumque Sectariorum, negantium, indulgentiis tolli reatum coram Deo. A Leone X. inter alios Lutheri articulos ille damnatus fuit, qui dicebat: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud justitiam divinam*.

tiam coram Deo. Atque hæc Apostoli verba ita intellexerunt inter alios S. Pacianus in Epist. 3., & S. Ambrosius Lib. I. *De pœnit.* cap. 6., ut jam monuimus.

421. *Postremo*, ut recte ratiocinatur Estius in IV. Dist. XX. §. 3., „ certum hujus rei argumentum sumitur ex consuetudine, quæ nunc per „ totam Ecclesiam servatur. Non enim hodie per „ indulgentias aliquid minuitur de pœnitentia per „ Sacerdotem injuncta, quemadmodum olim fiebat, sed de pœnitentia, quæ secundum antiquos canones, & exactum disciplinæ rigorem „ injungi deberet ...... Cum igitur hoc pacto per „ indulgentias nihil tollatur de pœna præsentis sæculi, consequens est, aut omnino inanes eas esse, ut hæretici calumniantur, aut utiles esse ad „ evadendas Purgatorii pœnas &c. " Atque ex his apparet, jure fuisse a Synodo Trid. anathemate eos damnatos, qui Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias eripere volebant, quemadmodum & eos, qui easdem indulgentias *inutiles esse asserunt*. Vid. supra n. 411.

422. Ob. *primo*. Deus Deuter. XXV. 2. *Pro mensura peccati*, inquit, *erit & plagarum modus*, nulla relicta Synagogæ indulgendi facultate. Cum ergo, ut supra probavimus num. 365. remissa culpa, & pœna æterna, Deus temporales pœnas a peccatoribus exigat, nulla erit in Ecclesia potestas easdem pœnas minuendi, aut remittendi. Id luculenter ostendit exemplum Davidis, qui nullis corporis afflictionibus, nullisque precibus pœnæ a Deo inflictæ mortis filii remissionem impetrare potuit.

423. Resp., multo ampliorem potestatem fuisse Apostolis, eorumque successoribus a Jesu Christo concessam, quam habuerint veteris Synagogæ Sacerdotes. Etenim sine ulla restrictione eis dixit Matth. XVIII. 18. *Quæcumque solveritis*, &c., & Jo. XX. 23. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Præterea, ut docet S. Thomas in *Supplem.* quæst. 25. art. 1. ad 2., *ille, qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito pœnæ, sed datur ei, unde debitum solvat;* scilicet ex thesauro Ecclesiæ, de quo postea. Est etiam observandum, per indulgentias nos non liberari a quibusdam pœnis extraordinariis, cujusmodi fuit mors filii David, quam Deus multis ejusdem Davidis precibus, jejuniis, aliisque pœnitentiis inexorabilis relaxare noluit, sed solum a pœnis ordinariis, quas pro nostris culpis vel hic, vel in Purgatorio solvere deberemus.

424. Inst. *primo*. Potestas collata Ecclesiæ ligandi, vel solvendi exerceri non potest, nisi per Sacramenta. Nam solus Christus *potestate excellentiæ* potuit gratiam Sacramentalem sine Sacramentis conferre: indulgentiæ autem conceduntur extra Sacramentum pœnitentiæ; ergo quæ clavium potestas Ecclesiæ data, non potest ad indulgentias extendi. Sane, nobis ipsis fatentibus, hæc solvendi potestas, quamvis amplissima, non se extendit ad pœnas æternas: ergo neque ad alias temporarias.

425. Resp., majorem esse veram de potestate remittendi culpam, & pœnam æternam, quæ non nisi per Sacramentum pœnitentiæ exerceri potest. Sed quemadmodum potestatem amplissimam Ecclesia habet ligandi per excommunicationem, aliasque censuras, tum etiam per impositionem pœnitentiarum, quæ potestas exercetur extra Sacramentum, ita quoque potestatem recepit, easdem canonicas pœnas, ac pœnitentias relaxandi: eoque magis, quia, ut loquitur Angelicus mox laud. *faciens indulgentias pœnam pro eo, quam debuit, solvit de bonis Ecclesiæ communibus*. Pœnæ autem æternæ, jam in absolutione Sacramentali remissæ sunt; nec indulgentiæ conceduntur, nisi contritis.

426. Inst. *secundo*. Potestas clavium ministris Ecclesiæ non est tradita in destructionem, sed in ædificationem; at vero indulgentiarum usus tollit satisfactionem, quæ ad nostram utilitatem, & ad remedium instituta est: ergo &c.

427. Respondet Angelicus ibid. ad 4., „ quod „ majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum „ operum. Et quia ex affectu, quem accipiens „ indulgentiam concipit ad causam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur; ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur: & ideo non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate dentur. Tamen „ consulendum est eis, qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ „ conjunctis abstineant, ut etiam ex his remedium „ consequantur, quamvis a debito pœnæ essent „ immunes; & præcipue quia quandoque sunt „ plurium debitores, quam credant (a) ".

428. Inst. *tertio*. Posita, quam nos credimus, indulgentiarum virtute, facillima, & promptissima esset magnis etiam peccatoribus æternæ felicitatis consecutio, contra id, quod sacræ litteræ nobis sæpius inculcant, unde sequitur virtutis pœnitentiæ enervatio, ac pœnæ abolitio.

429.

(a) Etiam referri meretur alia ejusdem Angelici doctrina art. 2. ad 1., ubi agens de vi clavium inquit: *Clavis est duplex, scilicet ordinis, & jurisdictionis. Clavis ordinis Sacramentale quoddam est; & quia Sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed a Deo, ideo non potest taxare Sacerdos, quantum per clavem ordinis in foro confessionis de pœna debita dimittatur; sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit. Sed clavis jurisdictionis non est quid Sacramentale, & effectus ejus arbitrio humano subjacet. Et hujusmodi clavis effectus est remissio, quæ est per indulgentias, cum non pertineat ad dispensationem Sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiæ. Et ideo etiam Legati non Sacerdotes indulgentias facere possunt.*

429. Respondet S. Thomas art. 2. ad 2. laud. quæst. 25.; *quod quamvis hujusmodi indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmii essentialis; quod in infinitum melius est, quam dimissio pœnæ temporalis* (*a*). *Ulterius* sacra Trid. Synodus in decreto supra laud. postquam eos damnasset, qui indulgentias *aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*, ita subdit: *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.* Quod ipsum provide cautum fuerat ab Innocentio III. in Concilio Lateran. IV. Can. 62.

430. Ob. *secundo*. Hæc de indulgentiis potestas, quæ Ecclesiæ a Christo tradita creditur, innumeris abusibus latissimam portam aperuit. Nam *primo* aliquæ occurrunt indulgentiæ, quibus conceditur absolutio *a pœna, & a culpa*. *Secundo* non paucæ enumerantur indulgentiæ concessæ levissimis de causis, quas propterea Gerson in Opusc. *De absolut. Sacrament. fatuas, & superstitiosas* appellabat. *Tertio* quædam reperiuntur indulgentiæ copiosissimæ pro levissimis, ac brevissimis pietatis operibus, ex. gr. pro recitatione aliquot precum, vel pro exiguis eleemosynis (*b*).

431. Resp., recensitos abusus, si etiam veri essent (partim enim falsi sunt, partim admodum exaggerati) ne minimum quidem veritatem nostri dogmatis labefactare posse, quæ non istis abusibus, sed firmissimis verbis Dei, & scripti & traditi fundamentis, ac perpetuæ Ecclesiæ praxi innititur, ut supra ostensum est. Sed breviter expendamus singula.

432. Ad *primum* respondet Benedictus XIV. Lib. XIII. *De Synodo* cap. 18. n. 7., „ *hujusmodi formulam tribui præteritorum sæculorum Quæstoribus*, quos licet affirmare veros fuisse auctores tempestatum, quas Ecclesia propter indulgentiarum causam perpessa est. Clemens V. Pontifex in *Clement.* 2. *de pœnit. & remiss.* loquens de hujusmodi Quæstoribus, deque publicationibus indulgentiarum, quæ per ipsos fiebant, eos dicit solitos fuisse hac formula uti, *a pœna, & a culpa, ut eorum verbis utamur*, quo satis ostendit Pontifex, incongruum omnino esse hujusmodi modum .... Et revera Card. Cusanus Apost. Sedis per Germaniam Legatus fidenter asseruit, Apost. Sedem nunquam consuevisse indulgentias impertiri hac adhibita phrasi .... Non ignoramus, aliquos extare Theologos contendentes, per indulgentias tolli posse peccata venialia, etiam quoad culpam; at simul novimus, valde dubiam esse hujusmodi sententiam, eamque minime cohærere sanioribus Theologiæ principiis .... Si quæ autem reperiantur indulgentiæ, in quibus remissio quartæ, exempli gratia, vel septimæ partis peccatorum venialium concedi dicatur, accipiendum id est de remissione temporalis pœnæ, quam quis propter eum criminum numerum promeritus fuerit, non ante tamen obtinenda, quam post obtentam remissionem culpæ iis modis, atque rationibus, quibus juxta Christi Domini præscriptum a peccatorum reatibus expiamur ". Hactenus

(*a*) Attendenda non est laxa quorumdam Moralistarum doctrina, qui salutarem indulgentiarum usum plus æquo extenderunt, & prædicarunt, non sine magno detrimento virtutis pœnitentiæ, necnon severæ illius disciplinæ, quam Synodus Trid. Sess. XIV. cap. 8. magnopere Confessariis commendavit (Vid. sup. n. 386.) qua de re legendum consulo libellum D. Virginii Valsecchi Congr. Cassinensis Florentiæ editum ann. 1734. *Delle indulgenze, e delle disposizioni per conseguirle*, tum alium ante paucos annos Romæ, & alibi impressum *De indulgentiis, &c.* auctore Nicolao Giunchi, seu potius celebri Vinc. Patuzzi, ubi requisitas ad eas recipiendas dispositiones explicat, & solidissimis fundamentis confirmat. Gregorius VII. concedens Episcopo Lincolniensi indulgentiam, quam postulabat: *Si tamen*, inquit, *bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum volueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris &c.* Quæ verba perpendens Vener. Card. Baronius ad an. 1073. n. 71. hæc habet notatu digna: *Ex quibus apparet, Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.* His addo gravissimam amplissimi, ac doctissimi Card. atque Archiepiscopi nostri D. Andreæ Joannetti auctoritatem, qui in sua Synodo 1788. celebrata pag. 65. *Parochi*, inquit, *& Concionatores in hoc insistant, ut populus ita indulgentiarum amore teneatur, ut dignos pœnitentiæ fructus facere non prætermittat. Non enim desidibus, & dormientibus, & voluptuosis divinæ misericordiæ munera impertiuntur, sed fervidis, & vigilantibus, & crucem Christi libenter ferentibus.*

(*b*) Hæc & alia exaggerantur, immo plura per calumniam plane effinguntur, nedum a Protestantibus, sed etiam a morosis quibusdam criticis S. R. Ecclesiæ osoribus; ut in sup. memorato Tract. *De Indulgentiis*, ubi pag. m. 99. sine ullo fundamento dicitur, Augustinianis Patavinis fuisse concessam plenariam indulgentiam a baptismo usque ad postremam confessionem, & ulterius 28. millium annorum in Posterum; ab Alexandro VI. 30. millium annorum recitatione unius *Ave Maria* ante aram Beatiss. Mariæ Virginis; a Bonifacio VIII. 80. millium ann. iis, qui recitant orationem S. Augustini, quam confirmasse dicunt Benedictum XI. Ord. Præd.; ac denique Alexandri III., qui populo Anconitano pro omnibus primis Dominicis cujusvis mensis tot indulgentias concessit, quot grana arenæ in duabus suis manibus continerentur; quod ridiculum, & commentitium plane esse evincit Baronius ad ann. 1177. num. 49. Sed jam piget prosequi hujusmodi ineptissimas fabulas. Tempus etiam frustra terit auctor anonymus ejusdem Tract. *De Indulg.*, dum multas colligit indulgentias, quæ levissimis de causis concessæ leguntur in quibusdam parvis libellis, qui nullius sunt auctoritatis; & quarum pleræque a Sacra Congregatione Indulg. *apocryphæ* declaratæ fuere.

nus sapientissimus Benedictus, unde postea ita concludit: „ Si quæ reperiatur indulgentia superius „ allatis verbis, seu formulis expressa, prudens „ Episcopus satis justam sibi esse arbitrabitur „ causam habendi suspectam illius concessionem. „ Si vero exhibitum concessionis monumentum agnoverit authenticum esse, quod non ita facile „ contigerit, poterit illud congrua interpretatione „ declarare ".

453. *Secundum* solvit S. Thomas laud. quæst. 25. art. 2., inquiens: „ Causa remissionis pœnæ „ in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ se habet sufficienter ad totam pœnam expiandam: non autem causa remissionis effectiva est vel devotio, vel labor, „ vel datum recipientis indulgentiam, aut causa, „ pro qua datur indulgentia. Unde non oportet „ ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper „ superabundant. " Concludit autem, indulgentias tantum valere, quantum prædicantur, *dummodo ex parte dantis sit auctoritas, & ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem*. Addit demum in resp. ad 1., Prælatum peccare *si inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur*. Estius tamen in IV. *Sent.* Dist. XX. §. 10. probabilius esse dicit, ad indulgentiarum valorem requiri causam proportionatam, tam ex parte conferentis, quam ex parte suscipientis, ita ut opus commensuretur indulgentiæ; ac pro hac sententia multos, gravesque citat auctores. Verum hoc Theologorum dissidium nihil obest Catholico dogmati &c., quod solum tuendum suscepimus.

454. Ad *tertium* respondet noster Dominicus Soto in IV. Dist. XXI. quæst. 2. art. 1., „ quod hujusmodi portenta nunquam Papa concedere cogitat, sed quia forsan concessit visitantibus tale „ hospitale decem annos, & visitantibus talem basilicam totidem, & sic pluries, & tandem certam conferentes eleemosynam facit participes illarum gratiarum, illa ratione conficiuntur illa „ milliaria. " Antea tamen idem præstantissimus Hispanus Theologus sapienter notaverat, quod „ posset homo commisisse centum, immo bis centum peccata mortalia, pro quibus reus esset tot „ annorum pœnitentiæ. Et quamvis homo tantum „ vivere nequeat, nec decimam partem illius pœnitentiæ facere in hoc sæculo, nihilominus in „ Purgatorio secundum æqualitatem justitiæ exigenda est illa pœna, quæ illis omnibus annis „ responderet. " Ex qua doctrina apparet, non esse ridiculas, nec absurdas indulgentias centum, vel mille annorum. Quanquam necesse non est, nos in has angustias redigi, cum facilius, & verius, illæ indulgentiæ possint inter multas alias numerari, quæ a Romanis Pontificibus seu immediate per se, seu de Congregationum consilio, tamquam *apocryphæ* proscriptæ fuerunt, ut testatur supralaud. Benedictus XIV. n. 5.

455. Denique quantum sit, semperque fuerit Ecclesiæ desiderium, atque studium, hos, aliosque omnes abusus tollendi, ac præcavendi, ostendit sancta Synodus Trid. ita decernens: „ Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis „ blasphematur, emendatos, & correctos cupiens, „ præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima „ in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde, quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum, & provinciarum, apud quas „ hi committuntur, corruptelas, commode nequeant „ specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo „ Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cognita, statim ad summum „ Rom. Pontificem deferantur, cujus auctoritate, „ & prudentia, quod universali Ecclesiæ expedit, „ statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur. " Qua in re non satis laudare possumus providam eminentissimi Card., atque Archiepiscopi nostri D. Andreæ Joannetti curam, qui in sua Synodo an. 1788. pag. 65. seq. ad normam laud. mox Synodi Trid. decreti in eliminandis abusibus, qui indulgentiarum nomine irrepere consueverunt, diligentissimam operam posuit, severasque pœnas comminatus est, præcipue iis *nebulonibus, improbisque hominibus, qui indulgentias jactitant, certis numismatibus, imaginibus, aut oratiunculis adnexas, & verba dant credulis, ut quæstum faciant* (a). De superstitionibus, quibus indulgentiarum abusus locum dare possunt, vid. Jo. Bapt. Thiers *Traité des superstitions &c.* Tom. 4. cap. 1.

AR-

(a) Summus Pontifex Benedictus XIV. Lib. XIII. *De Syn. Diœc.* cap. 18. n. 2. prudentissime metuens, ne Christifideles, detecta indulgentiarum insubsistentia, turbentur, offendantur, indeque occasionem arripiant obloquendi in eos, qui ecclesiastici regiminis veluti habenas moderantur, Episcopos monet, ut si quas repererint indulgentias, quæ dubiæ fidei sibi videantur, non negligant easdem recensere in relatione status suæ Ecclesiæ; quod cum ipsi præstiterint, onus erit Congregationis Concilii hujusce rei notionem remittere ad alteram Congregationem Indulgentiarum, cui Clemens IX. Pontifex auctoritatem tribuit, *falsas, apocryphas, indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, & examinandi, ac, ubi nobis, seu Rom. Pontifici pro tempore existenti, retulerit, nostra, seu illius auctoritate rejiciendi*. Ita immortalis Benedictus; cujus summam prudentiam imitari debuisset postrema Synodus Pistoriensis an. 1786., quæ non

ARTICULUS II.

Defenditur thesaurus Ecclesiæ, qui in concessione indulgentiarum applicari solet (*a*).

456. Synodus Trid. nihil aliud de indulgentiis definivit, nisi facultatem esse in Ecclesia eas concedendi, earumque usum salutarem esse sup. num. 411. Theologi tamen Catholici communi calculo hunc Ecclesiæ thesaurum, tamquam indulgentiarum fontem, ac fundamentum agnoscunt; præcipue postquam Clemens VI. in sua Constit. *Unigenitus* ita declaravit: „ Unigenitus Dei Filius ... „ thesaurum Ecclesiæ militanti acquisivit, volens „ suis thesaurizare filiis pius Pater ... Ad cujus „ quidem thesauri cumulum beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum a primo justo usque „ ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur. " Item Leo X. in Decretali, quam ad se missam refert Card. Cajetanus in 3. P. quæst. 48. art. 5. testatur, doctrinam Rom. Ecclesiæ, *quam reliquæ tamquam matrem sequi tenentur*, esse, Rom. Pontificem „ posse pro rationabilibus „ causis concedere Christifidelibus, qui charitate „ jungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum; „ & tam pro vivis, quam pro defunctis Apostolica auctoritate indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Jesu Christi, & Sanctorum „ dispensare, & per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse ... Et ita ab omnibus teneri, & prædicari debere sub excommunicationis latæ sententiæ pœna &c. " Romani insuper Pontifices Pius V., & Gregorius XIII. illam Baji propositionem damnarunt num. 60. „ Per passiones Sanctorum indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed „ per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio „ Sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis „ liberemur. "

457. S. Thomas in *Supplem.* quæst. 25. art. 1. probat, indulgentias valere *quantum ad judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & confessionem, & absolutionem* hac ratione ex thesauro Ecclesiæ deprompta, inquiens: „ Ratio autem, quare valere possint, est unitas „ corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, & multas etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur; „ quorum meritorum tanta est copia, quod omnem „ pœnam debitam nunc viventibus excedunt: & „ præcipue propter meritum Christi, quod etsi in „ Sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus „ in Sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam Sacramentorum. Dictum est autem quæst. 63. art. 2., quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non „ determinate pro isto, qui remissione indiget, „ hujusmodi opera fecerunt (alias absque omni „ indulgentia consequeretur remissionem), sed „ communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus „ ait, se *adimplere ea, quæ desunt passionum* „ *Christi in corpore suo pro Ecclesia*, ad quam „ scribit Coloss. I. Et sic prædicta merita sunt „ communia totius Ecclesiæ. Ea autem, quæ sunt „ alicujus multitudinis communia, distribuuntur „ singulis de multitudine, secundum arbitrium „ ejus, qui multitudini præest. Unde sicut aliquis „ consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro „ eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi per „ eum, qui potest, distribuatur (*b*). "

458. His verbis Angelicus ea omnia complexus est, quæ Clemens VI., & Doctores scholastici attulerunt, ad declarandam, confirmandamque Ecclesiæ potestatem applicandi fidelibus per indulgentias de inexhausto meritorum Christi, & Sancto-

cto-

sine magno fidelium scandalo indiscriminatim omnes indulgentiarum tabellas ab Ecclesiis auferri jussit, quousque novum Rituale ab Episcopo in alia Synodo statueretur; quod tamen ne fieret, publico Ecclesiæ illius bono Deus Opt. Max. impedivit.

(*a*) Hæretici supra ad n. 410. memorati contra hunc Ecclesiæ thesaurum magis quam contra indulgentias debacchantur. Lutherus ita passim blasphemabat: *Merita Christi, & Sanctorum esse thesaurum indulgentiarum, nemo, nisi fœdus adulator, extravagantes a veritate, & fictæ quædam Ecclesiæ praxes, aut usus somniant*. Calvinus autem Lib. III. *Instit.* cap. 5. num. 2. omnem contra hunc Ecclesiæ thesaurum suam bilem evomit, eum vocans *profanationem sanguinis Christri, & satanæ ludibrium*. Magistrorum suorum proterviam omnes Sectarii fideliter imitantur: sed quod magis dolet, non multum ab hujusmodi phrasibus abludit nuperrima Synodus Pistoriensis his verbis: *Gli Scolastici ..... gonfj delle loro sottigliezze inventarono quello strano tesoro male inteso dei meriti di Cristo, e dei Santi, e sostituirono alla chiara idea di assoluzione dalla pena canonica la confusa, e falsa di applicazione di meriti*. Quamquam vero concederetur, mentionem *thesauri Ecclesiæ* non inveniri ante Scholasticorum ævum, quod Morinus asserit Lib. X. *de Pœnit.* cap. 21., non tamen licet *communem* Scholasticorum doctrinam adeo parvipendere, præcipue quia, ut ibidem Morinus notat, a toto illorum choro nonnisi unus excipiendus est Franc. Mayronis in IV. Dist. 19. qu. 2.; *sed rationes* (subdit idem Morinus) *quibus agit in thesaurum illum, non videntur satis catholicæ*. Durandus quidem fuit ejusdem erroris accusatus a Bellarmino, sed ab eodem Morino, aliisque gravibus Theologis defenditur. Ceterum Maldonatus opinionem Mayronis *proxime ad hæresim accedere*, dicit, *De Pœnit.* pag. 370.

(*b*) Jo. Morinus Lib. X. *De Pœnit.* cap. 21. *S. Thomas*, inquit, *de istius thesauri virtute, & efficacia omnium magnificentissime locutus est, adeo ut huic uni thesauro confisus rationes omnes valoris indulgentiarum*

ctorum thesauro quantum necesse foret ad satisfaciendum Deo pro illis pœnis temporalibus, quas remissa culpa ejusdem justitia a nobis exigit; ut nempe *illorum abundantia nostræ inopiæ sit supplementum*, quemadmodum alia occasione Corinthiis dicebat Apostolus 2. Corinth. VIII. 14.

439. Neque obest, hanc vocem *thesauri* fuisse a Scholasticis cusam, cujus nulla invenitur neque in sacris litteris, neque in sanctis Patribus mentio. Non inquam id obest: si enim hæc objectio, quam sæpe ad nauseam usque Novatores repetunt, aliquid valeret, quot, & quanta non solum ex nostris, sed etiam ex ipsis eorum dogmatibus expungenda essent, quæ nonnisi novis inventis vocabulis proponere potuerunt? Novum sit hoc vocabulum; sed nova non est *unitas corporis Christi*, nova non est *Sanctorum communio*, nova non est infinitas meritorum Christi hujus corporis capitis, novus non est cumulus passionum, quas Sancti ultra pœnas eorum peccatis debitas sustinuerunt, præcipue vero beatissima Virgo Maria omnium Sanctorum regina, quæ nullam vel minima habuit culpam luendam, & tamen tot, & tantas pro nobis pœnas toleravit, juxta Simeonis prædictionem: *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*.

440. Ob. *primo* contra thesaurum meritorum Christi Apostolus ad Philipp. II. 8. de Christo ait: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum* &c.: fuit igitur passio Christi ita compensata, ut nihil ex ea superfuerit meriti, in thesauro reponendum. Id quoque testatus est ipse Christus duobus discipulis Lucæ XXIV. 26. dicens: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

441. Resp. cum Card. Bellarmino, distinguendum esse meritum a satisfactione (quod nos etiam observavimus Tom. V. Dissert. IV. num. 118.). Christi passiones & actiones, quatenus ipsi meritoriæ, præmium consecutæ sunt, licet non adæquatum; sed quatenus erant opera satisfactoria divinæ justitiæ, nullum in *ipso Christo* effectum habuerunt, vel habere poterant, cum ipse nullam haberet umbram culpæ, pro qua satisfaceret. Satisfecit quidem pro nostris culpis, sed non solum plene, & perfecte, sed etiam *suprabundanter*, ut in Tom. V. Dissert. IV. cap. 4. ostensum est. Ex illa igitur superabundantia formatus est thesaurus Ecclesiæ. Unde supra laud. Clemens VI. postquam dixisset, quod *gutta sanguinis Christi modica propter unionem ad Verbum, pro redemptione humani generis sufficere potuisset*; addit, Christum sua passione *thesaurum infinitum Ecclesiæ militanti acquisivisse*. Ex hoc itaque thesauro summi Ecclesiæ Pastores fidelibus indulgentias largiuntur.

442. Dices. Culpa lethalis malitiam habet infinitam: nonnisi ergo per infinitum passionis Christi valorem divinæ justitiæ satisfieri poterat, ut nihil prorsus ex ea superfuerit in thesauro Ecclesiæ reponendum.

443. Resp. cum eodem Bellarmino, si hoc argumentum valeret, sequeretur, nonnisi pro unica hominum culpa Christum Deo satisfacere potuisse; quod nec adversarii dicunt. Dicendum itaque, Christi passione fuisse Deo plenissime, & superabundanter satisfactum pro omnibus hominum culpis; & cum istæ quamquam admodum multæ, numero tamen infinitæ non sint, sequitur, Christi satisfactionem fuisse superabundantem, & verum esse, quod Apostolus scribebat Romanis XV. 20. *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia*. Rursus, potuisset Christus, ut jam dictum est cum Clemente VI., una pretiosissimi sui sanguinis gutta humanum genus redimere; sed voluit totum pro nobis effundere, ut ejus redemptio esset *copiosa*, & superabundans, atque infinitum thesaurum nobis compararet, quo non solum culpa, & pœna æterna per Sacramenta dimitterentur, sed etiam pœnæ temporales, quas divina justitia a nobis vel hic, vel in Purgatorio reposcit, addita tamen ea satisfactione, quam juxta imbecillitatem nostrarum virium præstare tenemur: neque enim Ecclesia intendit beneficio indulgentiarum tolli, vel enervari Christianam disciplinam. Vid. supra num. 429.

444. Objiciunt *secundo* multo acrius contra merita Sanctorum, quæ Clemens VI. ex thesauro Ecclesiæ per indulgentias nobis applicari dixit: *Primo*, hoc est meritis Christi valde injuriosum, quasi ea non sufficiant ad plenam divinæ justitiæ satisfactionem. *Secundo*, S. Leo Papa Serm. LXIV. al. 61. *Quamvis*, inquit, *in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas; & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit* &c., quæ alibi repetit in Epist. CXXIV., & CLXV. al. 97., & 134., & quorum similia habet S. Augustinus Tract. LXXXIV. in Joan.; & clarius LIX. inter 50., ubi expendens illam prudentium Virginum responsionem, *Ne forte non sufficiat nobis, & vobis*, inquit: *Vix sibi quisque sufficit, ut testimonium perhibeat conscientiæ suæ*: nihil ergo superest pro aliis; tum Ambrosius in fine Lib. VI. in Lucam, dicens: *Aliæ cruces nihil mihi prosunt, sola crux Christi mihi utilis est*. *Tertio*, ante hæc omnes

Ter-

ab antiquioribus scholasticis redditas spreverit, & repudiaverit. Primus autem, qui hac voce usus fuerit, creditur B. Albertus Magnus ad diluendam difficultatem petitam ex vulgato S. Augustini effato Serm. 29. *Aut Deus punit, aut homo*; ut indicaret; pœnas nostris peccatis debitas satisfactoriis operibus luendas esse, quod fieri potest; quod autem pro nostra fragilitate non possumus, ex thesauro Ecclesiæ suppleri.

Tertullianus cap. 22. *De pudicitia* inquiebat: *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse .... Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius?*

445. Resp. ad *primum*, quemadmodum supra num. 374. cum Synodo Trid. simili objectioni Lutheranorum contra dogma satisfactionis responsum fuit, scilicet nullam, vel minimam injuriam irrogari, & nihil prorsus detrahi efficaciæ passionis Christi, quia ipsa Sanctorum merita ab eadem passione Christi totam suam virtutem trahunt. Sicut igitur voluit Deus virtutem sanguinis Christi nostris operibus satisfactoriis applicari, sine qua nihil omnino valerent, ita etiam propter communionem Sanctorum voluit, ut ipsorum merita, quæ sunt dona Dei, nobis per indulgentias communicarentur, ex amplissima potestate clavium Ecclesiæ tradita. *Ulterius*, est quidem passio Christi valoris infiniti, cui in se nihil addi potest; nobis tamen non applicatur, nisi modo finito, ut proinde minime repuguet, illi addi etiam applicationem passionum Sanctorum; ut scite observavit Dom. Soto in IV. Dist. XXI. quæst. 1. art. 2. Merito propterea a summis Pontificibus Pio V., & Gregorio XIII. illa Baji propositio n. 60. damnata fuit.

446. Neque vero dicimus, in hoc thesauro sanguinem Martyrum pretiosissimo Christi sanguini commisceri, ut adversarii nobis inepte exprobrant, quasi ejusdem ordinis sint; quod falsissimum est. Sed istum agnoscimus, ut omnis meriti radicem, sanguinem vero Martyrum ut fructum hujus radicis. Neque insolens est in sacris litteris, ut duo merita, quamquam admodum diversa, simul conjungantur. Sic 4. Reg. XIX. 35. Deus ore Isaiæ ita promisit Regi Ezechiæ: *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.*

447. Ad *secundum*. S. Leo Papa nihil aliud vult, quam nulla Sanctorum merita fuisse *propitiationem mundi*, seu humani generis redemptionem; nec nostram justitiam deberi justorum meritis, qui & ipsi acceperunt a Christo coronas; unde subdit: *De fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ.* Et adhuc clarius manifestat, se loqui de mundi redemptione, quæ soli Deo homini debetur, subdens: *Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum inter filios hominum unus solus Dominus noster Jesus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati.* Nulla hic est mentio illorum meritorum, quorum intuitu pœnæ nostris culpis debitæ remittuntur; sed solum infiniti ejus meriti, quo Christus per mortem suam nos a peccato redemit.

448. Locus S. Augustini nihil pertinet ad rem nostram. Ibi agit S. Pater de judicio universali, in quo *unusquisque pro se rationem reddet, nec alieno testimonio quisquam adjuvatur apud Deum, cui secreta cordis apparent; & vix sibi quisque sufficit, ut ei testimonium perhibeat conscientia sua.*

449. Ambrosius vult, ut juxta Apostoli monitum ad Gal. VI. 14. *non gloriemur, nisi in cruce Domini nostri;* quia aliæ cruces, sive nostræ, sive aliorum, nobis non prosunt nisi per crucem Christi.

450. Tertullianus hæc scripsit Montanistarum deliriis jam dementatus. Ceterum in hoc ipso loco testis esse potest, quid de communione Sanctorum, eorumque meritis pro pœnarum nobis debitarum remissione Catholici sentirent, quorum doctrinam ibi impugnat.

451. Inst. *primo*. S. Thomas 3. P. quæst. 48. art. 5. ad 3. cum sibi objecisset, non solum passionem Christi, sed etiam aliorum Sanctorum proficuam esse ad nostram salutem, secundum illud Coloss. I. 24. *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*, ita respondet: „ Dicendum, quod passio„ nes Sanctorum proficiunt Ecclesiæ, non quidem „ *per modum redemptionis*, sed *per modum e*„ *xempli, & exhortationis*, secundum illud 2. „ ad Cor. I. 6. *sive tribulamur pro vestra exhor*„ *tatione, & salute.*" Ubi nihil additur, ad indicandum, passiones Sanctorum nobis prodesse *per modum satisfactionis* &c.

452. Resp., quod in hoc loco Angelicus omittit, abunde suppleri ex iis, quæ data opera de indulgentiis agens, de thesauro Ecclesiæ tradit. Vid. sup. n. 437. Addit Card. Cajetanus, nihil hoc loco ab Angelico dici de passionibus Sanctorum, quatenus prosunt Ecclesiæ per modum cujusdam redemptionis, quia agebat de vera, & omnimoda redemptione, cujusmodi est sola passio Christi, quæ redimit *simpliciter*, quia redimit a servitute culpæ, & pœnæ; passiones vero sanctorum nonnisi *secundum quid* redimunt, scilicet a pœna temporali tantummodo. Ad hæc, passio Christi propria sua virtute ad nos redimendos valet; Sanctorum autem passiones ab eadem Christi passione totam suam efficaciam trahunt.

453. Inst. *secundo*. Nihil Sanctis redundat a Deo non remuneratum, quod possit in thesauro Ecclesiæ reponi. Nam pro operibus supererogatoriis non solum condignum, sed etiam supra condignum a Deo præmium recipiunt; unde Apostolus dicebat Roman. VIII. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* *Ulterius*, cum omnia opera nostra bona sint Deo multis nominibus debita, juxta illud Luc. XVII. 10. *Cum feceritis hæc omnia, dicite, servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*, non apparet, undenam thesaurus Ecclesiæ possit ex Sanctorum meritis ditari.

454. Respondet vener. Bellarminus, in bonis operibus Sanctorum, quæ laboriosa, & pœnalia fuerunt, duplicem esse rationem, alteram meriti, alteram satisfactionis. Quod attinet ad rationem meriti, plenam mercedem, immo etiam confertam,

tam, & supereffluentem Sancti receperunt. Quod autem attinet ad satisfactionem, aliqui superabundanter satisfecerunt pro reatibus propriis, cum nonnisi paucos hujusmodi reatus haberent, aut etiam nullos, *quemadmodum de B. Maria Virgine tenet Ecclesia:* illæ ergo satisfactiones superabundantes in thesauro Ecclesiæ repositæ possunt a supremis Pastoribus pro aliis pœnitentibus applicari. Verba autem Christi Lucæ XVII. debent de adimpletione Dei mandatorum intelligi, ut ibidem Christus ipse explicat, inquiens: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite* &c.; non autem de operibus supererogatoriis, & satisfactoriis. Vid. Card. Cajetanus Opusc. *De Indulgentiis* cap. I.

455. Inst. *tertio*. Si adest hic inexhaustus Ecclesiæ thesaurus, etiam sine indulgentiis per solam communionem Sanctorum poterunt fideles ejusdem esse participes.

456. Resp. cum S. Thoma *in Suppl.* quæst. 25. art. 2. ad 5., *bonum unius communicari alteri dupliciter, uno modo per charitatem; & sic etiam sine indulgentiis aliquis est omnium bonorum particeps, quæ fiunt, si in charitate sit. Alio modo per intentionem facientis: & sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentioni illius, qui pro utilitate Ecclesiæ operatus est, ad istum continuari.*

457. Colliges, operam perdere Protestantes, dum quasdam controversias inter ipsos Catholicos natas, & adhuc vigentes nobis objiciunt, quasi ex ipsis infirmari ea possint, quæ aut a Synodo Trid. definita sunt, aut communi consensu docentur. Hæ enim controversiæ non ad substantiam pertinent, sed ad quasdam peculiares Scholasticorum opiniones. Sic ex. gr. salvo fidei, & charitatis vinculo disputatur, an merita Sanctorum nobis per indulgentias applicata prosint per modum suffragii, & impetrationis solum, an etiam per veram solutionem nostri debiti; quæ postrema sententia est S. Thomæ, beati Alberti, S. Bonaventuræ, aliorumque, & probabilior videtur. Contraria tamen placet Maldonato, nonnullisque aliis, quos memorat Suarez in 3. P. disput. 51. sect. 2.

ARTICULUS III.

Resolvuntur quædam quæstiones.

Quæres *primo*. *Utrum indulgentia sit dumtaxat absolutio, an vero etiam solutio a pœnis peccatorum debitis?*

458. Resp., Indulgentiam pro vivis importare simul *absolutionem*, & *solutionem*. Est vera *absolutio*, quia ex judiciaria potestate clavium procedit; unde etiam fit, ut indulgentia ab Episcopis non possit concedi, nisi propriis subditis. Est etiam vera *solutio*, quia fit ex thesauro Ecclesiæ, offerendo Deo pro debita uniuscujusque pœnitentis satisfactione merita Christi, & Sanctorum. Unde S. Thomas laud. quæst. 25. art. 1. ad 2. *Ille*, inquit, *qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito pœnæ, sed datur ei* (ex thesauro Ecclesiæ), *unde debitum solvat*. Et ib. ad 3. *Faciens indulgentias pœnam pro eo, quam debuit, solvit de bonis Ecclesiæ communibus*. Ita etiam docent Card. Cajetanus Tract. XV. ad Julium Medicem *De indulg.* cap. 6., Dom. Soto in IV. Dist. 21. quæst. 1. art. 2., Petrus a Soto *De Institut. Sacerd.* Lect. II. *De indulg.*, aliique Thomistæ.

459. Contra, aliqui censent, indulgentiam non dari *per absolutionem*, quia in hoc casu non possent uti beneficio indulgentiæ ii Ecclesiæ Pastores, qui illam concedunt; nemo enim potest seipsum absolvere.

460. Respondet S. Thomas in *Supplem.* qu. 27. art. 4. ad 1., ,, quod actum jurisdictionis non potest aliquis in seipsum exercere, sed eis, quæ auctoritate jurisdictionis dantur aliis, potest etiam Prælatus uti, tam in temporalibus, quam in spiritualibus; sicut etiam Sacerdos sibi Eucharistiam accipit, quam aliis dat. Et ita etiam Episcopus potest accipere sibi suffragia Ecclesiæ, quæ aliis dispensat, quorum effectus immediatus est remissio pœnæ per indulgentias, & non jurisdictionis ".

Quæres *secundo*, *penes quos sit potestas largiendi indulgentias?*

461. Resp., præmittendam esse doctrinam Sancti Thomæ in *Supplem.* quæst. 26. art. 1. scilicet ,, indulgentias habere effectum, secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur, non solum ex vi charitatis, sed etiam ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum. Sed intentio alicujus potest ad alterum dirigi tripliciter; aut in speciali, aut in generali, aut in singulari. In singulari quidem, sicut cum quis pro allo satisfacit determinate: & sic quilibet potest alteri sua opera communicare. In speciali autem, sicut cum quis orat pro congregatione sua, & familiaribus, & benefactoribus; & ad hoc etiam ordinat sua opera satisfactoria, & sic ille, qui congregationi præest, potest opera illa alii communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de congregatione sua ad hunc determinate. Sed in generali, sicut cum quis opera sua ordinat ad bonum Ecclesiæ in generali; & sic ille, qui præest Ecclesiæ generaliter, potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad hunc, vel illum. Et quia homo est pars congregationis, & congregatio est pars Ecclesiæ, ideo in intentione privati boni includitur intentio boni congregationis, & boni totius Ecclesiæ. Et ideo ille, qui præest Ecclesiæ, potest communicare ea, quæ sunt congregationis, & hujus hominis; & ille, qui præest congregationi, potest communicare ea, quæ sunt hominis, sed non convertitur ".

462. Postea autem sic prosequitur: ,, Sed ne-

,, que

„ que prima communicatio, neque secunda, in-„ dulgentia dicitur, sed solum tertia, propter „ duo. Primo, quia per illas communicationes „ quamvis homo solvatur a reatu pœnæ quantum „ ad Deum, tamen non solvitur a debito facien-„ di satisfactionem injunctam, ad quam obligatus „ est ex præcepto Ecclesiæ, sed per tertiam com-„ municationem homo etiam ab hoc debito solvi-„ tur. Secundo, quia in una persona, vel in una „ congregatione non est indeficientia meritorum, „ ut sibi, & omnibus aliis valere possint; unde „ iste non absolvitur a pœna debita pro toto, ni-„ si tantum determinate pro eo fiat, quantum de-„ beat. Sed in Ecclesia tota est indeficientia me-„ ritorum, præcipue propter meritum Christi. Et „ ideo solus ille, qui præficitur Ecclesiæ, potest „ indulgentias facere ".

463. Ex hac autem doctrina colligit *primo* Angelicus, Sacerdotes parochiales, vel Abbates, vel alios hujusmodi non posse indulgentias facere; quod etiam in Concilio Lateran. IV. ab Innocentio III. cap. 60. vetitum fuerat, *nisi forsan ex speciali concessione*. *Secundo*, Diaconos, vel alios non Sacerdotes posse indulgentias largiri, si habeant jurisdictionem *commissam*, ut Legati, vel *ordinariam*, sicut electi ad Episcopatum, quia *potestas faciendi indulgentias sequitur jurisdictionem*; quam Sancti Thomæ, ac communem Theologorum opinionem frustra oppugnavit Durandus, contendens, solos Sacerdotes potestate ordinis sacerdotalis posse a pœnis per indulgentiam absolvere. *Tertio*, id ipsum posse Episcopos, quorum tamen potestas per Concilium Lateran. fuit limitata intra annum in Dedicatione Basilicæ, & ad 40. dies in anniversario ejusdem dedicationis. Demum, in summo Pontifice plenam residere potestatem faciendi indulgentias.

Quæres *tertio*. *An indulgentiæ prosint animabus Purgatorii?*

464. Resp. *affirmative;* & quamquam Synodus Trid. nihil hac de re definierit, communis tamen omnium Theologorum, immo totius Ecclesiæ doctrina est, indulgentiarum fructum posse etiam animabus in Purgatorio detentis applicari. Sed noster Angelicus in Suppl. qu. 71. art. 10. ita hanc doctrinam exponit, & confirmat: „ Indulgentia a-„ licui prodesse potest dupliciter: uno modo *prin-„ cipaliter*, alio modo *secundario*. Principaliter „ quidem prodest ei, qui indulgentiam accipit, „ scilicet qui facit hoc, pro quo indulgentia da-„ tur; ut qui visitat limina alicujus Sancti. Un-„ de cum mortui non possint facere aliquid ho-„ rum, pro quibus indulgentiæ dantur, eis *dire-„ cte* indulgentiæ valere non possunt. *Secunda-„ rio* autem, & *indirecte* prosunt ei, pro quo a-„ liquis facit illud, quod est indulgentiæ causa ... „ Si autem indulgentia sub hac forma fiat: *Qui-„ cumque fecerit hoc vel illud, ipse, & pater „ ejus, vel quicumque alius ei adjunctus in Pur-„ gatorio detentus, tantum de indulgentia ha-„ bebit*, talis indulgentia non solum vivo, sed e-„ tiam mortuo proderit. Non enim est aliqua ra-„ tio, quare Ecclesia transferre possit communia „ merita, quibus indulgentiæ innituntur, in vi-„ vos, & non in mortuos. Nec tamen sequitur, „ quod Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio „ animas a Purgatorio liberare; quia ad hoc ut „ indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens „ indulgentias faciendi, ut supra dictum est quæst. „ 26. art. 3." Vid. etiam quæ a nobis dicta sunt Tom. VII. Dissert. IV. App. II.

465. Communiter tamen Theologi docent, indulgentias prodesse animabus Purgatorii *per modum suffragii:* hoc est non per modum veræ absolutionis juridicæ, quomodo prosunt vivis, sed quomodo eis prosunt alia suffragia, quæ vel publice, vel privatim pro defunctis fieri solent. Hoc tamen interest inter suffragia, & indulgentias, quod pro istis requiritur ecclesiastica jurisdictio, quæ ex thesauro Ecclesiæ possit Deo offerre, quantum sufficit ad satisfaciendum pro eis divinæ justitiæ; quæ jurisdictio non requiritur, ut communia suffragia prosint defunctis. Joannes VIII. anno 878. indulgentiam concessit iis, qui in bello contra infideles obierant, vel obituri erant; postea autem consueverunt Romani Pontifices suis indulgentiis etiam animas in Purgatorio detentas comprehendere. Sed de his plura dabunt Scholastici.

Quæres *quarto*. *Quid sit indulgentia plenaria jubilæi?*

466. Resp. Vener. Card. Thomasius in *Comment. de indulgentiis* Tom. VII. Opp. edit. a cl. P. Vezzosi, testatur, indulgentiam plenariam omnium *primam* eam inveniri, quam Urbanus II. euntibus ad recuperandam terram sanctam largitus est; quam postea confirmarunt pro eadem causa Calixtus II., Eugenius III., Clemens III., & Innocentius III., additque, se nullum aliud invenisse exemplum indulgentiæ plenariæ ante eam, quam Bonifacius VIII. anno 1300. liberaliter concessit *visitantibus limina Apostolorum Petri, & Pauli;* & quidem si fuerint Romani, ad minus 30. diebus, & saltem semel in die; si vero peregrini fuerint, aut forenses, diebus quindecim. Subdit autem Bonifacius hæc verba probe notanda: *Unusquisque plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit*. Hunc Pontificem primum fuisse hujus indulgentiæ institutorem tradunt S. Antoninus P. I. tit. 3., Polydorus Virgilius *De rerum invent*. Lib. VIII. Toletus Lib. VI. cap. 24. præter historicos. Immensus pene fuit ea occasione peregrinorum concursus cum magno pietatis fervore, ac religionis emolumento; quamobrem Clemens VI. easdem indulgentias concessit pro anno 1350., quem annum *jubilæi* vocavit (ut auctor est Franc. Pagius in *Breviario Rom. Pontif.* a Bonifacio VIII.); atque ut in posterum singulis annis 50. hoc jubilæum celebraretur, constituit. Gregorius postea XI. ad annos 33. reduxit,

xit, ac demum Paulus II., & Sixtus IV. ad singula quinque lustra, suspensis eo anno omnibus indulgentiis extra Urbem concessis; quod usque ad hæc nostra tempora servatum est. Differt autem jubilæum a communibus indulgentiis plenariis, quod in jubilæo adduntur quædam privilegia, ut absolutiones ab omnibus casibus, & censuris reservatis, commutationes votorum, & similia.

CAPUT XI.

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ.

467. Postquam de partibus Sacramenti pœnitentiæ actum est, sequitur, ut postremo loco agamus de ejusdem Sacramenti Ministro. De illo autem loquens Trid. Synodus sess. XIV. cap. 6. declarat: „ falsas esse, & a veritate alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt, putantes, verba illa Domini: Quæcumque alligaveritis, &c. & quorum remiseritis, &c. ad omnes Christifideles indifferenter, & promiscue contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicumque factam (a)".

468. Sed ad valorem absolutionis non solum potestatem Ordinis, sed etiam potestatem Jurisdictionis requiri, expresse declaravit eadem sacros. Synodus. Postquam enim laud. cap. 6. definivit, absolutionem Sacerdotis „ non solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice, sententia pronunciatur, *ita pergit cap.* 7.: Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem". Duo igitur præcipue nobis in hoc capite demonstranda sunt: *primo*, ministros hujus Sacramenti non esse, nisi solos Sacerdotes: *secundo* ad valorem absolutionis præter potestatem *Ordinis* requiri in Confessario etiam potestatem *Jurisdictionis*, vel *ordinariam*, vel *extraordinariam*; quæ duobus distinctis articulis majoris claritatis gratia ostendemus.

ARTICULUS I.

Solis Sacerdotibus Christus tribuit potestatem a peccatis in Sacramento pœnitentiæ absolvendi.

469. Id probat laud. Trid. Synodus cap. 1. ex ipsa institutione Sacramenti pœnitentiæ, quando nempe Christus Dominus *a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens: Quorum remiseritis*, *&c.* quæ verba ad solos Apostolos, eorumque legitimos successores, non autem ad laicos directa sunt.

470. Et quidem solis Sacerdotibus fuisse supremam illam potestatem concessam, antiqua, & constans est Patrum traditio; quotiescumque enim sermo est de absolutione, sive in publicis, sive in privatis confessionibus, nonnisi a Sacerdote eam tribui memorat. Ita S. Cyprianus in *Epist. Syn.* ad Cornelium Sacerdotis officium esse dicit lapsis tribuere *pacem*, & *spei salutaris auxilium*. S. Ambrosius Lib. I. *De pænit.* cap. 2. *jus hoc* absolvendi a peccatis, *solis permissum esse Sacerdotibus*, ait. Sanctus Augustinus sup. cit. num. 512. veniendum esse dicit *ad Antistites*, *per quos in Ecclesia claves ministrantur*. Innocentius I. in epist. ad Decentium: *Ceterum*, inquit, *de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare*, *ut attendat ad confessionem pœnitentis*. Demum, ut alios Latinos omittam, S. Leo Epist. LXXXII. divinitus esse ordinatum dicit, *ut indulgentia Dei nonnisi supplicationibus Sacerdotum obtineri possit*.

471. Ex Græcis sufficiat testimonium S. Basilii, qui in *Regulis brevioribus*, peccata dicit eis esse aperienda, *quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*, præter Chrysostomum, qui inter alias Sacerdotum sublimes prærogativas hanc potissimum recenset, quod habeant animas ligandi, atque solvendi potestatem. Vide sup. num. 514.

472. Recte ergo Synodus Trid. Sess. XIV. iis, quæ cap. 6. definierat, addidit canonem 10. anathemate feriens eum, qui dixerit: „ non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcumque ligaveritis, &c. quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica

(a) Inter alios Waldensium errores hic etiam numeratur, quod bonis, & probis laicis potestatem absolvendi a peccatis concederent, malis autem Sacerdotibus denegarent. Hunc errorem etiam Sectæ Flagellantium tribuit Baluzius Tom. I. cap. 9. *Miscellaneorum*, ex Lib. III. *De gestis Goldeacuti de Lutzenburgo*. Eumdem errorem renovavit Wiclefus, cujus hæc propositio fuit in Synodo Constantiensi damnata: *Laicus, si vir frugi fuerit, clavium potestatem a Christo accepit*; & a Wiclefo ipsum postea receperunt Hussitæ. Protestantes cum pœnitentiam ut veri nominis Sacramentum non habeant, & confessionem unicuique liberam relinquant, non multum de Ministro solliciti sunt, ut superius notavimus ad n. 18. Lutherus tamen accusatur ab Henrico Rege Angliæ in opere de *septem Sacramentis*, quod contra *Sanctorum omnium sententiam claves Ecclesiæ traderet ad laicos, & ad mulieres, opinans, verba Christi* Quæcumque ligaveritis, &c. *non Sacerdotibus tantum, sed omnibus Christi fidelibus*.

„ ca quidem per correptionem dumtaxat, secreta „ vero per spontaneam confessionem ". Quod antea per Leonem X. constitutum jam fuerat, damnato illo impio Lutheri articulo num. 13.: „ In „ pœnitentiæ Sacramento, ac remissione culpæ „ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam in- „ fimus Sacerdos; immo, ubi non est Sacerdos, „ æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mu- „ lier, aut puer esset ".

473. Ob. *primo*. Divina confessionis institutio continetur iis verbis Jacobi V. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra;* sic enim illa verba intellexit magnus Augustinus Hom. XII. inter 50. inquiens: „ In omnibus Scripturis divinis utiliter, ac „ salubriter admonemur, ut peccata nostra debea- „ mus jugiter, & humiliter, non solum Deo, sed „ etiam Sanctis, & Deum timentibus confiteri. „ Sic enim per Jacobum Apostolum nos admonet „ Spiritus Sanctus: Confitemini, &c. "

474. Resp. cum S. Thoma in *Suppl.* quæst. 1. art. 1. ad 1., Jacobum esse intelligendum non de quibuscumque hominibus, sed de Presbyteris tantummodo. Loquitur enim „ ex præsuppositione di- „ vinæ institutionis: & quia divina institutio præ- „ cesserat de confessione Sacerdotibus facienda, „ per hoc, quod eis potestatem remittendi pecca- „ ta in Apostolis dedit, ut patet Jo. XX., ideo „ intelligendum est, quod Jacobus Sacerdotibus „ confessionem esse faciendam monet ". Ita hunc locum intellexerunt Origenes Hom. II. in Levit., Chrysostomus Lib. III. *De Sacerdotio*, Beda, aliique nobilissimi Interpretes. Alii autem putant, non de confessione Sacramentali ibi sermonem esse, sed de alia, quæ cuilibet Christifideli fieri potest, vel ex humilitate, vel petendi consilii gratia, cui expositioni favet Augustinus, vel potius alius auctor Hom. XII., quæ a Maurinis rejecta fuit in Append. Tomi V., & est Sermo LIII.: numquam enim vetitum fuit, immo quandoque consultum, ut petendi consilii causa viris doctis, etiam laicis, peccatorum confessio fiat.

475. Ob. *secundo*. Defectu Sacerdotis possunt laici baptismum conferre; cur ergo non poterunt Sacramentum pœnitentiæ administrare, quod aliquando ejusdem est necessitatis?

476. Respondet S. Thomas loco cit. ad 2., „ ba- „ ptismum esse majoris necessitatis, quam pœni- „ tentiam, quoad confessionem, & absolutionem; „ quia quandoque baptismus prætermitti non po- „ test sine periculo salutis æternæ, ut patet in „ pueris, qui non habent usum rationis. Sed non „ est ita de confessione, & absolutione, quæ tan- „ tum ad adultos pertinet, in quibus contritio cum „ proposito confitendi, & desiderio absolutionis „ sufficit ad liberandum a morte æterna ".

477. Ob. *tertio*. Morinus nonnulla affert vetusta Ecclesiæ latinæ monumenta, quæ manifeste indicant, periculo mortis instante Diaconis facultatem absolvendi concessam fuisse. *Primo* enim S. Cyprianus Epist. XII. ad Presbyteros, & Diaconos suæ diœcesis loquens de lapsis, qui pœnitentiam agebant: *Si*, inquit, *incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt*. Conceditur ergo Diaconis eadem facultas, quam habent Episcopi, & Presbyteri, *excipiendi exomologesim, manum imponendi ad pœnitentiam, & dandi pacem*, quam pro istis lapsis Martyres suis libellis expostulaverant: quæ omnia perfectam illorum pœnitentium reconciliationem omnino significant; quod pluribus verbis ostendere Morinus nititur, afferens etiam auctoritatem Jac. Pamelii, qui ad hanc Cypriani epist. notat, *fortassis* absentibus Episcopis, & Presbyteris, *in necessitate Diaconis permissam fuisse pœnitentium reconciliationem*. *Præterea*, etiam in multis Hispaniæ Ecclesiis fuisse hanc auctoritatem Diaconis tributam, colligit Morinus ex Concilio Eliberitano cap. 32., ubi de pœnitentibus dicitur: *Cogente infirmitate non est Presbyterorum, aut Diaconorum communionem præstare debere, nisi eis jusserit Episcopus*. *Tertio*, Alcuinus *De div. officiis in cap. jejunii* de pœnitentibus inquit: *Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentiam, ac det sanctam communionem*. Quæ verba etiam ex *Pœnitentiali* Romano referunt Buchardus Lib. XIX. cap. 153. & Ivo Part. XV. cap. 161., eademque habent duo Concilia celebrata in Anglia Sæc. XII., scilicet Eboracense anno 1194., & Londinense 1200. *Quarto*, clarius adhuc loquitur Odo Episcopus Pariensis in *Statuto synod.* statuto 56. ita decernens: *Prohibetur districte, ne Diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate: claves enim non habent, nec possunt absolvere*. Eademque fere repetit Petrus Cantor in *Summa*, non solum de Diacono, sed etiam de Subdiacono: requirit tamen in utroque *mandatum D. Papæ*, a quo habeat ad tempus usum clavium; & ita, inquit, *potest ligare auctoritate Domini Papæ, non sua*. *Denique* maximi momenti videtur caput *Fures*, extra de furtis: in eo enim dicit, quod si fures *comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus*. Glossa autem in hoc caput hanc sententiam confirmat a minori ad majus, dicens: *In necessitate etiam laico*. Eumdem canonem referunt Burchardus Lib. XI. cap. 19., & Ivo P. XIII. cap. 45. Hactenus Morinus.

478. Ad *primum* communiter resp., S. Cyprianum nomine *exomologesis, impositionis manus, & pacis* in loco objecto non intelligere veram absolutionem a peccatis, quæ exigit potestatem clavium, a Christo datam Apostolis, eorumque legiti-

timis successoribus, cujusmodi sunt Episcopi, & Presbyteri, non autem Diaconi; sed intelligere absolutionem a residuis pœnis canonicis, quas pœnitentes illi subire debuissent, antequam ad communionem Eucharistiæ admitterentur. Ut enim superius num. 404. dictum est, pœnitentes in tertio gradu absolutionem Sacramentalem per impositionem manuum recipiebant, non tamen illico ad Sacramentorum communionem admittebantur, nisi postquam integrum pœnitentiæ stadium percurrissent. Neque obest, quod utatur iis vocibus *exomologesis*, *impositionis manus*, *& pacis*, quibus alibi S. Martyr ipsam Sacramentalem absolutionem designavit. Non inquam id obest: neque enim insolens erat apud veteres, & apud ipsum Cyprianum, iisdem vocibus modo integram pœnitentiæ disciplinam, modo unam tantummodo ejus partem exprimere.

479. Sed contra Calvinistas hoc S. Cypriani loco abutentes, ut absolvendi facultatem etiam iis concedant, qui sublimi Sacerdotii gradu insigniti non sunt, opportuna videtur adnotatio celebratissimi apud eos viri Jo. Felli Oxoniensis Episcopi in hanc epist. (in ejus edit. XVIII.) ubi postquam reprehendisset ineptam illam explicationem a Rigaltio appositam: *Est enim etiam in Diaconatu Sacerdotium*, ita vexata ista S. Martyris verba explicat: „ Dicitur porro apud Diaconum exomologesis facta, non quasi is solus esset ejusdem conscius; pœnitentia enim vel ægrotantium, quantum fieri potuit, istis sæculis publica erat: sed quia absente Presbytero, ad quem munus illud imprimis spectabat, Diaconi præsentia habebatur prorsus necessaria, quotcumque e plebe adesse contingeret. Cum enim Ecclesia Clero, & plebe contineretur, par erat, ut quando per exomologesim eidem satisfieret, adessent, qui utriusque partes sustinerent." Hæc doctissimus ille Anglo-Calvinianus. Facta autem publica reconciliatione poterat Diaconus morituro Eucharistiæ Sacramentum ministrare, quem coram Deo justificatum vel per Sacramentalem absolutionem, vel saltem per veram cordis contritionem noverat; quemadmodum cum Serapione olim factum fuisse ex Eusebii *Hist.* Lib. VI. cap. 44. superius observavimus Dissert. V. num. 399. Quod etiam modo necessitate urgente fieri posse, manifeste colligitur ex Synodo Trid. Sess. XIII. cap. 7.

480. Concilii Eliberitani canon intelligendus est de communione Sacramentorum, ad quam pœnitentes cogente infirmitate admittebantur, etiamsi totum pœnitentiæ tempus non absolvissent. Id jure ordinario pertinebat ad Episcopum; sed Episcopus poterat hoc officium Presbyteris, atque etiam Diaconis delegare.

481. *Tertium* eadem facilitate expeditur. Alcuinus enim (vel potius alius Scriptor) (*a*), & Pœnitentiale Rom. manifeste loquuntur de communione Sacramentorum, ad quam admittebantur pœnitentes instante periculo mortis; & absente Episcopo, id officium etiam Sacerdotes, & laici præstare poterant, non autem loquuntur de ipsa absolutione Sacramentali, quæ a potestate clavium pendet. Certe ipse Auctor loco cit. *Claves*, inquit, *regni cœlestis solis Episcopis, vel Presbyteris traditæ sunt*.

482. Ad *quartum* resp., sententias Odonis, Petri Cantoris, ac nonnullorum aliorum Scholasticorum non esse intelligendas de vera confessione *Sacramentali*, quam postea subsequitur absolutio ex potestate clavium solis Episcopis, ac Sacerdotibus a Deo concessa; sed de alia confessione, quam S. Thomas vocat *quodammodo Sacramentalem*, & quæ si cum vera contritione conjuncta sit, ad justificationem sufficiet. Audiatur ipse Angelicus in *Supplem.* quæst. 8. art. 2., ubi quærit, *utrum in alio casu liceat aliis, quam Sacerdotibus confiteri?* Respondet autem, *in necessitate etiam laicum vicem Sacerdotis supplere, ut ei confessio fieri possit*. In resp. postea ad 1. ita clarius doctrinam suam exponit: „ Sed quando necessitas imminet, debet facere pœnitens, quod ex parte sua est, scilicet conteri & confiteri, cui potest: qui quamvis Sacramentum perficere non possit, ut faciat id, quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen Sacerdotis summus Sacerdos supplet. Nihilominus confessio facta laico ex defectu Sacerdotis, Sacramentalis est quodammodo; quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte Sacerdotis." Unde etiam in resp. ad 3. docet, talem pœnitentem debere iterum confiteri Sacerdoti, cum ejus copiam habuerit, *quia Sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit; & ut mandatum de pœnitentiæ Sacramento recipiendo impleat*.

483. Hæc doctrina vigebat apud Scholasticos, potissimum propter auctoritatem libri *De vera, & falsa pœnitentia*, qui communiter tribuebatur S. Augustino (nunc autem tamquam spurius rejectus est in Append. Tom. VI.). Ibi autem cap. 10. postquam multa dicta sunt de erubescentia, quam peccator vincere debet in confitendis peccatis, sic concluditur: „ Tanta vis confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo .... Et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis." Verum monente sapientissimo Pontifice Benedicto XIV. *De Syn. Diœc.* Lib. VII. cap. 16. n. 11., hæc consuetudo confitendi laicis peccata obsolevit; „ & in præsenti rerum statu gra-„ vi-

(*a*) In novissima edit. curata a S. R. I. Principe, & Abbate Frobenio Ratisb. ann. 1777. hic liber in append. rejectus fuit, quia, ut ibi dicitur, *convenit inter eruditos, librum hunc non esse Alcuini*.

„ viter is peccaret. qui etiam in casu necessitatis peccata sua confiteretur laico; quia sine ulla causa semetipsum infamaret, & fortasse præberet aliis occasionem de se suspicandi, quod adhæreret Lutheranorum hæresi."

484. *Postremum* ex Jure Canon. cap. *Fures* objectum nullius est ponderis: est enim caput illud desumptum ex Concilio Triburiensi, ubi non legitur, sicut legit Gratianus: *Si Presbytero, vel Diacono confessi fuerint*, sed: *Si comprehensi, & vulnerati. Deoque, & Sacerdoti confessi, communionem eis non negamus*. De Golssa autem minime solliciti esse debemus, cum eam Correctores Gregoriani una cum multis aliis expunxerint; nisi fortasse intelligatur de confessione *non Sacramentali*, ut mox cum S. Thoma explicatum est (*a*).

485. Inst. Martinus V. eos, qui de erroribus Wiclefi suspecti erant, interrogari jussit: *Utrum credant, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti ex necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis, quantumcumque bonis, & devotis?* Videtur ergo permisisse, id licere, quando copia Sacerdotis idonei non habetur.

486. Resp., id minime sequi: nihil enim aliud voluit Pontifex, quam suspicionem amoveri erroris Wiclefi in Concilio Constantiensi jam condemnati, licere nempe etiam laicis bonis, & devotis *Sacramentaliter* confiteri. Vid. Diss. II. cap. 1.

Quæres, *utrum Episcopi, & Sacerdotes, si mali sint, potestatem absolvendi amittant?*

487. Resp., hunc fuisse errorem Wiclefi, Hussitarum, aliorumque hujusmodi pestium, in Concilio Trid. Sess. XIV. can. 10. his verbis damnatum: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere ..... anathema sit*. Angelicus Doctor hunc eumdem errorem multo antea confutaverat in *Supplem*. quæst. 19. artic. 4. & 5. Vide Dissert. II. cap. 2. Sane cum potestas absolvendi a charactere Ordinis sacri oriatur, & cum per peccata etiam gravissima character non amittatur, nec potestas absolvendi amittitur.

ARTICULUS II.

Ostenditur, ad valorem absolutionis præter potestatem Ordinis, requiri in Sacerdotibus potestatem Jurisdictionis,

488. Trita, omnibusque nota semper fuit distinctio duplicis potestatis absolvendi a peccatis, scilicet *Ordinis*, & *Jurisdictionis*. Prima est potestas *indeterminata* ligandi, atque solvendi animas; & hæc confertur cuilibet Sacerdoti per sacram Ordinationem, illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. atque hanc esse ad valorem absolutionis Sacramentalis omnino necessariam, hactenus contra heterodoxos demonstratum est. Altera autem est potestas ligandi, vel solvendi determinate eos fideles, qui Sacerdotis jurisdictioni subjecti sunt, & hæc etiam omnino necessaria est, cum judicandi potestas, cujusmodi est illa ligandi, atque solvendi, nonnisi in subditos exerceri queat. Atque hæc fuit communis Theologorum, immo totius Ecclesiæ sententia usque ad infelicia nostra tempora, in quibus periculosa illa omnia innovandi prurigo, etiam in sacrosanctis Ecclesiæ dogmatibus, non sine magno religionis detrimento dominari cœpit (*b*).

489. Quandoquidem Adversarii, quos confutamus, catholicos se esse profitentur, sufficere debet ad eos revincendos auctoritas Concilii Trident. supe-

(*a*) Jo. Morinus in *Recognitione Operis sui de pœnit.*, declaravit, quæ de absolutione a Diaconis, atque etiam a laicis data pluribus testimoniis *historiæ* retulerat, non esse intelligenda, nec intelligi posse *de absolutione Sacramentali*, sed absolutionem illam non aliud esse, quam *cæremoniam*, sive *Sacramentale* aliquod a quibusdam Ecclesiis in absentia veri Sacramenti, & illius adipiscendi impotentia institutum, & a catholica Ecclesia tunc non improbatum, quo morientis, aut gravissime periclitantis interior dispositio excitabatur, & intendebat; atque a Deo precibus Ecclesiæ Sacramenti effectum pœnitens promerebatur. Idem tamen eruditissimus Auctor opinionem suam constanter retinuit, quod illa cæremonia non fuerit *nuda majoris excommunicationis absolutio*, quod passim alii viri doctissimi, ac non ita pridem eminentissimus Card. Ursius Lib. VII. *Inst. Eccl.* n. 17. existimarunt.

(*b*) Primo quidem aliqui cœperunt in Gallia ante paucos annos commentitiis, atque omnino falsis interpretationibus oppugnare dogma a Synodo Trident. Sess. XIV. cap. 7. firmiter stabilitum *De reservatione casuum*; quorum errorem unguibus, & rostro defendere conatus est Aloysius Litta volumine epistola *Della Sacramentale assoluzione de' casi reservati*, contendens, absolutionem a casibus reservatis ab eo Sacerdote factam, qui potestatem non habet, esse quidem *illicitam*, non autem prorsus *invalidam*, ut hactenus communiter creditum fuit. Littæ subscripsit Joann. Bapt. Guadagnini, cum paucis novarum rerum cupidis. Hinc aliis quibusdam aperta fuit janua idem generaliter asserendi de absolutione impertita a simplici Sacerdote ex sola potestate *ordinis*, non autem *jurisdictionis*, vel ordinaria, vel delegata. Hanc novam, & falsam opinionem tuendam suscepit Gregorius Sicardi Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Montis regalis in Diatriba italica *Della validità della assoluzione dai peccati data in virtù del solo Ordine sacerdotale, senza verun' altra facoltà, ed approvazione*. Littam acriter, & feliciter impugnarunt inter alios Anonymus Auctor *Delle storte idee raddrizzate*, deinde Herm. Christianopolus Ord. Præd. edito libro *Della nullità delle assoluzioni de' casi reservati* Romæ 1785., & Jo. Bapt. Locatelli Zuccala duabus Dissert. *De potestate Presbyterorum in administratione sacr. pœnitentiæ*, Bergomi 1787. Alterum vero refutavit ejusdem Ecclesiæ Canonicus Vinc. Rossi in opusc. inscripto *Osservazioni teologiche, e critiche sopra la Diatriba della validità, &c.* Brixiæ 1793.; quorum egregiis laboribus & nos opportune utemur.

perius num. 468. declarantis *persuasum semper in Ecclesia fuisse, & verissimum esse, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem*. Quod antea definitum fuerat a Concilio Florent. in *Decreto Unionis Armenorum*, scilicet *ministrum Sacramenti pœnitentiæ esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi ordinariam, vel ex commissione superioris*. Hæ inquam definitiones satis superque hominibus catholicis esse deberent, nisi eas ineptis, & perversis interpretationibus eludere studerent, quas vanas, & inanes esse vel ex eo solum evinci potest, quod toti antiquitati, & universo Theologorum cœtui ignotæ fuerint, & primum hoc sæculo excogitatæ. Sed ad majorem hujus rei evidentiam

490. Observandum est *primo*, Synodum Trid. duas distinxisse jurisdictiones, unam *ordinariam*, & aliam *subdelegatam*, Florentinam vero auctoritatem absolvendi unam *ordinariam*, & aliam *ex commissione superioris*. Hæc autem distinctio in utraque Synodo facta optime intelligitur in Catholicorum schola, qui *ordinariam* jurisdictionem esse dicunt in iis, quibus ex officio incumbit cura animarum, *subdelegatam* vero, aut *ex commissione* in iis, qui ab Episcopis ad hoc absolvendi munus approbantur, ac destinantur. Nullum autem sensum hæc distinctio præsefert in sententia adversariorum, qui hanc jurisdictionem a potestate *Ordinis* non distinguunt. In istorum enim falsa opinione quilibet Sacerdos in ipsa ordinatione *Ordinariam* absolvendi jurisdictionem accipit, & nullus assignari potest, qui jurisdictionem *subdelegatam* accipiat.

491. Observandum *secundo*, Trid. Synodum ex eodem principio firmiter constituto, nempe ad valorem absolutionis non sufficere potestatem *Ordinis*, sed requiri ulterius potestatem *Jurisdictionis*, procedere ad decernendum, *merito Pontifices maximos pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas graviores suo potuisse peculiari judicio reservare ..... quin hoc idem Episcopis omnibus, in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, licere pro illis in subditos tradita super reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate; præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est*.

492. Porro in hac reservatione ex mente Concilii sublatam esse Sacerdotibus inferioribus omnem absolvendi potestatem, manifeste apparet *primo* ex his verbis subsequentibus: *Hanc autem delictorum reservationem consonam esse divinæ auctoritati, non tantum in externa politia* (ut concedebant Protestantes), *sed etiam coram Deo vim habere*: *secundo*, quia ne hac occasione *aliquis pereat*, declarat sancta Synodus, *in Ecclesia custoditum semper fuisse, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere posse*: *tertio* addit, extra hunc articulum mortis, *Sacerdotes nihil posse in casibus reservatis*; quæ verba iis respondent, quibus antea dixerat, *nullius momenti* esse absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem: *demum* rem totam conficit decretorius ille canon 11.: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit* (a). Non itaque solum illicita, sed plane *nullius momenti*, nec vera est absolutio a Sacerdote *sine jurisdictione lata*.

493. Observo demum, hanc Tridentini doctrinam fuisse semper in Ecclesia ita intellectam, ut nulla prorsus sit absolutio a Sacerdote non approbato impertita. Ita Catechismus Rom., cujus quanta sit auctoritas, nemo ignorat, P. II. cap. 5. n. 54.: loquens enim de ministro Sacramenti pœnitentiæ, dicit, *eum esse Sacerdotem, qui ordinariam, aut delegatam absolvendi potestatem habeat, ex Ecclesiasticis sanctionibus satis apparet; habeat enim oportet, non solum ordinis, verum etiam jurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet*.

494. S. Carolus Borromæus in *Instruct. Confessar.* P. II. cap. 11., ubi ponit interrogationes faciendas pœnitenti antegressæ vitæ, an forte confessiones præteritæ *nullius ponderis, neque virtutis extitissent, ac proinde reiterandæ*, hoc ponit exemplum, *si pœnitens alicui confessus sit, qui eum absolvere non potuerit*; ubi certe inepta videtur illa quorumdam interpretatio, quod S. Archiepiscopus loquatur de confessione facta laico: obvius enim sensus est, eum loqui de Sacerdote non approbato, vel suspenso, vel potius de absolvente a casibus reservatis sine debita facultate, quod nonnisi de Sacerdote intelligi potest, quod contextus ipse indicat; nimirum interrogandum esse pœnitentem, an in aliquem casum inciderit, propter quem confessiones fuerint nullæ; ut ex. gr. *si pœnitens alicui confessus sit, qui eum absolvere non potuerit*. Quis enim adeo rudis erat ætate S. Caroli, ut interrogari indigeret, an alicui laico de casibus reservatis confessus fuerit?

495. *Ulterius*, idem S. Carolus, qui pro execu-

(a) Hic canon conditus est contra Lutherum, qui in Disput. habita 1518. negaverat, *Episcopos habere jus casus sibi reservandi, nisi quoad externam politiam*. Quod Episcoporum jus in eodem sensu etiam Melanchthon negavit in *Apolog. August. Confess.*, nomine *externæ politiæ* intelligens forum externum: neque enim hæretici illi forum internum agnoscere volebant, in quo pœnitentes coram Deo vere a peccatis absolverentur.

cutione Tridentinorum decretorum studiosissime laboravit, in Concilio IV. anno 1576. mandat, ut Confessarii bene noscant casus reservatos, *in quibus absolvendis auctoritatem nullam habent*. Et in Synodo Dioec. XI. anni 1584. Confessario aufert jurisdictionem confessionis eorum audiendæ, quorum criminis etiam minimi socius, particepsque fuerit; & subdit: *Si quam vero auctoritatem, jurisdictionemque habet, ea, ne abutatur, privamus, quod ad hanc causam, culpamque attinet: neque vero absolutio, si quam impertierit, ullius roboris sit, sed irrita plane, ac rescissa, nullaque omnino, tamquam ab eo impertita, qui jurisdictionis, & facultatis expers sit*. Quid clarius in rem nostram desiderari potest?

496. Summus autem, atque Optimus Pontifex Benedictus XIV. in sua Constit. *Sacramentum pœnit.* an. 1741., abusum absolvendi complicem peccati contra VI. Decalogi præceptum omnino extirpatum volens, his usus est verbis: *sublata propterea illi* (Confessario) *ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ob hujusmodi culpam absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus*.

497. Addo unanimem plane Theologorum consensum, qui decreta Concilii Trid. debita veneratione prosequentes, semper crediderunt, ac docuerunt, ad valorem absolutionis requiri in Sacerdote præter potestatem *Ordinis* etiam potestatem *Jurisdictionis*. Anno 1733. Sacra Facultas Parisiensis hanc propositionem: *Necessitas accipiendi approbationem* (absolvendi in Sacramento pœnitentiæ) *non adeo constans est, ut ipsius defectu Sacramentum reddatur nullum*, damnavit, *ut falsam, temerariam, & decreto Trid. Concilii contrariam*. Vid. *Collectio judic.* Tomo III. P. I. pag. 211. Et cum quidam Edm. Amiot in Theol. eadem facultate *licentiandus* eamdem propositionem defendere ausus esset, eam rectatare coactus fuit, ac publice profiteri, *in unoquoque Sacerdote, præter illam potestatem, quam accipit in ordinatione, adhuc requiri jurisdictionem ab Ecclesia, sive ordinariam, sive delegatam, ut valide absolvat*. Ibid. P. II. pag. 280.

498. Atque hactenus dicta concludimus his verbis immortalis memoriæ Benedicti XIV. Lib. V. *De Syn. Diœc.* cap. 4.: *Posse summos Ecclesiarum Antistites, multoque magis omnium supremum Rom. Pontificem, inferiorum Sacerdotum jurisdictionem ita coarctare, ut a quibusdam gravioribus culpis, quas sibi, suoque judicio relaxandas reservant, ne in foro conscientiæ quidem, & coram Deo illi absolvere valeant, catholicum dogma est, quod contra Wiclefum strenue propugnavit Waldensis Tom. II. De Sacr.* cap. 149. Postquam autem Benedictus nonnullos graves Scriptores ad suam sententiam confirmandam allegasset, decretum Concilii Trid. Sess. XIV. cap. 6. addit; unde adversarii discere possunt, novam suam sententiam esse ab eodem Concilio prædamnatam: quod ad controversiam finiendam satis est, cum illi se Ecclesiæ definitionibus subjectos esse profiteantur.

499. Haud inutile tamen arbitramur, Angelici nostri Præceptoris ratione sacrosanctam Concilii definitionem illustrare. Ita enim S. Doctor ratiocinatur in *Suppl.* quæst. 8. art. 1.: *In pœnitentia actus accedentis ad Sacramentum est de substantia Sacramenti, eo quod contritio, confessio, & satisfactio sunt pœnitentiæ partes, quæ sunt actus pœnitentis; actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab aliis dispensari, nisi per imperium: unde oportet, quod ille, qui dispensator hujus Sacramenti constituitur, sit talis, qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alienum, nisi ei, qui habet super eum jurisdictionem: & ideo de necessitate hujus Sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis Sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem. Et ideo sicut ille, qui non est Sacerdos, non potest hoc Sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem*. Quam rationem S. Præceptor brevius repetit in Lib. IV. *Cont. Gent.* in fine cap. 72. inquiens: *Sic igitur patet, quod minister Ecclesiæ in usu clavium judicium quoddam exercet: nulli autem judicium committitur, nisi in sibi subjectos; unde manifestum est, quod non quilibet Sacerdos quemlibet potest absolvere a peccato, ut quidam mentiuntur, sed eum tantum, in quem accipit potestatem*.

500. Atque hanc ipsam rationem ab Angelico Ecclesiæ Doctore traditam adoptavit Synodus Trid. sæpius laud. ita cap. 7. inchoans: *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem*. Et post sacros. Synodum illa usus est etiam ejusdem Catechismus loco sup. n. 493. laud. Sed contra Tridentini auctoritatem adversarii.

501. Excipiunt *primo*, Concilium loqui de ablutione a censuris, quæ utique exigit in absolvente jurisdictionem, non autem de absolutione Sacramentali, ad quam sufficit potestas Ordinis cuilibet Sacerdoti in Ordinatione collata; atque hoc, inquiunt, indicat ipse titulus cap. 7. *De Casibus reservatis*.

502. Resp., nihil infirmius posse ab adversariis contra nos afferri, in quo tamen magnum suæ cau-

causæ patrocinium reponunt. Certissimum enim est, Concilium loqui de absolutione *casuum* reservatorum, idest *de atrocioribus* quibusdam, & *gravioribus criminibus*, quorum absolutionem possunt Prælati sibi reservare; *præsertim* illorum, *quibus excommunicationis censura adnexa est*. Quid enim quæso, illud *præsertim*, si Concilium nonnisi de censuris loquebatur? Quid illud, quod in fine capitis adjectum est, omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes in articulo mortis *a quibusvis peccatis*, *& censuris absolvere posse?* Nonne hic distinguuntur iterum peccata a censuris?

503. Inst. *primo*. Hæc Tridentini prohibitio reddit quidem absolutionem *illicitam*, sed non *invalidam*, cum non potuerit Ecclesia illam amplissimam potestatem, quam Christus Apostolis dedit, aliquibus limitibus coarctare.

504. Resp., a sacro illo Patrum consessu non solum *illicitam*, sed prorsus *invalidam* fuisse declaratam absolutionem sine ordinaria, vel subdelegata jurisdictione datam. Quid clarius illis verbis, eam *nullius momenti esse?* Tum illis, extra articulum mortis Sacerdotes ea jurisdictione carentes *nihil posse in casibus reservatis?* Tum demum illis aliis, quibus in can. 11. anathemate feritur, qui *dixerit*, *casuum reservationem non prohibere*, *quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat?* Quomodo autem potuerit Ecclesia certis limitibus circumscribere potestatem a Christo Domino Apostolis datam, non est hujus loci disputare cum viris, qui se Catholicos nominant, & qui solum de facto disputare possunt, an scilicet Ecclesia nullas, & invalidas declaraverit absolutiones datas sine jurisdictione, non autem de jure, an id potuerit facere; cumque nos summa evidentia demonstraverimus, id factum ab Ecclesia fuisse, recte concludere possumus, id eam facere potuisse. Addo, quod si argumentum adversariorum valeret, possent etiam simplices Sacerdotes censura excommunicationis aliquem ligare, vel ligatum absolvere; & quod plus est, leges ferre, aut ab iis dispensare, quia hujusmodi potestas iis Christi verbis continetur: *Quæcumque ligaveritis*, *quæcumque solveritis* &c. Dicendum itaque, hujus potestatis plenitudinem datam fuisse Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, qui postea eamdem in alios transmittunt, cum iis limitationibus, quæ bono Ecclesiæ conveniunt (*a*).

505. Inst. *secundo*. Hoc ipso, quod Sacerdos in Ordine accipit potestatem remittendi peccata, constituitur judex; judex autem esse non potest sine subditis: ergo simul etiam recipit jurisdictionem necessariam, ut valide absolvere possit.

506. Resp., Sacerdotem in Ordinatione accipere una cum charactere potestatem judicandi, seu ligandi, & solvendi; sed ut hæc potestas reducatur ad actum, requiri subditos, in quos exerceatur; subditi autem per jurisdictionem vel ordinariam, vel subdelegatam ipsi assignantur. Quemadmodum idem Sacerdos accipit potestatem in Ordinatione supra corpus Christi verum; ut tamen eadem potestate utatur, indiget pane & vino. Et sicut etiam pane & vino deficientibus, vera est in Sacerdote consecrandi potestas, ita pariter vera est in eodem Sacerdote ligandi, atque solvendi potestas, licet ut ea utatur, jurisdictione indigeat, qua illi subditi assignentur: & sic verba indeterminata, *quorum remiseritis* &c. determinantur ad eos, qui per jurisdictionem subditi constituuntur.

507. Inst. *tertio*. Ecclesia nonnisi id definire potest, quod in sacris litteris, vel Patrum traditione continetur: sed in neutro hoc divinæ revelationis fonte continetur, invalidam esse absolutionem &c.

508. Resp. ut supra, semel ac evidenter constet, ut certe constat, id fuisse ab Ecclesia definitum, nullam esse posse apud viros catholicos controversiam, an hæc veritas in verbo Dei scripto, vel tradito contineatur; & si possent adversarii contrarium ostendere, victam darent Protestantibus causam, qui infallibilem controversias fidei definiendi potestatem Ecclesiæ denegant. Veruntamen Patres Trid. in hac definitione perpetuam traditionem allegarunt, dicentes, *id persuasum semper in Ecclesia Dei fuisse*, *& verissimum esse;* & rursus *in eadem Ecclesia custoditum semper fuisse* &c. Audebuntne adversarii eos gravissimos, & sapientissimos Patres mendacii arguere? Itane dicere, vel suspicari iis concessum erit, qui contra Protestantes confitentur, Spiritum Sanctum in medio esse Episcoporum in Concilio generali congregatorum? Apage intolerabilem blasphemiam.

509. At Patres illi non allegant veterum testimonia, quibus hæc traditio ostendatur. Quid inde? Annon traditio etiam conservatur in perpetuo usu Ecclesiæ? An obliti sumus illius aureæ Augustini regulæ Lib. V. *De bapt. cap.* 23.: *Sunt multa*, *quæ universa tenet Ecclesia*, *& ob hoc ab Apostolis bene præcepta creduntur*, *quamquam*

(*a*) S. Thomas IV. *Cont. Gent.* cap. 72. *Oportet*, inquit, *ministrum*, *cui fit confessio*, *judiciariam potestatem habere vice Christi*, *qui constitutus est judex vivorum & mortuorum*. *Ad judiciariam autem potestatem duo requiruntur*, *scilicet auctoritas cognoscendi de culpa*, *& potestas absolvendi*, *vel condemnandi*. *Et hæc duo dicuntur claves Ecclesiæ*, *scilicet scientia discernendi*, *& potentia ligandi*, *& solvendi*, *quas Dominus Petro commisit*, *juxta illud* Matth. XVI. 10. Tibi dabo claves regni cœlorum. *Non autem sic intelligitur Petro commisisse*, *ut ipse solus haberet*, *sed ut per eum derivaretur ad alios*: *alias non esset sufficienter fidelium saluti provisum*. Quæ postrema S. Doctoris verba desumpta videntur ex S. Cypriano, qui in libro *De unit. Ecclesiæ* de Petro inquit: *Et præferri Apostolis omnibus meruit*, *& claves regni cœlorum communicandas ceteris solus accepit*.

quam scripta non reperiantur? Tum illius Epist. LIV. ad Januarium: *Quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis .... commendata, atque statuta retineri?* Quid igitur hic permoleste Adversarii requirunt traditionem scriptam, cum perpetuus Ecclesiæ usus ad id abunde sufficiat?

510. Ob. *secundo*. Synodus Trid. Sess. XXIII. cap. 1. ita definivit: *Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam esse consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi, & retinendi, sacræ litteræ ostendunt, & catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit*. Hæc duarum potestatum unio a Trid. facta luculenter ostendit, eadem ratione de utraque esse sentiendum; atqui potestas consecrandi nullo modo auferri, suspendi, aut circumscribi potest, ita ut Sacerdos non valide consecret: ergo pariter &c. (a).

511. Resp. S. Thomas in *Suppl.* quæst. 8. art. 4. ad 2., *quod Sacramentum Eucharistiæ non requirit imperium in aliquem hominem; secus autem est in hoc Sacramento* (pœnitentiæ). Quod autem ad valorem absolutionis Sacramentalis requiratur *imperium*, seu jurisdictio, demonstraverat in corp. art. Vid. sup. n. 499.: atque etiam ostendit Tridentinum iis verbis: *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur* &c. Vid. sup. n. 500. Certe quando Synodus Trid. definivit, *nullius momenti* esse absolutionem, *quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem*, pro certo credidit, esse aliquos Sacerdotes utraque jurisdictione carentes; quod nedum falsum, sed impossibile prorsus esset, si potestas Ordinis ad valorem absolutionis sufficeret, quemadmodum sufficit ad valide consecrandam Eucharistiam.

512. Inst. Quilibet fidelis, dum se Sacerdoti sistit, ut peccata confiteatur, fit illi subditus, cum tribunal pœnitentiæ pro iis sit institutum, qui sponte ad illud accedere volunt.

513. Resp., liberum quidem esse fidelibus ad pœnitentiæ tribunal accedere, quia in eo exigitur confessio *spontanea*, & non coacta; liberum quoque ut plurimum esse ad hunc, vel alium Confessarium accedere; sed in fidelium potestate non esse eos constituere, qui in hoc tribunali judices sedere debeant; quod ex hactenus dictis liquidum est. Cum enim hæc jurisdictio spiritalis sit, ac supernaturalis, non potest in Confessarium derivari, nisi ab Ecclesia, cui Christus Dominus omnem in res sacras potestatem commisit. Addo, hanc peccatoris libertatem accedendi ad pœnitentiæ tribunal, esse *physicam*, non *moralem*, cum ex divino præcepto ad pœnitentiæ Sacramentum adstringatur.

414. Ob. *tertio*. *Jurisdictio* non est vera potestas; neque enim nomine *potestatis* unquam appellata fuit, nisi a Curialibus. Sacerdotes igitur, qui vera Ordinis potestate pollent, nulla indigent jurisdictione, ut *valide* pœnitentes absolvant. Et absurdum videtur, præter potestatem divinam, quam Sacerdos in Ordinatione recipit, aliam requiri humanam, quam ab Ecclesia recipere debeat.

515. Resp., *jurisdictionem* esse veri nominis potestatem, & quidem a potestate *ordinis* distinctam: in quibusdam enim invenitur *potestas jurisdictionis*, sine potestate ordinis; cujusmodi est in Episcopis electis, & confirmatis, sed nondum consecratis, ut omnes Canonistæ sine controversia docent; & ab opposito invenitur *potestas ordinis* sine jurisdictione, ut in casu nostro Sacerdotis non approbati. Neque vero hæc potestas *jurisdictionis* appellari potest *humana*; ut enim suo loco ostendemus, non lege aliqua humana, sed *jure divino* Episcopi sunt Presbyteris superiores; & jurisdictio, quam illi suis Presbyteris conferunt, est ordinis *supernaturalis*, adeoque non *humana*, sed *divina*. Sane cum Christus Sacramentum pœnitentiæ instituerit instar judicii spiritualis, in quo Sacerdos ipse est judex, *& ratio judicii illud exposcat, ut sententia in subditos duntaxat feratur*, consequens fuit, ut Sacerdos eos pœnitentes absolvere non possit, *in quos ordinariam, aut subdelegatam non habet potestatem*. En quomodo ex ipsa divina hujus Sacramenti institutione fluat necessitas potestatis jurisdictionis ad absolutionis valorem. Quæ ratio fuit a Tridentinis Patribus allata, & ante ipsos a S. Thoma. V. n. 500. (b).

516. Inst. *primo*. Si nihil aliud requiritur ad va-

(a) S. Thomas Quod. XII. quæst. 19. art. 30. eamdem difficultatem his verbis proponit: „Quidam dicunt, quod quilibet Sacerdos potest absolvere quemlibet a quolibet peccato; & licet non bene faciat absolvendo; tamen absolutus est. Et ratio horum fuit, quia simul datur Presbytero in sua ordinatione potestas consecrandi corpus Christi, & potestas clavium; & ideo sicut potest consecrare quamlibet hostiam, ita potest absolvere quemlibet. Sed hoc est erroneum, quia nullus potest absolvere propria auctoritate, nisi eum, qui est aliquo modo sibi subditus, quia actus fiunt in materia propria, & absolutio Sacramentalis habet judicium annexum, & hoc scilicet judicium non est, nisi in subditos, & inferiores. Qui ergo non habet subditum, non potest absolvere; & sic jurisdictio dat materiam Sacerdoti determinatam: secus autem est de hostia, quæ est materia determinata, &c. "

(b) Ad suum paradoxum propugnandum Aloysius Litta aliud multo absurdius commentus est, nimirum absolutionem Sacramentalem esse quidem *actum judicialem*, quemadmodum sub pœna anathematis Synodus Trid. definivit Sess. XIV. cap. 9., fieri tamen per modum *compromissi*, quatenus Deus omnem suam potestatem Sacerdotibus commisit, ut quæ remiserint super terram, remittat & ipse in cælis; pœnitentes postea se eisdem Sacerdotibus subjicientes eum ut arbitrum agnoscunt. Hoc autem posito *compromisso*, nulla alia Sacerdoti opus esse jurisdictione, quam illa, quæ ipsi

valorem absolutionis, quam ut pœnitens constituatur subditus Sacerdotis, saltem consequetur, validam esse absolutionem casuum reservatorum: eam enim absolutionem potest Sacerdos impertiri, tum potestate *ordinis* ipsi immobiliter inhærente, tum etiam potestate *jurisdictionis* eidem collata, dum pœnitens constitutus est ejus subditus: ergo saltem quantum ad casus reservatos falsa est nostra doctrina.

517. Resp., posse ab Episcopo assignari Sacerdoti alicui subditos in quadam determinata materia, & non in omni; quemadmodum homines a Deo constituti sunt subditi Potestatibus sæcularibus in rebus civilibus, iidem sunt subditi Ecclesiæ in rebus spiritualibus, quæ ad religionem spectant. Eadem ratione possunt fideles pœnitentes ab Ecclesia subdi Confessario in quibusdam materiis, & non in omnibus. Sic etiam videmus quibusdam Sacerdotibus subdi in tribunali pœnitentiæ viros, & non fœminas, tum personas sæculares, sed non regulares.

518. Inst. *secundo*. Si ad valorem absolutionis Sacerdoti necessaria esset jurisdictio ordinaria, vel subdelegata ab Episcopo accepta, eadem absolutio non in nomine Jesu Christi, sed in nomine Episcopi daretur; quod falsissimum est. *Ulterius*, in periculo mortis quilibet Sacerdos *valide* absolvit, non utique *potestate jurisdictionis*, quam non habet, sed *potestate ordinis*: ergo etiam extra illud periculum *valide* absolvet, quamvis non *licite* propter Ecclesiæ prohibitionem.

519. Resp., ad *primum*, duplici ex causa absolutionem fieri nomine Jesu Christi; tum quia effectus Sacramenti, nempe gratia justificans, a Christo capite pœnitenti communicatur; tum quia *jurisdictionis potestas*, quamvis Episcopo Sacerdoti communicetur, suam tamen originem a Christi institutione habet. Alterum facillime expeditur, dicendo, omnibus Sacerdotibus esse ab Ecclesia concessam *potestatem jurisdictionis* absolvendi in articulo mortis, & quidem sine ulla prorsus restrictione: *veruntamen*, inquit Tridentinum cap. 7., *pie admodum*, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, *in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, *ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis*, *& censuris absolvere possunt*. Quibusnam luculentioribus verbis poterat Synodus Trid. omnibus indiscriminatim amplissimam jurisdictionis potestatem tribuere, restrictam tamen ad articulum mortis? Unde subdit: *Extra quem articulum Sacerdotes*, *cum nihil possint in casibus reservatis*, *id unum pœnitentibus persuadere nitantur*, *ut ad superiores*, *& legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant*.

520. Ob. *quinto*. Quidquid sit de absolutione casuum reservatorum data a simplici Sacerdote, inde tamen non potest inferri, nullas esse etiam absolutiones datas a Parochis in casibus reservatis Episcopo, aut ab Episcopis in casibus reservatis summo Pontifici; tum quia a Trid. in can. 11. solius *Sacerdotis*, non autem Parochorum, aut Episcoporum fit mentio; tum etiam quia non potest hæc reservatio fieri, nisi per subtractionem subditorum: at vero neque Parochis, neque Episcopis possunt subtrahi subditi, nisi per subtractionem officii, cui subditi necessario addicti sunt: cum ergo in reservatione casuum non subtrahatur officium, nec subditi subtrahuntur, adeoque &c.

521. Resp. ad *primum*, quamvis in can. 11. expressa non fiat Parochorum, aut Episcoporum mentio, eos tamen in eodem canone omnino includi luculenter apparet ex cap. 3. doctrinali, cui canon 11. respondet. In capitulo enim doctrinali, ubi dicitur, *nullius momenti* esse absolutionem, quam Sacerdos in casibus reservatis profert, & extra articulum mortis Sacerdotes *nihil posse in casibus reservatis*, certum est includi etiam Parochos respectu Episcoporum, & Episcopos respectu summi Pontificis, quia, ut ibidem additur, *Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita*, *causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare*; tum similiter hoc idem *licere Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi pro illis tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate*. Si igitur verum est, ut verissimum esse quilibet Catholicus fateri debet, habere Episcopos in sua diœcesi supra reliquos inferiores Sacerdotes, & Pontificem maximum in Ecclesia universa auctoritatem, causas aliquas criminum graviores suo peculiari judicio reservandi, luculentissime apparet, in eo capitulo doctrinali ablatam esse tum Parochis, tum Episcopis *respective* in casibus reservatis absolvendi jurisdictionem. Jam vero, ne absurdissime dicamus, canonem repugnare capitulo doctrinali, manifeste sequitur, nomine *Sacerdotis*, qui a reservatis *vere* absolvere non potest, intelligi etiam Parochos, & Episcopos, quorum jurisdictio, licet ordinaria, per superiorem auctoritatem certis limitibus est circumscripta.

522. Resp. *ad secundum*, posse Parochis, & etiam Episcopis subditos subtrahi, non sublato officio: ut quando primis portio parochiæ, secundis vero portio diœcesis subtrahitur: salva igitur sua dignitate potest Parochus, vel Episcopus aliquem subditorum numerum amittere, vel acquire-

a compromittentibus datur. Sed quam multi, & quam graves ex hoc novo *compromissi* commento consequantur errores, immo hæreses, atque impietates, luculenter ostendit doctissimus P. Herm. Christianopolus in suo egregio opusculo *Della nullità delle assoluzioni ne' casi riservati*; quem potissimum in hac controversia legendum consulo, cum nostrum institutum non sinat omnia Littæ sophismata, atque enormes aberrationes prolixius detegere, atque emendare.

rere: cur igitur non poterit eadem ratione aliquam partem suæ jurisdictionis amittere propter subtractionem alicujus partis materiæ, quæ superiori potestati reservatur? Id profecto exigit ratio ordinis hierarchici, quem Christus ipse in sua Ecclesia constituit, ut Parochi suis Episcopis, & Episcopi Rom. Pontifici subditi sint, ad unitatem Ecclesiæ servandam, ne *tot in Ecclesia efficiantur schismata, quot Sacerdotes*, ut inquiebat S. Hieronymus in Dial. adv. Luciferianos. Et si Episcoporum jurisdictio amplissimæ summi Pontificis auctoritati subjecta est, evidentissime sequitur, eamdem jurisdictionem posse ad certa loca, atque ad certas etiam personas restringi, juxta morem in toto orbe catholico vigentem. Et hæc satis de gravissima hac controversia, quam nonnulli, qui se jactant veteris & purioris Ecclesiæ disciplinæ restauratores, reipsa tamen se ostendunt rerum novarum cupidos, & sanctæ, atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ osores, non ita pridem excitarunt.

DISSERTATIO VII.

De Sacramento extremæ unctionis.

Quintum hoc est novæ legis Sacramentum, quod variis nominibus appellatum fuit, habita ratione vel materiæ, vel formæ, vel subjecti, vel temporis, vel effectus. Ratione materiæ dictum est *oleum sanctum*; & a Græcis ἅγιον ἔλεον; ratione materiæ, & formæ *oratio olei*, seu *oratio cum unctione conjuncta* εὐχέλαιον, ratione subjecti *oleum infirmorum*; ratione temporis *Sacramentum exeuntium*, vel *extrema unctio*; ratione effectus *pœnitentiæ consummativum*, quia reliquias peccatorum delet: quamobrem Synodus Trident. post Sacramentum pœnitentiæ statim de extrema unctione merito agendum censuit. Sed de nominibus satis, nunc de re ipsa.

2. Definiri, aut potius describi solet illud Sacramentum, quo Christiani in mortis periculo constituti a Sacerdotibus cum certa verborum formula oleo ab Episcopo consecrato inunguntur in septem corporis partibus, nempe oculis, auribus, naribus, ore, manibus, renibus, ac pedibus. Quamquam S. Thoma observante in *Suppl.* quæst. 32. art. 6., duæ unctiones in renibus, ac pedibus non semper, nec ab omnibus servantur; & unctio quidem in renibus honestatis, ac pudoris causa semper omittitur in fœminis; absolute autem non est necessaria nisi unctio quinque sensuum, oculorum, aurium, narium, oris, & manuum. Immo validum esse Sacramentum plerique existimant, etiamsi una tantum pars corporis inungatur. Vid. Benedictus XIV. *De Syn.* Lib. VIII. cap. 5. Strictius autem definiri potest *Sacramentum, quo confertur gratia sanctificans, una cum auxiliis necessariis ad ferendas ægritudinis molestias, ad superandas tentationes, ac etiam ad recuperandam salutem corporis, si saluti animæ expediat.*

3. De extrema unctione Synodus Trid. Sess. XIV. quatuor edidit canones, in quorum primo statuitur, eam esse *vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, & a beato Jacobo Apostolo promulgatum:* in secundo, ejus effectum esse *conferre gratiam, remittere peccata, & alleviare infirmos:* in tertio, *unctionis ritum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, non repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli; ideoque nec mutari, nec a Christianis posse sine peccato contemni:* in quarto denique, *hujus Sacramenti ministros esse solos Sacerdotes ab Episcopo ordinatos*. Hæc quatuor doctrinæ capita contra Novatores a Tridentino definita confirmare, ac defendere, nostri instituti est. Primum itaque de capitali dogmate diligenter agemus, postea brevius de reliquis.

CAPUT I.

Ostenditur contra Protestantes, extremam infirmorum unctionem, cujusmodi fit in Ecclesia Romana, esse vere, & proprie novæ legis Sacramentum (a).

4. Probant hoc Ecclesiæ dogma Patres Tridentini, ac post eos omnes Theologi illis verbis Jacobi, V. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat* (græce προσκαλεσάτω *advocet*) *Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei:* „ Quibus verbis, subdunt Patres, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, (Jacobus) docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti (b). "

5.

(a) Non ita facile est, ex veteribus hæreticis aliquos denominare, qui extremam morientium unctionem a numero Sacramentorum expunserint, antequam Lutherus, & Calvinus duobus tantummodo Sacramentis contentos nos esse jusserint. Accusantur quidem hujus impietatis Waldenses, Wiclefitæ, & Hussitæ; sed hæc accusatio certis testibus non comprobatur, ut viri docti scite observarunt. Primus igitur, ut equidem reor, Lutherus *De Captiv. Babylon.* catholicos reprehendere ausus est, quod Jacobi Apostoli verba cap. V. 14. de unctione sacra, quasi verum, & proprium esset Sacramentum, perperam interpretati fuerint, ipsam tamen unctionem tollere non est ausus. Calvinus autem more suo furens Lib. IV. *Institut.* cap. 19. num. 18. *Fictitium*, inquit, *Sacramentum est extrema unctio, histrionica hypocrisis, quam citra rationem, & sine fructu Apostolum referre* (Catholici) *volunt*. Hinc communiter Protestantes negant unctionem infirmorum esse in Sacramentis numerandam.

(b) Jure reprehenditur Card. Cajetanus ab implacabili ejus castigatore Catharino, quod Jacobi locum *de Sacramentali unctione extremæ unctionis* intelligi non

5. Probatur præterea ex traditione Apostolica, quam Patres Trident. insinuant. Quamquam enim in paucissimis illis monumentis, quæ ex duobus primis sæculis ad nos pervenerunt, nulla fiat hujus Sacramenti mentio; occurrit tamen tertio sæculo testimonium Origenis, qui Homil. II. in Levit. postquam Sacramentum pœnitentiæ descripsit, sacram unctionem, quæ ejusdem quasi complementum habebatur, statim memorat inquiens: *In quo impletur & illud, quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur &c.* Clarius locuti sunt Patres sequentium sæculorum. Nam Chrysostomus Lib. III. *De Sacerdotio* dignitatem, & utilitatem Sacerdotum extollens, *non solum*, inquit, *nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: Infirmatur, inquit Apostolus, inter vos aliquis &c.* En quomodo ambo isti Ecclesiæ græcæ Patres in sacra illa unctione agnoscunt non solum corporis sanitatem, sed etiam peccatorum remissionem, qui effectus spiritualis nonnisi per Sacramentum produci potest.

6. Ex Latinis occurrit Innocentius I., qui in epist. ad Decentium vetat pœnitentibus sacrum oleum infundi, *quia genus est Sacramenti*, (idest unum ex Sacramentis); *nam a quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Atque hæc pauca testimonia sufficere videntur ad confirmandam traditionem, quæ etiam per quotidianam consuetudinem fidelium ad nos potuit pervenire. Et reipsa pervenisse, vel ex eo solum certo colligere possumus, quod omnes quotquot sunt communiones Christianæ, licet a nobis longissime dissitæ, linguis, ac moribus admodum diversæ, ac diro schismate a nobis, & ab invicem separatæ, in hoc tamen Sacramento una cum aliis recipiendo mire consentiunt, quod evidenter demonstratum fuit Diss. I. n. 221. seq., ita ut hodierni Novatores soli, & ab omnibus aliis Christianis hac in parte separati inveniantur.

7. Accedit illa theologica ratio, quam Sanctus Thomas in *Supplem.* qu. 29. art. 1. ita proponit: *In his, quæ Ecclesia visibiliter operatur, quædam sunt Sacramenta, ut baptismus, quædam Sacramentalia, ut exorcismus. Quorum est hæc differentia, quod Sacramentum dicitur illa actio Ecclesiæ, quæ attingit ad effectum principaliter intentum; sed Sacramentale dicitur illa actio quæ quamvis non pertingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem. Effectus autem intentus in administratione Sacramentorum est curatio morbi peccati .... Et ideo cum ad hunc effectum pertingat extrema unctio, ut ex verbis Jacobi patet, nec ordinetur ad aliud Sacramentum, quasi ei annexum, constat, quod extrema unctio non est Sacramentale, sed Sacramentum.* Sed præstat legere, & bene ponderare hanc ipsam rationem ab eodem S. Doctore expositam Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 75.

8. Ob. contra verba S. Jacobi, quæ totum fundamentum continent nostri dogmatis. *Primo*, certum non est, eam epistolam esse canonicam: hanc enim Lutherus, & nonnulli alii inficiati sunt (Vid. dicta Tom. VI. P. II. Diss. II. ad n. 10.). *Præterea*, locus ille Jacobi intelligendus est de unctione facta ad obtinendam gratiam curationis ab infirmitate corporis, de qua loquitur Paulus I. Corinth. XII. 9., & expressius Marcus VI. 13. referens, quod Apostoli in prima sui missione *ungebant oleo multos, & sanabantur*. Cum autem gratia illa curationum jamdiu in Ecclesia evanuerit, unctio etiam infirmorum cessare debuit, utpote quæ a Jacobo præcepta fuerit pro eo tempore solum, quo hujusmodi Dei benedictione fruebatur Ecclesia. Certe, inquit Calvinus, non minus frustra ædificaretur natatoria Siloe ad immergendos male habentes, vel mortuis incubaretur, ut reviviscerent, vel luto, & sputo oculi cœcorum inungerentur, ut visum reciperent. *Tertio*, Jacobus omnes infirmos vult inungi; nos autem nonnisi in extremis jam cum morte luctantes. Si autem verum esset, hac unctione vel morbi acerbitatem leniri, vel saltem aliquod animæ solatium adferri, crudeles forent, qui extremam horam ad hoc remedium expectant. *Quarto*, unctio, quam præcipit Jacobus, & qua utebantur Apostoli, non erat nisi olei vulgaris, ac communioris: nos autem adhibemus oleum ab Episcopo consecratum (quod Calvinus impura sua lingua vocat *multo murmure incantatum*) diversa est igitur &c.

9. Resp. ad *primum*, canonicam esse epistolam S. Jacobi, jam constare apud omnes, atque apud ipsos Lutheri gregarios, ut temporis dispendium foret in his immorari. *Hodie*, inquit Buddeus magni nominis apud Lutheranos, *inter omnes constat, & Jacobum Apostolum esse hujus epistolæ auctorem, & divinam ejus esse auctoritatem*. Id ipsum Calvinus fatetur. Vid. Tom. VI. P. II. Diss. II. cap. 1. n. 10.

10. Ad *secundum* patet, pluribus de causis illum Jacobi locum non posse intelligi de gratia curationum, de qua loquuntur Paulus, & Marcus; *primo*, quia hæc gratia non omnibus promiscue data erat, sed quibusdam solum juxta divisiones gratiarum a Paulo commemoratas 1. Corinth. XII. Jacobus autem generaliter præcipit, ut adducantur

Pre-

posse, probare conatus fuerit. Excusari tamen Cajetanus *aliquatenus* potest, quod id scripserit ante Concil. Trid. Minus excusandus Catharinus, quod memoriæ piissimi, ac doctissimi Cardinalis nimis acriter insultaverit; præcipue cum Cajetanus aperte confessus fuerit, extremam unctionem esse verissimum nostræ religionis Sacramentum; ac de ipsa nostra religione multo magis meritus sit, quam Catharinus, qui sæpius in rebus theologicis cespitavit.

Presbyteri quicumque. *Secundo*, quia gratia illa curationum non se extendebat ad effectus spirituales: scimus enim, ex decem leprosis a Christo mundatis nonnisi unum gloriam Deo dedisse, ceteros vero in sua infidelitate permansisse Lucæ XVII.; gratia autem unctionis effectum habet spiritualem dimittendi peccata, qualis est in aliis Sacramentis: *Si in peccatis sit, dimittentur &c.* (*a*).

11. Quæ autem affert Calvinus de natatoria Siloe, de cubatione super mortuos, de luto, sputo &c., nihil omnino ad rem pertinent, cum hic non agatur de miraculis, quæ extra ordinem divina virtute olim facta sunt, sed de Sacramento, cujus primarii effectus sunt spirituales, scilicet mundatio a peccatorum reliquiis, robur ad pugnandum cum dæmone, fortitudo ad tolerandas ægritudinis molestias, quibus etiam sanitas corporis additur, si ad bonum spirituale animæ utilis sit.

12. Tertiam difficultatem solvit S. Thomas in *Supplem.* qu. 32. art. 2. inquiens: *Hoc Sacramentum est ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam, & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod ægritudo nata est inducere mortem, & de periculo timetur*. Quamvis autem S. Jacobus hanc distinctionem non exprimat, eruitur tamen *primo* ex eo quod Jacobus non jubeat, infirmum pergere, vel deferri ad Sacerdotes, quod in levibus infirmitatibus fieri potuisset, sed *inducere*, vel advocare Presbyteros, quod solum in gravioribus morbis necesse est. Eruitur *secundo* ex perpetua, & constanti Ecclesiæ consuetudine; unde etiam Eugenius IV. in Decreto non dandum esse *hoc Sacramentum*, inquit, *nisi infirmo, de cujus morte timetur*. Et Synodus Trid. Sess. XIV. cap. 3. inquit: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur; unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur* (*b*).

13. Ad *postremum*, libenter sciscitarer a Calvino, undenam sciverit, oleum præscriptum a Jacobo pro unctione infirmorum fuisse vulgare, & commune? Licet autem in illa Apostolica epist. nihil de olei consecratione dicatur, cum tamen consideramus Ecclesiæ praxim adhibendi oleum benedictione consecratum, pronum est concludere, id nonnisi ex Apostolica traditione descendere, juxta regulam alibi traditam ex S. Augustino (Dissert. VI. num. 509.) quod ea, quæ ubique in Ecclesia custodiuntur, nec in aliquo Concilio statuta fuere, ab Apostolis sint repetenda. *Ulterius*, id testantur Patres posteriorum sæculorum, ut Beda in Comment. ad cap. VI. Marci dicens: *ab ipsis Apostolis hunc S. Ecclesiæ morem traditum, ut ... ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato*. Et Concilium Cabilonense II. an. 813. cap. 48. inquit: *Secundum beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent*.

14. *Præterea*, ut recte ratiocinatur Angelicus in *Supplem.* qu. 19. art. 6., *Minister Sacramenti non inducit effectum Sacramenti propria virtute, ut principale agens, sed per efficaciam Sacramenti, quod dispensat; quæ quidem efficacia primo est a Christo, & ab ipso in alios descendit ordinate, scilicet in populum mediantibus ministris, qui Sacramenta dispensant, & in ministros inferiores mediantibus superioribus, qui materiam sanctificant. Et ideo in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiæ fit per Episcopum, & usus quandoque per Sacerdotem, ut ostendatur Sacerdotalis potestas ab Episcopali derivata* (*c*).

15. Instant *primo*. Verba S. Jacobi debere intel-

(*a*) Oleum benedictum fuisse a fidelibus antiquitus adhibitum ad corporis sanitatem obtinendam, minime inficiamur; sed noster Angelicus in *Suppl.* quæst. 31. art. 1. ad 2. respondet: „ Illas unctiones non fuisse Sacramentales; sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentium, vel oleum mittentium consecutum fuisse effectum sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non autem per gratiam Sacramentalem. "

(*b*) Græci sanos, & bene valentes in ipsa Ecclesia solent sacro oleo linire in remissionem peccatorum. Ita testatur Leo Allatius *De Cons. Eccles. Occident. & Orient.* Lib. IX. cap. 16., & Petrus Arcudius Lib. 5. *Concord.* cap. 4., ubi suis contribulibus vitio vertit, *quod contra doctrinam apostolicam sanos ungant*. Noster tamen Jac. Goarius in not. ad officium S. Olei putat, *primo* non omnes, qui dicuntur in ipsa Ecclesia oleo sancto liniti, fuisse sanos, sed aliquos pauperes graviter infirmos, qui se ad Ecclesiam deferri curabant, ut ibi hoc Sacramento munirentur: *secundo*, non semper istas unctiones fuisse *Sacramentales*, sed aliquando factas ad consolationem animæ spiritualem extra Sacramentum; *tertio* fortasse fuisse duplex oleum ab Episcopo benedictum, alterum pro infirmis, alterum pro sanis; quod Goarius colligit ex D. Gregorii Sacramentario juxta lectionem Codicis Rhemensis apud Hugonem Menardum, ubi de Episcopo dicitur; *Benedicit oleum pro infirmis, sive pro populo, &c.* Vid. Renaudotius Lib. V. *Perpet.* cap. 3., ubi ostendit, unctionem in Ecclesia Orient. sanis collatam non esse *Sacramentalem*, sed *cæremonialem*. Sunt etiam quædam exempla peculiaria virorum sanctorum, qui licet sani divinitus edocti de morte sibi imminente hoc Sacramento muniri voluerunt. Sed hæ sunt dispensationes ab ordinaria lege non imitandæ. Ita Benedictus XIV. *De Syn.* Lib. 8. cap. 5. & seq.

(*c*) Oleum infirmorum non esse commune, & vulgare, sed benedictum, & consecratum, nemo Catholicorum dubitat; quæstiones tamen excitatæ sunt, *primo*, an hæc benedictio ex Christi institutione, an vero ex solo Ecclesiæ præcepto sit necessaria? Hoc enim secundum placuit gravissimis Theologis Franc. de Victoria in *Summa de Sacram.* n. 216., Sambovio Tract. *de Ext. Unct.*, & Juenin Dissert. VII. qu. 3. cap. 1.

telligi, quemadmodum communiter intelligitur verba apud Marcum VI. 13., fatentur ipsi Patres Tridentini, dum inquiunt cap. 1., fuisse hoc Sacramentum apud Marcum *insinuatum*; atqui apud Marcum non agitur, nisi de corporis sanitate, non autem de spirituali aliquo effectu in anima, quem Sacramenta semper producunt; ergo &c.

16. Resp. neg. maj.; neque vero Synodus dixit, aut credit, verbis illis apud Marcum designari institutionem Sacramenti extremæ unctionis, sed solum aliquam insinuationem, seu *adumbrationem*, ut explicat Card. Pallavicinus Lib. XII. in fine cap. 12., ut quemadmodum per illam unctionem ægroti miraculose corporalem recipiebant sanitatem, ita per istam unctionem, & corporalem, si saluti animæ expediat, & spiritualem acciperent, nempe vim ad morbi molestias patienter tolerandas, ad superandas tentationes, & ad delendas peccatorum reliquias (a).

17. Inst. *secundo*. Si ex verbis sancti Jacobi colligeretur, unctionem infirmorum esse Sacramentum, deberet a pluribus Sacerdotibus administrari; atqui communiter unus Sacerdos id facit; licet enim plures adsint, unus tamen solummodo tingit infirmum: ergo &c.

18. Resp. S. Thomas IV. *Cont. Gent.* cap. 73. *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes intersint, & quod oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet; unde Jacobus dicit:* Inducet Presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei sanabit infirmum: *Si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit, & cujus personam gerit*. Neque obstat numerus pluralis adhibitus a S. Jacobo: observant enim interpretes post S. Augustinum Lib. III. *De consensu Evangelistar*. cap. 16. non raro adhiberi numerum plurium, ad designandum aliquem, ut sensus Jacobi sit: *Inducat aliquem ex Presbyteris*.

19. Inst. *tertio*. Unctio illa, quam præcipit Jacobus, non habet vim obtinendæ sanitatis, & remittendi peccata, nisi propter preces Ecclesiæ; inquit enim: *Et orent super eum .... Et oratio fidei salvabit infirmum:* atqui Sacramentorum efficacia in sententia Catholicorum non dependet ab oratione, seu, ut dici solet, *ab opere operantis*, sed *ab opere operato:* ergo &c.

20. Resp., orationem hic a Jacobo memoratam esse ipsam hujus Sacramenti formam, cui tribuitur ejusdem Sacramenti effectus: *oratio fidei salvabit infirmum*. Sicut autem baptismus vocatur *Sacramentum fidei*, ita vocari potest etiam hoc Sacramentum, quod operatur in fide Ecclesiæ, non autem ex fide ministrorum, vel suscipientium, prout de baptismate dictum est. Sane si a sola oratione effectus penderet, unctio esset supervacanea; quam tamen necessariam esse aperte dicit Jacobus: *orent super eum, ungentes* &c.

21. Ob. *secundo* Dallæus silentium veterum, Justini, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Epiphanii &c., contendens nullam prorsus hujus *aliptici* Sacramenti mentionem inveniri primis tribus, vel quatuor Ecclesiæ sæculis; in quibus tamen Baptismi, Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ frequens memoria occurrit. Hinc conjicit Calvinista, unctionem illam Jacobæam non fuisse, nisi ad corporis sanitatem impetrandam; cum autem hæc gratia curationum post Apostolorum morem cessaverit, nulla postea habita fuit hujus unctionis ratio.

22. Huic argumento negativo, quo sæpe utitur Dallæus, jam alibi responsum fuit, sufficere traditionem oralem, quæ præcipue in Sacramentis servata fuit, cum eorumdem usus esset in Ecclesia perpetuus, & de patribus ad filios continua successione pertransiret. Causæ autem, cui in primorum sæculorum monumentis aut nihil, aut parum de nostris mysteriis inveniatur, multæ esse potuerunt; nempe inopia veterum monumentorum (de qua legendum opusc. P. Ansaldi *De causis inopiæ vet. monum.*); tum quod parum scripserint veteres Ecclesiæ Pastores, Evangelii prædicationi, fidelium instructioni, Sacramentorum administrationi, aliisque ecclesiasticis muniis obeundis, curisque distenti; tum etiam quia ex ipsis paucis scriptis temporis edacitas nonnulla nobis eripuit. Alia causa fuit *disciplina arcani*, quæ tempore persecutionum diligenter observabatur, ne re-

concl. 3.: qua posita sententia sequeretur, extremam unctionem administratam oleo non consecrato esse quidem illicitam, non tamen invalidam; immo in casu necessitatis, etiam licitam esse. Alii autem fere communiter docent, aliquam consecrationem olei esse in hoc Sacramento necessariam; hanc tamen posse etiam a simplici Sacerdote impertiri ex commissione, sive expressa, sive tacita Rom. Pontificis. Sane in Ecclesia Orientali mos est antiquissimus, ut Presbyteri oleum benedicant, cum infirmis hoc Sacramentum conferunt. Unde Clemens VIII. decrevit, Italo-græcos cogendos non esse, *olea sancta, præter chrisma, ab Episcopis Diœcesanis accipere*; quod Clementis decretum fuit a Benedicto XIV. in sua Constit. 57. confirmatum.

(a) Mentitur Polanus, seu Sarpius, dum scribit, primum in decreto fuisse positum, hoc Sacramentum a Christo *institutum* Marci VI.; sed postea Patres a quodam Theologo admonitos vocem *institutum* mutasse in vocem *insinuatum*. Mentitur inquam; nam præter quam quod aliter nos docent illius Synodi Acta, incredibile prorsus videtur, Theologos illos doctissimos ignorasse; quæ veteres Scholarum principes, Hugo Victorinus, Magister sententiarum, Alexander Alensis, SS. Bonaventura, & Thomas docuerant, dum Sacramenti extremæ unctionis institutionem solum ex epist. Jacobi, non autem ex Marci Evangelio repetebant. Quamquam non ignoro, inveniri Theologos, qui Sacramentum hoc repetunt ex illa Apostolorum unctione, quæ refertur Marci VI.

religionis nostræ mysteria a Gentibus profanarentur, unde præter pauca quædam doctrinæ capita, quæ omnino celari non poterant, alia scitu non necessaria vel ipsis Catechumenis abscondebantur. Ceterum nonnulla ex tertio, & quarto sæculo veterum Patrum testimonia superius allegavimus n. 5., & multo plura potuissent allegari ex sæculis posterioribus (*a*).

23. Inst. *primo* Dallæus. Etiam post V. sæculum nulla occurrunt exempla morientium, qui hoc extremæ unctionis Sacramento muniti fuerint; cum tamen nonnulla legantur eorum, quibus Eucharistiæ communio in extrema ægritudine conferebatur. Sic extremæ unctionis non meminit Eusebius in *Vita Constantini*, non Athanasius in *Vita S. Antonnii*, non Gregorius Nazianz. in *Vita sororis suæ Gorgoniæ*, in *Orat. patris sui Gregorii*, & in *Laud. S. Basilii;* non Gregorius Nyssenus mortem describens Gregorii Thaumaturgi, Ephræmi, & Macrinæ sororis suæ; non S. Ambrosius, quando Satyrum fratrem suum, & Theodosium Augustum laudavit; non Severus Sulpitius agens de S. Martino; non Metaprhastes de Jo. Chrysostomo; non Paulinus in vita S. Ambrosii, non Hieronymus scribens de Nepotiano, Paula, & Marcella, nec demum Possidius vitam exhibens S. Augustini.

24. Resp., Dallæum eadem semper chorda oberrare, dum nostris positivis argumentis silentium aliorum opponit; quod silentium multis de causis oriri potuit; ac præcipue, quia Sacramentum hoc, tamquam pars, vel appendix, seu ut loquitur Tridentina Synodus, *consummativum pœnitentiæ existimatum est a Patribus*. Quamobrem commemorata morientium pœnitentia, *implicite* commemorabatur etiam extrema unctio. Ita ex gr. Possidius de S. Augustino scribit, *Sentiebat, post perceptum baptismum, etiam laudatos Christianos, & Sacerdotes, absque digna, & competenti pœnitentia exire de corpore non debere; quod etiam ipse fecit ultima, qua defunctus est, ægritudine*. Id eo probabilius efficitur, quod priscis temporibus extrema unctio *sæpe* ante viaticum dari consueverat; unde quando sumptio Eucharistiæ commemoratur, *implicite* indicatur etiam receptio extremæ unctionis, quæ præcesserat. Ceterum ex sæculis subsequentibus non unum, sed valde multa exempla afferri possunt extremæ unctionis *expresse*, & *distincte* commemoratæ. Et cum nullum Protestantes hactenus allegare potuerint hujus Sacramenti initium, nos jure nostro concludimus, illud ex primo, & apostolico ævo descendere. Et si hujusmodi argumentatio ex silentio desumpta adhibeatur, quot, & quanta neganda erunt, quorum nulla expressa mentio apud veteres habetur? Sæpe etiam nec confessio Sacramentalis, nec sumptio Eucharistiæ commemoratur; dicendumne erit propterea, pœnitentiam, aut sacrum viaticum fuisse a sanctis viris neglecta? Quin potius dicamus, hæc, quæ erant omnibus fidelibus communia, peculiarem illam commemorationem non meruisse, quæ solis heroicis, ac singularibus eorumdem virtutibus debebatur. Ceterum non desunt exempla Sanctorum, quibus datam fuisse extremam unctionem aperte innuitur; præsertim in sæculis posterioribus, quæ perperam contemnit Dallæus, tamquam ab apostolico ævo nimis remota.

25. Dixi, hoc Sacramentum ante Eucharistiam antiquitus *sæpe* dari consuevisse, non autem *semper:* suppetunt enim monumenta contraria; ut illud S. Eligii Noviomensis Episcopi, qui ita fideles exhortabatur: *Qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam corporis, & sanguinis Christi cum fide, ac devotione accipiat; oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum in nomine Christi ungat* (vel ut alii legunt, *ungatur*), *& secundum Apostolum oratio fidei salvabit infirmum, & allievabit eum Dominus, & non solum corporis, sed etiam animæ sanitatem recipiet*. Vid. Eligii vita Lib. II. cap. 15. Tom. V. Spicilegii (*b*).

26. Inst. *secundo*. Omnia Sacramenta novæ le-

(*a*) Famosi centuriatores Magdeburgenses Centuria 6. nimia evidentiæ vi coacti hæc ecclesiasticis suis monumentis consignarunt: *Chrysostomus, unus ex vetustioribus Ecclesiæ Patribus, verbis Jacobi probat, Sacerdotes potestate pollere remittendi peccata extrema unctione, quæ simplex cæremonia non est, sed Ecclesiæ JESU CHRISTI Sacramentum*. Suspecta adversariis esse non deberet hæc illorum confessio, qui infensissimi fuerunt Ecclesiæ Rom. hostes. His addimus recentioris Calviniani testimonium, nempe Chamierii, qui Lib. IV. *De Sacram.* cap. 21. contra Magistri sui Calvini dictata, & contra suum consodalem Dallæum negare non est ausus, sacram unctionem a Jacobo præscriptam semper fuisse in usu, solum contendit, eamdem non fuisse habitam, ut novæ legis Sacramentum. Verum quando ab istis eruditissimis viris aliquod petimus certum documentum, quandonam hæc sacra unctio ab antiquis semper adhibita reputari cœperit verum novæ legis Sacramentum, aqua illis hæret, nec nisi vanas, ac frivolas conjecturas adducunt, quas argutis, atque ad decipiendum compositis verbis probabiles efficere conantur. Facile quidem iis est, asserere, unctionem curationum, quæ Marci 6. commemoratur, sensim ac sensim fuisse pro Sacramento usurpatam; sed quando, & quibus, & qua occasione id fieri cœperit, aliquibus documentis comprobare, hoc opus, hic labor est. Quanto melius, immo certo nos ex quo posterioribus sæculis extrema unctio passim, & ubique inter vera Ecclesiæ Sacramenta numerata sit, colligimus, hanc eamdem fuisse primorum Ecclesiæ sæculorum fidem perpetua traditione a Patribus in filios, serosque nepotes derivatam.

(*b*) Hoc S. Eligii testimonium, si cetera deessent, manifeste evincit, parum considerate in Synodo Pistoriensi an. 1780. in decreto *De extrema unctione* sic dictum: *Fino al Secolo XII. se si eccettua qualche caso particolare, fu pratica costante in tutte le Chiese di amministrare l' estrema unzione agli infermi avanti l' Eucaristia*. S. Eligius sedem Episcopalem Noviomensem tenuit usque ad ann. 659., quo jam septuagena-

legis fuerunt in vet. testam. præfigurata; sed nulla invenitur extremæ unctionis figura: ergo &c.

27. Resp. S. Thomas in *Supplem.* quæst. 29. art. 1. ad 2. „ quod hoc Sacramentum immediate „ hominem ad gloriam disponit, cum exeuntibus „ a corpore detur. Et quia in veteri lege non erat „ tempus adhuc perveniendi ad gloriam, quia *ne-* „ *minem* (Vulg. *nihil*) *ad perfectum adduxit* „ *lex* Hebr. VII. 19., ideo istud Sacramentum „ præfigurari non debuit per aliquod Sacramen- „ tum sibi correspondens, sicut per figuram ejus- „ dem generis, quamvis per figuras remotas ali- „ quo modo figuratum sit in omnibus curationi- „ bus, quæ leguntur in vet. testamento."

28. Inst. *tertio*. S. Epiphanius *Hær.* XXXVI. & S. Augustinus *Hær.* XVI. Heracleonitas accusant, quod suos morientes ungerent oleo, putantes eosdem hac unctione redimi.

29. Resp., eam unctionem merito fuisse condemnatam, quod superstitionum esset plena, quas Epiphanius describit. Insinuat autem S. Augustinus dicens, *Feruntur autem suos morientes novo modo quasi redimere, idest per oleum, balsamum, & aquam, & invocationes, quas hebraicis verbis dicunt super capita eorum*. Ab his quamlongissime abest extremæ unctionis Sacramentum. Inepta vero est argutiola Dallæi, quod hic S. Doctor, refellens Heracleonitas, nihil dicat de Sacramento extremæ unctionis. Inepta inquam: Augustinus enim eo in Libro solum historice hæreses refert, non autem dogmatice confutat, quod sibi proposuerat in altera ejusdem Libri parte, quam postea vel non absolvit, vel edacitas temporis nobis invidit.

30. Ob. *ultimo*. Non desunt in Oriente populosæ Christianorum communiones, quæ minime agnoscunt extremæ unctionis Sacramentum. Id de Cophtis testatur Thomas a Jesu Lib. VII. *Contro*v. P. I. cap. 5. dicens: *Infirmis oleum sanctum non administratur*. Id quoque testatur de Abyssinis, seu Æthiopibus ibid. cap. 6.; unde eorum Orator Zaga Zabo apud Damianum a Goez *De Æthiopum moribus: Sciendum*, inquit, *apud nos Chrisma, sive extremam olei unctionem pro Sacramento non haberi, nec in usu esse*. His testibus accedit Jobus Ludolphus rerum Æthiopicarum peritissimus, negans pariter, extremam unctionem ab ipsis, ut Sacramentum, agnosci. Indos quoque, seu Christianos S. Thomæ extrema unctione minime uti, refert Brerevoodus, idipsum addens de Moschis. Immo sæc. XI. de quibusdam ita scribebat Elfricus in can. 32.: *Quidam ægroti consecratum oleum nihil pendunt, & in ægritudine sua se non concedunt ungi*. Græci quidem videri possunt cum Latinis convenire in ungendis infirmis; sed si eorum ritus intimius observemus, facile apparebit, eorum unctionem nihil prorsus habere cum nostra commune: non *ministrum*, quia apud ipsos septem, vel ad minimum tres adhibentur; non *materiam*, quia ipsorum oleum non est ab Episcopo consecratum; non *formam*, quia ipsi utuntur *indicativa*, nos vero *deprecativa*; non *subjectum*, quia nos nonnisi graviter infirmos ungimus; illi autem quoscumque, immo etiam sanos.

31. Resp., quantum ad nationes illas Christianas, quæ neglectæ extremæ unctionis a plerisque accusantur, alibi (Dissert. I. num. 233.) responsum fuit, fidem hujusmodi accusationibus facile adhibendam non esse, cum certiora suppetant monumenta, quibus evincitur, hoc Sacramentum in omnibus plane, non solum catholicis, sed etiam schismaticis communionibus obtinere; exceptis ad summum quibusdam paucis populis, qui crassis ignorantiæ tenebris involuti nonnulla alia nostræ religionis dogmata non agnoscunt (*a*). Illi autem

pes-

rius obiit; neque ejus verba intelligi possunt de casu aliquo particulari, sed communem consuetudinem exprimunt. Nonnulla veterum exempla in promptu essent, nisi nimiam prolixitatem metueremus. Sane Ven. Beda sæc. VIII. *communicatus, & inunctus* dicitur a Trithemio. Quamvis autem verum foret, nonnisi post sæculum XII. eam, quæ nunc viget, disciplinam fuisse invectam, non esset certe operæ pretium eamdem invertere, quod sine turbis, & scandalis fieri non posset. Audiatur sapientissimus Benedictus XIV. Lib. VIII. *de Syn.* cap. 8., ubi post allata momenta rationum, atque auctoritatum, quibus antiqua consuetudo probari videtur, ita pergit: *Nihilominus prædicta consuetudo nec priscis quidem temporibus fuit ubique ab omnibus inviolate servata; alia quippe præsto sunt æque vetusta Ecclesiarum statuta, sacram unctionem post viaticum exhiberi præcipientia; nec desiderantur exempla sanctorum virorum, qui viaticum extremæ unctioni præmiserant... Hæc vero posterior praxis adeo postea prævaluit, ut Catechismus Concilii Trid., S. Carolus Borromæus in suis Instructionibus, ac innumera Ritualia extremam unctionem post viaticum præberi decreverint.* Et quamquam fateatur, contrarium inveniri etiam nunc in quibusdam Ritualibus, immo & apud Cistercienses, ita tamen concludit: „ Nihilominus in locis, in qui- „ bus hic mos obsolevit, vigetque disciplina a Conci- „ lii Trid. Catechismo præscripta, non facile permit- „ teremus, ab hac recedi, solum ad indulgendum pri- „ vatæ, & peculiari infirmi devotioni: sed potius Pa- „ rochis injungeremus, ut extremam unctionem petentibus ante viaticum, suaderent, tutius, & utilius fo- „ re, Ecclesiæ Rom. ritui, ac usui a majori parte Ec- „ clesiæ catholicæ jam recepto, se accomodare."

(*a*) De Armenis omni fide dignus legendus est Clemens Galanus celebris illius gentis Apostolus, qui T. II. *Concil. Eccl. Armenæ cum Rom.* ostendit, antiquam, & orthodoxam fuisse olim apud illos Christianos Sacramenti hujus doctrinam, postea vero a quibusdam Novatoribus corruptam, qui extremam unctionem Confessioni auriculari subrogaverant; ad hoc autem malum auferendum fuisse inconsulto ipsam extremam unctionem sublatam, vel potius post obitum dilatam; ita tamen ut hæc unctio pro vero Sacramento haberetur. Unde Gregorius Dattievensis in Tract. *De extr. unct. Sacram.* inquit: *Porro hujus unctionis Sacramentum perficimus supra defunctos Sacerdotes &c.*;

pessimi Christtani, quos Elfricus memorat, nullum nostro firmissimo dogmati præjudicium inferunt; semper enim fuerunt, qui vitiis obcæcati sacrosancta, & saluberrima Ecclesiæ Sacramenta neglexerunt, immo & contempserunt.

52. Neque etiam ullum nostræ causæ præjudicium inferunt diversi a nostris Græcorum ritus, neque dissidia quædam, quæ olim inter Theologos nata sunt de materia, forma, ministro, subjecto, & effectibus hujus Sacramenti, & quæ solitis suis artibus exaggerant Heterodoxi ad incautam plebem decipiendam; cum tamen ipsi nequeant ignorare, has omnes diversitates, vel controversias ad substantiam fidei minime pertinere, in qua, præcipue post duo œcumenica Concilia, Florentinum, & Tridentinum, Catholici omnes mire consentiunt. Has autem controversias breviter indicabimus in Cap. seq. Interea si quis plenius acutissimas, & fallaces Dallæi objectiones, seu potius frivolas cavillationes cognoscere cupit, adeat doctissimum D. Jo. Chrysost. Trombellium in Tom. I. *De Extr. Unctione*.

CAPUT II.

Proponuntur, & resolvuntur aliquæ quæstiones, de institutione, materia, forma, ac ministro hujus Sacramenti.

Quæres *primo, a quo hoc Sacramentum fuerit institutum?*

53. Resp. Sacros. Trid. Synodus laud. Sess. XIV. cap. 1. ita definivit: *Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tamquam vere, & proprie Sacramentum N. T. a Christo Domino nostro*. Qua de re dubitare minime licet, præcipue quia, ut alias (Dissert. I. cap. 1.) demonstratum est, omnia Sacramenta *immediate* fuerunt a Jesu Christo instituta, quamquam, ut ibidem num. 299. cum multis, gravibusque Theologis docuimus, id catholicæ fidei dogma non sit: sufficit enim dicere, omnia Sacramenta saltem *mediate* fuisse a Christo instituta. Nullatenus tamen probabilis reputatur ea quorumdam veterum Scholasticorum opinio, quod Apostoli ex peculiari Spiritus Sancti revelatione post Christi ascensionem hoc Sacramentum instituerint.

54. S. Thomas in *Supplem.* quæst. 29. art. 3. hac repudiata opinione, ita pergit. „ Et ideo alii „ dicunt, quod omnia Sacramenta Christus insti- „ tuit per seipsum; sed quædam per seipsum pro- „ mulgavit, quæ sunt majoris difficultatis ad cre- „ dendum: quædam autem Apostolis promulgan- „ da reservavit, sicut Extremam unctionem, & „ Confirmationem. Et hæc opinio pro tanto vide- „ tur probabilior, quia Sacramenta ad fundamen- „ tum legis pertinent, & ideo ad legislatorem per- „ tinet eorum institutio; & iterum quia ex insti- „ tutione efficaciam habent, quæ in eis nonnisi „ divinitus est ". Quam Angelici sententiam confirmavit Synodus Trid., cum dixit, hoc Sacramentum per Jacobum *fidelibus commendatum, ac promulgatum*. Cum autem S. Thomas sibi objecisset auctoritatem Magistri Sentent. dicentis in Lib. IV. dist. 23., hoc Sacramentum fuisse *institutum* ab Apostolis, respondet, id esse intelligendum, *quia per doctrinam Apostolorum nobis promulgata est ejus institutio*.

55. Quando autem a Christo Domino facta fuerit hæc institutio, non omnino convenit inter Theologos. Sunt, qui hoc referunt ad illam primam Apostolorum missionem, quam Marcus cap. VI. describit, adeoque illa verba: *Ungebant oleo multos ægros, & sanabantur*, de Sacramentali unctione intelligunt; quæ sententia nonnullorum Patrum auctoritate firmatur, ut videre est in *Catena Græcorum* ab Ant. Possevino collecta. Verisimilius tamen est, nonnisi post suam resurrectionem fuisse a Christo Apostolis traditum hoc Sacramentum, quando eis apparens *loquebatur de regno Dei* Act. I. 3., quo tempore *magna confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria*, ut loquitur S. Leo Magnus Serm. I. *De Ascensione*. Vide dicta Dissert. I. cap. 8.

Quæres *secundo, quænam sit hujus Sacramenti materia?*

56. Resp. ex doctrina Tridentini cap. 1., materiam *remotam* esse *oleum ab Episcopo benedictum*. S. Thomas autem quæst. 29. art. 4. addit, esse oleum *olivæ; quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiant*. Materia vero *proxima* est infirmi inunctio.

57. Art. autem seq. Angelicus probat, oleum debere esse consecratum ex triplici ratione. *Prima est, quod omnis efficacia Sacramentorum a Christo descendit. Et ideo Sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo, sicut tactus suæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc Sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione; & ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ, & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc, quod effectus ejus corporalis, scilicet sanatio corporis, non causatur ex materiæ naturali proprietate; & ideo oportet, quod hæc efficacia sibi per sanctificationem detur*. Probat postea Angelicus art. 6., hanc olei consecrationem debere fieri ab Epi-

ubi etiam ponit formam deprecatoriam a nostra non valde dissonam. De aliis consulendus sæpius, sed nunquam satis laudatus, Eus. Renaudotius in opere *De perpetuitate fidei &c.*

piscopo: qua de re vide dicta superius num. 14. (a).

Quæres *tertio*, *quænam sit hujus Sacramenti forma?*

38. Resp. S. Thomas in *Supplem.* quæst. 29. art. 7. rejecit quorumdam opinionem, quod *nulla sit forma de necessitate hujus Sacramenti*; hæc enim opinio, ait, videtur derogare effectui ejusdem Sacramenti; *quia omne Sacramentum efficit significando: significatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se possit habere, nisi per formam verborum. Et ideo in omnibus Sacramentis novæ legis, quæ efficiunt, quod figurant, oportet esse & res, & verba. Præterea Jacobus cap. 5. totam vim hujus Sacramenti videtur constituere in oratione, quæ est forma hujus Sacramenti; & ideo prædicta opinio præsumptuosa videtur, & erronea.*

39. Non eadem tamen est forma apud Græcos, ac apud Latinos. Neophytus enim Rhodinus in sua *Synopsi sacram.* a S. Congregatione De propaganda fide approbata anno 1628. *Materia*, inquit, *Sacramenti extremæ unctionis est oleum olivæ expressum, a Pontifice, vel a Sacerdotibus, qui præsentes fuerint, juxta Ecclesiæ morem benedictum: forma vero est oratio illa, quam dicit Sacerdos, cum infirmum ungit, videlicet*, Pater sancte, Medice animarum, & corporum &c.; quæ forma est *deprecativa*, non minus quam nostra; quod & Arcudius notavit Lib. *De Concord.* cap. 5., & multis rationibus probavit P. Jac. Goar not. 29. in *Officium olei sancti*.

40. Forma autem Ecclesiæ latinæ hæc est: *Per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum &c.*, quæ forma est *deprecativa*. Quod autem forma debeat esse *deprecativa*, probat Angelicus art. 8. multis rationibus: „ primo, quia suscipiens Sacramentum est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari; secundo, quia datur exeuntibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesiæ, & in solius Dei manu requiescunt; unde & ei per orationem committuntur: tertio, quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex oratione ministri consequatur, omnibus, quæ sunt de essentia Sacramenti, etiam rite peractis, sicut character in Baptismo, & Confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in Pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti pœnitentiæ, non autem de essentia hujus Sacramenti; & ideo in hoc Sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis Sacramentis".

41. Cumque sibi objecisset, in quibusdam Ecclesiis adhiberi hanc formam indicativi modi: *Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris* &c., respondet ad 3., illa verba non esse *formam Sacramenti, sed dispositionem ad formam, inquantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba*. Hæc eadem sententia S. Bonaventuræ in IV. Dist. 23. art. 1. quæst. 4., ac plurima gravium Theologorum. Certe in antiquo Rituali Ratholdi apud Menardum in *Observat.* ad *Gregorii Sacrament.* post ea verba: *Ungo oculos tuos de oleo sanctificato &c.* hæc subduntur: *quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacri olei unctionem, atque nostram deprecationem* &c., & in alio Rituali apud eumdem Menardum: *Ungo te* &c. *obsecrans misericordiam ipsius unius Domini nostri J. C., ut fugatis omnibus doloribus* &c., & in fine unctionum: *Sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis, & corporis, & ad munimen, ac defensionem contra jacula immundorum spirituum.*

42. Dissimulandum tamen non est, multas inveniri formas omnino absolutas, atque illam inter alias, quæ vulgo vocatur *Ambrosiana*, quod ea S. Ambrosius usus fuisse putatur: unde quamplurimi Theologi post Albertum magnum, nihil detrahi Sacramento docent, etiamsi adhibeatur forma *modi indicativi*, & concludi potest, nihil hac de re fuisse ab Ecclesia determinatum. Quamquam celebris Card. Sanctorius in suo *Rituali* ita pronunciet: *Ceterum apud S. Rom. Ecclesiam unam tantum in hoc Sacramento deprecandi formulam traditam, & passim in Italia, & toto orbe receptam esse, compertissimum, & exploratissimum est*. Estius in IV. Dist. 23. §. 10. testatur, aliquos Theologos pro cautela utramque formam, *indicativam, & deprecativam* conjungendam esse, docere, atque hoc fieri in nonnullis Ecclesiis. De variis hujus Sacramenti formulis fuse tractarunt laud. supra Benedictus de Gaeta-

(a) Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 19. num. 21. nobis solita sua dicacitate insultat, quod ad unctionem infirmorum oleum non adhibeamus, *nisi ab Episcopo consecratum, hoc est multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, & novies flexo genu salutatum: ter ave sanctum oleum; ter ave sanctum chrisma: ter ave sanctum balsamum*. Qua in re supinam, ac crassam nostrarum rerum ignorantiam pandit. Turpiter enim ignoravit, non unum, sed triplex plane ab Episcopo feria V. hebdom. sanctæ consecrari oleum, nempe *infirmorum, chrismatis, & catechumenorum*. Primo nulla fit Sacerdotum salutatio, sed solum secundo, & tertio: secundo quidem illis verbis: *Ave S. Chrisma*; tertio autem *Ave S. Oleum*. S. Carolus in suo *Rituali* caute notavit, ut *si per errorem Sacerdos aliud oleum, quam quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamsi Chrismatis, aut Catechumenorum sit, ut erratum emendet, olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tumque Sacramenti formam iteret*. Suarez tamen in 3. P. Disp. XL. Sect. 1. putavit, etiam S. Chrisma materiam esse sufficientem hujus Sacramenti.

tanis, Edm. Martene, Hugo Menardus, aliique rerum liturgicarum solertes indagatores. Corrigendus tamen imprudens Launojus, dum scripsit, formam *deprecativam* ex ignorantia traditionis esse natam.

Quæres *quarto*, *quinam sit hujus Sacramenti minister?*

43. Resp., a S. Jacobo expresse doceri, ministros hujus Sacramenti esse Presbyteros, *inducat Presbyteros*. Synodus autem Trident. Sess. XIV. can. 4. anathemate percutit eum, qui dixerit, *Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse tantum Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed etiam seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem*.

44. Sane nomine *Presbyterorum* a Jacobo non intelligi *seniores* ætate, sed Sacerdotes, multiplex ratio evincit. *Primo* ibi nominantur *Presbyteri Ecclesiæ*; & cum haud raro Episcopi, atque Sacerdotes non sint ætate seniores, sequeretur, eosdem esse prætermittendos, ut laici ætate provectiores advocarentur. *Secundo*, cum hoc Sacramentum sit *pœnitentiæ consummativum*, ut Patres Trident. loquuntur, immo, ut bene advertit Sanctus Thomas in *Supplem.* quæst. 31. art. 1., in hoc Sacramento fiat remissio peccatorum, secundum illa Apostoli verba: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*, nonnisi illi possunt esse hujus Sacramenti ministri, quibus potestas ligandi, atque solvendi a Christo Domino data est, nempe soli Sacerdotes.

45. Difficultatem ingerit epistola Innocentii I. ad Episopum Eugubinum. Postquam enim dixisset, Jacobi verba de ægrotantibus fidelibus intelligi debere, *qui sancto oleo chrismatis perungi possunt*, subdit: *quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet, in sua, aut suorum necessitate*. Hunc Innocentii locum memorat etiam Beda in Comment. ad Epist. S. Jacobi Tom. V. (*a*).

46. Ut hæc difficultas tollatur, Theologi in varias abierunt sententias. Noster Dom. Soto putat, Bedam, & Innocentium affirmare dumtaxat, *quod licitum sit sanitatis gratia oleo illo ab Episcopo consecrato infirmos delinire; non tamen sentire, illud esse Sacramentum, nisi a Presbyteris in forma Ecclesiæ illud fiat*. Reipsa sæpius fuisse eas olei benedicti unctiones ad corporis sanitatem impetrandam adhibitas, pluribus historiæ monumentis constat, quibus noster S. Doctor quæst. 31. art. 1. ad 2. respondet, *quod illæ unctiones non erant Sacramentales; sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentiun, vel oleum mittentium consequebatur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non autem per gratiam Sacramentalem*, ut supra jam diximus (*b*).

47. Alii tamen præstantissimi Theologi putant, verba Innocentii, & Bedæ non de *activo*, sed de *passivo* hujus Sacramenti usu explicanda esse, nempe non solos Sacerdotes, sed omnes fideles in sua, suorumque necessitate esse inungendos. Hæc explicatio colligitur ex toto contextu, ubi loquens de Sacramento Jacobi epist. promulgato inquit: „ Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus „ accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chris„ matis perungi possunt, quod ab Episcopo con„ fectum, non solum Sacerdotibus, sed & omni„ bus uti Christianis licet in sua, aut in suorum „ necessitate ungendum ". Hic agit non de ministris, sed de ægrotis; postea vero agens de ministris, e quorum numero aliqui expungebant Episcopos, quia Apostolus solos nominat Presbyteros, subdit: „ Ceterum illud superfluum videmus ad„ jectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Pres„ byteris licere non dubium est. Nam idcirco de „ Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis oc„ cupationibus impediti ad omnes languidos ire „ non possunt; " ubi nihil amplius de aliis hujus Sacramenti ministris innuitur. Addo propter hoc unum admodum obscurum Innocentii testimonium universalem Ecclesiæ doctrinam, & praxim labefactari non posse. Vid. Petrus Constant. in not. ad hanc Innocentii epistolam (*c*).

48. Sequitur, ut breviter dicamus de numero Presbyterorum ad hoc Sacramentum requisito, qua in

(*a*) His Innocentii, & Bedæ verbis deceptus Thomas Waldensis, egregius alioquin Theologus, & insignis Wiclefianæ hæresis debellator, Tom. II. *De Sacrament.* cap. penult. putavit, in extrema necessitate etiam laicos posse hoc Sacramentum conferre. *At vero*, inquit Dom. Soto in IV. Dist. 23. quæst. 2. art. 1., *hoc præter omnium opinionem asseritur*. Launojus autem, quem intemperantem criticum omnes norunt, *De Sacram. extr. unct.* pag. 572. Waldensis defensionem suscepit, observans, neque a Soto, neque a Bellarmino ullum afferri Theologum ipso vetustiorem, qui *contrarium expresse docuerit;* quasi vero S. Thomas non fuerit Waldensi multo antiquior, & multo majoris auctoritatis. Urget Launojus litteras Martini V., quibus asserit, se volumen secundum Waldensis *per solemnes viros videri, & examinari fecisse, sicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum*. Sed istæ generales commendationes non evincunt, nullum prorsus nævum in hujus eximii scriptoris operibus reperiri aliqua reprehensione dignum.

(*b*) Multa harum unctionum exempla afferuntur a Jo. Bapt. Thiers. Thom. IV. *De superstition.* Lib. 8. cap. 1.; præcipue S. Martini, de quo ita scribit Sulpitius Severus Dial. III.: *Pusillum olei cum exorcismi præfatione benedicit: atque ita in os puellæ* (mutæ) *sanctificatum liquorem, cum & linguam illius digitis teneret, infudit*: additque nonnulla admodum mira de ampulla olei ab ipso Martino benedicti ad sanandos infirmos; ex quibus pronum est inferre, Sacramentum extremæ unctionis fuisse ab unctionibus istis miraculosis omnino diversum.

(*c*) Nec refutari meretur pseudo-minister Dallæus,

in re diversa est praxis Ecclesiæ Græcæ a Latina. Græci enim verba Jacobi litteraliter accipientes plures Sacerdotes adhibent. *Septem esse vocandos, consuetudine traditum est*, inquit Simeon Thessalonicensis in Lib. *De Sacram.*, qui numerus etiam in *Euchologio* præscribitur. Sed subdit laud. Tessalonicensis: *Nonnulli, ubi penuria est Sacerdotum, tres tantum convocant .... Unus autem Presbyter εὐχέλαιον ne conficiat; quoniam quemadmodum de Episcopo scriptum est, non esse ordinandum ab uno, ita etiam de extrema unctione, non esse peragendam ab uno Presbytero*. Arcudius tamen contendit, etiam apud Græces unum sufficere Sacerdotem, quando alii advocari non possunt, ac Simeonem erroris accusare non dubitat. Arcudio hac in parte consentit Goarius in not. ad *Officium olei sancti*.

49. Certe dubitari non potest, unum Sacerdotem sufficere, postquam id declaravit Alexander III. in cap. *Quæsivit. de Verb. signif.*; quod etiam docet Angelicus IV. *Cont. Gent.* cap. 73. inquiens: *Si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit, & cujus personam gerit*.

50. Neque obstat numerus pluralis adhibitus a S. Jacobo: *Inducat Presbyteros* &c.; hæc enim verba intelligi debent per *enallagen* non insuetam in sacris litteris, quemadmodum notavit S. Augustinus Lib. III. *De Cons. Evangelist.* cap. 16. Tom. III. P. II.; ut scilicet idem sit, ac si diceretur: *inducat aliquem ex Præsbyteris*. Sic dictum est Matth. XXVII. 44. *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, cum Lucas XXIII. 39. nos certos faciat, nonnisi unum fuisse latronem, qui contra Dominum Jesum blasphemabat.

51. Quamquam vero nunquam in Ecclesia latina observatus fuerit numerus septenarius, plures tamen adhiberi solebant Sacerdotes, ut constat ex antiquis Ritualibus, donec tandem communis facta est consuetudo, ut nonnisi unus hoc extremum Sacramentum administraret. Solent nihilominus plures adstantes interesse, qui simul orent pro infirmo.

52. Si porro causam investigemus hujus mutationis, hanc fuisse suspicatur Benedictus XIV. Lib. VIII. *De Synodo* cap. 4. num. 6. „ Cum plures „ simul Sacerdotes ad infirmum inungendum advo„ cabantur, quilibet pro sua opera haud exiguam „ exposcebat mercedem; cui solvendæ cum pau„ perum vires non sufficerent, ii sine extrema un„ ctione decedebant; quamobrem hæretici Wal„ denses, seu pauperes de Lugduno, uti narrat „ Reinerius Ord. Præd. in Opere contra eosdem „ circa annum 1254. exarato, inter ceteras fal„ sas rationes, propter quas Sacramentum extre„ mæ unctionis reprobabant, hanc etiam adduce„ bant, quia tantum divitibus datur. Curarunt „ sane Ecclesiarum Præsides pravam illam turpem „ Sacerdotum avaritiam reprimere, severisque san„ ctionibus interdixerunt, pro Sacramentali unctio„ ne quidquam exigere; quod potissimum statu„ tum reperimus ab Odone Episcopo Parisiensi cap. „ 8. suarum Constit., atque in Synodis Andega„ vensi anni 1263., Remensi, & Trevensi habitis „ initio sæc. XV. Verum cum hæc repagula haud „ sufficientia comperta sint ad compescendam Sa„ cerdotum petulantiam, visum est deliberantium, „ ut deinceps extrema unctio, nulla petita mer„ cede, a solo conferretur ægrotantis Parocho. "

53. *Enimvero*, subdit, *etsi quilibet Sacerdos possit illam valide conferre, solus tamen Parochus est ordinarius ejusdem minister, nec ulli fas est extra necessitatis eventum, sine ejusdem Parochi licentia, sacro oleo ægrotantes inungere, uti diserte statuitur in Catechismo Roman. P. II. De Sacramento Extr. Unct. num. 21.*

Quæres *quinto, quibus hoc Sacramentum ministrari debeat?*

54. Resp. *primo*, solis infirmis, juxta verba S. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis?* Addit Angelicus in *Supplem.* quæst. 32. art. 1. hanc rationem, *quod hoc Sacramentum est quædam spiritualis curatio; quæ quidem per quemdam corporalis curationis modum significatur, & ideo illis, quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc Sacramentum conferri*. Quantum ad Græcos, qui accusantur, quod etiam sanos ungant oleo sacro, dictum est supra ad n. 12.

55. Art. autem 2. probat S. Doctor, hoc Sacramentum illis infirmis dumtaxat posse exhiberi, qui sunt *in statu exeuntium*, cum nempe ægritudo nata est inducere mortem, & de periculo timetur. Concilium enim Trident. cap. 3. declaravit, *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*. Porro illa particula *præsertim* non ita est accipienda, quasi omnibus infirmis extrema unctio conferri possit: obstat enim totius Ecclesiæ praxis; sed ita ut nonnisi in gravi morbo administrari possit, *præsertim* autem, si tale sit periculum, ut infirmi in exitu vitæ constituti videantur.

56. Hac in parte Benedictus XIV. *De Syn.* Lib. VIII. cap. 7. abusum illum vehementer detestatur, hujusmodi Sacramentum ad tempus illud differendi, quo *jam jam anima in primoribus labiis laborat*; sicut nobis exprobrabat impius Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 19., occasionem inde arripiens nobis illudendi, *quia non infirmos, sed semimortua cadavera pinguedine inficimus*. Ad quem abusum eradicandum monet Summus Pontifex, *primo* tollendum illud multorum præjudicium, quod

qui cap. 9. suæ Dissert. contra omnium Criticorum consensum vellet, nos dubitare, an illa celebris epistola sit genuinus Innocentii fœtus.

quod hostis humani generis plerisque injecit, actum esse de vita illius, qui sancto oleo est inunctus, quo fit ut ab hoc Sacramento, perinde ac ab ipsa morte abhorreant. *Secundo*, populum Christianum sæpius instruendum esse de salutaribus hujus sacræ unctionis effectibus, inter quos est etiam ipsa pristinæ valetudinis recuperatio, ut mox exponemus. *Postremo*, Parochos maximopere sollicitos esse debere de hoc Sacramento tempore opportuno administrando. Sane Catechismus Roman. P. II. cap. 6. num. 9. non dubitat, *gravissime peccare*, *qui illud tempus ægroti ungendi observare solent*, *dum jam omni salutis spe amissa*, *vita*, *& sensibus carere incipiat*.

57. Monet insuper idem Catechismus, „ nemini, qui graviori morbo affectus non sit, Sacramentum unctionis dandum esse, tametsi vitæ periculum adeat, vel qui periculosam navigationem paret, vel qui prælium initurus sit, a quo illi certa mors impendeat, vel etiamsi capitis damnatus ad supplicium raperetur. Omnes præterea, qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt, & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus sit. Amentes item, & furiosi, nisi interdum rationis usum haberent &c. " Quæ omnia fusius explicata, atque probata invenientur apud S. Thomam in *Supplem.* quæst. 32., & passim apud Theologos, a quorum communi sententia immerito recessit doctissimus Maldonatus (*a*).

Quæres *ultimo*, *quinam sint extremæ unctionis effectus?*

58. Resp. Eugenius IV. in sæpe memorato *Decreto* duplicem extremæ unctionis effectum ita breviter complexus est: *Effectus est mentis sanatio*, *& inquantum expedit*, *ipsius etiam corporis*. Sed Synodus Trident. aliquanto fusius id ipsum exposuit inquiens Sess. XIV. cap. 2.; „ Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis (Jacobi) explicatur; *Et oratio fidei salvabit infirmum*, *& allevabit eum Dominus*; *&*, *si in peccatis sit*, *dimittentur ei*. Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus & morbi incommoda, ac labores levius fert, tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis *interdum*, *ubi saluti animæ expedierit*, consequitur. "

59. S. Thomas eamdem doctrinam multo antea tradiderat, & rationibus confirmaverat. Quærens enim in *Supplem.* quæst. 30. art. 1., utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum, ita respondet: „ Quodlibet Sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia Sacramentum efficit, quod figurat, ideo ex ipsa significatione Sacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc Sacramentum secundum modum cujusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem, unde principaliter hoc Sacramentum est usitatum ad sanandam infirmitatem peccati: unde sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio, & pœnitentia quædam spiritualis suscitatio, ita & extrema unctio est quædam spiritualis sanatio, vel medicatio. "

60. Prosequitur S. Doctor, ostendens hoc Sacramentum dari contra illos defectus, „ quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ, vel gloriæ; & hic defectus nihil aliud est, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali: & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut de Eucharistia, & Confirmatione supra dictum est. Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: " Si in peccatis sit, dimittentur ei, „ scilicet quoad culpam: non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccatorum dicunt. " Unde postea concludit, principalem effectum hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum, *quoad reliquias peccati*, & ex consequenti etiam *quoad culpam*, si eam inveniat.

61. Cum vero sibi objecisset, tria esse in peccato, quæ per extremam unctionem tolli non possunt, scilicet *maculam*, *reatum pœnæ*, *& reliquias peccati*, ita respondet ad 2.: „ Extrema unctio aliquo modo quantum ad illa tria remittit peccatum: quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur, tamen hoc Sacramentum per gratiam, quam infundit, facit, „ quod

(*a*) Ita enim scribit *De Extr. Unct.* quæst. 3.: „ An pueris dandum sit, disputant etiam Scholastici, & definiunt, non esse dandum. Quod similiter est falsum. Nam in antiquis auctoribus nulla penitus exceptio reperitur, sed omnibus ægrotis dicitur dandum esse. Et Nicol. Cusanus in 3. epistolar. ad Bohemos scribit, olim in Ecclesia non tantum adultis, sed etiam infantibus datum fuisse. Quod est rationi consentaneum; nam si Eucharistia dabatur infantibus (*ut dabatur*), quanto credibilius est, datam fuisse extremam unctionem "? Communis Ecclesiæ praxis Scholasticorum definitionem probat, nulla habita ratione eorum, quæ a Maldonato, aut Cusano objecta sunt.

„ quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit „ contritio, sicut etiam in Eucharistia, & Confirmatione potest accidere. Similiter etiam & „ reatum pœnæ temporalis diminuit; sed ex consequenti, inquantum debilitatem tollit, quia eamdem pœnam levius portat fortis, quam debilis: „ unde non oportet, quod propter hoc minuatur „ satisfactionis mensura. Reliquiæ autem peccati „ non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictæ, quæ sunt quidam habitus inchoati sed „ quædam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata etiam eisdem habitibus, vel „ dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum." Hoc voluimus propriis S. Doctoris verbis exprimere, ex quibus possunt nonnulliæ controversiæ, quæ a Scholasticis excitatæ sunt, facile resolvi.

62. De corporis autem sanitate, quæ est alter extremæ unctionis effectus, ita Sanctus Doctor pronunciat artic. 2.: „ Extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ rationabiliter „ operatur; & quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod „ expedit ad principalem; ideo ex hoc Sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed „ quando expedit ad spiritualem sanationem; & „ tunc semper eam inducit, dummodo non sit „ impedimentum ex parte recipientis." Hos omnes effectus quidam Poeta hoc distycho eleganter complexus est.

Ungor in extremis, ut fiat gratia major,
Et morbus levior, & mea culpa minor.

63. Has doctrinas S. Thomas etiam exposuit in Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 73., ubi addit quoque rationem, quare hoc Sacramentum iisdem subjectis, *si convaluerint*, iterato conferri possit; „ non „ enim, inquit, hujus Sacramenti unctio est ad „ consecrandum, sicut unctio confirmationis, ablutio baptismi, & quædam aliæ unctiones, quæ „ ideo nunquam iterantur, quia consecratio semper manet, dum res consecrata durat, propter „ efficaciam divinæ virtutis consecrantis. Ordinatur autem hujus Sacramenti unctio ad sanandum; medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur." Hactenus de extrema unctione: nunc de Sacramento Ordinis.

DISSERTATIO VIII.

De Sacramento Ordinis.

1. Sacros. Trid. Synodus postquam Sess. XXII. catholicæ Ecclesiæ doctrinam de Sacrificio Missæ novem capit., totidemque canon. contra grassantes Novatorum hæreses exposuisset, & vindicasset, de Sacramento Ordinis Sess. XXIII. pertractandum censuit, quoniam *sacrificium, & sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit.* Scholastici tamen, eorumque princeps S. Thomas de Sacramentis tractare consueverunt juxta veterem eorumdem seriem, etiam ab Eugenio IV. in Instruct. Armenorum probatam, in qua Ordo sextum obtinet locum; quorum exemplum nos quoque imitamur.

CAPUT I.

De nomine, ac definitione Ordinis.

2. Nomen *Ordinis* apud profanos latissime patet, & otiosum foret, omnes ejusdem significationes persequi. Sed apud sacros Scriptores dupliciter sumitur, nimirum *primo* ad designandum certum hominum cætum, quo sensu Tertullianus *De idolol.* cap. 7. homines Ecclesiæ servitio addictos vocavit *Ordinem ecclesiasticum*. Alio sensu Ordo significat Sacramentum, quo homines quidam sacro, & solemni ritu certis in Ecclesia muniis obeundis ab Episcopo destinantur. Atque hoc sensu a Tridentinis Patribus acceptum fuit laud. Sess. XXIII. cap. 2. *Cum autem*, inquiunt, *divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri possit, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures, & diversi essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.*

3. Ipsa autem hujus Sacramenti collatio, seu *Ordinatio* a Græcis dicta est χειροτονία, & χειροθεσία. Prima vox significat *manus extensionem*; &, ut observat Justellus ad can. V. Laodicenum, ab usu profano electionum, quæ fiebant per manus porrectionem, in Ecclesiam translata fuit: χειροθεσία vero significat *manus impositionem*, quæ fit ab Episcopo ordinante. Utraque hæc vox synonima reputatur; quamvis noster P. Goarius in not. ad Ord. Diaconatus p. m. 213. *Euchologii* putat, χειροθεσίαν fuisse adhibitam in Ordinatione subdiaconi, χειροτονίαν autem in Ordinatione Diaconi, & eo majorum (Plura de his nominibus dabit vir summus Franc. Hallier *De sacris election. & Ordinat.* P. I. cap. 4.). Latini autem post duo Concilia œcumenica, Florentinum, & Trident., & post veteres Scholasticos non alio utuntur nomine, quam *Sacramenti Ordinis* (quamvis aliqui mallent dicere *Sacramentum Ordinationis*, quia hoc Sacramentum consistit in ipsa actione Episcopi *Ordinantis*, vel *Consecrantis*). Catechismus autem Roman. num. 9. bene observat, *recte, & commode* hoc vocabulum *Ordinis* adhibitum fuisse, quia in hoc ministerio cum multi sint gradus, & variæ functiones, *omnia certa ratione distributa sunt, & collocata*. Satis de nomine, nunc de Sacramento ipso.

4. Definitionem Sacramenti Ordinis hanc tradit S.

S. Thomas in *Supplem.* qu. 34. art. 2. desumptam ex Magistro sententiarum: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato*. In qua definitione observat Angelicus, nomine *signaculi* intelligi signum exterius, quod ad rationem Sacramenti requiritur; illis autem verbis, *quo spiritualis potestas traditur*, intelligi characterem, qui in hoc Sacramento imprimitur. Clarius tamen definiri potest *Sacramentum, quo una cum gratia sanctificante traditur ordinato spiritualis potestas certa quædam munia in Ecclesia ex officio exercendi;* quæ definitio omnes Ordines, tam minores, quam majores complectitur.

His breviter præmissis, illud primum nobis stabiliendum occurrit, quod contra Lutheranos, Calvinianos, aliosque sæc. XVI. pestilentissimos Novatores definitum fuit, Ordinem esse verum, & proprium novæ legis Sacramentum (*a*).

CAPUT II.

Demonstratur, sacrum Ordinem esse verum, & proprium novæ legis Sacramentum.

5. Ad id autem evincendum non aliam insistemus viam, quam a sacro Concilio Trid. indicatam Sess. XXIII. cap. 3., ubi inquit: „ Cum Scripturæ testimonio, apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere, & proprie unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis." Quæ Tridentini ratio his momentis declaratur.

6. *Primo* quidem ex sacris litteris constat, haberi in ordinatione omnia ea, quæ ad verum Sacramentum pertinent, nempe materiam, formam, gratiæ productionem, ac divinum mandatum. Et quidem haberi *materiam, & formam, seu verbum, & elementum*, nos docuerunt exemplo suo Apostoli Act. V. 6. Fideles enim elegerunt septem Diaconos, eosque *statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Iterum Paulus 1. ad Timoth. V. 22. inter alias admonitiones, hanc dat: *Manus cito nemini imposueris*, scilicet per sacram Ordinationem (*b*). Gratiæ etiam, quæ in ipsa ordinatione recipitur, meminit idem Paulus in mox laud. epist. cap. IV. 14. inquiens: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manus presbyterii*. Et rursum 2. epist. I. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Haberi demum divinam hujus Sacramenti institutionem, patet ex eodem Apostolo scribente ad Ephesios IV. 11. *Et ipse* (Christus Jesus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores*. Ac denique idem Paulus Act. XX. 28. alloquens *majores natu Ecclesiæ*, idest Presbyteros, & Episcopos, inquiebat: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Nihil ergo deest sacræ Ordinationi, quominus inter vera novæ legis Sacramenta numeretur; non signum sensibile, non forma, non gratiæ donum, nec demum divinum mandatum.

7. *Secundo*. Accedit sacræ Scripturæ oraculis etiam *Apostolica traditio, & Patrum consensus*. Et quantum ad traditionem Apostolicam, hæc vel ex eo solo argumento, quo sæpius usi sumus, luculenter apparet, quod communis Ecclesiæ persuasio semper fuerit, sacram Ordinationem verum esse Sacramentum, quia istius persuasionis initium nullo unquam tempore, nec ullo loco, nec in ullo scriptore invenitur: eam ergo ab Apostolica traditione descendere, recte inferimus. Adversariis enim incumberet, nos docere, quando, ubi, & a quibus initium sumpserit; quod hactenus præstare non potuerunt. Sane ab ipsis Ecclesiæ primordiis Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos commemoratos invenimus, ut a S. Ignatio martyre epist. ad Smyrnæos, ubi inquit; *Episcopum sequimini, ut*

(*a*) Lutherus *De captiv. Babyl.* ordinem esse Sacramentum aperte inficiatus est; ejusque hæresim statim amplexati sunt Illyricus in *Confess. Antuerpiensi;* Kemnitius II. P. Exam. Conc. Trid., aliique passim. Veruntamen observandum est, hac etiam in re, ut in multis aliis, varios, & inconstantes fuisse Protestantes: nam Melanchthon, tum in *Locis* an. 1532. editis, tum in *Apologia Conf. August.* sacram Ordinationem verum esse Sacramentum concedit. Plerique autem Lutherani una cum Joan. Gerhardo *Loco XXIV.* cap. 3. sect. 12. n. 140. dicunt, Ordinationem posse vocari *Sacramentum*, voce *latius* accepta, non autem *proprie*, sicut Baptismus, & Eucharistia proprie dicuntur *Sacramenta*. Hæc distinctio Lutheranis admodum commoda est, ad Lutheri, Melanchthonis, aliorumque levitatem, & inconstantiam tegendam. Calvinus Lib. IV. *Instit.* cap. 19. postquam scurriliter suo more doctrinam Ecclesiæ de distinctione septem Ordinum, ac sacrilege irrisisset, *verum presbyterii munus* Sacramenti loco se habere profitetur: excusat postea se, quod duobus Sacramentis Baptismi, & Eucharistiæ hoc *tertium* non addiderit, *quod non ordinarium, nec commune sit apud omnes fideles, sed ad certam functionem specialis ritus*. Presbyterii autem munus ad solam Evangelii prædicationem, & mysteriorum dispensationem restringit, sublata omni sacrificandi, & absolvendi potestate. Demum in sacros Ordinationis ritus ita obscœno, atque impurissimo ore debacchatur, ut animus horreat impias illius referre blasphemias. Calvino, & Luthero omnes Protestantes subscribunt.

(*b*) *Quid est*, inquit Leo Magnus epist. XII. edit. Baller. cap. 2., *cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis?*

ut Christus Patrem, & Presbyterorum collegium, ut Apostolos: Diaconos revereamini, ut ex Dei præcepto ministrantes. Quibus verbis licet non expresse, satis tamen luculenter innuit, hujusmodi gradus non humana aliqua auctoritate, sed divino Sacramento esse in Ecclesia constitutos.

8. Ut vero Patrum consensum doceamus, illustriora quædam illorum testimonia seligemus, quibus Sacramentum Ordinis confessi sunt: omnia enim huc coacervare & nimis longum esset, & parum utile. S. Hieronymus adv. Vigilantium cap. 1. Episcopos illius sectæ reprehendit, qui ad presbyteratus *Sacramentum* eos non promovebant, qui cœlibatum servabant. *Nisi*, inquit, *prægnantes uxores viderint Clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt*.

9. S. Augustinus multoties contra Donatistas duo Sacramenta, Baptismi, & Ordinis, simul conferens, eos concedere cogebat, ut quemadmodum ordinati ab Episcopis schismaticis iterum non ordinabantur, ita etiam iterum baptizari non deberent, qui erant in hæresi baptizati. *Nulla*, inquit Lib. II. cont. Parmenianum cap., 13., *ostenditur causa, cur qui baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit: utrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione, utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, &c.* Prosequitur postea Donatistas urgens ex illo certissimo principio, etiam ab ipsis admisso, quod ordinatio verum esset Sacramentum, non minus quam baptismus. Ac demum sic concludit: *ideoque in Catholica Ecclesia utrumque non licet iterari*. Dicentne Heterodoxi, baptismum esse Sacramentum minus proprie? Non puto: neque ergo id dicere possunt de Ordine.

10. S. Leo Papa Epist. XII. al. 1. ad Episc. Afric. edit. Ballerin. data opera agens *de Ordinationibus Sacerdotum*, pluribus enumeratis abusibus, ita concludit cap. 5.: *Quis igitur tolerare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* Præcipue autem conqueritur, quod *vel ad Diaconi gradum, vel ad presbyterii honorem, vel ad Episcopatus culmen ascendat*, qui non unius uxoris, vel cujus uxor non unius viri fuerit. Et epist. IX. al. 81. ad Dioscorum cap. 1. nonnulla commemorat in sacris Ordinationibus observanda, *ut intelligamus*, inquit, *quanta & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum*.

11. Demum S. Gregorius Magnus Lib. IV. in Lib. I. Regum cap. 5. *Qui*, inquit, *in culmine* (Sacerdotii) *ponitur, Sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio Sacramentum est, ut, qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur*. Cum itaque sancti Patres non solum vocem *Sacramenti*, sed etiam virtutem, atque affectus Sacramenti *Ordini* tribuant, jam Novatoribus solitum effugium præcluserunt, eorum verba in sensu minus proprio explicandi.

12. A Latinis Græci minime discordant: nam S. Jo. Chrysostomus Lib. III. *De Sacerd.* cap. 4. *Sacerdotium*, inquit, *in terra peragitur, sed cœlestium Ordinum classem obtinet: & jure quidem, non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non alia quæpiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, &c.*

13. S. Gregorius Nazianz. Orat. *De baptismo Christi* invisibilem hominis, qui ordinatur, mutationem ita describit: „ Verbi Christi vis Sacerdotem „ augustum, & honorandum facit, novitate benedi- „ ctionis a communitate vulgi segregatum: cum „ enim heri, ac tempore superiore unus e multi- „ tudine, ac plebe esset, repente redditur præce- „ ptor, præses; &c. eaque contingunt ei, cum nihil „ vel corpore, vel forma mutatus sit .... invisibi „ quadam vi, ac gratia invisibilem animam in „ melius transformatam gerens."

14. His omnibus robur invictum addit omnium Christianarum Communionum cum Ecclesia latina hac in parte concordia; quo argumento Diss. I. cap. 8. feliciter usi sumus ad septenarium Sacramentorum numerum probandum, unde merito repetere possumus cum S. Augustino Lib. IV. cont. Donat. cap. 24.: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur* (a).

15. Nec prætermittenda est illa theologica ratio, qua S. Thomas IV. *Cont. Gent.* cap. 74. necessitatem hujus Sacramenti ostendit: „ Manifes- „ tum est, quod in omnibus Sacramentis spiri- „ tualis confertur gratia sub Sacramento visibilium „ rerum. Omnis autem actio debet esse proportio- „ nata agenti: oportet igitur, quod prædictorum „ dispensatio Sacramentorum fiat per homines vi- „ sibiles *spiritualem virtutem habentes* .... Hujus „ autem ratio aliunde sumi potest. Sacramento- „ rum enim institutio, & virtus a Christo initium „ habet; de ipso enim dicit Apostolus Ephes. X. „ 25., quod *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret,* „ *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. „ Manifestum est etiam, quod Christus Sacramen- „ tum sui Corporis, & Sanguinis in cœna dedit, „ &

(a) Teste illustr. Bossueto Lib. VII. *Variat. Eccles. Protest.* n. 76. Episcopi Anglicani sacras Ordinationes ministrorum servant, quamvis ita depravatas, ut irritæ communiter censeantur. Alicubi etiam in Germania morem ordinandi ministros per manuum impositionem; certamque verborum formulam Protestantes retinuerunt, ut Lindanus Episc. Ruremondensis refert; neque enim omnes illico convenire potuerunt ad illam Ecclesiæ veterem traditionem, tam longa consuetudine roboratam, abjiciendam.

„ & frequentandum instituit; quæ sunt principalia Sacramenta. Quia igitur Christus corporalem sui præsentiam erat Ecclesiæ subtracturus, necessarium fuit, *ut alios institueret sibi ministros, qui Sacramenta fidelibus dispensarent*, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. IV. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Unde discipulis consecrationem sui Corporis, & Sanguinis commisit, dicens Lucæ XXII. 19.: *Hoc facite in meam commemorationem:* eisdem tribuit potestatem peccata remittendi, secundum illud Jo. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* & baptizandi injunxit officium dicens Matth. ult. 19.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*."

„ 16. Minister autem comparatur ad dominum, sicut instrumentum ad principale agens ..... Oportet autem instrumentum esse proportionatum agenti; unde & ministros Christi oportet esse ei conformes. Christus autem, ut Dominus, auctoritate, & virtute propria nostram salutem operatus est, *inquantum fuit Deus, & homo* ... Oportet igitur, ministros Christi homines esse, *& aliquid divinitatis ejus participare, secundum aliquam spiritalem potestatem:* nam & instrumentum aliquid participat de virtute principalis agentis. De hac autem potestate dicit Apostolus 2. ad Cor. ult., quod potestatem dedit ei Dominus in ædificationem, & non in destructionem."

17. „ Non est autem dicendum, quod potestas hujusmodi sic data sit Christi discipulis, quod per eos ad alios derivanda non esset: data est enim eis ad Ecclesiæ ædificationem, secundum Apostoli dictum. Tamdiu igitur oportet hanc potestatem perpetuari, quamdiu necesse est ædificari Ecclesiam; hoc autem necesse est post mortem discipulorum Christi, usque ad sæculi finem: sic igitur data fuit discipulis Christi *spiritualis potestas, ut per eos deveniret ad alios* ... Spirituales autem effectus in nos a Christo derivati sub quibusdam sensibilibus signis explentur, unde oportuit etiam, quod hæc spiritualis potestas *sub quibusdam sensibilibus signis* hominibus traderetur .... *Quandocumque autem aliquid spirituale sub signo corporali traditur, hoc dicitur Sacramentum*. Manifestum est igitur, quod in collatione spiritualis potestatis quoddam Sacramentum peragitur, quod dicitur *Ordinis Sacramentum*. Ad divinam autem liberalitatem pertinet, ut cui confertur potestas ad aliquid operandum, conferantur etiam ea, sine quibus hujusmodi operatio convenienter exerceri non potest: administratio autem Sacramentorum, ad quæ ordinatur spiritualis potestas, convenienter non fit, nisi aliquis ad hoc a divina gratia adjuvetur: & ideo in hoc Sacramento confertur gratia, sicut & in aliis Sacramentis". Hanc S. Nostri Magistri rationem, etsi aliquanto prolixiorem, omittere piaculum duxi; est enim efficacissima.

18. Ex hactenus dictis perspicue liquet, merito fuisse a Synodo Trid. *ex Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum consensu* definitum, *Ordinem esse vere, & proprie unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis;* atque in can. 3. anathema pronunciatum in eum, qui dixerit, *Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum*.

19. Præter eas difficultates, quas Diss. II. cap. 1. jam diluimus, ostendentes, non quemlibet hominem, etiam baptizatum, esse ordinarium Sacramentorum ministrum, pauca habent adversarii, quæ objiciant. Dicunt tamen *primo*, per sacram manuum impositionem, sæpius in sacris litteris commemoratam, non fuisse ab Apostolis datam gratiam illam sanctificantem, quæ confertur in veris Sacramentis, sed tantummodo gratiam *gratis datam*, quæ confertur etiam sine Sacramentis; in locis enim superius num. 6. adductis gratia collata dicitur χάρισμα *donum*. Sic Paulus 1. Tim. IV. 14. μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος: *Ne negligas illud in te donum:* Gratia autem sanctificans significatur per vocem χάρις. *Præterea* Paulus in loco mox cit. addit: *quæ data est tibi per prophetiam;* prophetia autem pertinet ad gratias *gratis datas*. *Tertio* dicit Paulus, Timotheum fuisse factum Episcopum *per impositionem manuum presbyterii;* ordinatio autem Episcopi non a Presbyteris, sed ab aliis Episcopis fieri debet.

20. Resp. ad *primum*, haud raro in sacris litteris voce χάρισμα denotari gratiam gratum facientem, seu sanctificantem; ut cum Paulus Roman. V. 15. inquit: *Non sicut delictum, ita & gratia* τὸ χάρισμα & postea: *multo magis gratia Dei*, χάρις ut videamus pro eodem sumi χάρισμα, & χάριν. Ideo autem promiscue utraque vox sumitur, quia gratia etiam sanctificans est *donum*, quod solent Græci per χάρισμα significare. Sed etiamsi ibi nomine *charismatis* intelligeretur donum gratuitum Episcopatus, non propterea excluderetur augmentum gratiæ sanctificantis, quæ ad hoc munus rite exercendum imprimis est necessaria. Reipsa quando Christus Dominus Joan. XX. dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, declaravit se una simul illis gratiam sanctificantem conferre iis verbis: *Accipite Spiritum sanctum*. Quem locum expendens S. Cyrillus Lib. XII. in Joan., dicit, iis verbis *Accipite, &c.* collatam fuisse Apostolis gratiam, qua sanctificarentur; aliis autem sequentibus *Quorum remiseritis, &c.* multiplicem potestatem.

21. *Alterum* ita explicat S. Thomas Lect. III. *per prophetiam, idest per divinam inspirationem*, qua

qua S. Paulus Timotheo, quamquam admodum juveni, per manuum impositionem Episcopatus dignitatem contulit. Hæc S. Thomæ explicatio etiam multis Protestantibus placuit, ut videri potest Matth. Poly in *Synopsi Critic. sacr.* ad hunc locum.

22. Ad *tertium* respondet S. Jo. Chrysostomus Hom. in hunc loc., Apostolum non id dicere *de Presbyteris, sed de Episcopis; non enim Presbyteri Episcopum ordinaverunt*. Quam explicationem adoptat etiam Angelicus Lect. III. observans, nomina Presbyteri, vel Episcopi esse promiscua. Certe Paulus in 2. epist. I. 6. seipsum Timotheo manus imposuisse testatur, dicens *per impositionem manuum mearum*; nihil autem obesset, si præter Paulum Apostolum alii Presbyteri manus Timotheo imposuissent.

23. Inst. *primo*. Illa manuum impositio, quæ ab Apostolis sæpius facta invenitur, teste S. Augustino Lib. III. *De bapt. cont. Donat.* cap. 26. non erat nisi *oratio super hominem*; non ergo ex locis supra n. 6. adductis inferri potest, ordinem fuisse Sacramentum. Sane cum Marci XVI. 18. de iis, qui crediderunt, dictum est: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, nemo inferet, fuisse aliquod Sacramentum pro ægrotis institutum: ergo pariter, &c.

24. Resp., certe non omnem impositionem manuum esse Sacramentum; sed ex adjunctis discerni posse, quænam sit mera cæremonia, & quænam Sacramentalis. Impositionem manuum, qua Apostoli Diaconos, Presbyteros, atque Episcopos consecrarunt, fuisse verum Sacramentum, ex pluribus adjunctis colligitur. *Primo* enim isti sic ordinati fuerunt a ceteris fidelibus distincti, certisque in Ecclesia muniis obeundis destinati; quod de infirmis, aliisque nullatenus dici potest. *Secundo*, quod Paulus præcipit Timotheo *ne cito* manus imponat, significans, nonnisi probatos, & dignos ad ministerium Ecclesiæ assumendos, nullo modo intelligi potest de sola oratione, quæ pro quolibet etiam indigno fieri consuevit. *Demum*, si qua superesse posset dubitatio, ea tollitur per Ecclesiæ traditionem, qua constat, illam manuum impositionem fuisse verum Sacramentum ad illam hierarchiam conservandam, quam Christus in sua Ecclesia constituerat. Sic in Concilio Nicæno I. can. 9. *impositionis manus* ad Presbyteros ordinandos mentio habetur, & in nonnullis aliis postea celebratis.

25. Inst. *secundo*. Christus Dominus, quando Apostolos Sacerdotes, & Episcopos instituit, nulla est usus manuum impositione: non ergo voluit per ipsum indicare Ordinis Sacramentum. Multo minus aliquam in hac manuum impositione verborum formulam Apostolos adhibuisse legimus.

26. Resp., Christum, cui potestas *excellentiæ* in Sacramentis competebat (V. Dissert. I. cap. 8.) neque materia, neque forma in iis conferendis indigebat; in iisdem tamen ab Ecclesia administrandis voluit adhiberi signa quædam sensibilia, certasque verborum formulas. Et licet formulam verborum in manuum impositione ab Apostolis adhibitam Scriptura sacra non exprimat, eam tamen insinuat, cum dicit: *orantes imposuerunt eis manus*. Act. VI. 6.

Quæres primo, quænam sint hujus Sacramenti materia, & forma?

27. Resp. Eugenius IV. in Istruct. Armen. „ *Sextum*, inquit, *est Sacramentum Ordinis*, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem: subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem. Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis, in nomine Patris, &c.* & sic de aliorum ordinum formis". Notant autem viri eruditi, Eugenium eam duntaxat assignare voluisse materiam, quæ permanens est. Ceterum in collatione ordinum diaconatus, & presbyteratus requiri etiam impositionem manuum, discimus ex Concilio IV. Carthagin. can. 3., & 4. Synodus autem Tridentina materiam, & formam hujus Sacramenti indeterminate memorat Sess. XXIII. cap. 3. inquiens, *sacram Ordinationem verbis, & signis exterioribus perfici*.

28. Hinc indefinita mansit magna illa inter Theologos controversia de trium hierarchicorum ordinum materia, & forma. Antiquiores enim Scholastici una cum multis recentioribus non aliam agnoscunt horum ordinum materiam, quam porrectionem instrumentorum; nec aliam formam, quam verba Episcopi hæc instrumenta tradentis, juxta mox citatam instrutionem Eugenii Papæ. Alii contra, ac præcipue Jo. Morinus *De Sacr. ordin.* P. III. Exercit. VII. cap. 1., Hugo Menardus in *Notis ad Sacram.* S. Gregorii, noster Goarius in not. ad *Euchol. Græc.*, solam manuum impositionem cum verbis ab Episcopo in ea prolatis integram dicunt esse prædictorum ordinum materiam, & formam. Atque hæc sententia admodum communis est inter Theologos, ac Canonistas recentiores, utpote quæ videatur & sacris litteris, & veteri Ecclesiæ consuetudine innixa.

29. Tertia postea enata est opinio, quæ non paucos habet patronos, utpote quæ utramque conciliat, scilicet Eugenii VI. decretum, & Sacr. Scripturarum testimonia, videlicet materiam, & formam horum Sacramentorum adæquatam simul consistere in traditione instrumentorum, ac in manuum impositione, una cum verbis utrique actioni adnexis. Atque hæc sententia tutior est. Unde testante Benedicto XIV. Lib. VIII. *De Syn. Diœc.* cap. 10., cum quidam sacerdotio initiandus omnibus consuetis manuum impositionibus ab Episcopo receptis, ad Episcopum patenam cum hostia, & ca-

calicem cum vino porrigentem accedere neglexisset, sacra Congregatio Concilii *totam ordinationem sub conditione iterandam*, præcepit. Qua Congregationis decisione manifeste edocemur, hanc tertiam opinionem esse tutiorem. Alia similis iterationis exempla afferri possent.

30. Objiciunt aliqui, quod narrat S. Gregorius Nyssenus in *Vita Gregorii thaumaturgi*, eum scilicet absentem, & tridui intervallo distantem fuisse a Phædimo Amaseæensium Antistite consecratam Episcopum Neocæsariensem, utique sine materiæ applicatione, & formæ prolatione. Item Metaphrastes apud Surium in *Vita Danielis Stylitæ* narrat, hunc miræ sanctitatis virum fuisse a Gennadio Sacerdotem factum, cum esset absens.

31. Resp. ad *primum*, ex S. Gregerio Nysseno tantum haberi, Gregorium thaumaturgum procul absentem a Phœdimo fuisse ex peculiari Spiritus S. instinctu designatum, & proclamatum Episcopum Neocæsariensem, cum ipse absens delitesceret, ne cogeretur Episcopatum acceptare; postea vero Gregorium cessisse, ac consuetis ritibus, ac cæremoniis fuisse Episcopali dignitate ornatum. Idemque dicendum de Daniele Stylita; nimirum quæ de ipso narrat Metaphrastes, dumtaxat de electione, non autem de consecratione esse intelligenda. Ceterum, in hoc Sacramento, sicuti in aliis quibuslibet, necessariam esse materiam, & formam, ostendit S. Thomas in Supplem. q. 34. art. 4. & 5.; nec id opus est multis demonstrare; quidquid postea sit de materiæ, & formæ determinatione, quæ varia esse potest in singulis ordinibus.

Quæres *secundo*, *an sacra ordinatio characterem imprimat?*

32. Resp. *affirmative;* neque hac de re dubitari a viris catholicis posse, postquam Concilium Tridentinum Sess. XXIII. can. 4. ita definivit: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum ... aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.* S. Thomas autem in *Supplem.* q. 35. art. 2. notat, fuisse hac de re triplicem antiquorum Theologorum opinionem. Quidam enim dixerunt, in solo Ordine sacerdotali imprimi characterem. *Sed hoc non est verum*, inquit Angelicus, *quia actum Diaconi nullus potest exercere licite, nisi Diaconus, & ita patet, quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione Sacramentorum, quam alii non habent.*

33. Alia opinio fuit, in solis *sacris Ordinibus* imprimi characterem, non autem *in minoribus*. *Sed hoc iterum nihil est*, subdit S. Doctor, *quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis, ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem.* Sic demum concludit S. Præceptor: *Cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet, quod in omnibus* (ordinibus) *character imprimatur: cujus etiam signum est, quod perpetuo manent, & nunquam iterantur. Et hæc est tertia opinio, quæ communior est.*

34. Neque obest, aliquos ex minoribus ordinibus non respicere, nisi actus quosdam corporales, ut Ostiariatus. Respondet enim S. Doctor, *quemlibet ordinem vel habere actum circa ipsum Sacramenum, vel ordinare ad Sacramentorum dispensationem; sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum Sacramentorum inspectionem, & sic de aliis; & ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas.* Vid. dicta Diss. I. cap. 12.

35. Art. autem 3. bene docet idem Angelicus, ad recipiendum characterem Ordinis necessario præsupponi characterem baptismalem, quia baptismus est janua Sacramentorum; & per characterem baptismi recipitur a baptizato potentia recipiendi alia Sacramenta. Obviæ autem difficultati, quod posset contingere, aliquem non baptizatum promoveri ad sacros Ordines, atque etiam ad Episcopatum, respondet, omnes istos ordines aut receptos, aut datos, nullos omnino esse. *Sed tamen*, subdit, *pie credi potest, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, summus Sacerdos suppleret defectum: & quod non permitteret, hoc ita latere, quod Ecclesiæ posset periculum imminere.*

CAPUT III.

De distinctione, & numero Ordinum.

36. De hac distinctione agit S. Thomas in *Supplem.* q. 37., & art. 1. ostendit, ordinum multitudinem fuisse inductam in Ecclesiam propter tria. „ *Primo* quidem propter Dei sapientiam commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maxime relucet, tam in naturalibus, quam in spiritualibus; quod significatur in hoc, quod Regina Saba *videns ordinem ministrantium Salomoni, non habebat ultra spiritum*, 3. Regum X. 4., deficiens in admiratione sapientiæ illius. *Secundo* ad subveniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia, quæ ad diversa mysteria pertinebant, expleri sine magno gravamine; & ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia; & hoc patet per hoc, quod Dominus Num. XI. dedit Moysi 70. senes in adjutorium. *Tertio*, ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, omnes sint Dei cooperatores, quo *nihil est divinius*, ut Dionysius dicit cap. 3. *Eccl. Hier.*" (*a*).

37.

(*a*) Hæc Angelici documenta nisi ignorasset Calvinus, ausus certe non esset insulsa sua garrulitate istos Ordines *Sacramentula* vocare; deinde *septenarium* numerum irridere, quasi *ex perversa Scripturæ interpre-*

37. Hoc autem convenit Ordini, quod aliis Sacramentis non convenit, quia ut ibid. ad 1. bene observat Angelicus, *alia Sacramenta dantur ad effectus aliquos percipiendos: sed hoc Sacramentum datur principaliter ad actus aliquos agendos. Et ideo secundum diversitatem actuum oportet, quod Ordinis Sacramentum distinguatur, sicut potentiæ distinguuntur per actus.*

38. Observat insuper idem Angelicus ad 2., „ quod divisio Ordinis non est totius integralis in „ suas partes, neque totius universalis, sed totius „ potestativi, cujus hæc est natura, quod totum „ secundum completam rationem est in uno, in „ aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita „ est hic: tota enim plenitudo Sacramenti hujus „ est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio, sed in „ aliis est quædam participatio Ordinis. Et hoc „ significatum est in hoc, quod Dominus dicit „ Num. XI. 17. Moysi: *Auferam de spiritu tuo*, „ *tradamque eis, ut sustineant tecum onus populi*. Et ideo omnes Ordines sunt unum Sacra„ mentum". Quæ tamen comparatio per quamdam analogiam est intelligenda: neque enim in laud. loco *Numer.* agitur de sacro ministerio, quod apud Aaronem residebat, sed de regimine politico. Et hæc difficultatem apud Theologos non habent.

39. Difficultas, si qua est, respicit numerum Ordinum, qui non semper videtur idem fuisse, nec modo idem est apud omnes. Nam Edm. Martene Lib. I. *De ant. Ecclesiæ ritibus* cap. 8. art. 1. ex IV. Concilio Carthag. novem enumerat Ordines, nempe *Episcopos*, *Presbyteros*, *Diaconos*, *Subdiaconos*, *Acolythos*, *Exorcistas*, *Lectores*, *Ostiarios & Psalmistas, seu Cantores*. Alii alios recensent, ut videri potest apud Joan. Morinum de sacris Ordinat. P. III. Exercit. I. cap. 2.

40. Sed Ecclesia Romana septem omnino agnoscit Ordines, quos Concilium Florentinum in Decreto Unionis breviter indigitavit, clarius autem explicuit Tridentinum Sess. XXIII. c. 2. inquiens: *Non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt ... Et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu*. Ubi Patres caute loquentes solum dixerunt, Sacerdotum, & Diaconorum apertam esse in sacris litteris mentionem, Subdiaconos autem, & alios quatuor *ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse* (a). Quod verissimum esse, multis veteribus monumentis confirmari potest.

41. Nam, ut omittam pseudo-Dionysium cap. 5. *Eccl. hierarchiæ*, *Constitutiones Apostolicas* Lib. VIII. cap. 11., *Canones* item *Apostolicos*, de quorum antiquitate nihil certi definiri potest, aliaque non omnino sincera testimonia, nihil clarius desiderari potest in hanc rem epistola S. Cornelii Papæ (qui regnavit ab anno 251. usque ad 255.) ad Fabium Antiochenum apud Eusebium Lib. VI. *Hist.* cap. 43., ubi dicit fuisse cruentis illis persecutionum temporibus in Ecclesia Rom. *Presbyteros sex, & quadraginta, septem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos, & quadraginta, Exorcistas, & Lectores, cum Ostiariis quinquaginta duos*. Cajus item (qui Pontifex Romanus fuit ab an. 283. usque ad an. 296.) ut

tatione consecratus esset, nempe ex septem Spiritus sancti virtutibus apud Isaiam XI. 2. 3. *Quamquam alii acutiores*, subdit, *non septem ordines, sed novem faciunt, ad similitudinem, ut ajunt, triumphantis Ecclesiæ*. Quibus omnibus non solum in veterum monumentorum, sed etiam in Scholasticorum doctrina se prorsus hospitem, & peregrinum ostendit.

(a) Inde postea natæ sunt controversiæ, an subdiaconatus, aliique inferiores Ordines essent institutionis divinæ, an solum Ecclesiasticæ? Duo doctissimi Cardinales Baronius ad an. 44. n. 78., & Bellarminus Lib. I. *De Clericis* cap. 1. omnes fuisse ab Apostolis institutos censuerunt. Alter autem Cardinalis Jo. Bona, binis commemoratis non inferior, Lib. I. *Rerum liturg.* cap. 25. n. 26. Subdiaconatus quidem institutionem vel ad Christum, vel ad Apostolos referendam esse existimat; alios autem inferiores ordines *Apostolis*, inquit, *vel immediatis eorum successoribus institutos Doctores scholastici asserunt, sed non probant*. Jo. Morinus Exercit. XIV. cap. 1. evincere contendit, olim apud Græcos nec Acolythos, nec Exorcistas, nec Ostiarios fuisse. Isaacius autem Habertus in Αρχιερατικῷ P. V. Observ. 1. *Consultius esse* scribit, *ordines hierarchicis inferiores, ipsumque adeo Hypodiaconatum & a Sacramentorum numero expungere, & ad institutionem dumtaxat ecclesiasticam cum antiquis Theologis referre*. Lud. Thomassinus in *Vet. & nova Ecclesiæ disciplina* P. I. Lib. II. cap. 30., postquam more suo multa veterum testimonia allegasset, ita num. 4. concludit: „ Hac præmissa auctoritatum, & exemplorum strue, jam non immerito ita statueris: 1. cum Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum tantum Scriptura meminerit, quam certum est, ejusmodi ordines institutionis esse divinæ, tam verisimile est, alios omnino non esse: 2. unde & Concilia, & Patres de tribus illis ordinibus consentire ad unum videntur omnes, de ceteris penitus dissidere: 3. ab aliis enim alios apponi, quos posteri non acceperint, & rejici alios, quos ætas posterius probarit, &c." Addit postea ibid. *ut probabilius*, ordines minores veluti *quasdam portiones esse Diaconatus, aliisque temporibus, & necessitatibus ab eo decerptas*. *Quamobrem*, concludit, *aliquo sensu, eoque vero, recte dixeris, minores ordines in fonte suo, ac origine, idest in Diaconatu, unde tamquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinæ*. Non desunt tamen graves Theologi, qui omnes ordines ab Apostolis ad nos pervenisse doceant. Unum nominare sufficiat Melch. Canum, qui Lib. III. *De locis theol.* cap. 4. laudata celebri Augustini regula: *Quod universa tenet Ecclesia, &c.* ita hanc controversiam definit: „ Si ante quemcumque Pontificem, ante quodcumque etiam Concilium mentio hujus rei apud priores habetur, donec ad Apostolorum tempora perventum est, tunc demum intelligimus, minores ordines ex Apostolica traditione fuisse, ut & re vera fuerunt".

ut constat ex ejusdem Epist. ad Felicem, & ex Pontificali Romano, eosdem ordines enumerat, edicens, ut si quis Episcopus fieri mereretur, eosdem ordines ascenderet, *ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, sequens Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur*.

42. Hujus porro septenarii ordinum numeri aliquas parum probabiles rationes attulerant veteres Theologi, quibus repudiatis S. Thomas hanc affert in *Supplem.* quæst. 37. art. 2. ,, Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est Sacramentum Sacramentorum, ut Dionysius dicit. Sicut enim templum, & altare, & vasa, & vestes, ita & ministri, qui ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent; & hæc consecratio est ordinis Sacramentum. Et ideo distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam; quia potestas ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est ordo Sacerdotum; & ideo cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & pane, accipientes potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi. Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo sic est tripliciter. Primo enim est ministerium, quo minister cooperatur Sacerdoti in ipso Sacramento, quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus Sacerdos facit; & hoc pertinet ad Diaconum ".

43. ,, Secundo est ministerium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius Sacramenti; & hoc pertinet ad Subdiaconos .... & ideo accipiunt calicem de manu Episcopi, sed vacuum cum ordinantur ".

44. ,, Tertio est ministerium ordinatum ad præsentandam materiam Sacramenti, & hoc competit Acolytho .... unde accipit urceolum vacuum. Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos; quia qui mundi sunt, jam sunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum secundum Dionysium. Quidam enim sunt omnino infideles, credere nolentes, & hi totaliter etiam a visione divinorum, & a cœtu fidelium arcendi sunt; & hoc pertinet ad Ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet cathecumeni; & ad horum instructionem ordinatur ordo Lectorum, & ideo prima rudimenta fidei, scilicet vetus testamentum eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles, & instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni; & ad hoc ministerium est ordo Exorcistarum. Et sic patet ratio & numeri, & gradus ordinum ".

45. Ibidem autem ad 2. notat Angelicus, *quod in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur .... Nihilominus erant omnes prædictæ potestates* (scilicet subdiaconatus, acolythatus &c.) *sed implicite, in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis*; atque respondet iis, qui dicebant, nullam esse in Scripturis mentionem hujusmodi ordinum, sed solum Presbyterorum, & Diaconorum. Istis autem S. Thomæ verbis suam opinionem sup. in not. ad n. 40. cl. Thomassinus confirmat.

46. Respondet postea ad 5. iis, qui sacris ordinibus volebant etiam Psalmistas, seu Cantores adjungere, respondet, inquam, *quod Psalmistarum non est ordo, sed officium ordini adnexum; quia Psalmi cum cantu pronunciantur, ideo dicitur Psalmista Cantor. Cantor autem non est nomen ordinis specialis, tum quia cantare pertinet ad totum chorum, tum quia non habet aliquam specialem relationem ad Eucharistiæ Sacramentum; quia tamen officium quoddam est, inter ordines largo modo acceptos aliquando computatur*. Et hæc quidem Angelicus, consuetudinem, & doctrinam sequens Ecclesiæ Romanæ, quæ omnium aliarum mater est, & magistra (*a*).

47. Ecclesia græca, si Emman. Schelestrato credimus *Ad Conc. Antioch.* Dissert. cap. 17., antiquitus omnes ordines habuit, quos modo habet Ecclesia latina; quod etiam probare conatur Franc. Hallier *De sacr. elect. & ordin.* P. II. sect. 1. cap. 1. num. 27. dicens, *nuperum* esse Græcorum morem, solum Lectoratum ex minoribus ordinibus recipiendi. Repugnat acriter Jo. Morinus Exercit. XIV. cap. 1. Illud certum est, in Græcorum Euchologiis, a mille, & amplius annis non alios ordines post diaconatum inveniri, quam subdiaconatus, & lectoratus.

48. His illud addendum existimo, hanc ordinum distinctionem ea etiam de causa fuisse institutam, ut qui militiæ ecclesiasticæ nomen dabant, quodam quasi tyrocinio exercerentur, ut sic ad subliniores gradus nonnisi probati, & digni promoverentur. Unde Concilium Sardicense can. 10. ita statuit: ,, *Per singulos gradus, si dignus est, ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt prolixum tem-*

(*a*) De Cantoribus aliqua videtur specialis esse difficultas, cum sæpius inter alios ordinibus minoribus insignitos inveniantur nominati. Sed eorum fuisse dumtaxat officium, non *gradum*, vel *ordinem*, liquet ex Concilio Carthag. IV. can. 10., ubi ita statuitur: *Psalmista, idest Cantor, potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente ipsi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes.*

tempus, probari, qua fide sit, qua modestia, qua gravitate &c. Hinc etiam Synodus Trid. Sess. XXIII. can. 2. ita definivit: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, & majores, & minores, per quos, veluti per gradus quosdam, in Sacerdotium tenditur, anathema sit.* Qui tamen in inferioribus his ordinibus constituti erant, ita censebantur clericali statui addicti, ut inter laicos computari amplius non possent. Nam Concilium Chalcedonense can. 7. *Eos*, inquit, *qui in Clero semel sunt ordinati ... statuimus, nec ad militarem expeditionem, nec ad sæcularem dignitatem posse venire.*

49. Post constitutam ordinum numerum S. Thomas art. 5. agit de eorum distinctione inter ordines *sacros*, & *non sacros*. Et quidem sapienter præmonet, ordinem sacrum dupliciter dici: „ uno „ modo secundum se; & sic quilibet ordo est sa- „ cer, cum sit Sacramentum quoddam: alio mo- „ do ratione materiæ, circa quam habet aliquem „ actum; & sic ordo sacer dicitur, qui habet a- „ liquem actum circa rem aliquam consecratam. „ Et sic sunt tres tantummodo ordines sacri, sci- „ licet Sacerdotium, & Diaconatus, qui habent „ actum circa corpus Christi, & sanguinem con- „ secratum, & Subdiaconatus, qui habet actum „ circa vasa consecrata: & ideo eis etiam conti- „ nentia indicitur, ut sancti, & mundi sint, qui „ sancta tractant ".

Quæres primo, an omnes supra recensiti ordines sint vera Sacramenta?

50. Resp. de Sacerdotio, salva fide, minime dubitari posse, quin verum, & proprium sit novæ legis Sacramentum, ut supra cap. 2. contra Novatores ostensum fuit. Si enim alicui ordini vera Sacramenti ratio convenire debeat, ea certe conveniet Sacerdotio, quod primum obtinet inter ordines gradum, & in quo, ut supra diximus n. 35. cum S. Thoma, *est tota plenitudo hujus Sacramenti.*

51. Eodem modo certum esse deberet, Diaconatum inter vera Sacramenta esse numerandum, postquam Patres Trid. Sess. XXIII. can. 6. ita definierunt: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Quæ verba expendens P. Gabr. Vasquez Tom. III. disput. 238. cap. 2. *Valde miror*, inquit, *viros non vulgariter doctos, aut decretum Concilii Trident. non legisse, aut plane non intellexisse ... Per ministros autem, ad minimum Diaconos intelligere oportet.* Loquitur nempe de quibusdam paucis Theologis, qui dubitabant, Diaconatum esse Sacramentum.

52. Attamen vener. Bellarminus *De Sacram. Ordinis* Lib. I. cap. 6. *De Diaconis*, inquit, *valde probabile, & omnino tenendum est, eorum ordinationem Sacramentum esse, licet id non sit certum de fide. Quod non sit certum de fide, patet, quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto, vel tradito: neque extat ulla Ecclesiæ de hac re expressa determinatio.* Durandus solum Sacerdotium putavit verum esse Sacramentum; *cujus opinionem*, inquit Dominicus Soto (qui Trid. Concilio interfuit) in IV. Dist. 24. quæst. 1. art. 4., *qui sustinere vellet, non esset magna reprehensione dignus*; fatetur tamen idem Magister Soto, Durandum *a communi antiquorum opinione deflectere*, eique inurit *nonnullam temeritatis notam*. Estius etiam in IV. Dist. 24. §. 8. huic quæstioni respondet, *non videri quidquam esse definitum ab Ecclesia*. Communis tamen, & verissima sententia est, Diaconatum esse *verum*, & *proprium* novæ legis Sacramentum. Non ita de reliquis ordinibus.

53. Sed difficilis valde, & implexa quæstio est, an alii ordines Diaconatu inferiores, vera sint Sacramenta. Affirmativam sententiam post S. Thomam in IV. dist. 24. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. & in *Supplem.* quæst. 37. art. 2. (*a*), ac post S. Bonaventuram in IV. Dist. 24. art. 2. quæst. 4. multi Theologi adoptarunt; præcipue ubi de Subdiaconatu sermo est.

54. Alii tamen non pauci post Petrum Lombardum omnibus Ordinibus, exceptis Sacerdotio, & Diaconatu, veram Sacramenti rationem denegant. *Canones*, inquit Lombardus Lib. IV. Dist. 24., *duos tantum ordines excellenter appellandos censent, diaconatus scilicet, & presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse .... Subdiaconos, & Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* Quæ Magistri verba Gratianus exscripsit Dist. XXIV. Hanc porro Magistri sententiam, non solum ejus præclarus venerator, & cultor Episcopus Vabrensis Isaacius Habert, sed alii etiam Thomistæ, magno numero secuti sunt. Nos ad inconcussa Ecclesiæ dogmata propugnanda properantes, has controversias omittimus, quæ fusissime pertractatæ apud Scholasticos invenientur.

55. Antequam tamen hoc caput absolvatur, in memoriam revocanda sunt, quæ Synodus Trident. Sess. XXIII. cap. 17. *de reform.* ad compescendam hæreticorum, & maxime Calvini impiam gar-

(*a*) Dom. Soto in IV. Dist. 24. qu. 1. art. 4. Concl. 7. postquam statuisset, quatuor ordines minores non esse Sacramenta, auctoritati S. Thomæ ita respondet: *Neque arbitror profecto, quod si D. Thomas ad hunc locum in Summa pervenisset, in contraria persistisset opinione, quam in IV. vulgus secutus tenuit.* Certe Angelicus Lect. II. in Cap. III. epist. 1. ad Timoth. *In primitiva Ecclesia*, inquit, *solum erant tres ordines, ut dicit Dionysius, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum, & non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno ordine propter paucitatem ministrorum, & propter novitatem Ecclesiæ.*

garrulitatem ita prudentissime statuit: „ Ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum „ functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermissæ, in usum juxta sacros „ Canones revocentur, nec ab hæreticis tamquam „ otiosæ traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus decernit, ut in posterum hujusmodi ministeria nonnisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur; omnesque, & singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, „ ut quantum fieri commode poterit, in Ecclesiis „ Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ „ diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones „ curent restituendas... Quod si ministeriis quatuor „ minorum Ordinum exercendis Clerici cœlibes „ præsto non erunt, suffici possint etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad „ munia obeunda idonei, & qui Tonsuram, & „ habitum Clericalem in Ecclesia gestent (*a*)".

Quæres *secundo*. *Qui fuerit hujus Sacramenti auctor?*

56. Resp. Sacerdotium fuisse a Christo Domino institutum, est dogma fidei a Synodo Trid. Sess. XXIII. cap. 1. his verbis definitum: „ Hoc autem „ (Sacerdotium) ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque „ successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam „ consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus „ & Sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi, & retinendi, sacræ litteræ ostendunt, & „ Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit". Quam doctrinam can. 2. sub anathematis interminatione omnibus credendam eadem sacros. Synodus proposuit.

57. Et quantum pertinet ad sacras litteras, id haud obscure significavit Apostolus 1. Corinth. XII. 28., dum inquit: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores &c.* Sed multo luculentius id eruitur ex ultima cœna, quam S. Lucas describit cap. XXII., ubi Christus postquam panem, & vinum consecravit, ac discipulis suis dedit, subdidit: *Hoc facite in meam commemorationem:* tunc enim Apostolos fuisse Sacerdotes novi testamenti constitutos, *semper catholica Ecclesia intellexit, & docuit*, ut loquitur eadem Synodus Trid. Sess. XXII. cap. 1. Accedunt & illa Christi verba Apostolis dicta Jo. XX. 21. seq.: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Quibus similia sunt, quæ refert Matthæus XXVIII. 18. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* Ac demum Apostolus Paulus Act. XX. 28. Seniores alloquens Ecclesiæ Ephesinæ, *Attendite vobis*, inquit, *& universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*.

58. Quantum vero ad Diaconatum, licet fortasse nulla sit expressa Ecclesiæ definitio, ut supra num. 52. monuimus, minime tamen dubitare licet, eumdem esse verum Sacramentum, adeoque divinam habere institutionem. Id patet ex electione septem Diaconorum, quæ describitur Act. VI.; quos nempe *statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Hos enim non ad communium dumtaxat mensarum, sed ad sacra mensæ Dominicæ ministeria electos fuisse, communis est veterum Patrum sententia; ex quibus unum, aut alterum sufficiat laudare, nempe S. Ignatium Mart., & S. Cyprianum; quorum primus in genuina Epistola ad Trallianos: *Oportet*, inquit, *& Diaconos mysteriorum Jesu Christi ministros omni modo omnibus placere; non enim ciborum, & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri*. Alter vero, videlicet S. Cyprianus in Epist. LXV. ad Rogatianum: *Diaconos*, inquit, *post ascensum Domini in cælos, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros*. Plura afferre non vacat; nam ipse Sam. Basnagius concedit, hanc fuisse veterum Patrum latinorum sententiam (*b*). De Subdiaconatu, ac ceteris inferioribus Ordinibus vide dicta superius n. 43. seq.

Quæres *tertio*, *quid essent Diaconissæ?*

59.

(*a*) His de rebus, quas nos breviori calamo complexi sumus, fuse agunt Scholastici, multaque afferunt scitu digna. Doctissimus noster P. Nicol. August. Chignoli in Tract. *De Sacramentis* sacrilegas Novatorum, ac præcipue Calvini blasphemias contra septenarium Ordinum numerum, & contra Ecclesiæ Romanæ eorumdem usum refellendi onus in se suscepit, ac feliciter executus est.

(*b*) Nec desunt ex Calvinianis, qui hanc veritatem confessi sunt. Joan. Pearsonius Gestriensis Episcopus, de hac Diaconorum electione in suis Lectionibus *Act. Apost.*, agens: „ *Actus quidem*, inquit, ad quem instituti sunt, nihil aliud est, quam ministrare mensis; officium tamen non fuit mere civile, aut œconomicum, sed sacrum etiam, sive ecclesiasticum; mensæ enim discipulorum tunc temporis communes, & sacræ etiam fuere, hoc est in communi convictu Eucharistiam celebrabant. Clarum autem est, septem hos viros ad sacrum officium fuisse electos, & ordinatos... Ordinabantur autem per manuum Apostolicarum impositionem, non aliter quam Presbyteri, aut etiam Episcopi". Guill. item Beveregius inter Calvinianos Anglos doctissimus in Adnot. ad primum Canonem Apostol. de eadem septem Diaconorum electione loquens, *per Apostolicam ordinationem*, inquit, *non mensarum tantummodo, sed totius Ecclesiæ ministros constitutos esse ex eo liquet, quod Stephanus unus ex iis prædicasse legitur, & Philippus alius non prædicasse solum, sed & baptizasse*. Et postquam multis veterum testimoniis hanc veritatem comprobasset, ita pergit: „ Ex omnibus hisce veterum testimoniis observetur primo, tres distinctos ecclesiasticorum Ordines, sive Episcopos,

59. Resp., Diaconissarum institutionem ad ipsa Apostolica tempora esse referendam; quandoquidem Paulus ad Rom. XVI. 1. inter salutandos primam nominat Phæben, *quæ est*, inquit, *in ministerio Ecclesiæ*, græce ὄσαν διάκονον, *quæ est Diaconissa*. Ipsæ autem vel erant virgines, vel viduæ *univiræ*. S. Ignatius epist. ad Smyrnæos num. 13. *Saluto*, inquit, *virgines vocatas viduas*; quæ verba ita Cotelerius commentatur: *viduæ vocabantur, quia in gradu viduali, seu Diaconico erant constitutæ*. Olim nonnisi sexagenariæ, & ultra eligebantur; unde illa lex in Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. II. leg. 27.: *Nulla, nisi emensis 60. annis, cui votiva domi proles sit, secundum præceptum Apostoli ad Diaconissarum consortium transferatur*. Sed postea etiam quinquaginta, aut quadraginta annorum lectæ sunt, ut constat ex *Novellis* Justiniani VI., & CXXIII., tum ex can. 14. Concilii Chalcedonensis.

60. Earumdem officia hæc erant: *primo* Episcopis, vel Presbyteris inservire, quando fœminas baptizabant, quas vestibus exuebant, atque etiam ungebant. Auctor *Constitut. Apostol.* Lib. III. cap. 5. *Quum mulieres baptizantur*, inquit, *unget quidem eis Diaconus frontem tantum oleo sacro, post eum vero illinet eas Diaconissa*. Atque hanc fuisse Ecclesiæ græcæ disciplinam, ostendit doctissimus Jo. Bapt. Cotelerius ad hunc locum *Constit. Apostol. Secundo* catechumenas in christiana religione instruebant; non tamen publice in Ecclesia, ubi docere fœminis non permittitur ex Apostolo 1. ad Timoth. II. 12. Concilium Carthagin. IV. can. 12. *Viduæ*, inquit, *sel sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto, & sacro sermone docere imperitas, & rusticas mulieres tempore, quo baptizandæ sunt. Tertio*, fœminas ægrotas, vel afflictas visitabant. Idem autem *Constit. Apostol.* Lib. III. cap. 15. *Eliges Diaconissam fidelem, & sanctam, ad ministrandum mulieribus. Quarto*, etiam viris Confessoribus, & Martyribus ministrabant, facilius enim, quam Diaconi, aditus ad ipsos obtinebant: quod ex quibusdam verbis Luciani, & Libanii colligunt Cotelerius in not. ad locum laud. *Constit. Apostol.* & Gothofredus Comment. in Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. II. lege 27. *Demum* in Ecclesia quoque inserviebant, fœminas in suis locis disponendo, fores, quæ ad partem fœminarum vergebant, custodiendo, aliisque hujusmodi muniis præstandis. Non tamen ad sacras functiones admittebantur, ut testatur S. Epiphanius *Hær.* LXXIX. num. 3. inquiens: *Quamquam vero Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur &c.*

61. In Ecclesia Constantinopol. Diaconissas durasse usque ad finem sæculi XII. colligitur ex Balsamone in notis ad can. 15. Concilii Chalcedon., & Lib. V. *Juris Orient.* resp. 35., in aliis vero Ecclesiis jam desiisse. In Occidente autem multo citius cessarunt. Vid. Morinus *De sacris Ordinat.* P. III. Exercit. X., & P. Jac. Goar. *Eucholog. Græc.* in notis ad earum Ordinationem.

CAPUT IV.

De Sacramenti Ordinis ministro.

62. Gravissima hic est controversia, occasione schismatis Novatorum agitari cœpta. Nostri enim inter cetera Lutheranis, aliisque Novatoribus objiciebant, & adhuc objicere pergunt, nullam apud ipsos Ecclesiam esse, quia Ecclesia sine legitimis ministris, maxime autem sine Episcopis, esse non potest; apud Novatores autem nullos esse Episcopos, quia non habent ordinationem, nec successionem apostolicam (*a*). Ut in hac inextricabili difficultate se expedirent, *primo* negarunt ordinem ec-

Presbyteros, Diaconos, etiam proximo post Apostolos sæculo, non in uno, alterove loco, sed in omnibus tunc dierum cognitis terræ habitabilis partibus Europa, Asia, & Africa constitutos esse .... Deinde si nullum aliud extaret, hoc validissimo, & invicto argumento esset, eos tres Ordines ab Apostolis sancitos esse; omnem enim fidem superat, ut Ecclesiæ ubicumque terrarum constitutæ, & tanto a se invicem intervallo disterminatæ in eosdem conspirarent, nisi eos ab ipsis Apostolis, a quibus & fidem, traditos accepissent". His duumviris tertium addo, non minus inter Anglicanos Calvinistas celebrem Jo. Binghamum Lib. II. *Origin. sive Antiqnit. Eccles.* cap. 20. Vid. Nat. Alexander Dissert. VII. in Sæc. I., & Dion. Petavius *Dissertat. Ecclesiast.* Lib. II. cap. 1.

(*a*) Non soli Catholici, sed etiam aliqui ex heterodoxis id Lutheranis, atque iis Calvinianis, qui *Presbyteriani*, vel *Paritani* vocantur, objecerunt. Carletonus Theol. Anglus in Lib. *De Cons. Eccl. contra Tridentinos* loco de Eccles. cap. 11. sic scribebat: „ Per sacr. Scripturarum canonicam auctoritatem Ecclesiæ catholicæ consensus tantum apud me semper valuit, ut quæcumque ab hoc consensu confirmata videam, mihi sacrosancta, & immutabilia videantur. At in eo habemus Ecclesiæ antiquæ consensum, Episcopos ordinationem suam habere, Apostolos in hunc usum Ecclesiam commisisse Episcopis, Apostolos successores suos statuisse Episcopos, ac proinde extraordinariam Apostolorum potestatem cum ipsis finem habuisse ..... ordinariam vero Apostolorum potestatem Episcopis commendatam fuisse, atque in illis permansisse; ex hoc fundamento Episcopos semper ordinasse: non fas, aut licitum fuisse, ut inferior majorem ordinaret, quia nemo tribuit, quod non accepit.' Presbyteros quidem posse facere, quæcumque faciunt Episcopi, excepta tamen ordinatione: itaque Presbyteros ordinare non potuisse. Hæc apud antiquam Ecclesiam magno consensu firma, & fixa fuerunt. *Et postea*: Si omnia Ecclesiæ sæcula lustremus ab Apostolicis temporibus usque ad patrum nostrorum memoriam, non alia ordinandi ratio invenietur, nisi per Episcopos. Quam igitur sacram cæremoniam Ecclesia ab Apostolis accepit, & per tot

esse verum Sacramentum: *deinde* ad ipsum ordinem, seu ministerium pastorale, & episcopale non requiri vere, & proprie dictam, seu Sacramentalem ordinationem; *tertio* demum ne viderentur ἀταξίαν, καὶ ἀναρχίαν Anabaptisticam approbare, „ certos, & distinctos gradus inter ministros admiserunt, negantes tamen potestatem ordinandi jure „ divino ita esse Episcopali muneri alligatam, ut „ a Presbyteris, exigente præsertim Ecclesiæ ne„cessitate, & utilitate, exerceri nequeat:" verba sunt Joan. Gerhardi Theologi quondam Jenensis celeberrimi Loco XXIV. cap. sect. 12. §. 154. Ut hanc Novatorum evasionem præcludamus, sit

PROPOSITIO.

Verus, & ordinarius minister Sacramenti Ordinis est solus Episcopus.

63. Prob. primo ex sacris litteris, quæ ubique solos Apostolos, quibus successerunt Episcopi, sacræ ordinationis ministros nobis exhibent. Act. VI. septem Diaconis Apostoli manus imponunt. Ibidem cap. XIII. illi, qui præerant Ecclesiæ Antiochenæ, & *ministrabant*, seu sacrificium offerebant Domino, ex Spiritus sancti instinctu, jejunantes, & orantes Saulo, & Barnabæ manus imposuerunt, illos in Episcopos ordinando. Isti autem *constituerunt per omnes Ecclesias Presbyteros;* at ibidem subditur cap. XIV. 22. Paulus 2. ad Timoth. I. 6. testatur, se eumdem Timotheum *per impositionem manuum suarum* ordinasse. Rursus idem Apostolus Paulus suo Timotheo potestatem ordinandi Presbyteros contulisse significat, quando illi præcipit, ne *manus cito imponat* in prima epist. V. 22., & Tito cap. I. 5. præcipit, ut *constituat per civitates Presbyteros*. Et si totum percurramus novum testamentum, non alios inveniemus sacrarum ordinationum ministros, quam Episcopos.

64. Prob. *secundo* eadem veritas Ecclesiæ traditione, ad quam cognoscendam sufficit oculos conjicere in omnes, quotquot inveniuntur, tam Græcorum, quam Latinorum Libros rituales: fidenter enim Novatores provocamus, ut vel unum proferant, in quo minister ordinationis alius sit, quam Episcopus.

65. His addimus Constitutiones, & Canones Apostolicos, in quibus Episcopo soli munus ordinandi adscribitur. Addimus S. Athanasium, qui in *Epist. Synod.* ad omnes Episcopos probat, Ischyram Sacerdotem non esse, quia non ab Episcopo, sed a Collutho simplici Presbytero fuerat ordinatus. Huic autem Athanasii, & Synodi Alexandrinæ judicio adhæserunt Clerici Mareotici, apud eumdem Athanasium ibid. num. 75. Addimus S. Epiphanium, qui *Hær.* LXXV. Aerium condemnat, quia Presbyteros Episcopis æquabat. *Ordo Episcoporum*, inquiebat Epiphanius, *ad gignendos patres præcipue pertinet: hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio; alter* (ordo Presbyterorum) *cum Patres non possit, filios Ecclesiæ lotionis regeneratione producit.* Addimus & celebre dictum Hieronymi Epist. CXLVII. ad Evangelum (a): *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Cui præiverat Chrysostomus Hom. XI. in 1. epist. ad Timoth. inquiens de Episcopis: *Sola quippe ordinatione superiores sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.*

66. Addimus postremo universæ Ecclesiæ consensum, quem solitis suis authenticis monumentis comprobavit solertissimus in iis expiscandis Renaudotius, & qui ita quintum caput sui Libri V. *Perpetuitatis fidei* concludit; „ Nusquam apud „ Orientales auditum, satis esse, quemquam ple„ bi *proponere, ejusque suffragiis probato dice„ re:*" Esto Episcopus; Presbyter, aut Diaconus: „ hæc Novatorum deliria sunt. Ceterum hæc O„ rientalium semper fides fuit, nullum vere Pre„ sbyterum, aut vere Diaconum esse, qui ab E„ piscopo sibi manus imponente eam non accepe„ rit potestatem, quam Christus Ecclesiæ suæ tra„ didit certo ritu *communicandam*."

67. Atque hæc satis esse possunt, ut pateat, vere, meritoque sacrum Concilium Trident. Sess. XXIII. cap. 4. definivisse, Episcopos „ Presbyte„ ris superiores esse, ac Sacramentum confirma„ tionis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, „ atque alia pleraque peragere ipsos posse; qua„ rum functionum potestatem reliqui inferioris or„ dinis nullam habent, *Et can.* 7. Si quis dixe„ rit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, „ vel non habere potestatem confirmandi, & ordi„ nandi, vel eam, quam habent, illis esse cum „ Presbyteris communem.... anathema sit."

68. Objiciunt *primo* Lutherani, iisque consentientes Presbyteriani verba Apostoli Timotheo in prima epist. IV. 14. ita scribentis: *Noli negligere gratiam .... quæ data est tibi .... cum impositione manuum presbyterii.* En, inquiunt, Presbyteros, seu Ecclesiam per Presbyteros ordinantem Timotheum in Episcopum, ita ut ordinatio actus sit totius Ecclesiæ, illius autem executio per Presbyteros. Reipsa hoc Apostoli exemplum sequentibus etiam temporibus servatum est, ut in ordinatione Sacerdotis una cum Episcopo alii Presbyteri assistentes manus capiti initiandi imponant. Unde in Concilio IV. Carthagin. can. 3. statutum fuit, ut cum „ Presbyter ordinatur, Episcopo eum „ benedicente, & manum super eum tenente, „ et-

sæcula constanter conservavit, quis potest rejicere, quin Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem non rejiciat?" Ita hic Calvinista inter Theologos Anglos non postremus.

(a) Passim hæc epistola citatur, tamquam scripta *ad Evagrium*, sed Dom. Vallarsius in sua editione ex duobus Miss. Veronensibus eam *ad Evangelum* scriptam fuisse ostendit. Vid. etiam P. Martianæus in not. ad epist. LXXIII.

„ etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, „ manum Episcopi super caput illius teneant." Quod postea prohibetur in ordinatione Diaconi, in qua *solus* Episcopus, qui benedicit, manus super ejus caput imponit.

69. Resp., nomine *Presbyterii* non simplices Presbyteros, sed potius *Episcopos* a Paulo indigitari; unde in 2. epist. cap. I. de eadem ordinatione Timothei dicit: *per impositionem manuum mearum*. Neque mirandum est, fuisse huic ordinationi aliquos Episcopos præsentes. In primis enim illis Ecclesiæ exordiis propter ministrorum paucitatem, qui Presbyteri tantum erant, facile ad Episcopatum promovebantur, ut possent utilius Ecclesiæ inservire, adeo ut plures tunc essent Episcopi, quam simplices Presbyteri. Addit S. Thomas in hunc loc., nomina *Presbyteri*, & *Episcopi* fuisse promiscua; quod postea multis exemplis demonstravit Swicerus in voce πρεσβύτερον. Hæc interpretatio desumpta est ex S. Jo. Chrysostomo Hom. XIII. in 1. ad Timoth., eamdemque adoptarunt Œcumenius, Theophilactus, aliique nobilissimi interpretes (*b*).

70. Ad alteram objectionis partem respondet S. Thomas in *Suppl.* quæst. 38. art. 1. ad 1., „ quod „ in impositione manuum non datur character Sa„ cerdotalis Ordinis, sed gratia, secundum quam „ ad exequendum ordinem sunt idonei. Et quia „ indigent amplissima gratia, ideo Sacerdotes ma„ nus cum Episcopo imponunt eis, qui in Sacer„ dotes promoventur; sed Diaconis solum Episco„ pus." Quidquid autem sit de hoc, certum est, nonnisi unum Episcopum esse illum ministrum, qui sacram ordinationem peragit, cum ille solus Sacramenti formulam pronunciet.

71. Ob. *secundo*. Non desunt exempla, quod simplices Presbyteri alios Presbyteros ordinaverint. Nam Concilium Ancyranum celebratum anno 314. can. 13. sic statuit: *Vicariis Episcoporum*, *sive Chorepiscopis*, *non licet vel Presbyteros*, *vel Diaconos ordinare .... sine præcepto Episcopi*. Quod decretum confirmatum legimus in Concilio Antiocheno can. 10., Chorepiscopi autem, ut communis fert sententia, simplices erant Presbyteri.

72. Resp., utrumque Concilium esse intelligendum de quibusdam Chorepiscopis, qui vere Episcopi erant; attamen propter persecutiones, vel alias causas a propriis diœcesibus exules, & in aliorum Episcoporum parochiis commorantes, ibi Presbyterorum muniis fungebantur; aliquando tamen facultate ab Episcopis obtenta, etiam Episcopales functiones exercebant; qui propterea potestate *ordinis* pollebant, sola potestate *jurisdictionis* carentes. Clare id explicat Concilium Ancyranum can. 17. ita statuens: „ Si qui Episcopi or„ dinati sunt, nec recepti ab illa Parochia, in „ qua fuerant denominati, voluerintque alias oc„ cupare Parochias, & vim Præsulibus earum in„ ferre, hos abjici placuit. Quod si voluerint in „ presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut Pre„ sbyteri residere, non abjiciantur propria digni„ tate." Adhuc clarius loquitur Concilium Antiochenum, inquiens: „ Qui in vicis, vel posses„ sionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis ma„ nus impositionem Episcoporum perceperint, & „ ut Episcopi consecrati sint, tamen S. Synodo „ placuit, ut modum proprium cognoscant, idest „ ut ministerii sui modum non excedant, neque „ ordinent Diaconos, & Presbytéros absque licen„ tia Episcopi civitatis."

73. Inst. *primo*. S. Leo magnus Epist. CLXVII. ad Rusticum respondens ad primam *inquisit.*, & loquens de quibusdam pseudoepiscopis inquit: „ Si „ qui autem Clerici ab istis pseudoepiscopis in iis „ Ecclesiis ordinati sunt, qui ad proprios Episco„ pos pertinebant, & ordinatio eorum consensu, „ & judicio Præsidentium facta est, potest rata „ haberi, ita ut ipsis Ecclesiis perseverent:" censuit ergo sanctissimus Pontifex, ratas haberi posse ordinationes factas a pseudoepiscopis, qui veri Episcopi non sunt, adeoque &c.

74. Resp., ex contextu apparere, pseudoepiscopos illos a S. Leone nominatos veros fuisse Episcopos, *valide* consecratos, non tamen *legitime*, quia *nec a Clericis erant electi*, *nec a plebibus expetiti*, *nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati*; quæ regulæ erant prudentissime ab Ecclesia constitutæ, sed quarum violatio invalidam non reddebat Episcopi consecrationem, ac proinde nec invalidas ejusdem ordinationes.

75. Inst. *secundo*. Theodoreto referente Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 9. in Concilio Nicæno, postquam Patres Meletio, & omnibus ab eo ordinatis Clericis omnem manus imponendi, aut eligendi potestatem ademptam esse declararunt; ita pergunt: *Illi vero*, *qui Dei juvante gratia*, *nullo unquam in schismate deprehensi sunt*, *sed in catholica*, *atque apostolica Ecclesia absque labe ulla perseverant*, *potestatem habeant & manus imponendi* (ἐξουσίαν ἔχειν καὶ προχειρίζεσθαι) *& proponendi nomina eorum*, *qui in clerum eligi meruerint*. Eadem habet Socrates Lib. I. cap. 9. Poterant ergo Clerici catholici per manus impositionem sacros ordines conferre.

76. Resp. neg. cons.; neque enim vox illa προχειρίζω semper designat *manus imponere*, sed sæpe, immo magis proprie significat *eligere*, *designare*, seu, ut ait Scapula, *omnibus notum facere*, *& quasi ante manus collocare*; unde re-

(*a*) Dion. Petavius Lib. I. *Dissert. Ecclesiast.* cap. 2. probat, Presbyteros vel omnes, vel eorum plerosque primis illis temporibus sic ordinatos fuisse, ut Episcopi pariter, ac Presbyteri gradum obtinerent. Plura dabunt eruditissimi viri P. Mamachius *Origin.*, *& Antiquit. Christian. IV.* pag. 337., & Lud. Thomassinus *De nov. ac. vet. discipl.* Tom. I. Lib. I. P. I. cap. 54.

recte Henr. Vallesius utrumque locum Socratis, & Teodoreti ita vertit: *potestatem habeant eligendi & proponendi* &c.; quæ potestas Meletianis, aliisque schismaticis adempta erat.

77. Inst. *tertio*. Ex epist. LII. S. Cypriani habemus, a Novato simplici Presbytero fuisse Felicissimum ad Diaconatus ordinem evectum.

78. Resp., hæc esse Cypriani verba de Novato: *Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum Diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione, & ambitione, constituit*. Hæc autem verba potius significare videntur, curasse Novatum, ut Felicissimus Diaconus ab aliquo Episcopo ordinaretur, quam Novatum id per seipsum præstitisse. Id eruitur ex contextu: pergit enim Cyprianus Novati crimina Romæ perpetrata recensere, inquiens: *Qui isthic adversus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic* (Romæ) *Episcopum fecit*, nempe Novatianum, quem a tribus improbis, & temulentis Episcopis ordinari curavit.

79. Eodemque sensu accipiendum est, quod Cassianus narrat *Collat*. IV. cap. 1., a B. Paphnutio Monachorum patre fuisse Danielem ad diaconatum, deinde ad presbyteratum promotum; scilicet per electionem, & destinationem, non vero ordinationem, quæ Episcopo reservata erat.

80. Inst. *quarto*. In libello quodam Eutychii Alexandr. Patriarchæ dicitur, a S. Marco quemdam sutorem nomine Hananiam fuisse institutum Patriarcham Alexandrinum, eique adjunctos 12. Presbyteros ea lege, „ ut cum vacaret Patriarcha„ tus, eligerent unum e duodecim Presbyteris, „ cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, „ eumque benedicerent, ac Patriarcham crearent, „ & dein virum aliquem insignem eligerent, eum„ que Presbyterum secum constituerent loco ejus, „ qui sic factus est Patriarcha, ut ita semper ex„ tarent duodecim. Neque desiit Alexandriæ in„ stitutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriar„ cham crearent, usque ad tempora Alexandri Pa„ triarchæ." Ita hunc Arabicum Eutychii textum latine vertit Seldenus. Jam vero cum hic memorentur *manuum impositio*, *benedictio*, *& creatio* Patriarchæ, dubitari minime potest, sacram ordinationem fuisse ab illis Presbyteris peractam; adeoque &c. Idipsum indigitare videtur S. Hieronymus in epist. CXLVII. ad Evangelum sup. laud., inquiens: *Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant*. Hoc etiam tacite innuit Commentator epist. S. Pauli, qui Hilarius Diaconus esse putatur, S. Damaso coævus; inquit enim in cap. IV. ad Ephes.: *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus*.

81. Resp., Eutychio ignobili sæc. IX., vel X. scriptori nullam esse habendam fidem, cum ea narrat, quæ cum veteri, & constanti Patrum orientalium doctrina pugnant. Recolantur, quæ ex S. Athanasio num. 65. dicta sunt; qui utique Ecclesiæ Alexandrinæ consuetudines, & traditiones ignorare non potuit, cujus Patriarcha fuit, & S. Alexandri successor (*a*). Vel si benignius de isto scriptore sentire volumus, potuerunt illius verba in sensu minus proprio intelligi, ut *manus imponere*, *benedicere*, *& creare* nihil aliud significent, quam *designare*, *& eligere;* quod antiquitus ad clerum pertinebat, ut postea electus sacram ordinationem ab aliis Episcopis reciperet. Neque obstat, quod Eutychius dicat ibid., nullos ante Demetrium (XI. Patriarcham Alexandr.) fuisse in provinciis Ægypti Episcopos. *Primo* enim id difficile creditur uni Eutychio asserenti; immo a Jo. Morino manifeste falsum contra Seldenum ex authenticis monumentis ostenditur: *deinde* sisti poterat ille electus aliis Episcopis vicinarum provinciarum. Petavius autem postquam dixisset, Eutychii narrationem „ omnino bene credulum lecto„ rem postulare, concludit, id si verum est, aut „ Presbyteros illos Episcopali ordine præditos fuis„ se, aut solam ibi electionem, & constitutionem „ agi, non ordinationem, & consecrationem."

82. De Hieronymo, & pseudo-Ambrosio difficultas nulla esse potest, postquam ille, qui Presbyterorum dignitatem adeo extulit, ut quibusdam visus sit, eosdem Episcopis æquiparare, ordinationem tamen excludit, eamque solis Episcopis concedit, sup. n. 63. Ambrosiaster autem, seu Hilarius (ut putant illustres Benedictini Tom. II. Opp. S. Ambrosii) non solum ab errore Novatorum procul abest, sed veritati catholicæ apertissime suffragatur. In comment. enim cap. III. epist. 3. ad Timoth. dicit, Apostolum Timotheo ostendisse, quemadmodum Episcopum ordinaret; *neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem: nemo enim tribuit, quod non accepit*.

83. Solet etiam opponi auctoritas S. Augustini, qui in quæst. CI. *vet. ac novi test.* asserit, in Alexandria, & per totam Ægyptum, absente Episcopo, Presbyterum *consecrare;* quæ consecratio cum non possit intelligi de consecratione Eucharistiæ, quæ etiam præsente Episcopo fit a simplici Sacerdote, intelligi debet de illa consecratione, quæ fit in collatione ordinis.

84. Resp. autem, illam *consecrationem* non esse col-

(*a*) Abraham Echellensis Romæ ann. 1661. librum edidit ita inscriptum: *Eutychius Patriarcha Alexand. vindicatus, & suis restitutus Orientalibus, sive responsio ad Jo. Seldeni Origines, &c.* in quo hanc Eutychii narrationem refutat. Eutychii Cronicon esse fabularum, atque ineptiarum plenum non dubitant asserere Eus. Renaudotius Tom. I. *Liturg. Orient.* n. 21. Dion. Petavius Lib. I. *De Eccles. Hierarchia* cap. 13., Sollerius Tom. V. Junii, ubi de Patriarch. Alexandr., ac præ aliis Morinus *De sacris ordinat.* P. III. Exercit. XII. cap. 7. Vid. P. Thomas M. Mamachius *Orig.*, *& Antiquit. Christian.* Tom. IV. pag. 403. seq.

collationem Sacramenti Ordinis, sed Confirmationis; unde Ms. Colbertinum habet: *consignat* Presbyter. Ulterius opus illud est apocryphum, & a PP. Benedictinis ad calcem Tomi III. rejectum.

85. Denique opponitur auctoritas Concilii Nicæni, in quo teste Nicephoro Lib. VIII. *Hist. Eccl.* cap. 19., probatæ fuerunt ut validæ ordinationes Meletii, qui ibidem dicitur munus Episcopale sibi usurpasse.

86. Resp., Meletium verum fuisse Episcopum, licet schismaticum, & furtive, atque *illegitime* ordinatum, utque qui a S. Petro Alexandrino Episcopo ob idololatriæ crimen fuerat ab Ecclesia pulsus.

87. Ob. *tertio*. Non soli Episcopi, sed etiam Presbyteri, ut Cardinales, Abbates, aliique conferunt Ordines minores, immo & Subdiaconatum.

88. Respondet Angelicus in *Supplem.* quæst. 38. art. 1. ad 3. „ quod Papa, qui habet plenitudi-„ nem potestatis Pontificalis, potest committere non „ Episcopo ea, quæ ad dignitatem Episcopalem „ pertinent, dummodo illa non habeant immedia-„ tam relationem ad verum corpus Christi. Et i-„ deo ex ejus commissione aliquis Sacerdos sim-„ plex potest conferre minores ordines, & confir-„ mare, non tamen aliquis non Sacerdos; nec i-„ terum Sacerdos majores ordines, qui habent im-„ mediatam relationem ad corpus Christi, supra „ quod consecrandum Papa non habet majorem „ potestatem, quam simplex Sacerdos."

89. Inst. *primo*. Cui committitur principale, potest committi & accessorium; sed Ordinis Sacramentum ordinatur ad Eucharistiam, sicut accessorium ad principale; cum ergo Sacerdos consecret Eucharistiam, poterit ipse etiam Ordines conferre. Quo etiam argumento usus est S. Hieronymus in epist. *De septem gradibus Ecclesiæ*, quia nempe *plus est consecrare corpus Domini, quam ordinare Clericum*.

90. Respondit iterum Angelicus ibid. 4., *quod quamvis Sacramentum Eucharistiæ sit maximum Sacramentum in se, tamen non collocat in aliquo officio, sicut Ordinis Sacramentum. Et ideo non est similis ratio*. Epistola autem illa *De septem gradibus* communi Criticorum judicio rejicitur, ut tanto Doctore indigna.

91. Inst. *secundo*. Plus distat Sacerdos a Diacono, seu illi magis superior est, quam Episcopus ab Episcopo: sed Episcopus potest consecrare Episcopum: ergo & Sacerdos poterit promovere Diaconum.

92. Respondet S. Thomas ad 5., „ quod ad com-„ municandum alteri, quod quis habet, non exi-„ gitur solum propinquitas, sed & completio pote-„ statis. Et quia Sacerdos non habet completam „ potestatem in hierarchicis officiis, sicut Episco-„ pus, ideo non sequitur, quod possit Diaconus „ facere, quamvis ille ordo sit sibi propinquior."

93. Inst. *tertio*. Qui potest majus, potest & minus; atqui simplex Sacerdos potest consecrare, & sanctum Missæ sacrificium Deo offerre, quod opus est omnium maximum: ergo &c.

94. Resp., majorem esse veram de iis, quæ sunt in eodem genere; hæc autem duo Sacramenta sunt in diverso genere, quia, ut mox vidimus cum S. Thoma n. 90., Sacramentum Eucharistiæ *non collocat hominem in aliquo officio, sicut Ordinis Sacramentum*. Et hæc de ordinario Sacramentorum ministro. Sed postea

Quæritur, *an extraordinaria potestate sibi a Pontifice delegata possit simplex Presbyter duos ordines Diaconatus, & Presbyteratus conferre?*

95. Respond., non deesse Theologos, & quidem magni nominis, multoque plures Canonistas, qui id asserant, immo & nonnullis momentis id se probare posse confidant. Teste gravissimo Isaacio Haberto in Ἀρχιερέτικῳ pag. 165. *omnium antiquissimus*, qui hac sententiam tenuerit, fuit Guilliel. Antissiodorensis, quem postea Innocentius IV., aliique non pauci ab eodem nominati secuti sunt, de quorum sententiis ita laud. Habertus pronunciat: *Verum hæc omnia, ut ingenue dicam, Aeru sæculo in mentem orthodoxo nemini cuiquam venisse persuasum habeo*. Multo plures Theologos, & Canonistas laudat Jo. Morinus *De sacris ordinat.* P. III. Excercit. IV. cap. 3.; qui postea cap. 4. num. 2. concludit, *necessarium videri, concedere ecclesiastico jure Presbyterorum ordinationem, non modo Diaconorum delegari posse, non quidem simplici Presbytero, ut docent authores cap. præced. enumerati, sed Presbytero Chorepiscopatus dignitate ornato*.

96. Hujus autem eruditissimi scriptoris ratio, quare auctoritas conferendi diaconatum, ac presbyteratum delegari potuerit Chorepiscopis (quos simplices Presbyteros fuisse censet), non autem aliis Presbyteris, hæc est: *Video*, inquit, *sanctos Patres hoc privilegium Chorepiscopis asseruisse, nec illud in ceteros Presbyteros, nec in alias a Chorepiscopis dignitates diffudisse. Quapropter illud ulterius prorogare, mihi religio est. Nescimus, an quid est peculiare in Chorepiscoporum ordinatione, ratione cujus ista prærogativa illis tribueretur, licet nullo modo essent Episcopi*.

97. Communior tamen, & sin minus undequaque certa, saltem multo probabilior, est sententia S. Thomæ, qui ut vidimus supra n. 88. concedit quidem, summum Pontificem ex plenitudine suæ potestatis committere posse Presbytero non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, sed postea addit: *dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi*, cujusmodi sunt majores Ordines diaconatus, ac presbyteratus. Angelico consonat S. Bonaventura; & utrumque secuti sunt magno numero Scholastici.

98. Et quidem ad oppositam opinionem rejiciendam satis esse videtur ejusdem novitas: inaudita siquidem fuit ante sæculum XIII., immo eodem sæculo a duobus sanctis Ecclesiæ Doctoribus, Thoma

ma Aquinate, & Bonaventura, oppugnata. Nec vero adversarios juvant quædam exempla ex obscura antiquitate eruta, quæ si quid probarent, evincerent quoque, non ex delegata, sed ex ordinaria potestate posse Presbyteros simplices id, quod habent, nempe Ordines diaconatus, ac presbyteratus, aliis conferre; quod soli Presbyteriani contendunt. Sed illa exempla refutavimus num. 81. & seq.

99. Duo sunt, quæ adversarii maxime urgere solent. Primo auctoritatem, quæ certe gravis est, Innocentii IV. doctissimi Jurisconsulti, & privilegium ab Innocentio VIII. Abbatibus Cisterciensibus Sæc. XV. labente concessum, Monachis sibi subjectis conferendi non solum Ordines minores, sed etiam Subdiaconatum, & Diaconatum: cujus privilegii disertam mentionem faciunt Melchior Canus, Navarrus, Henriquez, Isambertus, Meratius, & Vasquez; qui postremus *in* III. P. Sancti Thomæ Disput. 243., affirmat, privilegium ipsum a se fuisse perspectum.

100. Sed quantum ad Innocentium IV., supra memoratus Habertus monet, hunc Pontificem *nullum de Ordinatione verbum facere, sed solum ex quæstione de Confirmatione, hanc Sylvestri propositionem generalem afferre: Sylvester dixit &c.* Ulterius norunt eruditi, Innocentii commentarios non aliam habere auctoritatem, quam privati Jurisconsulti, qualis erat Innocentius, quando illos commentarios edidit.

101. Major difficultas est in privilegio, quod Abbatibus Cisterciensibus dicitur ab Innoc. VIII. anno 1489. concessum; sed de ejus anthentia multi dubitant, & quidem gravibus de causis. *Primo* ejus authographum nemo vidit, nec reperitur in Rom. Pontificum Regestis. *Secundo* difficile creditu est, voluisse Pontificem tale privilegium concedere contra expressam doctrinam SS. Thomæ, & Bonaventuræ, aliorumpue gravissimorum Theologorum. *Tertio*, causa hujus concessionis allegatur, ne Monachi Cistercienses cogantur suas solitudines deserere ad Ordines ab Episcopis suscipiendos. At vero debuissent postea easdem solitudines deserere pro suscipiendo Ordine presbyteratus: deinde hæc causa erat etiam aliis solitariis communis, quibus tamen illud privilegium concessum non fuit. *Demum* sanctus Pius V. simile privilegium Abbatibus Præmonstratensibus concedens, & mentionem faciens Innocent. VIII., illud non extendit, nisi ad Ordines minores, & subdiaconatum; unde susspicio orta est, malitia alicujus falsarii *diaconatus* nomen fuisse intrusum. Simili, immo multo pejori, fraude aliud ejusdem Innocentii VIII. decretum depravatum fuisse, notavimus Dissertatione V. n. 17.

Quæres *secundo, an Episcopi hæretici, schismatici, intrusi, & qui ad Ecclesia per excommunicationem præcisi sunt, possint valide Ordines conferre?*

102. Resp. S. Thomas in *Supplem.* qu. 38. art. 5. quatuor enumerat veterum Scholasticorum hac de re opiniones, quarum tres rejicit, & unam adoptat. *Primo* enim quidam dixerunt, hæreticos, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, habere potestatem Ordines conferendi, non autem postquam fuerint ab Ecclesia præcisi, & similiter degradatos, & alios hujusmodi. Hanc vero opinionem rejicit Angelicus ut falsam: „ quia omnis potestas, quæ „ datur cum aliqua consecratione, nullo casu con„ tingente tolli potest, re ipsa durante, sicut nec „ ipsa consecratio annullari, quia etiam altare, „ vel chrisma semel consecrata perpetuo consecra„ ta manent. Unde cum Episcopalis potestas cum „ quadam consecratione detur, oportet, quod per„ petuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, „ vel ab Ecclesia præcidatur ".

103. *Alia* opinio fuit, quod qui in Ecclesia potestatem habuerunt, si postea præcidantur, retinent quidem potestatem olios ordinandi, & promovendi; sed promoti ab iis simili potestate alios ordinandi carent. At vero hanc quoque opinionem falsam esse ex eo probat Angelicus, quod illi, etiam præcisi ab Ecclesia, *exequendo suam potestatem veram consecrationem faciunt, ideoque vere tribuunt omnem potestatem, quæ cum consecratione datur; & sic ordinati ab eis, vel promoti habent eamdem potestatem, quam ipsi.*

104. *Tertia* opinio fuit, quod etiam præcisi ab Ecclesia possunt Ordines conferre, & alia Sacramenta, & quantum ad primum effectum, qui est *collatio Sacramenti*, & quantum ad ultimum, qui est *collatio gratiæ*. Sed hunc secundum effectum S. Doctor non admittit, *quia ex hoc ipso, quod aliquis hæretico præciso ab Ecclesia in Sacramentis communicat, peccat; & ita fictus accedit, & gratiam consequi non potest, nisi forte in baptismo, vel in articulo necessitatis.*

105. His rejectis falsis opinionibus Angelicus docet, hæreticos, aliosque præcisos ab Ecclesia *vera Sacramenta conferre; sed cum eis gratiam non dare, non propter inefficaciam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ.*

106. Excipit tamen Angelicus ibid. ad 1. absolutionem datam ab hæretico, vel ab Ecclesia præciso, quæ nulla omnino est; quia, inquit, *effectus absolutionis non est aliud, quam remissio peccatorum, quæ per gratiam fit. Et ideo hæreticus non potest absolvere, sicut nec gratiam in Sacramentis conferre. Et iterum, quia ad absolutionem requiritur jurisdictio, quam non habet ab Ecclesia præcisus.* Vid. Dissert. VI. cap. XI. art. 2.

107. Atque hæc Angelici Præceptoris doctrina innititur definitionibus veterum Conciliorum. Nam in Synodo Capuana habita anno 389. sub. S. Siricio R. P. prohibitæ fuerunt omnes reordinationes; quam prohibitionem renovavit III. Synodus Carthaginensis anno 397. can. 58. his verbis: *Non liceat rebaptizationes, & reordinationes, quod* e-

etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutam. Et plura allegari possent similia decreta usque ad duo postrema Concilia œcumenica, Florentinum, & Tridentinum; quorum primum in *Decreto Unionis* post enumerata septem Sacramenta, *Inter hæc*, inquit, *tria sunt*, *baptismus*, *confirmatio*, *& Ordo*, *quæ characterem ... imprimunt in anima indelebilem*, *unde in eadem persona non reiterantur*. Tridentinum autem Sess. VII. can. 9. eamdem fidei doctrinam sub anathematis pœnam credendam proponit. Recol. quæ dicta sunt Diss. I. cap. 12.

108. Perquam facile foret, hanc veritatem pluribus, ac certis historiæ monumentis confirmare, quibus ostenditur, ordinationes ab Episcopis hæreticis, schismaticis, simoniacis, atque excommunicatis factas, quamquam sine dubio vetitas, & illicitas, fuisse tamen validas judicatas, ac propterea minime iteratas; atque sic ordinatos vel in suis gradibus conservatos, vel ad summum suorum Ordinum exercitio privatos, atque ad solam laicam communionem redactos. Verum ab his recensendis nos absterret nimia materiæ copia. Et insuper adversariis, si qui sunt, admodum multa suppetunt exempla ordinationum, quæ iteratæ dicuntur. Et tanta est harum rerum obscuritas, ut facile non sit evidenter ostendere, hanc iterationem factam fuisse, aut propter defectus in materia, & forma, vel intentione ministri, aut iterationes illas non fuisse veras Sacramentorum collationes, sed simplices benedictiones, quæ fiebant per impositionem manuum, non Sacramentalem, sed cæremonialem; aut demum fuisse aliquando per ignorantiam erratum.

109. Doctissimus Morinus *De sacr. ordinat.* P. III. Exerc. V. fusissime, atque solita suæ eruditionis abundantia egit *De sacr. ordinat. iteratione*. Et cap. 1. fatetur, hanc materiam difficilem admodum esse, atque allatis Magistri sententiarum verbis in IV. Dist. XXV. dicentis: *hanc quæstionem perplexam*, *ac pene insolubilem faciunt Doctorum verba*, *qui plurimum dissentire videntur*. Morinus addit: *Ipse vero disputando longe perplexiorem reddidit*. *Relatis enim antiquorum Patrum de hac difficultate diversis*, *& in specie contrariis sententiis*, *quatuor diversas*, *& aliquando contrarias Doctorum sui temporis de earum conciliatione opiniones explicat; sed quæ magis probabilis sit*, *quæ falsa*, *quæ illi magis placeat*, *non aperit*, *veluti in trivio hæsitans*, *quocumque pedes tulerint*, *eo iturus*. Miror virum longe doctissimum hic non laudasse felix S. Thomæ ingenium, qui ex quatuor a Magistro recensitis sententiis tres breviter quidem, sed solide refutavit, quartamque adoptavit, quam modo communiter omnes tenent. Vid. sup. n. 102.

110. Idem Morinus post exhaustam variis capitibus immensam eruditionis suæ copiam, tandem cap. 6. ita credidit posse omnes difficultates tolli, *ordinationem contra canones ecclesiasticos factam judicari irritam*, *& nullam*, *quamdiu canones vigent*, *ut matrimonium*, *& absolutionem*. Ut autem id jure potuisse judicari probet num. 10., *In charactere*, inquit, *ut in quavis alia re*, *duo distingui debent*, *rei substantia*, *& virtus agendi*. *Character semel impressus ab Ecclesia non pendet amplius*, *perpetuus est*, *& indelebilis*: *sed ipsius virtus Ecclesiæ regimini subdita est*, *ab ea suspenditur*, *ita ut nihil agat*, *aut agere possit*, *quamdiu durat suspensio*. Deinde nonnullis allatis Canonistarum auctoritatibus, colligere se posse arbitratus est, *omnino novum non esse*, *Ecclesiam characteri leges imponere*, *quibus violatis virtus ejus hebescit*. Ac postea ita concludit: *Si virtus characteris*, *ipso illæso*, *lege ecclesiastica suspendi potest*, *recte intelligitur*, *qua ratione degradatus*, *hæreticus*, *simoniacus*, *licet characterem in Ecclesia acceperint*, *& conservent*, *nihil tamen in Ordinatos a se transmittant*, *donec cum Ecclesia in gratiam redierint*. Hæc vir eruditissimus, qui tamen paucos invenit sui novi systematis suffragatores.

111. Nam character, qui ab Ordine sacro imprimitur, ut vidimus cum S. Thoma Dissert. I. num. 566., *importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea*, *quæ sunt divini cultus:* non ergo hæc potentia, seu ut loquitur Morinus, *hæc virtus agendi* suspendi potest, nisi ipse character suspendatur, qui tamen, eodem confitente Morino, *ab Ecclesia non pendet amplius*. Id potest declarari exemplo Eucharistiæ, cujus conficiendæ potestas utpote quæ a charactere sacerdotali descendit, nunquam potest ab Ecclesia auferri, aut suspendi. Neque adducta exempla pœnitentiæ, aut matrimonii ipsum juvant: nam ad absolutionem in Sacerdote non solum requiritur potestas *ordinis*, sed etiam *jurisdictionis*, quam non habet, nisi in suos subditos, prout supra Dissert. VI. cap. 11. declaratum fuit, quia absolutio datur per modum judicii, quod nonnisi in subditos exerceri potest. In matrimonio autem debet verus contractus sponsorum adesse, cui contractui possunt talia impedimenta ab Ecclesia apponi, quæ ipsum prorsus irritum reddant; illo autem irrito, nullum amplius fit Sacramentum.

Quæres *tertio*, *quid sentiendum sit de ordinationibus Anglicanis?*

112. Resp., a duobus, & amplius sæculis a Catholicis contra Anglos Episcopales hac de re disputari. Controversia autem definita tunc fuisse videbatur, quando sub Regina catholica Maria, quæ hæretico Eduardo VI. anno 1553. feliciter successit, Reginaldo Polo Cardinali, & Sedis Apostolicæ Legato agente, omnes Episcoporum ordinationes factæ sub præcedenti regno Eduardi irritæ habitæ sunt, iique Episcopi, qui hæresi ejurata ad sinum matris Ecclesiæ Romanæ confugerent, denuo consecrati fuere, idemque factum est cum Presbyteris, & Diaconis, qui ab iis Episcopis in hæresi manuum impositionem acceperant. Cum au-

autem post breve Mariæ regnum sub Elisabetha hæresis Calviniana infelicem illam Insulam iterum occupasset, rursum Eduardi VI. ordinationis Episcoporum forma restituta est, omnesque catholici Episcopi suis sedibus expulsi fuere, uno excepto Landawensi, qui tamen minis, & terroribus fractus perfido juramento consensit. Sed Catholici sibi ipsis constantes novos illos Episcopos sic ordinatos agnoscere semper recusarunt, illud Tertulliani perpetuo objicientes: *Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum &c.*, multisque scriptis Episcopales Anglos confutarunt (*a*). Hactenus omnes Catholici contra Protestantes Anglos dimicarunt.

113. Sed hoc sæculo ad Protestantium causam contra Catholicos defendendam ausu temerario prodiit notissimus Petrus Franc. Courayer Canonicus regularis S. Genovefæ, qui anno 1729., ut carcerem sibi destinatum fugeret, in Angliam commigravit; ubi tamen se Catholicæ Ecclesiæ constanter adhærere profitebatur. Hic anno 1723. Gallicam dissertationem Bruxellis, vel potius Nancei, edidit *De validitate ordinationum Anglicanarum, & de successione Episcoporum illius Ecclesiæ*; quam Dissertationem nonnullis postea editis opusculis defendere conatus est. Ejusdem tamen conatus valide repulerunt doctissimi viri Harduinus, Fennellus, & Pelletierus, qui postremus Courayerum Eminentissimo Noaillio Archiepiscopo Parisiensi ut dignum condemnatione detulit, & reipsa Cardinalis Noaillius omnia Courayerii opera ad hanc materiam spectantia in sua *Instructione Pastorali* damnavit, præcipue propter nonnullos errores contra doctrinam de Sacramento Eucharistiæ; qua de causa etiam a quibusdam aliis Episcopis Courayerii libri proscripti fuere (*b*). Nobis autem præcipue commemorandus est doctissimus noster consodalis Pat. Mich. Le Quien, qui quamvis gravissimis pro editione immensi sui operis *Orientis Christiani*, *& Africæ* curis distentus, Courayerium copiosius quam ceteri confutavit, edita longa Dissert. *De nullitate Ordinat. Anglican.* Paris 1725.; quam Dissertationem iterum confirmavit alio opusc. 1730.

114. Duplici autem ex capite nullitatem ordinationum Anglicanarum demonstravit: *primo*, quod Matthæus Parkerus, a quo ceteri Anglicani Episcopi hæretici suam originem trahunt, Londini in quodam diversorio una cum tribus aliis ab Elisabetha nominatis a Joanne Scoræo Episcopo Roffensi, sine debita materia, & forma fuerit consecratus. Scoræus enim super ordinandorum capita imposuit sacra Biblia, & loco formulæ consuetæ hæc verba protulit: *Accipite potestatem prædicandi verbum Dei in sua puritate*. Hanc fuisse Parkeri, aliorumque trium consecrationem, a nonnullis oculatis testibus confirmatum est, ac per multos annos universim creditum. Sed cum facile ipsi Protestantes viderent, hanc ludricam consecrationem, etiam in eorum systemate, irritam prorsus esse, cœperunt totam illam historiam ut omnino falsam rejicere, & quædam protulerunt acta eruta ex Archivio palatii Archiepiscopalis Lambethensis, in cujus sacello consecratio Parkeri, atque aliorum Episcoporum solemniter facta dicitur a Guill. Barlowio electo Episcopo Cicestriensi 17. Decemb. 1559.

115. Veruntamen non pauca sunt, nec levia, quæ hujusmodi Acta Lambethana falsitatis admodum suspecta reddunt. *Primo* enim nonnisi post medium sæculum, nempe versus annum 1613. producta fuere. Cur autem Angli id facere neglexerunt, quando Hardingus, Stapletonius, aliique Doctores Catholici sub initio regni Elisabethæ Protestantibus objiciebant, nullam esse Episcoporum successionem, quia Parkerus, aliique in noto illo diversorio *veram* consecrationem minime receperant; nisi quia cum recens tunc esset ludricæ illius consecrationis memoria, non ita facile erat populos illis supposititiis actis ludificare, sicut postea majori cum successu post medium sæculum tentatum fuit? Cur quando Stapletonius ita Hornium audacter compellebat: *Quis nescit, te, tuosque collegas, non dico aliter, quam requirunt canones, sed nec secundum præscriptum statutorum vestrorum, ordinatos esse?* Cur, inquam, aperti mendacii ipsum convincere omiserunt, ostensis sinceris illius ordinationis Actis? Sane Guill. Fulke, qui Stapletonii *Propugnaculum* confutavit, acta illa Lambethana objicere non est ausus, quia recens adhuc memoria erat ordinationis habitæ non in sacello, sed in caupona; & Stapletonius in variis suis opusculis semper declamare perrexit, illos, qui Elisabethæ præpotentia Sedes Episcopales occupaverant, veros Episcopos non esse, quia *sine consecratione, aut impositione manuum cujus-*

(*a*) Præcipue nominantur Thom. Hardingus, qui Jo. Ivelli *Apologiam Ecclesiæ Anglicanæ* confutavit, Lovanii 1564., tum Christoph. Holiwood, seu Sacrobosco, *De investiganda Christi Ecclesia*, Henric. Friz-Simon, in *Britanomachia*, tum Matth. Kellison in *Exam. reform.*, & Stapletonius in *Propugnaculo fidei primitivæ Anglorum* ann. 1565., aliisque opusculis insertis Tom. II. Operum Parisiis 1620. His vero præfertur Ant. Champney natione Anglus, & Sorbonæ Doctor in libro inscripto *De vocatione ministrorum* cont. Franc. Massonium; quem Massonium confutarunt nonnulli alii, commemorati a Basseto in *Specimine religionis catholicæ*, præter quædam opuscula, quæ postea in hac gravissima quæstione prodierunt. Maxime vero laudatur Richardus Smith, Episcopus Chalcedon. in opere inscripto *Flores historiæ Eccles. gentis Anglorum*. Neque prætermittendus est illustris Renaudotius, qui Tom. IV. & V. *Perpetuitatis fidei* nos certos facit, ordinationes Angelicanas ut irritas, & nullas rejici, etiam a Græcis, & a Communionibus Orientalibus.

(*b*) Courayerius *relationem historicam suarum opinionum, atque actionum* edidit an. 1729. Totam hanc controversiam descripsit, sed minus sincere Olaus Kiourningius in *Comment. De Cons. Episcop. Angl.*

juscumque Episcopi se intruserant; idque publica *notorietate* constare. Hoc Episcopalium tam diuturnum silentium non aliunde oriri potuit, quam ex eo, quod Acta illa nondum consarcinata fuerant, aut inopportunum videbatur ea palam facere, quando vera illius commentitiæ ordinationis historia nimis vulgata, & certa erat.

116. Præterea Nic. Sanderus in sua *Hist. schismatis Anglicani*, quæ curis Eduardi Ristoni Coloniæ an. 1585. publicam lucem vidit, post quam narravit, novos Episcopos ab Elisabetha selectos neminem ex Catholicis Episcopis invenire potuisse, qui eis ad consecrationem manus admoveret, ac frustra tentasse quemdam Archiepiscopum Hybernium, quem in carcere Londinensi habebant, ipsi libertate, ac præmiis propositis: *Ita*, concludit, *omni legitima ordinatione destituti, cum vulgo diceretur, & ipsis legibus Anglicanis vere probaretur non esse Episcopi, brachium sæculare invocare coacti sunt, ut laicalis magistratus confirmationem in futuris comitiis acciperent. Quorum auctoritate, si quid minus rite, & legaliter in priori inauguratione gestum esset, aut omissum, ipsis condonaretur; idque postquam Episcopali officio, & Cathedra absque ulla consecratione aliquot annos functi essent. Hinc nomen illis impositum, ut Episcopi Parlamentarii dicerentur.* Quamquam vero Sanderus historiam diversorii Londinensis, in quo Parkerum cum aliis tribus Episcopis renunciatus fuit, non referat, expresse tamen testatur, illos sic promotos sine manuum impositione, ut veros Episcopos non fuisse agnitos. Quod satis est ad rejicienda ut supposititia Acta Lambethana. Id ipsum ea ætate plures alii celebres scriptores fidenter asseruerunt, quos inter nominari meretur Hieronymus Osorius, qui propter elegantiam latini sermonis *Cicero Lusitanus* appellatus fuit. Quibus omnibus nunquam objecta legimus Acta Lambethana, quæ ab utraque litigantium parte tunc prorsus ignorabantur; & quæ nimis sero ad hanc litem finiendam prodierunt.

117. His accedit, quod Guill. Witakerus, qui unus fuit ex famosioribus sectæ Anglicanæ controversistis, ut Card. Bellarmino invictis argumentis probanti, nullam esse apud Anglos Episcoporum successionem, quia illi, qui ab Elisabetha in episcopales sedes intrusi sunt, veram consecrationem non receperunt, nunquam ad ordinationem Parkeri confugit, qualis in Actis Lambethanis describitur, ut modo semper confugiunt successionis Anglicanæ defensores, sed potius juxta Zwinglii, Calvini, atque etiam Lutheri falsa principia aperte pronunciat, *eos succedere Apostolis, qui vocati legitime, fungantur fideliter in Ecclesia muneri suo, etsi non continua ab Apostolis serie:* & postea loquens de Lutheranis, apud quos nulla est consecrationis umbra: *Nos dicimus*, inquit, *& affirmamus, Ecclesias illas, quas ipsi vocant Lutheranas, habere legitimam successionem, & ordinationem, licet non Papisticam, & proinde in illis Ecclesiis veros Episcopos esse.* Ita hic Cambrigensis Doctor, qui suas controversias edidit non multo post initium regni Elisabethæ. Qui certe non ita scripsisset, si Acta Lambethana novisset, quibus modo utuntur Anglicani ad suorum Episcoporum successionem demontrandam.

118. Omitto plures suppositionis notas, quæ in ipsis Actis Lambethanis ab eruditis observatæ fuerunt, præcipue in nominibus Episcoporum, & in ratione temporum admodum perturbata: hujusmodi enim examen & nimis prolixum, & innumeris difficultatibus obnoxium foret. Interim ex his paucis, sed potius ex tota hac controversia, quæ diu, multumque agitata fuit inter Catholicos ex una parte (quibus & Presbyteriani consentiebant), & Anglos Episcopales ex altera, quilibet certo concludere potest, ordinationem Parkeri, sin minus aperte irritam, & nullam, saltem valde dubiam, & incertam esse; unde consequitur, dubiam saltem, & incertam esse Anglicanorum Episcoporum successionem. At vero recepta in Ecclesia Catholica regula est, ut quotiescumque de valore alicujus ordinationis fundatum exoritur dubium, illa sub conditione iteretur; ergo manifestum est, non posse Diaconos, Presbyteros, atque Episcopos illius sectæ ad Ecclesiæ sinum revertentes sine iterata consecratione in suis gradibus conservari.

119. Sed nullitatis Anglicanarum ordinationum gravius, & certius argumentum desumitur ex consueta illarum forma, quæ manifeste vitiosa est; scilicet ex illa forma, quæ appellatur Eduardi VI., quia sub illius regno anno 1549. abolito Rituali Romano novum conditum fuit, in quo id totum studiose resecatum est, quod pertinet ad sacrificium, ac potestatem consecrandi Eucharistiam, quia nempe juxta hæreticam Zwinglii, ac Calvini doctrinam a Bucero, Petro Molin, aliisque ejusdem sectæ Ministris illuc evocatis acceptam, sacrificium Missæ, præsentiam Christi realem, ac sacrorum munerum transubstantiationem, immo totum sacerdotium rejecerant. Non oportebat ergo ullam in ordinatione Episcopi harum rerum mentionem ingerere, cum tamen id necessarium omnino sit, juxta orthodoxam Ecclesiæ catholicæ doctrinam, in qua præcipuum, & essentiale Episcopi officium est, Sacerdotes, aliosque ministros ordinare Eucharistici sacrificii, ac Sacerdotibus verum Christi corpus consecrandi potestatem tribuere.

120. Hinc consequenter Anglicana illa factio nullos veros Sacerdotes, nec veros Diaconos admittit, quia nempe in sacra ordinatione Episcopo nulla tribuitur potestas in ipsum verum corpus Christi, sed solum in corpus mysticum, scilicet potestas prædicandi Evangelium, & populum instruendi. Juxta enim formulam Eduardi, Episcopus consecrans, cum aliis assistentibus *primo* Deum orat, *ut servum suum ad ministerium Episcopatus vocatum doctrinæ suæ veritate instruat, vitæ innocentia adornet, eamque largiatur gratiam,*

ut

ut semper ad Evangelium promulgandum paratus sit. Deinde manus ordinando imponens, subdit: *Accipe Spiritum Sanctum, & excitare memineris gratiam, quæ in te est per manuum impositionem &c.;* ac *demum* Sacra Biblia porrigens, concludit: *Attende lectioni, exhortationi, & instructioni: serio meditare omnia, quæ hoc libro continentur, &c.* Hæccine sufficiens forma ordinationis Episcopalis censeri potest, in qua nulla consecrandi, offerendi, & ordinandi mentio occurrit?

121. Id adeo verum est, ut ipsi Episcopi Anglicani anno 1662. rejecta illa ordinationis formula, tamquam imperfecta, hanc aliam substituerint ampliorem: *Accipe Spiritum Sanctum ad officium, & functionem Episcopi exercendam in Ecclesia Dei, quæ tibi traditur per impositionem manuum mearum &c.* Sed *primo* id probat, pristinam formulam non fuisse reputatam sufficientem, & validam; unde sequitur, in Parkero aliisque primis Episcopis ea formula Ordinatis veram successionem cessasse, adeoque neque hodiernos posse ut veteres Episcopos haberi.

122. *Deinde* breviter inspiciamus, quid illa verba postea addita: *Ad officium, & functionem Episcopi exercendam* in sensu ritualis Anglicani significent? Episcopus ordinandus debet in manu Episcopi ordinantis juramentum deponere, quo se obligat ad totam Anglo-Calvinianæ communionis impiam doctrinam amplectendam, ac defendendam, præcipue vero ad supremum Rom. Pontificis primatum rejiciendum, ejusque loco agnoscendam Anglorum Regum summam, ac independentem in rebus etiam spiritualibus, ipsaque Episcopali missione auctoritatem. En quid significet ambigua illa *officii, ac functionum Episcopalium* potestas, quæ ordinando traditur. Inutile autem est, copiosius hanc materiam persequi contra singularem, atque ab omnibus damnatam Couraverii Dissertationem, quam duobus opusculis a nostro Mich. Le-Quiennio plenissime confutatam jam diximus.

CAPUT V.

De impedimentis suscipiendi Sacramentum Ordinis.

123. Sanctus Thomas in *Supplem.* qu. 39. art. 1. præmittit, *quædam requiri in recipiente Sacramentum, quasi de necessitate Sacramenti, quæ si desint, non potest aliquis suscipere neque Sacramentum, neque rem Sacramenti; quædam vero requiri, non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti, propter congruitatem ad Sacramentum; & sine talibus aliquis suscipit Sacramentum, sed non rem Sacramenti.* Pergit porro, & refutat quorumdam opinionem dicentium, sexum virilem esse *de necessitate præcepti*, sed non *de necessitate Sacramenti* (*a*).

PROPOSITIO.

Fœmineus sexus non est sacræ Ordinationis capax.

124. Prob. *primo* ex Apostolo Paulo, qui 1. ad Timoth. II. 12. *Mulierem*, inquit, *in Ecclesia docere non permitto, nec dominari in virum;* & in 1. ad Corinth. XIV. 34. *Mulieres in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Quanto igitur minus Apostolus fœminis permisisset, sacerdotalibus muniis docendi, prædicandi, & quod plus est, sacrificandi in Ecclesia fungi?

125. *Secundo*, universalem hac de re habemus Ecclesiæ consensum, quæ semper improbavit, ac condemnavit Marcosios, Montanistas, Collyridianos, & quoscumque alios, qui fœminis sacros Ordines conferre ausi sunt. Sane plurimas fuisse fœminas eximia sanctitate, immo & doctrina celebres legimus, nullam tamen legimus sacris Ordinibus insignitam. Quid plura? Nemo virorum potest sanctissimæ Dei genitrici Mariæ comparari, nec ulli puræ creaturæ a Deo tanta plenitudo gratiæ, quanta illi, fuit certe collata; ipsa tamen ad sacerdotalem dignitatem evecta non fuit. *Licet*, inquiebat Innocentius III. *De pœnit. & remiss.*, *beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni cœlorum commisit.*

126. Ob. *primo*. Apostolus ad Gal. III. 28. *Non est Judæus*, inquit, *neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque fœmina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu:* nihil ergo impedit, quin fœminæ etiam &c.

127. Resp., Apostolum ibi loqui de iis, quæ ad salutem pertinent, in quibus omnes homines pares sunt, cum pro omnium salute mortuus sit Christus: unde ibidem antea dixerat: *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.*

128. Dices. Quibusdam mulieribus tam veteris, quam novi testamenti collatum fuit prophetiæ donum, quod majus est, quam Sacerdotium: sicut legitur de Debora *Judicum* IV., & de quatuor filiabus Philippi *Actor.* XXI., ergo &c.

129.

(*a*) Non pauci ex veteribus hæreticis sexum muliebrem esse sacræ Ordinationis capacem docuerunt, quos memorant Tertullianus Lib. *De præscription.* cap. 41., & *De Velandis Virgin.* cap. 8., S. Irænæus Lib. I. *adv. hær.* cap. 9., S. Epiphanius Hæres. 79., ac S. Augustinus *De Hæres.* cap. 27. Haud difficulter Lutherus id admittit, qui etiam diabolum posse Sacramenta administrare non dubitavit. Vid. Dissert. II. ad num. 2. & 7.

129. Respondet Angelicus in *Supplem.* qu. 39. art. 1. ad 1., *quod prophetia non est Sacramentum, sed Dei donum, unde non exigitur significatio, sed solum res. Et quia secundum rem in his, quæ sunt animæ, mulier non differt a viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris, ideo donum prophetiæ, & alia hujusmodi potest recipere, sed non Ordinis Sacramentum*. Idem antea docuerat 2. 2. qu. 177. art. 2. ad 2. respondens simili argumento. *Ulterius* cum institutio Sacramentorum a libera Dei voluntate pendeat, non est curiosius investigandum, cur Deus noluerit hujus Sacramenti fœmineum sexum esse capacem, quem tamen aliorum donorum capacem esse voluit.

130. Dices *secundo*. Fœminæ capaces sunt beneficiorum ecclesiasticorum: immo capaces sunt jurisdictionis sacræ: nam Honorius III. cap. *Dilecta* alicui Abbatissæ facultatem tributam esse memorat suspendi Clericos sibi subjectos ab officio, & beneficio. Hac facultate gaudet Abbatissa Generalis Ordinis Fontebraldensis in Gallia, nedum in Virgines subjectas, sed etiam in viros, & in monasteria ejusdem instituti: cur ergo capaces non erunt &c.?

131. Resp. ad *primum*, nihil impedire, quin Ecclesia bonorum suorum etiam mulieres participes esse velit justis de causis: sicut Apostoli voluerunt, viduas ex communibus Ecclesiæ bonis sustentari.

132. Ad *secundum* respond., illam potestatem Abbatissis concessam non respicere nisi forum externum, seu regimen personarum sibi subjectarum; unde etiam illa suspensio Clericorum a suis officiis, ut Canonistæ interpretantur, non est suspensio vere, & proprie accepta, cujus violatione incurratur irregularitas, sed tantum materna punitio, qua rei ex obedientia subire tenentur. Quamobrem ipse Honorius Clericos nonnisi ab Abbatibus posse a censuris absolvi, dicit. Immo Innocentius III., qui proxime Honorium III. præcesserat, *De pœnit. & remiss.* Abbatissarum quarumdam præsumptionem compescuit, inquiens: *Nova quædam nostris sunt auribus intimata, quod Abbatissæ Moniales proprias benedicunt, ipsarum quoque confessiones in criminibus audiunt, & legentes Evangelium præsumunt publice prædicare. Cum igitur id absonum sit pariter & absurdum, mandamus, quatenus ne id de cetero fiat, curetis firmiter inhibere*.

133. Obj. *secundo*. In Ecclesiasticis monumentis haud infrequenter leguntur nomina *Episcoparum*, *Presbyterarum*, ac *Diaconissarum*: ergo, &c.

134. Resp., *Episcopas*, & *Presbyteras* nihil aliud fuisse, quam uxores eorum, qui ad hos Ordines assumpti erant, & quæ postea a suis maritis sejunctæ se perpetuæ castitati devovebant. In Concilio Turonensi II. celebr. an. 567. can. 13. ita statutum fuit: *Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum*. Et in Concilio Antissiodorensi an. 578. can. 21.: *Non licet Presbytero post acceptam benedictionem, in uno lecto cum Presbytera sua dormire*. Erant præterea in vet. Ecclesia mulieres quædam, quæ πρεσβύτιδαι *Presbytidæ* vocabantur, idest *Seniores* vel *Præsidentes*; nullas autem fuisse πρεσβυτερίδες, *Presbyteras*, notat sanctus Epiphanius Hær. LXXIX.

135. Major difficultas est de Diaconissis, quæ per manuum impositionem creabantur, erantque certis officiis in Ecclesia destinatæ. Sed præter ea pauca, quæ supra n. 59. diximus, plura suppetunt monumenta, quibus evincitur, illarum ordinationem non fuisse vere, & proprie *Sacramentalem*. Consulendi inter alios Jo. Morinus *De sacris ordinat.* P. III. Exercit. 10., & Christian. Lupus in sex quæstion. ad can. 15. Chalcedonensem.

136. Obj. *tertio*. Aliquam fœminam Sæc. Ecclesiæ IX. post Leonem IV. fuisse ad summum Pontificatum evectam, magna Scriptorum turba testatur, incipiendo ab Anastasio Bibliothecario, qui eodem sæculo vitas Romanorum Pontificum scripsit. Quamquam enim in ipsius opere typis impresso id modo non reperiatur, repertum est tamen in quibusdam Mss. codicibus. Postea vero id ipsum suis historiis inseruerunt Marianus Scotus, Martinus Polonus, Sigebertus, S. Antoninus, Platina, & innumeri alii scriptores catholici, ut nihil dicamus de Protestantibus, qui hinc ansam maximam sumpserunt contra Romanam Sedem debacchandi, tamquam ab hac fœmina turpiter contaminatam. Ad hæc, quædam olim erant hujus rei monumenta; scilicet statua marmorea mulierem cum infante repræsentans posita erat in illo loco, ubi Papissa ex improviso doloribus partus oppressa, infantem enixa est, quæ postea in Tyberim projecta fuit. Hujus statuæ alia similis Senis in majori templo visebatur usque ad Clementem VIII.; ac denique celebris est sella *stercoraria*, in qua Pontifices sedere jubebantur, ut ibi sexus virilis experimentum caperetur. Veruntamen

137. Resp. *primo*, etiamsi id totum verum esset (quod certissime falsum mox ostendemus), nihil aliud probaret, quam errorem facti, non juris: nemo etenim hactenus inventus est, qui scripserit, aut suspicatus fuerit, hanc fœminam agnitam ut talem, fuisse ad sacros Ordines, ac demum ad summum Pontificatus culmen evectam; sed omnes dicunt, eam virilem sexum fuisse mentitam, nec mendacium aliter, quam ex improviso ejusdem partu patuisse. Et cum nihil addant scriptores illi, quidnam provisum postea fuerit circa nullitatem eorum, quæ ab hoc scenico Pontifice acta fuerant, ut certe necessarium erat, conjectare possumus, totam hanc historiam commentitiam esse.

138. *Secundo*, si tota illa testium turba, quæ allegatur, paulo diligentius examinetur, omnia illorum testimonia nutabunt, & corruent. Nam primo

mo frustra citantur quædam Mss. Anastasii Bibliothecarii, quæ nullius ponderis esse possunt, cum manifeste repugnent, non solum omnibus editionibus, sed omnibus etiam veteribus, & optimæ notæ codicibus, in quibus nec vola est, nec vestigium hujus fabulosæ Papissæ, & Leoni IV. defuncto anno 855. immediate sufficitur Benedictus III. Quæ immediata successio multis, gravissimisque aliis testibus confirmatur, ut Lupi Abb. Ferrariensis Epist. 103. ad ipsum Benedictum III., Adonis Viennensis in *Chronico*, Annalium Bertinianorum, Reginonis Abb. Prumiensis, Hincmari Rememsis Archiepisc. &c. &c., ut nullum prorsus relinquatur intervallum temporis pro fabulosa Papissa (*a*).

139. Accedit invicta illa demonstratio, quam non ita pridem, scilicet anno 1749., Romæ edidit vir eruditissimus, quem sacra purpura ornatum magno reipubl. litterariæ damno dira mors eripuit, Josephus Garampius in Dissert. *De nummo argenteo, in qua plura ad Pontificum historiam illustrandam, & Joannæ Papissæ fabulam refellendam proferuntur*. In ea enim novum robur additum est chronologico argumento, quo demonstratur, Leoni IV. Immediate successisse Benedictum III., ut nullus scenicæ illi Papissæ locus fuerit.

140. *Tertio* duo allegati Historici, Marianus Scotus, & Mart. Polonus, fidem aliorum testium labefactare non possunt, quia ambo multo posteriores sunt; primus enim annis 173. post Benedictum III. natus est; alter vero multo posterius. *Præterea* utriusque codices fuisse adulterina manu vitiatos, non inanis suspicio est, cum aliqui reperiantur tota hac fabula carentes. *Demum* in utroque Scriptore nec pauca, nec levia errata deprehenduntur, præcipue vero in Martino Polonio; quem si audiamus, etiam credere oportebit, Joannam, adhuc puellam, Athenas commigrasse, ut ibi in omni scientiarum genere institueretur; cum tamen sciamus ea ætate Athenas fuisse omnino desertas, ut vix superesset antiquarum scholarum memoria. Oportebit ulterius credere, hanc fœminam Romæ publice docuisse, ac celebres Magistros in suis Auditoribus nisimerasse, tantamque doctrinæ famam sibi acquivisse, ut in Petri cathedram postea evehi meruerit. *Demum* ex nefando cum suo familiari concubitu filium concepisse, & cum ad Lateranum pergeret, in publica via inter Ecclesiam S. Clementis, & Colisæum prolem peperisse, & tunc solum fuisse fœmineum ejus sexum detectum, quin antea nemo vel ex loquela, vel ex vultu, vel ex alvo intumescente aliquid de tam solemni mendacio suspicatus fuerit; quæ omnia *nec pueri credent, nisi qui nondum ære lavantur* (*b*).

141. Sigeberti Chronico hanc de Joanna laciniam assutam fuisse, quæ cum antecedentibus minime cohæret, certos nos facit ipsum Sigeberti authographum, quod in Cemblacensi Monasterio asservatum Miræus legit, & publici juris fecit, quin aliquid de hac fabella ibi inveniatur. Ceteri posteriores re minime examinata, aliorum auctoritate innocenter decepti sunt; quamquam multi fidem non indubiam hujusmodi narrationi se adhibere declararunt. Hos inter audiatur S. Antoninus, qui postquam hac phrasi usus est, *Si verum fuit, quod vulgo dicitur*, subdit: *Vincentius tamen* (Bellovacensis), *& Jo. de Columna nihil de hoc referunt*.

142. Ex duabus statuis, Romana, & Senensi nihil prorsus erui potest ad confirmandam anilem fabellam tam male procusam. Romana enim non repræsentabat muliebrem faciem, ac puerum recens natum, pannis involutum, vel ab uberibus pendentem, ut necesse videbatur, sed potius Ethnicum Sacerdotem una cum puero ad aram pergentem; fuit autem a Sixto V. sublata, quia novam, & latiorem, quam sterni curaverat, viam impediebat. De alia Senensi nihil mirari subit, cum obscuris illis temporibus facile artifici, aliisque de veritate hujus historiæ persuaderi potuerit.

143. Quod vero additur de sede *stercoraria*, seu perforata ad sexum Pontificis explorandum, commentitia fabula est alteri fabulæ addita; & sic ut ait Prudentius in *Symmacho*

. . . . Fabula crescit
Ex atavis quondam male cœpta, deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta.

Et de hac fabula satis, quam modo defendere ipsos Protestantes pudet (*c*).

Quærit postea S. Thomas laud. quæst. 39. art. 2., *utrum pueri, & carentes usu rationis Ordines possint suscipere?*

144. Respondet autem his verbis: „ Dicendum, „ quod per pueritiam, & alios defectus, quibus „ tollitur usus rationis, præstatur impedimentum „ actui. Et ideo omnia illa Sacramenta, quæ a-

„ ctum

(*a*) Nihil legitur de Joanna Papissa in duobus vetustissimis codicibus, quibus Muratorius usus est in sua editione Anastasii. Nihil in Lucensi, & in Veronensi, qui duo codices coævi ipsi Anastasio reputantur. Ii vero rarissimi, qui eam fabulam continent, multis aliis scatent erroribus, ut contemni prorsus mereantur.

(*b*) De fictitio hoc partu videndus inter alios Florimondus Remundus, quem Card. Baronius ad an. 853. dicit, sic *monstrum illud* (Joannæ Papissæ) *confecisse, ut Novatores pudeat, quæ scripserunt, vel somniasse*. Porro laud. Remundus hunc insulsum cujusdam versiculum refert, quem in odium Romanorum Pontificum aliquibus decantare placebat

Papa pater patrum Papissa peperit partum.

(*c*) Inter alios eam exploserunt David Blondellus, Grotius, Vossius, Camero, Borxornius, Lindenbor-

„ ctum requirunt suscipientis Sacramentum, talibus non competunt, sicut pœnitentia, matrimonium, & hujusmodi. Sed quia potestates infusæ sunt priores actibus, sicuti & naturales, quamvis acquisitæ, sint posteriores; remoto autem posteriori non tollitur prius; ideo omnia Sacramenta, in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate Sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus data, possunt pueri suscipere, & alii, qui usu rationis carent: hac tamen distinctione habita, quod in minoribus Ordinibus requiritur discretionis tempus de honestate, propter dignitatem Sacramenti, sed non de necessitate præcepti, neque de necessitate Sacramenti. Unde aliqui, si necessitas adsit, & spes profectus, ad minores Ordines possunt ante annos discretionis promoveri sine peccato, & suscipiunt Ordinem: quia quamvis tunc non sint idonei ad officia, quæ eis committuntur, tamen per assuefactionem idonei reddentur".

145. Contra vero sentit de majoribus Ordinibus, „ in quibus requiritur usus rationis, & de honestate, & de necessitate præcepti, & propter votum continentiæ, quod habent annexum, & quia etiam eis Sacramenta tractanda committuntur. Sed ad Episcopatum, ubi etiam in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam animarum pastoralem. Et ideo est etiam de necessitate consecrationis Episcopalis, quod usum rationis habeat". Hactenus Angelicus, qui non dissimulat, alios fuisse, qui dicerent, ad omnes Ordines requiri usum rationis *de necessitate Sacramenti*; quos postea secutus est Durandus in IV. Dist. XXV. quæst. 2., immo & Tournelius quæst. IV. art. 4.

146. Ceterum hodie communiter a Theologis doctrina S. Thomæ adoptatur, quæ exemplis a sacra antiquitate peritis confirmari posset. Synodus tamen Tridentina Sess. XXIII. pluribus capit. *de reform.* ætatem requisitam ad Ordinum susceptionem determinavit, prohibens cap. 4., ne ad primam tonsuram initientur, *qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant*. Cap. autem 5. vult, *ut ad minores Ordines promovendi, bonum a Parocho & Magistro scholæ testimonium habeant*; quæ omnia infantibus convenire nequeunt. Cap. IV. præscribit ætatem pro Ordinibus majoribus, scilicet annum 22. pro Subdiaconatu, 23. pro Diaconatu, & 25. pro Presbyteratu. Sed hæc nota sunt.

Quæres secundo, *an aliquis valide ordinari possit omnino invitus?*

147. Resp. *negative*, loquendo de iis, qui plane reluctantes violenter ordinarentur; non autem de iis, qui vel ex humilitate duntaxat repugnantes vi tandem adiguntur ad consensum præstandum, de quibus loquitur S. Augustinus Epist. CLXXIII. ad Donatum, inquiens: *Multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiunturque quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni*. Non pauca similis coactionis exempla nobis historia ecclesiastica suppeditat, quando nempe Sacerdotium nihil emolumenti temporalis, multum vero oneris, laboris, ac periculi afferebat.

148. Sed de aliis omnino reluctantibus extat definitio Innocentii III. cap. *Majores*, ubi eos refellens, qui dicebant, *quod Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus, & Ordo, ceteraque similia, non solum dormientibus, & amentibus, sed invitis, & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur:* horum inquam opinionem refellens Innocentius hanc statuit regulam: *Ille, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*.

CAPUT VI.

De Episcopatu.

149. *Episcopatus*, inquit S. Augustinus Lib. XIX. *De civ. Dei* cap. 19., *nomen est operis, non honoris: græcum est enim, atque inde factum vocabulum, quod ille, qui præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens; ἐπὶ quippe super, σκοπὸς vero intentio est: ergo ἐπισκοπεῖν, si velimus, latine superintendere possumus dicere; ut intelligat, non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse*. Episcoporum dignitas magno semper in honore apud majores nostros fuit, qui eos, ut *successores Apostolorum*, ut *Patres Patrum*, & *Principes Ecclesiæ*, *summos Sacerdotes*, *Christi Vicarios*, & *Ecclesiæ Angelos*, aliisque honorificentissimis tit-

gius, Caveus, Isaac Gruterus, Chamierius, Petrus Molinæus, Sam. Bochartus, atque ipse Petrus Bayle, qui in suo *Dictionario* longum texuit articulum multa eruditione refertum. Qui autem ex Catholicis hanc putidam fabellam, seu potius fabellarum congeriem refutarunt, vix numerari possunt. Inutiliter autem, meo quidem tenui judicio, aliqui veram hujus fabellæ originem investigare voluerunt, quin tamen potuerint inter se convenire. Baronius, ut vidimus Tom. III. Dissert. V. ad n. 85. a nimia *facilitate & mollitudine* Joann. VIII. ortum fuisse nomen Papissæ existimavit. Aventinus hoc nomen Joanni XII. tributum fuisse scribit, propter quoddam ejusdem scortum nomine Joannam. Bellarminus putat ortum esse Papissæ nomen, ex quo Leo IX. Græcis exprobravit, aliquam feminam olim in Patriarchali throno Constantinopol. sedisse. Leo Allatius originem hujus fabulæ repetit ex quadam muliere nomine *Thiota*, quæ sæc. IX. ut Prophetissa in tota Germania inclaruit.

titulis honorarunt; de quibus legi potest P. Th. Mamachius *Origin.*, *& Antiquit. Christian.* Lib. IV. pag. 284. seq. Porro hujusmodi nomina frequentissime, & constanter repetita sufficere viderentur ad eminentem eorum supra inferiores Clericos, immo & supra ipsos Sacerdotes, auctoritatem indicandam. Sed sæc. Ecclesiæ IV. prodiit Hæresiarcha Aerius, *cujus dogma supra hominis captum furiosum* ita S. Epiphanius describit *Hær.* LXXV. num. 3. *Quanam*, inquiebat Aerius, *in re Presbyteros Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par, & idem honor, ac dignitas.* Eadem de Aerio refert S. Augustinus *De hæres.* num. LIII., addens, quod *cum esset Presbyter, doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari* (a). Hanc pestiferam hæresim ut funditus eliminemus, duo nobis demonstranda sunt: *primo*, Episcopos esse simplicibus Presbyteris superiores: *deinde*, hanc prælationem ipsis competere *jure divino*. His autem demonstratis nonnullas quæstiones resolvemus, quæ ad hanc materiam illustrandam plurimum inserviunt.

PROPOSITIO

Episcopi sunt simplicibus Presbyteris superiores; & hanc prælationem jure divino obtinent.

150. Primam hujus propositionis partem ita declarat, & simul probat S. Thomas in *Supplem.* quæst. 40. art. 4. *Sacerdos habet duos actus; unum principalem, scilicet consecrare corpus Christi, alterum secundarium, scilicet præparare populum Dei ad susceptionem hujus Sacramenti. Quantum autem ad primum actum potestas Sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, &* (scilicet) *humana; omnis enim potestas, quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate, quæ illas ordinationes facit. Sacerdos autem non potest absolvere, & ligare, nisi præsupposita prælationis jurisdictione, qua sibi subdantur illi, quos absolvit.* Hæc Angelicus. Sed ulterius Episcoporum supra alios Presbyteros potestas, & quidem jure divino, efficacius probatur ex sacris litteris, & sanctorum Patrum traditione.

151. Et quantum pertinet ad sacras litteras, dubitari non potest, duodecim Apostolos fuisse a Christo Domino ceteris suis Discipulis prælatos. Apostolis enim supremam in Ecclesia potestatem concessit, iisque promisit, quod supra sedes duodecim judicaturi essent duodecim tribus Israel; & ne statutus ab ipso duodenarius numerus minueretur, voluit ut Judæ proditori alter, nempe Matthias, sufficeretur; atqui fatentibus omnibus sanctis Patribus, Episcopi sunt Apostolorum successores, sicuti Presbyteri successores sunt 72. Discipulorum. Quemadmodum ergo Apostoli ex institutione Christi Discipulis erant superiores, ita & Episcopi &c. Rursus quemadmodum ceteris Apostolis præesse voluit Petrum, non ratione ætatis, vel quia primus vocatus fuerit (nam ante ipsum ejus frater Andreas cognoverat Messiam, Jo. I. 4.), sed gratuita electione, ita reliquis Discipulis gratuita electione prætulit *quos voluit ipse*, Marci III. 13., & fecit Apostolos Discipulis superiores (b).

152.

(a) Hanc hæresim Aerianam, cum nihil amplius de ea legatur in veteribus monumentis, brevi extinctam fuisse, credibile est; sed suscitata postea fuit Wicleffianis temporibus, quæ majoris schismatis postea enati præludia fuerunt. Hic Anglus hæresiarcha non minus, quam Aerius de sibi negato Wigoriensi Episcopatu dolens Lib. IV. *Dialog.* cap. 15. *Unum*, inquit, *audacter assero, quod in primitiva Ecclesia, vel tempore Pauli suffecerint duo ordines Clericorum, scilicet Sacerdos, atque Diaconus. Similiter dico, quod tempore Pauli fuit idem Presbyter, atque Episcopus.* Waldenses ejusdem erroris a Raynerio Saccono Ord. Præd. merito accusantur, ut videri potest apud Thom. August. Ricchinium in Appar. ad *Summam* Monetæ Dissert. II. cap. 3. Lutherani Episcopos habere non renuunt; sed eos sola humana institutione, non autem *jure divino* ceteris Clericis superiores esse contendunt. Ita nomine aliorum Jo. Franc. Buddæus in *Institut. Theol.* Lib. V. cap. 4. §. 17., ubi negat, *Episcopatum per reformationem* (ut homo Lutheranus loquitur) *Ecclesiæ ab Luthero susceptum prorsus abrogatum.* Fusius de hac materia tractat idem Buddæus in *Dissert. Historic. theol. De orig. & potest. Episcop.* Ita etiam Calvinistæ duce ac magistro Calvino, qui Lib. IV. *Institut.* cap. 4. §. 2. *Quibus*, inquit, *docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros.* „ Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore, & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet, sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, sententias rogat, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit, exequatur. Id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu. Atque idipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres ". Ita communiter sentiunt, qui *rigidi* Calviniani audiunt, & in Anglia vocantur *Presbyteriani*, vel *Puritani*. Nam alii Anglo-Calviniani, qui dicuntur *Episcopales*, nobis fere consentiunt, quanquam nos cum ipsis convenire non possimus, ut supra demonstratum fuit num. 62. seq. Nullatenus autem prætermittendum censeo, Calvinianos, non minus quam Lutheranos necessitate quadam adactos fuisse ad Episcopatus jura a sua societate rejicienda. Cum enim nec Zwinglius, nec Calvinus, nec Lutherus, nec ullus pseudo-reformatorum Episcopalem dignitatem in Ecclesia recepisset, necessario debuerunt novum suarum Communionum regimen instituere, novamque suorum ministrorum, & antea inauditam missionem excogitare, quam *mediatam* nominabant; scilicet non per legitimam successionem, & ordinationem, sed per externam plebis, aut magistratuum sæcularium destinationem.

(b) Quo apparet, a vero longissime aberrasse Blon-

152. Præterea S. Paulus Timotheo, qui certe Episcopus erat, in 1. epist. cap. V. 19. ita præcipit: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus.* Quæ verba manifeste indicant in Episcopo auctoritatem judicandi Presbyteros, eosque puniendi. Iisdem verbis utebatur Epiphanius contra Aerium Hær. LXXV. inquiens: *Quid autem attinebat Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem haberet? ... Non alicui ex Presbyteris præcepit, ut accusationem contra Episcopum non admitteret, aut ut Episcopum non objurgaret.* Idem Apostolus ad Titum I. 5. inquit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Atque similium, quæ Episcoporum supra reliquos omnes potestatem indicant, plenæ sunt Paulinæ epistolæ.

153. Porro sacra hæc testimonia clara, & aperta sunt; vim tamen adhuc majorem acquirunt ex antiquissima, ac constanti sanct. Patrum doctrina, qua perpetuo Episcoporum supra omnes fideles, atque ipsos Presbyteros excellentia, & superior auctoritas agnita fuit. Incipiamus a Clemente Romano, qui sæculo I. S. Petri cathedram occupavit. Is in celebri epist. I. ad Corinthios num. 1. *In Dei legitimis*, inquit, *ambulabatis subditi Præpositis vestris, & honorem debitum Presbyteris tribuentes*, ubi cum Presbyteros a Præpositis distinguat, istorum nomine non potuit nisi Episcopos designare. Clarius autem num. 40. inquit: *Summo quippe Sacerdoti sua munia tributa sunt, & Sacerdotibus locus proprius assignatus est, & Levitis sua ministeria incumbunt.* Ac demum n. 44. addit, Apostolos, *accepta perfecta præcognitione, constituisse Episcopos, & deinceps futuræ successionis regulam tradidisse* (a).

154. Plura ex secundo Ecclesiæ sæculo in rem nostram præsto sunt testimonia. S. Ignatius, qui martyrii coronam anno 107. Romæ consecutus est, nempe multo ante annum 130., quo Blondellus incœpisse fingit Episcoporum auctoritatem, tam multa habet in rem nostram, ut plane necesse foret integras illius epistolas exscribere. Sed brevitatis gratia duo solum notabimus; *primo* apertissimam hierarchiæ ecclesiasticæ distinctionem; *secundo*, quantam debeant fideles omnes, atque etiam Presbyteri suo Episcopo reverentiam, ac obedientiam præstare. Quantum ad *primum*, insignis est locus in epist. ad Smyrnæos num. 8. *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, & Presbyterium ut Apostolos, Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum.* Et in epist. ad Trallianos n. 3. *sine his* (Episcopo, Presbyteris, & Diaconis) *Ecclesia non vocatur.* Quantum ad *secundum*, in laud. Epist. ad Trallianos num. 12. *Decet*, inquit, *singulos vestrum, & præcipue Presbyteros refocillare Episcopum in honorem Patris Jesu Christi, & Apostolorum;* & ibid. n. 2. *Necessarium est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis;* & similiter ad Smyrnæos num. 8. *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent.* Et multis aliis omissis in Epist. ad Magnesianos: *Hortor*, inquit, *ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo Præsidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici, & Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi* (b).

155. His autem tam decretoriis sententiis ne fasces submitteret Blondellus, Salmasius, Dallæus, aliique ejusdem furfuris Calvinistæ, nil aliud respondere potuerunt, quam allegatas epistolas esse S. Martyri perperam affictas. Quæ tamen responsio communi omnium saniorum Criticorum, etiam Calvinistarum, judicio exploditur. Vide dicta Tom. III. not. ad n. 170. Videri etiam potest Nat. Alexander Dissert. XLIV. in Sæc. IV. §. 2., ubi inanes illorum pseudocriticorum objectiones refellit.

156. Ex eodem sæculo II. testem Episcopalis dignitatis habemus Hegesippum, qui apud Eusebium Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 22. inquit, post martyrium Jacobi cognomento *Justi* a cunctis uno consensu fuisse renunciatum Antistitem Jerosolymitanum Simeonem Cleophæ filium; unde quilibet intel-

dellum, dum non ausus negare in Collegio Presbyterorum fuisse aliquem ceteris prælatum, hanc prælationem repetit vel ex ætate provectiore, vel ex prioritate vocationis. Oppositum enim apparet tam in Petro respectu Apostolorum, quam in Apostolis respectu Discipulorum. Multoque magis id apparuit in electione Matthiæ, in qua nulla habita fuit ratio prioritatis ætatis, aut vocationis, sed simul omnes *orantes a Domino* petierunt, ut prodigio ostenderet, quem eligeret, *accipere locum ministerii hujus, & apostolatus.* Act. I. 24.

(a) Id peculiariter præstitum fuisse ab Evangelista Joanne testatur Clemens Alex. apud Eusebium Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 23. de ipso dicens: *Cum post obitum tyranni ex insula Pathmo Ephesum rediisset, ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit; partim ut Episcopos constitueret, partim ut Ecclesias integras disponeret, ac formaret &c.*

(b) Apostolici hujus S. Patris pulcherrimas sententias vir doctissimus, meique amicissimus F. S. E. C. B. C. his elegantibus carminibus feliciter complexus est.

Adsunt Præpositi, lectus Chorus, atque Senatus
Presbyteri. Hos inter ceu Deus ille sedet.
Præ reliquis Princeps senioribus eminet: ipsum
Et colit, & sequitur sacra corona ducem.
Væ! clandestinum si tacito Præside quisquam
Fecit opus. Satanæ is præstitit obsequium.
Nil sacri peragat quisquam, nisi Episcopus ipse
Id probet, & nutu sint rata cuncta suo.
Vox est ista Dei: vox alto corde reposta:
Pastorem quo vis prompta sequatur ovis.
Sic ait effulgens ut sol Ignatius olim,
Eloquia effatus vera docente Deo.

telligit, fuisse Ecclesiis particularibus Episcopos datos, qui earumdem curam gererent. Similiter S. Irenæus Lib. III. cap. 3. *Habemus*, inquit, *annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos;* ac deinde texit catalogum Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, *ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, subdens: *Nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius*. Si autem Episcopi idem fuissent, ac Presbyteri, vel saltem iisdem in dignitate, atque auctoritate pares, ut quid opus erat Episcoporum successiones peculiariter notare, ut integra eorumdem series perpetuo conservaretur? (a).

157. Hoc argumento utebatur Tertullianus ad revincendos hæreticos in Lib. *De Præscript.* ita eosdem fidenter provocans: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem, & antecessorem*. Quod postea exemplis Ecclesiarum, maxime autem Romanæ, confirmat, quæ *Clementem a Petro ordinatum edit*. Hoc autem Tertulliani argumentum elumbe foret, si Ecclesiarum Episcopi iidem fuissent cum Presbyteris.

158. Sæc. III. ecclesiasticam hierarchiam describit Clemens Alexandr. Lib. VI. *Stromatum* inquiens: *In Ecclesia sunt progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum*. II. Origenes Hom. II. in Jerem. dicebat, *plus exigi a se, quam a Diaconis, ab his vero plus, quam a laicis; plus rursus ab iis, quibus & super Diaconos, & super Presbyteros commissum est regimen, & principatus ecclesiasticus*. III. Tertullianus *De baptismo* cap. 17. *Dandi* (hujus Sacramenti) inquit, *habet jus summus Sacerdos* (nempe Episcopus), *dehinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est*. Tandem Cyprianus Epist. XXVII. *Dominus noster*, inquit, *cujus præcepta metuere, & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Tu es Petrus &c. ...... Inde per temporum, & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit* &c. Multa ejusdem generis afferre facillimum foret, præsertim ex sæculis subsecutis.

159. Nam Sæc. IV. Aerius quando contra prælationem Episcoporum ausus est blasphemare, tamquam hæreticus ab Ecclesia habitus est, ut supra vidimus num. 149. ex Sanctis Epiphanio & Augustino. Atque ex eo tempore perpetua fuit omnium in universo orbe Christianorum persuasio, non solum omnes laicos, ac minores Clericos, sed Diaconos etiam, Sacerdotes simplices, suis Episcopis ex divina ordinatione subjectos esse debere. Id constat ex omnibus Græcorum *Euchologiis*, & Latinorum *Ritualibus*. Id professus est sæculo præterito Jeremias Patriarcha in celebri *Censura Confessionis Augustanæ*, cujus sæpius mentionem fecimus. Id denique multis, atque authenticis monumentis, ex omnibus Christiani nominis Communionibus demonstratum fuit in opere immortali *Perpetuitatis fidei &c.*, ut mirum profecto sit, repertos fuisse, & adhuc reperiri homines, non quidem indoctos, sed odio Romanæ Ecclesiæ in transversum actos, qui tam manifestæ veritati obstinate repugnent.

160. Sapientissime itaque Synodus Trid. Sess. XXIII. cap. 4. declaravit, „ præter ceteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum „ locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse „ &c. *Deinde can. 6. ita definivit:* Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam „ divina ordinatione institutam, quæ constat ex „ Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema „ sit; *ac denique cap. 7.* Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores .... anathema „ sit (b)."

161. Ob. *primo* ex sacris litteris. Paulus ad Phi-

(a) Nat. Alexander, qua solet diligentia, atque eruditionis copia, traditiones præcipuarum Ecclesiarum simul collegit, quibus ostenditur successio Episcoporum ab ipsis primis Apostolorum temporibus; & quibus falsitatis convincitur Blondellus contendens, distinctionem, adeoque successionem Episcoporum non incœpisse, nisi medio circiter Sæculo II.

(b) Referente Card. Pallavicino Lib. XVIII. cap. 14. seq. & Lib. XIX. cap. 6., post longas disputationes omissa fuerunt illa verba *jure divino*, quæ in Congregationibus habitis sub Julio III. præparata jam fuerant. Sed hæc omissio non alia de causa orta dicitur, nisi quia timebatur, ne aliqui iis verbis abuterentur ad tollendam necessitatem *potestatis jurisdictionis*; quam Episcopi a Pontifice recipiunt juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. quæst. 39. art. 3., S. Bonaventuræ in *Brevilogo*, atque aliorum veterum Theologorum, qui solius summi Pontificis *supremam jurisdictionem* a Deo immediate descendere, adeoque invariabilem esse, atque a nemine coarctari posse, docuerunt: solam igitur potestatem *ordinis*, quam habent Episcopi, esse *immediate* a Deo; eamque a nemine tolli posse sentiebant. Quamobrem Episcopi etiam excommunicati, aut suspensi *illicite* quidem, sed valide Sacramenta conferre: *quia in his homo non operatur, nisi sicut instrumentum Dei*, ut loquitur Angelicus. *Potestas autem jurisdictionis*, subdit S. Doctor, *est, quæ ex simplici injunctione hominis confertur; & talis potestas non immobiliter adhæret; unde in schismaticis, & hæreticis non manet: unde non possunt nec absolvere nec excommunica-*

Philipp. scribens cap. I. suo, & Timothei nomine salutat omnes Sanctos *cum Episcopis, & Diaconibus*, quin ullam Presbyterorum mentionem faciat, non alia certe de causa, nisi quia Episcopi, & Presbyteri unum idemque erant. *Præterea* Idem Act. XX. 17. *mittens Ephesum vocavit Majores natu Ecclesiæ* (græce πρεσβυτέρους *Presbyteros*), quibus inter cetera dixit; *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: nullam ergo posuit distinctionem inter Episcopos, & Presbyteros. *Tertio* S. Petrus in prima epist. cap. V. *Seniores*, inquit (græce πρεσβυτέρους *Presbyteros*) *qui in vobis sunt, obsecro consenior*, (συμπρεσβύτερος *compresbyter*) *& testis Christi passionum .... Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*. Unde rursus efficitur, Episcopos, qui gregem Dei pascere debebant, non alios fuisse quam Presbyteros. Atque hoc est potissimum Puritanorum fundamentum, in quo evellendo Catholici non iisdem omnes utuntur mediis. Sed nos

162. Resp. cum S. Jo. Chrysostomo, Theodoreto, aliisque Patribus, ac nobilissimis interpretibus, nomina Episcopi, & Presbyteri primis illis temporibus fuisse *promiscua*, non autem officia, & dignitates, quasi omnes essent æquales, & Presbyteri simplices omnia possent, quæ poterant Episcopi, & nullus ceteris spirituali potestate præesset; hoc enim & allatis superius momentis repugnat, & per se incredibile est; confusionem enim, & turbas in Ecclesia peperisset. Vid. sup. num. 22. Sane invenimus, Apostolos nonnunquam nomen *Diaconorum* assumpsisse; nemo tamen inde colliget, Diaconos fuisse in gradu, & dignitate Apostolis pares. Paulus 1. ad Corinth. III. 4. seipsum, & Apolinem *Diaconos* vocat: *Ministri* (græce διάκονοι *diaconi*) *sumus ejus, cui credidistis*. Et 2. Corinth. III. 6. *Idoneos*, inquit, *nos fecit ministros* (διακόνους) *novi testamenti*. Quis autem ex promiscua hac appellatione, communem fuisse gradum, ac dignitatem suspicetur? Observat postea S. Jo. Chrysostomus Hom. I. in epist. ad Philipp., *procedente tempore proprium cuique distributum fuisse nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vere Presbyter appellaretur*.

163. Quod autem Apostolus ad Philippenses scribens solos *Episcopos, & Diaconos*, non autem *Presbyteros* nominet, parum officit; quia, ut S. Thomas Lect. I. in hoc caput I. notat, Presbyteri *comprehenduntur cum Episcopis ..... in principio* enim, *licet ordines fuerint distincti, non tamen nomina ordinum*. Hoc Angelicus didicerat ex veteribus Patribus. Nam Chrysostomus Hom. I. in hanc epist. „ Quid hoc est, *inquit*, an unius ci„ vitatis plures erant Episcopi? Nequaquam: sed „ Presbyteros isto nomine appellavit; tunc enim „ nomina adhuc erant communia, atque ipse e„ tiam Episcopus vocabatur Diaconus. Idcirco ad „ Timotheum scribens inquit: Diaconiam, idest „ ministerium tuum, imple, cum tamen ille E„ piscopus esset. " Quod alibi repetit, ac præcipue Hom. XI. in epist. ad Titum simili quæstioni respondens, cur Paulus post data Episcopis præcepta, statim ad Diaconos transeat, nulla Presbyterorum facta mentione.

164. Neque iterum obest, quod Apostolus *Episcopos* plurali numero nominet, cum tamen in qualibet civitate nonnisi unus esset Episcopus. Non inquam id obest: cum enim proprius illius civitatis Episcopus, nempe Epaphroditus, abesset Romæ degens, Episcopi vicini Macedoniæ, ut tunc moris erat, illius Ecclesiæ curam gerebant. Quod doctissimus Mamachius post Duguetium ab eo citatum probat *Orig. & Antiqu. Christ.* T. IV. pag. 346. Nec prætereunda est S. Epiphanii sententia, qui Aerio hæc, & similia objicienti respondebat, in illa priorum temporum paucitate fidelium, aliquando Episcopos suffecisse sine Presbyteris, non tamen sine Diaconis: *sine Diacono enim Episcopus esse non potest*. Quamobrem multi non inveniebantur, quorum alii Episcopi, alii Presbyteri solum crearentur; potius ordo secundus omittebatur, quam primus, quia major erat Episcoporum, quam Presbyterorum necessitas; nempe Presbyteri illico ad Episcopatum promovebantur (*a*).

165. Alter locus ex Act. XX. ita explicatur ab Irenæo Lib. III. cap. 14.: *In Mileto convocatis Episcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheso, & a reliquis proximis civitatibus*, quæ explicatio a multis valde approbatur; quia admodum verisimile est, plures jam ea ætate fuisse in vicinis civitatibus Asiæ Episcopos constitutos. Summus autem vir Dion Petavius Lib. I. *Dissert. Eccles.*

re, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi; quod si fecerint, nihil est actum. Qua de re egregiam Didaci Lainez disputationem in generali Congregatione habitam, atque in brevem synopsim redactam exhibet memoratus mox purpuratus Historiographus cap. 15. Ne igitur hujusmodi sententiæ, quæ apud S. Thomam, S. Bonaventuram, necnon apud doctissimos Cardinales, Turrecrematam, & Cajetanum, ac plurimos alios Scholasticos obtinebat, aliquod præjudicium inferri videretur, quasi Episcopi omnem potestatem tam *ordinis*, quam *jurisdictionis* a Deo *immediate* acciperent, Patres Tridentini post longam hujus rei discussionem abstinendum ab illis verbis *jure divino* prudentissime censuerunt. Attamen Sess. XIV. cap. 7. definiverant: *Pontifices Maximos pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari judicio reservare*, quibus verbis apparet, *jurisdictionem* Episcoporum posse aliquibus limitibus circumscribi, quod fieri non potest, si a Deo *immediate* descenderet. Confer. quæ diximus Dissert. VI. num. 52.

(*a*) Hanc difficultatem paulo aliter, & quidem ingeniose resolvit Duguetius *Confer. Eccl.* Tom. I. Dissert. III. §. 3. quibusdam allatis conjecturis, quas exscribere, nimis longum foret. Sed multa ibi sunt lectu dignissima.

cles. contra Salmasium cap. 2. non inverosimiliter putavit, primis illis Ecclesiæ temporibus, eos, qui Presbyteri consecrati fuerant, fuisse etiam ad Episcopalem dignitatem promotos, ut crescente ubique Christianorum multitudine parata esset Episcoporum copia, qui ad urbes, & provincias, quæ Christianæ religioni nomen dabant, illico mitti possent, ut ibi Ecclesias fundarent, atque administrarent, ubique sacris ministris constitutis. Hanc doctissimi Theologi sententiam probat etiam noster eruditissimus Mamachius *Orig. & Antiqu. Christ.* Tom. IV. pag. 557. addens, hos Episcopos sæc. II. & III. fuisse appellatos Episcopos *nationum*. Hoc autem posito, facile intelligitur, quomodo Paulus potuerit Mileti plures Episcopos ex Epheso congregare.

166. Postremum testimonium ex epist. I. S. Petri facile explicatur juxta superius dicta, de promiscua appellatione Presbyterorum, & Episcoporum. Ceterum si quid superest in his testimoniis explicandis difficultatis, totum tollitur ex sanct. Patrum apertissima traditione, qui juxta disciplinam ab Apostolis traditam, & semper custoditam Episcopos ut simplicibus Presbyteris gradu, & auctoritate superiores venerati sunt.

167. Inst. S. Jo. Evangelista in 3. epist. ad Cajum vers. 9. primatum omnem ab Ecclesia excludit, inquiens: *Scripsissem forsitan Ecclesiæ; sed is, qui amat primatum gerere in eos, Diotrephes non recipit nos.* Quamobrem initio epistolæ non aliud sibi nomen assumit, quam *Senioris*, seu *Presbyteri*.

168. Resp., primatum, quem sibi arrogabat Diotrephes, certe fuisse reprobandum, utpote debita charitate vacuum, immo superbum, & turbulentum, quod dilectus Apostolus ita describit: *Si venero, commonebo ejus opera, quæ facit verbis malignis garriens in nos; & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit.* Porro autem quis fuerit iste Diotrephes, laicusne, an clericus, Sacerdos, an Episcopus, ignoratur. Quod si Episcopus fuit, in eo valde reprehensibilis erat, quod Apostolo Joanni subdi recusaret.

169. Ob. *secundo* ex sanctis Patribus. Clemens Rom. in epist. I. ad Corinth. num. 42. de Apostolis inquit: *Episcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt. Neque hoc novum: a multis enim temporibus de Episcopis, & Diaconis scriptum fuerat. Sic enim alicubi dicit Scriptura: Constituam Episcopos eorum in justitia, & Diaconos eorum in fide.* Prosequitur reprehendens schisma in ea Ecclesia enatum, & valde turpe esse dicit, atque indignum, *audiri firmissimam, & antiquam Corinthiorum Ecclesiam, propter unum, aut alterum hominem contra Presbyteros seditionem movere.* Notat Blondellus seditionem debuisse concitari contra Episcopum, si ullus ibi fuisset. Clementem autem concitatam dicere *adversus Presbyteros*, penes quos tota potestas ecclesiastica residebat.

170. Resp., S. Clementem in epistola non semel etiam *Presbyteros* nominatim distinxisse, quamvis communiter ὁμωνύμως simul Episcopos, & Presbyteros complexus sit. Vide supr. num. 153.

171. Ob. *tertio*. Haud raro invenimus apud veteres scriptores Clerum in duas tantum classes distributum, *Presbyterorum*, seu *Præpositorum*, & *Diaconorum*. Ita Polycarpus in Epist. ad Philipp. inquiens: *Oportet subjici Presbyteris, & Diaconis, tamquam Deo, & Christo.* Justinus item in *Apologia* I. nonnisi *Præpositum* memorat, & *Diaconos*; & ita quoque Clemens Alexandr. Lib. VII. *Stromatum*. Hilarius in Psalm. CXXXIV., & alii; immo & Cyprianus Epist. LXII. *Cum omnes omnino*, inquit, *disciplinam tenere oporteat, multo magis Præpositos, & Diaconos.* Ex his, aliisque locis apparet, nonnisi ex duobus Ordinibus constitisse veterem Ecclesiam, tertium vero esse sequentibus temporibus additum.

172. Resp., cum tam perspicuis primorum Patrum testimoniis supra num. 153. & seq. probatum sit, Ecclesiasticam hierarchiam constare ex Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, laborandum minime esse in explicandis quibusdam locis, in quibus unus, vel alter ordo prætermissus est, qui postea in aliis commemoratur. Sane Polycarpus, qui in ea epistola solos Presbyteros, & Diaconos memorat, erat Smyrnensium Episcopus a S. Joanne Evangelista consecratus, ut propterea, quando scribit, ut Presbyteris, & Diaconis a se constitutis obediatur, seipsum non excludit. Justinus nomine Diaconorum videtur comprehendere etiam Presbyteros, qui Præposito sacrificanti ministrant; quanquam, cum ibi loquatur de Christianorum Synaxibus, potuit duos solos ordines nominare, scilicet illius, qui præest, & Diaconi, qui ministrat. Clemens Alexandr. Lib. VI. *Strom. Episcopos, Presbyteros, & Diaconos* expresse nominat sup. num. 158. Cyprianus demum in alia epist. LXVIII. *Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum Apostolicas ordinationes* expresse memorat. Et sic de aliis dicendum, ut necesse non sit in hac levissima difficultate diutis immorari.

173. Inst. S. Ignatius in epist. ad Magnesianos institutionem Episcopi, qui ceteris præsit, appellat *novellam ordinationem*.

174. Resp., S. Martyrem id non dicere de institutione Episcopatus, sed de ordinatione Damæ in Episcopum Magnesianorum, quam *novellam* appellat, vel potius *juvenilem* νεωτερικὴν τάξιν, propter *juvenilem* ordinati ætatem; unde antea dixerat: *Sed & vos decet, non familiarius, ac superbe uti ætate Episcopi .... non aspicientes ad apparentem juvenilem ordinationem.*

175. Ob. *quarto*. Presbyteri apud veteres haud raro vocabantur *fratres*, & collegæ Episcoporum. Sic Ecclesia Lugdunensis appellavit S. Irenæum apud Eusebium Lib. V. cap. 4. *fratrem, & collegam*,

gam, non *Præsidem*, aut *Præpositum*. *Præterea* ipse Irenæus Lib. IV. *adv. hær.* cap. 45. *Iis*, inquit, *qui in Ecclesia sunt*, *Presbyteris obaudire oportet*; *his*, *qui successionem habent ab Apostolis*, *qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt*. *Tertio*, Tertullianus in *Apologet.* cap. 39. *Ecclesiæ præsidere* dicit *probatos quosque seniores*, idest Presbyteros, non Episcopos. *Quarto*, Origenes Tract. V. in Matth. *Sacerdotes*, inquit, *rationabiliter possunt dici Ecclesiæ oculus*, *qui & speculatores habentur*; *Diaconi autem ceterique ministri*, *manus*, *quoniam per eos opera spiritualia universa geruntur*. *Quinto*, Clerus Rom. in epist. ad S. Cyprianum ita scribit: *Incumbit nobis*, *qui videmur esse Præpositi*, *& vice Pastoris* (Christi) *custodire gregem* &c. Multa alia ejusdem generis objicit Blondellus, quæ ex dictis, & dicendis facillime solvi possunt.

176. Resp. ad primum, ex S. Hieronymo constare, S. Irenæum, quando ad Rom. Pontificem perrexit, simplicem fuisse Presbyterum; sic enim scribit S. Doctor in *Catal. Script. Eccles.* cap. 45.: *Irenæus Photini Episcopi*, *qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam*, *Presbyter*, *a Martyribus ejusdem loci*, *ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus*, *honorificas nomine suo ad Eleutherium Episcopum perfert litteras*. *Postea jam Photino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato*, *in locum ejus substituitur*.

177. Non inficiamur, aliquando Presbyteros fuisse appellatos Episcoporum *fratres*, *& collegas*, immo & *successores Apostolorum*, sensu aliquo minus proprio; scilicet quantum spectat ad potestatem consecrandi Eucharistiam, eamque fidelibus dispensandi, in qua potestate sunt pares Episcopis, ut alias n. 58. vidimus cum S. Thoma. In hac etiam potestate succedunt Apostolis, quos Christus in ultima cœna constituit Sacerdotes. Verumtamen id non impedit, quin Episcopi in ordine hierarchico sint ipsis superiores. Ceterum ex antiquo more Episcopi non solent *collegas* appellare, nisi alios Episcopos: & soli Episcopi vere, & proprie sunt *Apostolorum successores*.

178. Ad *secundum*, *tertium*, *& quartum*, aliaque similia veterum Patrum testimonia, respondemus, plerumque nomine *Presbyterorum* venire Episcopos. Ita certe Iræneus in loco objecto, qui, ut vidimus supra num. 156. successores Apostolorum non vocat, nisi Episcopos, quorum series, & catalogos commemorat. Tertullianus etiam *Præpositorum*, ac *Præsidentium* nomine eos significat, qui sacris Synaxibus præerant, & qui aliquando Episcopi erant, aliquando etiam simplices Presbyteri, qui supra corpus Christi veram ex divina ordinatione habent potestatem. Quænam autem fuerit de successione Episcoporum, & de ecclesiastica hierarchia Tertulliani doctrina, vidimus supra n. 157. & seq. Sic demum Origenes simul confundit Sacerdotes, & Episcopos, quos eosdem vocat *Ecclesiæ oculos*, *& speculatores*, non tamen vult, hoc officium æqualiter utrisque incumbere. Vid. supra num. 158.

179. Quæ postremo loco ex epist. Cleri Romani ad S. Cyprianum allata sunt, eo tempore scripta fuisse, quo Petri sedes vacabat, sublato per martyrium Fabiano Pontifice, quo tempore certe Presbyteris, & Clericis cura incumbit, ne quid Ecclesia detrimenti capiat. Sed in ipsa eadem epistola superior Episcoporum potestas declaratur, cum Cypriano Clerus rescribit, expectandam esse novi Pontificis creationem, ut lapsorum causa, de qua tunc agebatur, ejusdem auctoritate finiatur.

180. Inst. S. Augustinus in epist. LXXXII. ad Hieronymum num. 33. hæc habet; *Quamquam secundum honorum vocabula*, *quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit*, *Episcopatus Presbyterio major sit*, *tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est*. Fatetur igitur magnus Augustinus, non ex institutione Christi, sed usu tantum Ecclesiæ Episcopos esse Presbyteris superiores. Ulterius num. 149. ex eodem Augustino diximus, *Episcopatum nomen esse operis*, *non honoris*.

181. Resp. *primo*, usum illum Ecclesiæ, de quo Augustinus loquitur, verosimiliter esse referendum tantummodo ad distinctionem *vocabulorum*, non autem ad distinctionem *gradus*, *& dignitatis*. Ut enim sæpius vidimus, in primis sæculis Episcopi, & Presbyteri promiscue appellabantur; solum ex adjunctis patebat, quando his nominibus Episcopus, aut Presbyter designaretur; post autem usus in Ecclesia invaluit, ut majoris claritatis gratia etiam nomina distinguerentur. *Secundo*, etiamsi de ipsa dignitate locutus fuisset Augustinus, non propterea consequens esset, eum per *usum Ecclesiæ* intellexisse ecclesiasticam institutionem, cum potuerit intelligere *usum Ecclesiæ* a divina institutione descendentem. Cum vero observat, *Episcopatum nomen esse operis*, *non honoris*, ad solam etymologiam græci vocabuli attendit, non vero ad ejusdem Episcopatus gradum, & dignitatem. Quidquid vero sit, quænam, amabo, confidentia est, ex quibusdam ambiguis verbis hunc magnum Ecclesiæ Doctorem in Aerii opinionem pertrahere, quam ipse inter hæreses numeravit? Vid. supra num. 149.

182. Inst. *secundo* Auctor *Quæstionum in novum*, *ac vetus test.*, qui olim Augustinus putabatur, quæst. 101. *Quid est*, inquit, *Episcopus*, *nisi primus Presbyter*, *hoc est summus Sacerdos? Denique non aliter quam Compresbyteros hic vocat*, *& Consacerdotes suos*. *Numquid & Ministros condiaconos suos dicit Episcopus? Non utique*, *quia multo inferiores sunt*; atque alia adducit, ut probet, Diaconum quidem, & Sacerdotem multum inter se differre, non autem Presbyterum, & Episcopum.

183. Resp., operæ pretium non esse, in mente hujus ignobilis auctoris curiosius investiganda mul-

multum temporis insumere: judicio enim Criticorum, neque est Augustinus, neque Hilarius Diaconus, sed aliquis, sequioris ætatis, multis erroribus scatens. Sed si eum hac in parte excusare velimus, dici poterit, eumdem ferventiori studio reprimendi quorumdam Diaconorum proterviam, qui se Presbyteris æquiparare, immo præferre audebant, ita Presbyterorum dignitatem exagerasse, ut eos æquales Episcopis facere videretur.

184. Ob. *quinto* ea, quæ superius num. 80. ex Eutychio Patriarcha Alexandr. objecta fuere, nempe vastissimas, & populosissimas Ægypti provincias a Marco usque ad Demetrium a solis Presbyteris fuisse administratas. Simile quid narrat Vener. Beda Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 4. de Monasterio Insulæ Hiensis; scilicet illam Insulam *habere Rectorem semper Abbatem, & Presbyterum, cujus juri & omnis provincia, & ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti*: si autem *jure divino* Episcopi essent Presbyteris superiores, nulla humana lege id fieri potuisset.

185. Resp. præter ea, quæ contra fabulosam Alexandrinorum Patriarcharum originem ab Eutychio descriptam superius dicta sunt, manifestum illius libri mendacium deprehendi in eo, quod asserit, in universa Ægypto nullos fuisse Episcopos usque ad Demetrium Patriarcham, qui sæc. III. vixit. Nam antiquissimus Auctor vitæ S. Marci scribit, multos ab eo Episcopos, & Clericos consecratos. Quod confirmant Synaxarion Græcorum, Metaphrastes, Nicephorus, Rabanus Maurus in *Martyrologio*, Notkerus item in *Martyrologio*. Addimus etiam Martyrologium Melchitarum ad diem 25. Aprilis, & Severum Alexandrinum in *Vitis Patriarcharum Alexandr.* Postremo Alexander Patriarcha Alexandr. in epist. contra Arium paulo ante Concilium Nicænum scribit, fere centum Episcopos Ægyptios Arii blasphemias condemnasse, & Athanasius paulo post idem Concilium in *Apologia* II. totidem ferre enumerat Episcopos ex Ægypto, Lybia, & Pentapoli innocentiæ suæ testes. At vero undenam potuissent tot Episcopi illico emergere, si usque ad illa tempora in iis provinciis nulli extitissent, ut fabulator Eutychius scribit?

186. Alterum ex Beda facile expeditur, observando, illos Episcopos fuisse ex monasterio assumptos: unde nil mirum, si in quibusdam monasticis observantiis permanserint Abbatis subjecti, quanquam in Episcopalibus muniis essent illi multo superiores.

187. Ob. *ultimo*. S. Hieronymum, quem Puritani adeo putant Aerianæ hæresi patrocinari, ut Blondellus suam Dissertationem inscribere non dubitaverit *Apologiam pro S. Hieronymo*. Hic igitur S. Doctor in Epist. CXLVI. olim 85. ad Evangelum multa habet adversariis in speciem faventia. Nam cujusdam Diaconi, qui *se Presbyteris*, id est *Episcopis*, anteferre audebat, *vecordiam* retundens, *primo* asserit, *Apostolum perspicue docere, eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos*; quod nonnullis Pauli & Joannis testimoniis (a nobis supra relatis num. 161. seq.) confirmare nititur: *secundo* addit: Quod autem *postea unus electus est, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet*: *tertio* subdit exemplum Alexandriæ, ubi *a Marco Evangelista usque ab Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant*; *quarto*, ad hoc magis explicandum utitur exemplo Diaconorum, qui *eligunt de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocant*; Archidiaconi autem nec gradu differunt a Diaconis, nec institutionem habent divinam. Denique ita concludit: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Similia habet in cap. I. Epist. ad Titum, ubi inquit: „ Idem est Presbyter, „ qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu „ studia in religione fierent ..... communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, „ suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura „ pertinet, & schismatum semina tollerentur". Quam suam sententiam supra allatis Scripturarum locis confirmare satagit; atque ita concludit: „ Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate „ Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere (*a*)."

188.

(*a*) In his potissimum Hieronymi verbis triumphum canunt Blondellus, Salmasius, Dallæus, aliique Presbyteriani. Dolendum est, Mich. Medinam Doctissimum Sæc. XVI. Theologum Lib. I. *De sacrorum hominum origine* cap. 5., postquam causam Episcoporum contra Puritanos strenue defendisset, eos scilicet esse Presbyteris *jure divino* superiores, S. Hieronymum, ut sibi, atque orthodoxo dogmati omnino contrarium, deseruisse: neque eum solum, sed etiam Ambrosium, seu potius Ambrosiastrum, Chrysostomum, Augustinum, Theodoretum, Primasium, Sedulium, & Theophilactum; qua de re a Petavio Lib. II. *Eccles. Hierarchiæ* cap. 8. & a Bellarmino *De Clericis* cap. 15. atque ab aliis Theologis acriter vapulavit. Lud. autem Cellotius Lib. IV. *De Hierarchia* cap. 15. confidenter asserit, hæc Hieronymi loca fuisse ab hæreticis corrupta; sed nullum affert suæ assertionis fundamentum. Non desunt denique Theologi, ut Durandus, Dom. Soto, Alphonsus a Castro, Vasquezius, qui a Doctore maximo negatam fuisse concedunt Episcoporum supra Presbyteros eminentiam *Jure divino*, assertam autem jure humano, quo distinguunt S. Doctorem a veteribus, novisque Aerianis, qui omnem prælationem tollentes, perfectam inter utrumque ordinem paritatem constituunt.

188. Resp., non unam esse viam, qua Theologi allata S. Hieronymi verba cum Ecclesiæ nostræ dogmatibus conciliant. Sed *primo* omnes in eo conveniunt, mentem antiquorum Patrum, atque adeo Hieronymi, non ex uno, alteroque loco esse desumendam, sed ex tota doctrinæ serie, quæ in aliis locis reperitur. Jam vero S. Hieronymus plura tradit, ex quibus luce meridiana clarius apparet, ipsum agnovisse, jam ab Apostolorum tempore Episcopos fuisse Presbyteris gradu, & dignitate superiores. Nam Comment. in Michææ cap. VII. tres Ecclesiasticæ hierarchiæ ordines aperte distinguens, *Honoremus*, inquit, *Episcopum*, *Presbytero deferamus*, *assurgamus Diacono*; & in Dial. adv. Luciferianos, *Ecclesia*, inquit, *multis gradibus consistens*, *ad extremum Diaconis*, *Presbyteris*, *Episcopisque finitur*; ac demum in epist. CVIII. olim 86. ad Eustochium describens Paulæ pretiosam mortem, *Aderant*, inquit, *Jerosolymorum*, *&* *aliarum urbium Episcopi*, *&* *Sacerdotum inferioris gradus*, *ac Levitarum innumerabilis multitudo*. Hæc Hieronymi sæpius repetita doctrina potestne Presbyterianorum hæresi accommodari, cujus fundamentum est, nonnisi duos esse in Ecclesia Clericorum ordines?

189. *Præterea* Episcopos esse Presbyteris superiores frequenter affirmat, ut quando Epistolam suam CV. al. 92. ad Augustinum sic concludit: *Vale*, *mi amice carissime*, *ætate fili*, *dignitate parens*: & quando Episcopo Jerosolymit. subiratus ad Theophilum ita scribebat epist. LXXXII.: *Episcopi patres se sciant esse*, *non dominos*. Ulterius Presbyteros Episcopis subjectos esse præcipit, ita Nepotiano scribens epist. LII.: *Esto subjectus Pontifici tuo*, *&* *quasi animæ parentem suscipe*. *Quod Aaron*, *&* *filios ejus*, *hoc Episcopum*, *&* *Presbyteros esse noverimus*.

190. *Demum*; hanc Episcoporum supra Presbyteros prælationem ex *jure divino* descendentem agnovisse Hieronymum, inde manifeste apparet, quod non posterioribus temporibus ab Ecclesia, sed in primis nascentis religionis exordiis ab ipsis Apostolis fuisse Episcopos constitutos scribat, nempe Jacobum Jerosolymis in *Catal. viror. illustr.* cap. 2., Timotheum Ephesiis, Titum Cretæ, & Polycarpum Smyrnæ ibid. cap. 27.; & quod plus est in Ps. XLV. ab ipso Christo Episcopalem institutionem repetit, inquiens: *Constituit Christus* ... *in omnibus finibus mundi principes Ecclesiæ*, scilicet Episcopos; quam sententiam videtur Hieronymus ab Ignatio verbotenus exscripsisse in epist. ad Ephes. num. 3. scribente: *Episcopi secundum terræ terminos definiti Jesu Christi sententia sunt*. Et si hæc non sufficiant, attendantur ea, quæ laud. epist. ad Evangelum *ex apostolica traditione* scribit Hieronymus, *hoc esse Episcopos*, *Presbyteros*, *&* *Diaconos in Ecclesia*, quod in vet. test. Aaron, & filii ejus, & Levitæ fuerunt in Templo. Audebuntne adversarii hanc falsam opinionem tribuere Hieronymo, quod summum Pontificem, Sacerdotes, & Levitas putaverit esse institutionis humanæ, non divinæ? Neque igitur putavit &c. (*a*). His autem præmissis S. Hieronymi testimoniis, quæ ejusdem doctrinam receptissimo in Ecclesia dogmati omnino consentientem luculenter ostendunt, haud difficile erit ea explicare, quæ eidem videntur opponi, & a Presbyterianis objiciuntur; nisi fingere velimus, tantum Doctorem sibi ipsi contrarium esse, & pugnantia scripsisse.

191. Et quidem negari non debet, Hieronymum ad quorumdam Diaconorum proterviam retundendam, qui se Presbyteris æquare audebant, Presbyterorum dignitatem paulo plus quam par erat, extulisse, non ita tamen, ut prælationem & præeminentiam Episcoporum tolleret, quod vel ex eo maxime apparet, quod Episcopis solis jus ordinationis concesserit, qua possunt Presbyteros, atque etiam Episcopos creare. Eisdem etiam Episcopis solis in *Dialog. adv. Lucifer.* potestatem concedit Sacramentum confirmationis conferendi inquiens: *Baptizatum in Ecclesia nisi per manus Episcopi non accipere Spiritum Sanctum*.

192. Hoc itaque tantummodo voluit Hieronymus, in exordio Ecclesiæ nascentis amplam tributam fuisse Presbyteris auctoritatem ecclesiastica negotia communiter pertractandi (excepta tamen ordinatione); qua de causa etiam *Episcopi* *&* *Pastores* nominabantur, quin ab aliquo peculiari capite in Sacramentorum administratione penderent; sed cum inde quædam schismata orirentur, & fideles dicerent: *Ego sum Pauli*, *ego Apollo*, *ego autem Cephæ*, *quia unusquisque quos baptizaverat*, *suos putabat esse*, *in toto orbe decretum est*, (utique ab Apostolis, quorum tempore hoc schisma fuerat exortum) *ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris*, *ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret*, *&* *schismatum semina tollerentur*. Quæ S. Doctoris opinio verane undequaque sit, an forte ad aliquas tantum Ecclesias restringenda, non attinet modo examinare. Sed satis est, hac opinione ipsum motum fuisse, ut scriberet, inde natam fuisse necessitatem, unum de Presbyteris præponendi ceteris (*b*).

193.

(*a*) Observatum est a Petavio, aliisque summis viris, postremum hoc nostrum argumentum fuisse a Salmasio, seu personato Wallone Messalino, a Blondello, a Lud. Capello, aliisque Presbyterianis sine ulla solutione præteritum.

(*b*) Nugatur Blondellus, dum ab Hieronymo non vult, his verbis indigitatum fuisse schisma Corinthiacum, sed alia schismata posteriora ejusdem Hieronymi ætate exorta. Si enim verum esset Blondelli somnium, designari posset illud tempus, *quo in toto orbe decretum est*, *ut unus de Presbyteris electus præponeretur ceteris*; cujus decreti post tempora Apostolorum in toto orbe facti nec minimum est in tota antiquitate vestigium.

193. Videntur quidem huic explicationi obstare, quæ in Comment. epist. ad Titum S. Hieronymus addit: *Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores*. Sed hæc verba emollienda sunt ex iis, quæ ex Hieronymo ipso sup. n. 187. exscripsimus; ut nempe innuere voluerit, non expresso aliquo verbi scripti testimonio, sed magis *consuetudine Ecclesiæ*, seu ex traditione ab ipsis Apostolis orta factum esse, ut cura Ecclesiarum non amplius omnibus Presbyteris communiter competeret, sed Episcopis peculiariter reservaretur. Nisi sic explicentur laudata Hieronymi verba, iis conciliari non poterunt, quibus asserit, Jacobum fuisse ab Apostolis Jerosolymitanæ Ecclesiæ Episcopum constitutum, a Paulo autem Timotheum Ephesinæ, & Titum Cretensis, ac demum a Joanne Polycarpum Smyrnensis, & a Christo in omnibus finibus mundi *Principes constitutos*. Quem honoris titulum nunquam legimus ab Hieronymo Presbyteris tributum.

194. Pariter in sensu minus proprio accipiendum est exemplum Diaconorum, qui aliquem ex suo cœtu eligunt, & *Archidiaconum* vocant. Magis ad rem videtur aliud exemplum, quo ibidem S. Doctor utitur, scilicet exercitus, qui *Imperatorem facit*. Imperator enim gradu, & potestate militibus præest. De Presbyteris autem Alexandrinis, qui unum ex suo cœtu ad Patriarchalem dignitatem evehebant, dictum est supra num. 81., scilicet eum potuisse quidem ab illis Presbyteris eligi, non autem consecrari; nam ipse Hieronymus ibidem clarissime scribit, ordinationem esse Episcopo reservatam.

195. Dices. Aperte docet Hieronymus, & aliquoties repetit, *eosdem primis* illis temporibus fuisse Episcopos, & Presbyteros. Et Lib. I. adv. Jovinianum scribit, Episcopum, Presbyterum, Diaconum non esse *meritorum nomina, sed officiorum*.

196. Resp., fuisse eosdem societate nominis, non gradus, ac dignitatis; atque hanc esse Hieronymi mentem, manifeste colligitur ex toto contextu, ubi expendens Pauli salutationem *omnibus Sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconis*; inquit, *Paulum indifferenter de Episcopis, quasi Presbyteris locutum esse, quia Philippi una est urbs Macedoniæ, in una autem civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant*. Quid clarius, ut intelligamus, nonnisi unum fuisse Philippis Episcopum, plures autem Presbyteros, ab eo dignitate, & gradu distinctos; idque non posteriore humana institutione, sed ipsa Apostolorum ætate? Parum autem, immo nihil prorsus nos urget, quod ex Lib. adv. Jovin. allatum est: ibi enim nihil aliud sibi vult S. Doctor, quam nomina illa non significare, promotos ad illos gradus semper majoris esse meriti, quam non promotos; ut nempe responderet Vigilantio objicienti, quandoque ad istos gradus maritos promoveri, prætermissis virginibus; adeoque virginitatem non esse connubio præferendam.

197. Ceterum, quanquam omnes fere Theologi in purgando hoc maximo Ecclesiæ Doctore ab omni Arianæ labis suspicione operam non indiligentem impendere soleant, non inficiantur tamen, *primo* eum nimio adversus Falcidii, & quorumdam Diaconorum arrogantiam zelo abreptum, quædam protulisse, quæ ab historiæ sacræ veritate sunt aliena, ut cum Diaconos vocat *mensarum, ac viduarum ministros*; quasi ad aliud multo sublimius officium electi non fuerint, (vid. quæ diximus n. 58., & quæ habet Nat. Alexander Diss. VII. in sæc. I.). *Secundo*, admitti non posse, quod dicit nonnisi post schisma Corinthiacum captum fuisse consilium, Presbyteris anteponendi Episcopos, cum certissimis documentis constet, aucta credentium turba, illico fuisse ab Apostolis ordinatos Episcopos, qui Ecclesias fundarent, regerent, ac gubernarent. Annon communi consilio Apostoli Ecclesiæ Jerosolymitanæ Jacobum præfecerant? Annon Paulus Timotheum Ephesiorum Episcopum jam ordinaverat? &c. &c. *Denique*, quis *presse*, ac *litteraliter* accipiat ea Hieronymi verba; *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Ipse Hieronymus hæc sua verba non esse *presse* accipienda nos monet in *Dial. adv. Luciferianos*, dum illam memorandam, aureisque litteris scribendam protulit sententiam: „ Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate „ pendet; cui si non exsors quædam, & ab ho„ minibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia „ efficientur schismata, quot Sacerdotes. Inde ve„ nit, ut sine chrismate, & Episcopi jussione, „ neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant „ baptizandi “. Non ergo in sola ordinandi potestate Episcopi aliis Sacerdotibus præferendi sunt (*a*).

Quæ-

(*a*) De hoc gravissimo doctrinæ catholicæ capite præter communes Theologiæ Tractatores consuli possunt Dion Petavius in duobus Libris *De Episcopis, & eorum jurisdict. & dignit.* contra Claudii Salmasii Diss. *De fœnore trapezitico*; tum in quatuor libris *De eccles. hierarchia* contra eumdem Salmasium, qui sub larvato nomine Walloni Messalini se tegerat; Natal. Alexander Dissert. XLIX. in Sæc. IV., in qua κατὰ πόδας Blondellum insecutus, omnia ejus sophismata feliciter explosit; Lud. Thomassinus *De vet. & nova Eccl. Discipl.* Lib. I., Morinus *De sacris ordinat.* P. III., & eruditissimus P. Thom. M. Mamachius Tom. IV. *De origin., & Antiquit. Christ.* Multa etiam contra Puritanos scripserunt Angli Episcopales, præcipue Henr. Hammondus, Guill. Beveregius, Jac. Armachanus, & Jo. Pearsonius; quorum tamen opera non indigemus, cum hanc spartam scriptores nostri cumulate adornaverint. Omittere tamen nolumus votum Hugonis Grotii Calvinistæ ex Arminianorum secta, qui in *Adnotatis ad Consultationem* Cassandri art. 14. *Episcopi*, inquit, *sint Presbyterorum principes; illa siquidem præeminentia a Christo præmonstrata est in Petro, ab Apostolis vero, ubicumque fieri poterat, constituta, & a Spiritu Sancto comprobata &c.*

Quæres primo, an Episcopatus sit ordo a Presbyteratu distinctus?

198. Resp., hac de re inter Catholicos *problematice* disputari. Noster Angelicus in *Suppl.* qu. 40. art. 5. ita respondet: „ Ordo potest accipi dupliciter; uno modo secundum quod est Sacra„ mentum, & sic ordinatur omnis ordo ad Eu„ charistiæ Sacramentum. Unde cum Episcopus „ non habeat potestatem superiorem Sacerdote, „ quantum ad hoc Episcopatus non erit ordo. A„ lio modo potest considerari ordo, secundum quod „ est officium quoddam respectu quarumdam a„ ctionum sacrarum: & sic cum Episcopus habeat „ potestatem in actionibus hierarchicis respectu cor„ poris mystici supra Sacerdotem, Episcopatus e„ rit ordo ". Hæc eadem opinio fuit Magistri Sentent. Lib. IV. Dist. XXIV., tum Alberti magni, S. Bonaventuræ, aliorumque veterum Scholasticorum, quos Morinus Exercit. III. cap. 1. recenset. Eidemque opinioni adhærent ex recentioribus Dom. Soto in IV. Dist. XXV. qu. 1., Tostatus in cap. XVI. Matth. q. 74., Gabr. Vasquez Dist. 240. *De Ordine*. Hi omnes contendunt, Episcopatum non esse nisi characteris Sacerdotalis extensionem ad quædam officia exercenda Presbyterorum functionibus excellentiora; atque ita retinendam esse veterem consuetudinem *septem* duntaxat ordines enumerandi, non octo (*a*).

199. Oppositam opinionem, tamquam *probabiliorem* adoptavit Estius in IV. Dist. XXIV. §. 28.; eamdemque defendunt Caietanus Opusc. 11., Petrus Soto Lect. IV. *De sacr. Ordinibus*, ac præcipue Isaacius Habertus in Ἀρχιερατικῷ pag. 165., ubi post enumeratos aliquos Scholasticos sibi adversos: „ Pace, inquit, tot, ac tantorum Magi„ strorum, sicut locuti sunt Patres nostri, idest „ Ecclesiæ Patres, ita loqui velimus, Episcopo„ rum ordinem ab ordine Presbyterorum distin„ gui, ut unitatem ab unitate, fateri debemus, „ cum Episcoporum ordo primus, Presbyterorum „ ordo secundus, ordo Sacerdotum semper habi„ tus, ut appellatus sit ". Hanc sententiam operose defendit noster Ren. Hyac. Drouven *De re Sacram.* Tom. II. Lib. VIII. P. II. Sect. VI., aliique ex Schola Thomistica.

200. Eminentissimus Card. Vinc. Lud. Gotti Quæst. V. Dub. 2. mediam quasi viam ingressus, opposita Theologorum placita conciliari posse putavit; dicendo: „ Episcopatum, seu eminentiam „ Episcopi esse verum, & proprie dictum Sacra„ mentum, & verum ordinem ab ordine Presby„ teratus distinctum, non quidem adæquate, sed „ inadæquate, tamquam extensionem, perfectio„ nem, eminentiam, ac supremum gradum ordi„ nis Sacerdotalis ". Hanc suam sententiam esse menti S. Thomæ conformem colligit *primo* ex iis, quæ habet S. Doctor Lect. III. in cap. IV. epist. 1. ad Timoth., ubi dicit, impositionem manuum, quæ fit super Episcopum, *significare collationem gratiæ*; quod rursus asserit Lect. III. in cap. I. epist. 2. ad Timoth.; collatio autem gratiæ supponit verum Sacramentum. Præterea idem Angelicus in Opusc. XVIII. *De perfectione vitæ spirit.* cap. 24. „ Quod vero, inquit, quarto proponitur, „ quod Episcopatus non est ordo, hoc manifeste „ continet falsitatem, si absolute intelligatur. Ex„ presse enim dicit Dionysius, esse tres ordines „ ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet Episcoporum, „ Presbyterorum, & Diaconorum .... Habet enim „ ordinem Episcopus per comparationem ad cor„ pus Christi mysticum, quod est Ecclesia, su„ per quam principalem accipit curam, & quasi „ regalem .... Quod autem habeat aliquem ordi„ nem, & non jurisdictionem solam, sicut Archi„ diaconus, vel Curatus Presbyter, patet ex hoc, „ quod Episcopus potest multa facere, quæ non „ potest committere, sicut confirmare, ordinare, „ & consecrare Basilicas ... Quæ vero jurisdictio„ nis sunt, potest aliis committere. Idem etiam „ patet ex hoc, quod si Episcopus depositus resti„ tuatur, non iterum consecratur, tamquam pote„ state ordinis remanente, sicut & in aliis ordi„ nibus contingit ".

201. Præterea Episcopatum a Presbyteratu adæquate non distingui, vel ex eo solum manifestum fit, quod Episcopatus sine Presbyteratu susceptus irritus omnino sit; contra vero si Presbyteratus sine Diaconatu suscipiatur, validus est, nec repeti debet, sed solum Diaconatus suscipi; cujus hæc ratio est, quia unus ordo non continetur in alio, sed unus *adæquate* ab alio distinguitur: ergo ob rationem oppositam, quia ordo Episcopalis supponit, immo includit ordinem Presbyteratus, non potest sine illo suscipi (*a*).

Quæres secundo, quid proprie fuerint veteres Chorepiscopi?

202. Resp., vocem illam esse græcam, ex duabus compositam, nempe ex voce χώρος, quæ significat *locum*, *agrum*, *pagum*, *rus*, *provinciam*, ac *regionem*, & ex voce ἐπίσκοπος, sive du-

(*a*) Hanc esse genuinam S. Thomæ doctrinam, eamque verissimam inter alios ejusdem discipulos multis evincere conatus est noster Reym. Capisuccus S. R. E. Card. in *Controversiis* Romæ editis an. 1677. Controv. XXVIII., ubi 70. & amplius Theologos, & Canonistas pro eadem S. Thomæ sententia allegat. Vid. etiam doctissimus noster P. Bern. De Rubeis Dissert. XXVII. in S. Thomam cap. 4.

(*b*) Fuerunt quidem doctissimi scriptores, qui putarunt, etiam Diaconos aliquando fuisse consecratos Episcopos, quin ordinem presbyteratus susciperent, quia nempe ex plenitudine Sacerdotii, quæ in Episcopo [illegible] confertur, redundare credebatur potestas in corpus Christi verum, quæ in presbyteratu confertur. Sed hanc paucorum opinionem confutarunt [illegible] Christianus Lupus in Dissert. *De VIII. Synodo* gen. cap. 5., & Lud. Thomassinus *De vet. & nov. Eccl. Discipl.* P. II. Lib. I. cap. 8., ubi Theodorum [illegible] refellit, quod [illegible] Romanum Diaconum ad Episcopatum promoveret, omisso presbyteratus ordine.

dubio, quia Chorepiscopi in pagis extra urbes habitabant, ibique aliqua munia exercebant: unde in canonibus Arabicis a Turriano editis dicitur: *Chorepiscopus est loco Episcopi super villas, & monasteria, & Sacerdotes villarum, quæ sub potestate ejus sunt.* Eos a temporibus usque Apostolorum extitisse, scripsere quidam ex Protestantibus, sed falso; nulla enim eorum lem mentio invenitur ante sæc. IV., in cujus initio habita fuere duo Concilia, Ancyranum, & Neocæsariense, in quibus cœperunt nominari: post autem apud vetustos scriptores, maxime in Ecclesia orientali, eorumdem memoria sæpe occurrit.

203. Quæstio autem principalis est, an essent Episcopi, vel simplices Presbyteri? Natalis Alexander in Append. ad Dissert. XLIV. in sæc. IV. multis, gravibusque momentis probat, eosdem communiter Episcopos non fuisse; idemque omne *fere* Theologi Catholici sentiunt. Repugnant aliqui ex Protestantibus, ut Sam. Basnagius in *Annal. Eccl.* ad an. 341., quorum objectiones a laud. doctissimo Natali ubertim refutatas invenies. Ipsorum autem officia erant varia, sed talia, quæ a simplici etiam Presbytero exerceri possent, nempe regendi quasdam rurales Ecclesias eorum curæ commissas, easdemque propterea visitandi; peculiarem sollicitudinem pauperum habendi; ac denique ordines minores ex Episcopi licentia conferendi; non autem majores, nisi veri Episcopi essent, ut quosdam inter illos fuisse, verisimile est. Sic notum est Armentarium, qui cum Episcopus Ebrodunensis contra canones, illegitime, sed non invalide consecratus fuisset, ab Episcopali illa sede dejectus fuit, facultate tamen illi facta, ut in aliquibus pagis, ac minoribus urbibus more Chorepiscoporum degens, quibusdam Episcopalibus muniis fungeretur. De Chorepiscopis inter innumeros alios vid. Lud. Thomassinus *De nova, & vet. Discipl.* Lib. II. cap. 1. & seq.

Quæres *tertio, utrum sit in Ecclesia aliquis superior Episcopis?*

204. Respondet S. Thomas in *Supplem.* quæst. 40. art. 6. „ quod ubicumque sunt multa regi„ mina ordinata in unum, oportet, esse aliquid „ universale supra particularia regimina, quia in „ omnibus virtutibus, & actibus (*ut dicitur I. „ Ethic. cap.* 1.) est ordo secundum ordinem fi„ nium. Bonum autem commune est divinius, „ quam bonum speciale. Et ideo supra potesta„ tem regitivam, quæ conjectat bonum speciale, „ oportet esse potestatem regitivam universalem re„ spectu boni communis, alias non posset esse col„ ligatio ad unum. Et ideo cum tota Ecclesia sit „ unum corpus, oportet, si ista unitas debet con„ servari, quod sit aliqua potestas regitiva; & hæc „ est potestas Papæ ".

205. Item IV. *Cont. Gen.* cap. 76. postquam ostendisset, necessariam esse in Ecclesia Episcopalem potestatem, quæ ordinis Sacramentum dispenset, ita pergit: „ Manifestum est autem, quod „ quamvis populi distinguantur per diversas diœ„ ceses, & civitates, tamen sicut est una Eccle„ sia, ita oportet esse unum populum Christia„ num; sicut igitur in spirituali populo unius Ec„ clesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius „ populi caput; ita in toto populo Christiano re„ quiritur, quod unum sit totius Ecclesiæ caput. „ Item ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod o„ mnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea, „ quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri: „ per diversitatem autem sententiarum divideretur „ Ecclesia, nisi unitate per unius sententiam ser„ varetur: exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ con„ servandam, quod sit unus, qui toti Ecclesiæ „ præsit. Manifestum est autem, quod Christus „ Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dile„ xit, & pro ea sanguinem suum fudit, cum & „ de Synagoga dicatur per Dominum: *Quid ul„ tra debui facere vineæ meæ, & non feci?* „ Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatio„ ne Christi unus toti Ecclesiæ præsit (a) ".

DISSERTATIO IX

De Matrimonio.

Postremum Sacramentum numero ponitur matrimonium, quod uberrimam disserendi copiam præbet Theologis, cum Scholasticis, tum Moralistis, atque etiam Canonistis; immo vel ipsis juris naturæ studiosis. Nos vero brevitatem sectantes in iis præcipue tempus, operamque collocabimus, quæ vel ex Ecclesiæ definitionibus, vel ex communi Theologorum consensu certa sunt.

CAPUT I.

De nomine, & essentia Matrimonii.

1. Matrimonium, seu conjugium, quod Apostolus Hebr. XIII. 4. *honorabile in omnibus* esse vult, originem trahit ab ipsa hominis creatione Gen. II. 24. Variis nominibus donatum fuit apud Latinos, scilicet *conjugii*, *connubii*, *nuptiarum* &c. Primæ appellationis hanc etymologiam suppeditat S. Augustinus Lib. XIX. contra Faustum cap. 26., *quod non debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat*. Ob hanc rationem posset etiam *Patrimonium* dici; sed quia in conceptione, gestatione, partu, ac nutritione prolis partes præcipue matris sunt, propterea *matrimonium*, potius quam

pa-

(a) Tanta profecto est harum rationum vis, ut non pauci inter ipsos Protestantes necessitatem unius capitis agnoverint. Vide, quæ diximus Tom. I. P. II. Dissert. IV. n. 102., quibus adde, quæ de Melanchthone, aliisque pseudo-reformationis capitibus refert Bossuetus Lib. V. *Variat. Eccl. Protest.* n. 25. seq.

patrimonium dictum est (*a*). *Conjugium* autem aliqui dictum volunt, quod vir, & fœmina quasi communi quodam jugo inter se copulentur, sed Catechismus Rom. magis proprie *conjugium* appellari dicit a verbo *conjungere*. *Nuptias*, vel *connubium* appellari vult Ambrosius Lib. I. *De Abraham* cap. 9., quod puderis gratia puellæ olim velo se *obnuberent*. Sed hæc raptim, ad utiliora properantes.

2. Quantum ad rem ipsam, S. Thomas IV. *Cont. Gent.* cap. 78. observat, generationem humanam, propter quam matrimonium est institutum, ,, ad multa ordinari, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civitate, & etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit. Unde oportet, quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur. Inquantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem; & sic dicitur esse naturæ officium. Inquantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi civilis legis. Inquantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet, quod subjaceat regimini ecclesiastico ". Hinc non una datur matrimonii definitio.

3. Generaliter definiri potest cum Magistro sententiarum IV. Dist. XXVII. *Legitima viri, fœminæque conjunctio ad individuam vitæ consuetudinem retinendam divinitus instituta*. Quam definitionem, ut communi Theologorum sententia probatam adoptavit Catechismus Rom. num. 3. Monente autem Guill. Estio in IV. Dist. XXVII. §. 1., *conjunctionis* nomine non intelligitur ille actus, quo primum vir, & mulier per mutuum consensum verbis expressum conjunguntur, sed *obligatio*, *vinculum*, & *nexus ille mutuus*, qui ex consensu interno, & pactione externa inter virum, & mulierem resultat. Nam actus ille momentaneus est, & transitorius, matrimonium autem permanens. Vid. ibidem S. Thomas in quæst. 1. art. 1., ubi illam Magistri definitionem explicat in 3. quæstiunc. Si autem de matrimonio loquamur, prout est Ecclesiæ Sacramentum, optima erit illa definitio, quam tradit S. Thomas mox citatus Lib. IV. *Cont. Gent.*, quod sit *Sacramentum novæ legis, consistens in conjunctione maris, & fœminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare, & educare*. Aliæ ab aliis Theologis afferuntur definitiones, quæ tamen ab hac aut nihil, aut parum distant.

4. De prima matrimonii institutione sacros. Trid. Synodus Sess. XXIV. ita solum definivit: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit* (Gen. II. 23.): *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Scholastici postea varias excitarunt quæstiones, *primo*, an Deus *immediate*, & per seipsum instituerit matrimonium, quando nostris protoparentibus dixit: *Crescite, & multiplicamini*; aut in ipsa Evæ creatione, cum dixit: *Non est bonum hominem esse solum?* An vero a Deo tantum *mediate* matrimonium fuerit institutum, *immediate* autem ab ipso Adamo, quando ex divina inspiratione illa verba protulit: *Hoc nunc os ex ossibus meis &c.?* Sed alii fuerunt, qui non solum ad *jus divinum positivum*, sed ad *jus naturale* matrimonii institutionem referrent.

5. S. Thomas in *Supplem.* quæst. 41. art. 1. interrogationi, *an matrimonium sit de jure naturali*, ita respondet: ,, Aliquid dicitur esse naturale dupliciter; uno modo sicut ex principiis naturæ ex necessitate causatum, ut moveri sursum est naturale igni; & sic matrimonium non est naturale, nec aliquid eorum, quæ mediante libero arbitrio complentur. Alio modo dicitur naturale, ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur; sicut actus virtutum, vel virtutes dicuntur naturales; & hoc modo matrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter. Primo propter principalem ejus finem, qui est bonum prolis; non enim intendit natura solum generationem prolis, sed traductionem, & promotionem usque ad perfectum statum hominis, in quantum homo est, qui est virtutis status.... filius autem a patre educari, & instrui non posset, nisi determinatos, & certos parentes haberet; quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinata, quæ matrimonium facit. Secundo quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est mutuum obsequium sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dictat, ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus, quæ ad ipsam vitam pertinent, ratione cujus dicitur homo naturaliter politicus, ita etiam eorum, quibus indigetur ad humanam vitam, quædam opera sunt compe-

,, ten-

(*a*) Addunt alii hanc rationem, quod respectu prolis mater semper sit certa, non item pater; unde illud Diogenis puero, qui lapides in turbam hostium jaciebat, argute dictum: *Cohibe manum, ne forte lapis tuum feriat patrem*. De variis matrimonii nominibus videri possunt Paludanus in IV. Dist. XXVI. quæst. 1., aliique, potissimum autem S. Thomas in Dist. XXVII. quæst. 1. art. 1. ad 2. quæstiunc., ubi multiplicem hujus vocis etymologiam erudite recenset, & rationes addit, quare potius a matre, quam a patre *matrimonii* nomen desumatur. *Nubere* apud profanos scriptores potius de fœminis, quam de maribus dicebatur, ut etiam advertit Hieronymus in Matth. XXII.; sed in sacris litteris promiscue de utriusque aliquando usurpatum legimus in Matth. XIX. 19.

„ tentia viris, quædam mulieribus. Unde natura „ movet, ut sit quædam associatio viri ad mu- „ lierem, in qua est matrimonium". En quomodo ex Doctore Anglico matrimonium dici debeat *de jure naturæ*.

6. Sed matrimonium esse etiam ex institutione divina, declaravit Christus Dominus Matth. XIX. 4. seq. dicens Pharisæis: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos? Et dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Cum autem Adam nec patrem habuerit, nec matrem, manifestum est, ea verba, *Dimittet homo patrem, & matrem* perpetuam matrimonii institutionem significare, scilicet quale Deus esse voluerit matrimonii vinculum in Adami posteris.

7. Quærit postea in art. 2. quæst. 42., an matrimonium institutum fuerit ante, vel post peccatum? Et respondet, quod matrimonium, „ secun- „ dum quod ordinatur ad procreationem prolis, „ quæ erat necessaria, etiam peccato non existen- „ te, institutum fuit ante peccatum: secundum au- „ tem quod remedium præbet contra vulnus pec- „ cati, institutum fuit post peccatum tempore le- „ gis naturæ: secundum autem determinationem „ personarum institutionem habuit in lege Moy- „ si: sed secundum quod repræsentat mysterium „ conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, institutionem „ habuit in nova lege; & secundum hoc est Sa- „ cramentum novæ legis". Atque de hac sola institutione nos verba facturi sumus, ut contra heterodoxos evincamus, matrimonium fuisse a Christo Domino in nova lege ad veri Sacramenti dignitatem elevatum. Sit igitur

CAPUT II.

Ostenditur, matrimonium esse verum novæ legis Sacramentum (*a*).

8. Sunt aliqui, & quidem insignes Theologi, qui ad hoc dogma comprobandum nonnulla afferunt Sanctæ Scripturæ loca, quibus affirmari videtur, in matrimonio eam gratiam conferri, quæ ad veram Sacramenti rationem pertinet. Verumtamen, cum monente Guill. Estio, gravissimo sacr. litter. interprete, ea omnia, quæ afferuntur novi test. loca, *saltem aperte, & evidenter* non probent, matrimonii Sacramento gratiam conferri, ne longas ineamus disputationes, aliunde petemus hujus certissimæ veritatis demonstrationem, nempe ex veterum Patrum doctrina, & Ecclesiarum traditione.

9. Et *primo* aperta est quorumdam Sanctorum Patrum sententia, Jesum Christum, quando nuptiis in Cana Galilææ interfuit, & convivas stupendo miraculo conversionis aquæ in vinum lætificare dignatus est, Jo. II., nuptias sanctificasse. Ita docet S. Cyrillus Alex. Lib. II. in Jo. cap. 22. inquiens, *Christum sanctificasse conjugium, & gratiam nuptiis præparasse, ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur*; quorum similia ejusdem libri cap. 16. jam protulerat. Ita ante eum S. Ambrosius Epist. XLII. ad Siricium n. 3.; item Epiphanius Hær. LI., & LXVII. S. autem Augustinus Tract. IX. in Jo. *Per hoc ergo*, inquit, *Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, & ostenderetur Sacramentum nuptiarum*. Plura afferri possent ex antiquis Patribus eamdem veritatem confirmantia, usque ad S. Joann. Damascenum Lib. IV. *de fide orthod.* cap. 21.

10. Sed alia sunt etiam veterum Patrum testimonia, quæ probant, nuptias Christianorum esse *sacras*, quamquam non omnino exprimant esse Sacramenta. Et quidem ex Græcis S. Ignatius martyr in epist. ad Polycarpum ita scribit: *Decet, ut sponsi, & sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant, quæ nuptiæ sint secundum Dominum*; idest non profanæ, vel mere civiles, quales erant nuptiæ Gentilium. Justinus Martyr in Dial. cum Tryphone, *Connubia*, inquit, *Jacobi* (Patriarchæ) *rei per Christum perficiendæ figuram fuisse*, nempe matrimonii in lege Evangelica a Christo instituendi. Clemens Alexandr. Lib. III. *Pædagogi* mulieres reprehendit, quæ fictis capillitiis ornatæ ad accipiendam a Presbytero nuptialem benedictionem accedebant, inquiens: *Cui manum imponet Presbyter? Cui benedicit? Non mulieri, quæ est ornata, sed alienis capillis, & per ipsos alteri capiti*. Ac denique Basilius Magnus Lib. VII. *Hexaemeron*, *Jugum*, inquit, *per benedictionem impositum distantium fit conjunctio*. Et quanquam hæc testimonia non sint omnino clarissima, qualia Novatores importuni desiderarent, satis tamen innuunt, matrimonium priscis illis temporibus fuisse existimatum rem non profanam, sed sacram, adeoque nonnisi per benedictionem Sacerdotis esse fidelibus conferendam.

11. Haud dissimiliter locuti sunt Patres latini, quorum antiquissimus Tertullianus Lib. II. *ad uxo-*

(*a*) Negant id pervicaciter Protestantes post magistrum suum Lutherum in pestilenti libro *De captiv. Babylonica*. Aliquando tamen invenitur matrimonium Sacramenti nomine apud ipsos insignitum ut in *Apologia Confess. Witembergicæ*. Sed Jo. Gerhardus in *Locis theol.* Tom. XV. cap. 3. §. 14. nos monet, ibi *Sacramenti* nomen minus proprie sumi, ut ita suos contribules a manifesta contradictione absolvat. Calvinus Lib. IV. *Institut.* cap. 29., postquam alia Sacramenta exploserat, veniens ad matrimonium: *Postremum*, inquit, *est matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum, nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Et cui unquam sobrio in mentem venisset?* &c.

xorem cap. ult. *Unde*, inquit, *sufficiamus ad enarrandam felicitatem matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet?* Quæ verba cum significent, nuptias in solemni oblatione sacrificii a Sacerdote benedici consuevisse, haud obscure ostendunt, eas pro vero Sacramento fuisse habitas, ut bene Rigaltius ad hunc locum observat. Innocentius I. Epist. IX. ad Probum de bigamo ita scribit: „ Statuimus, fide „ catholica suffragante, illud esse conjugium, „ quod primitus erat divina gratia fundatum, con„ ventuurque secundæ mulieris, priore superstite, „ nullo pacto posse esse legitimum. " Sanctus Augustinus *De nuptiis, & concupiscentia* cap. 17. *In nuptiis*, ait, *bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum*. Et rursus, *In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri*. Ac denique S. Leo Papa epist. 167. al. 92. ad Rusticum Inquis. 4. hæc habet: *Cum societas nuptiarum ita ab initio* (nempe religionis) *constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur, nuptiale non fuisse mysterium* (*a*).

12. Porro si quis subtilis vitilitigator velit, in his, & similibus veterum testimoniis aliquam inveniri obscuritatem, hæc omnino tollitur per Ecclesiæ universæ traditionem. Ut enim in Dissert. I. num. 221. seq. authenticis monumentis Ecclesiæ Græcæ, aliarumque Communionum Orientalium ostensum est, omnes, quotquot Christiano nomine censentur, sive Catholici, sive hæretici, aut schismatici, in confitendo septenario Sacramentorum numero mire consentiunt; qui consensus nonnisi ex antiquissima traditione oriri potuit, quando scilicet totus orbis in religionis negotio unius labii erat (*b*). Quod si alicubi in hoc tam necessario dogmate fuisset innovatum, certe aliquod hujus innovationis vestigium appareret, quod frustra hactenus a Lutheranis, & Calvinistis quæsitum est.

13. Nec omittere volumus illam rationem, quam affert S. Thomas, IV. *Cont. Gent.* cap. 78., ubi postquam observasset, matrimonium, prout est *naturæ officium*, dirigi ab ipsa natura inclinante in hunc finem; „ inquantum vero ordinatur ad bo„ num politicum, subjacere ordinationi civilis le„ gis, ita pergit: In quantum autem ordinatur ad „ bonum Ecclesiæ, oportet, quod subjaceat regi„ mini ecclesiastico. Ea autem, quæ populo per „ ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta di„ cuntur. Matrimonium igitur, secundum quod „ consistit in conjunctione maris, & fœminæ, in„ tendentium prolem ad cultum Dei generare, & „ educare, est Ecclesiæ Sacramentum: unde & „ quædam benedictio nubentibus per ministros Ec„ clesiæ adhibetur .... Et quia Sacramenta effi„ ciunt, quod figurant, credendum est, quod nu„ bentibus per hoc Sacramentum gratia conferatur, „ per quam ad unionem Christi, & Ecclesiæ per„ tineant: quod eis maxime necessarium est, ut „ sic carnalibus, & terrenis intendant, quod a „ Christo, & Ecclesia non disjungantur. "

14. Optime proinde in Trident. Synodo Sess. XXIV. ita definitum est: „ Cum igitur matrimo„ nium in lege evangelica veteribus connubiis per „ Christum gratia præstet, merito inter novæ le„ gis Sacramenta annumerandum, sancti Patres „ nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ tradi„ tio semper docuerunt. Et can. 1. Si quis dixe„ rit, matrimonium non esse vere, & proprie u„ num ex septem legis evangelicæ Sacramentis a „ Christo Domino institutum, sed ab hominibus „ in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, „ anathema sit. " Quod antea ab Eugenio IV. in *Instruct. Armen.*, immo & multo prius a Lucio III. in Concilio Veronensi anno 1184., & ab Innocentio III. in Lateranensi ann. 1215., aliisque statutum jam fuerat, ut nihil novi a Patribus Tridentinis invectum sit, sicuti perperam blaterant hæretici.

15. Ob. *primo*. Ad veri Sacramenti rationem duo omnino requiruntur, scilicet divina institutio, & gratiæ collatio: neutrum autem in matrimonio invenitur. Non primum; nam ante Christum erat in lege Mosaica verum matrimonium; nec ullibi legitur, aliquid fuisse a Christo hac de re mutatum, ac multo minus de novo institutum; quod enim supra num. 9. dictum est de institutione facta in nuptiis Canæ Galilææ, nonnisi ab aliquibus Patribus, nec omnino aperte traditur. Ulterius nulla novæ institutionis, aut collationis hujus Sacramenti memoria in Actibus, aut epistolis Apostolorum, immo nec apud veteres Patres occurrit.

(*a*) Abstinuimus a verbis Siricii in epist. ad Himerium, quæ communiter afferri solent. *Illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit apud fideles, cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violatur*: abstinuimus, inquam, quia observante Petro Coustant, *obvius illorum sensus postulat, ut ea potius de prima desponsationis fide, qua etiam virginem conjugem vocari Patres ex Evangelio probant, intelligantur*.

(*b*) In resp. Jeremiæ Patr. Constantinop. ad Theologos Wittembergenses de matrimonio peculiariter dicebatur, *divinum Sacramentum esse, atque unum ex illis septem, quæ Christus, & Apostoli Ecclesiæ tradiderunt*; & in *Ortodoxa Confess. Cathol.* (cujus mentionem fecimus Dissert. I. num. 225. quæst. 113.) Quodnam sit sextum mysterium, seu Sacramentum? resp.: *Honorabile conjugium*, quod *sanciri* dicitur *per Sacerdotem*. Facile esset, alios Græcorum symbolicos libros allegare. Sed non est opus in re tam manifesta. Neque hac in parte audiendos esse aliquos Missionarios, aut minus peritos Theologos, qui a quibusdam Orientalibus Christianis matrimonium minime agnosci ut verum Sacramentum scripserunt, jam notavimus Dissert. I. n. 232. seq.

rit. Multo minus mentio habetur collationis gratiæ. Immo non defuerunt Scholastici, qui post Magistrum sententiarum, & aliquos Canonistas, atque etiam veterem Glossam cap. *Honorantur*, expresse docuerint, gratiam in matrimonio non conferri; sed illud fuisse tantummodo institutum *in remedium peccati*, scilicet ut actus conjugii esset licitus: quo fit, ut non potuerint *Sacramenti* nomen tribuere matrimonio, nisi in sensu minus proprio; atque eodem sensu improprio intelligenda esse concludunt Sanctorum Patrum testimonia a nobis allata.

16. Resp., nos minime asserere, matrimonium in se fuisse a Christo institutum, cum semper fuerit in lege naturæ, & in lege Mosaica; sed dicimus, *Sacramentum* matrimonii a Christo originem trahere; seu a Christo novæ legis conditore fuisse matrimonium ad *Sacramenti* dignitatem elevatum. Et quamvis certo determinari non possit tempus, & modus divinæ hujus Sacramenti institutionis, cum tamen constet, matrimonium in universa Ecclesia habitum fuisse ut verum novæ legis Sacramentum, dubitari minime potest, ipsum divinam habere institutionem; quod etiam diximus de Confirmatione, de extrema unctione, & de aliis, quorum expressa mentio in sacris litteris non habetur, & quæ a Christo tradita fuisse credit S. Leo Papa diebus illis, quibus Christus post suam resurrectionem sæpius apparens Discipulis, cum eis loquebatur de regno Dei. Vid. dicta Dissert. I. n. 289. Sed nos potiore jure provocamus Adversarios, ut nobis dicant, quandonam, qua occasione, & a quibus cœperit matrimonium in veris Sacramentis numerari? Cum autem ipsis aqua hæreat, nos semper ea utemur aurea S. Augustini regula Lib. V. *De Bapt. cont. Donat.* cap. 24.: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*. Apostoli autem Ecclesiæ tradiderunt, quod a Christo acceperant.

17. Neque necessarium fuit, ut scripto omnia mandarentur, quæ Apostoli, aut ab eis constituti Episcopi, & Presbyteri peregerunt. Sed ex iis, qui postea fideles communi consensu servarunt, possumus sine ullo erroris periculo ea colligere, quæ ab ipsis Apostolis originem trahunt. Cum igitur universim matrimonium fuerit habitum ut Sacramentum, consequenter etiam credi debuit, gratiam in hoc Sacramento, non minus, quam in aliis ex *opere operato* conferri.

18. Ad auctoritatem Magistri sentent. ita respondet Estius: „ Quamvis plerique sic eum intelli-
„ gant, quasi absolute neget, ad conferendam gra-
„ tiam valere hoc Sacramentum; quapropter ex
„ selectis ejus erroribus idipsum adnumerari so-
„ let; putant tamen alii, non hoc eum sensisse;
„ idque probant ex I. Distinct., ubi inter Sacra-
„ menta veteris, & novæ legis ita distinguit, quod
„ *hæc conferant gratiam*, non illa; ac Sacra-
„ mentum, ut septem novæ legis Sacramentis com-
„ mune est, definit *esse signum gratiæ*, *ejusdem-*
„ *que causam:* tum ex præsenti Distinct. XXVI.,
„ in qua sub finem dicit, conjugium esse *signum*
„ *spiritualis conjunctionis*, *&* *affectionis anima-*
„ *rum*, *qua inter se conjuges uniri debent*. In-
„ telligit autem Magister *signum efficax*, ut in
„ ceteris Christianæ religionis Sacramentis. Ad il-
„ lud autem, quod II. Distinct. dicit, *conjugium*
„ *esse in remedium tantum*, non improbabiliter
„ responderi potest ex S. Thoma eum locum ex-
„ plicante, quod ibi Magister loquatur *de princi-*
„ *pali fine*, *sive effectu Sacramenti matrimo-*
„ *nii*. Quamvis enim omnia Sacramenta & con-
„ tra peccatum valeant, & auxilium bene viven-
„ di præstent, recte tamen trifariam ita secun-
„ dum Magistrum dividuntur, ut quædam prin-
„ cipaliter instituta sint ad juvandum hominem
„ in bono, ut Confirmatio, Eucharistia, & Or-
„ do: quædam ad delenda, vel vitanda peccata,
„ ut Reconciliatio, Extrema unctio, & Matrimo-
„ nium; quædam ad utrumque effectum, ut Ba-
„ ptismus, quo & vetus homo moritur, & novus
„ nascitur ". Ita optimus iste Magistri commentator post S. Thom., qui in expositione textus Dist. II. „ Omnia, inquit, Sacramenta novæ legis sunt
„ in remedium, & gratiam conferunt... Et dicen-
„ dum, quod illa (Magistri) distinctio Sacra-
„ mentorum sumitur secundum id, ad quod prin-
„ cipaliter ordinantur. Quamvis ergo omnia Sa-
„ cramenta aliquo modo gratiam conferant, & in
„ remedium sint, quædam tamen principaliter
„ ordinata sunt in remedium contra aliquem spe-
„ cialem morbum, ut matrimonium contra con-
„ cupiscentiam."

19. Quod si aliqui Canonistæ, atque etiam Theologi ex prava Magistri sentent. intelligentia in errorem inducti sunt, a nobis deseri debent, sicuti deserendam esse Glossam pronunciat Estius loco laud. Quamquam vero isti ab errore gravi excusari nequeant, possunt tamen, & debent ab hæresis nota liberari, quia eo tempore hæc scripserunt, quo hujusmodi veritas nondum fuerat ut fidei dogma expresse definita (*a*).

(*a*) Dom. Soto in IV. Distinc. XXVI. quæst. 1. art. 3. Magistrum sententiarum benigne exponere conatur: at non ita se gerit cum Durando, qui in prima sui operis editione simpliciter negavit, matrimonium esse Sacramentum novæ legis; sed in posteriore editione, *quia de hac hæresi male audiebat, ut periculum sibi caveret, concessit quidem esse Sacramentum, sed tamen negando conferre gratiam; si id simpliciter negasset... sibi parum cavisset; & ideo solum dixit, non censeri hæreticum. Fallit tamen hoc ceu probabile sustinendo, &c.* Quidam alii præter Durandum hujus erroris accusantur, præcipue Canonistæ, qui verentes, ne propter contractus dotales, aliqua intercederet simonia, si matrimonium esset Sacramentum proprie di-

20. Inst. S. Thom. in *Supplem.* qu. 42. art. 3. dicit solum *probabilius* esse, gratiam in matrimonio conferri, atque id probat, non firmis argumentis a Scriptura sacra, vel Ecclesiæ traditione petitis, sed theologicis rationibus, quæ probabilitatis fines non excedunt. Melchior Canus, Lib. VIII. *De locis theol.* de Magistro Sentent., S. Thoma, Scoto, Bonaventura, Paludano, Durando, ceterisque Scholæ Theologis ita pronunciat: *Cum quærunt, an matrimonium conferat gratiam, id, quod eo loco maxime definiendum erat, non definiunt tamen, sed in his referunt, quæ in hominum opinione sunt posita:* non itaque certum olim erat apud Theologos, in matrimonio conferri gratiam, adeoque, &c.

21. Resp. S. Thomam dixisse id esse *probabilius*, quando hæc veritas nondum fuerat ab Ecclesia solemniter definita, & quidam erant, qui dissentiebant futilibus ducti rationibus, quas ibidem Angelicus refellit, inquiens: *Quidam dixerunt, quod matrimonium nullo modo est causa gratiæ, sed est tantum signum.* Quam opinionem refellit, *quia*, inquit, *secundum hoc in nullo abundaret a Sacramentis veteris legis: unde non esset aliqua ratio, quare Sacramentis novæ legis adnumeraretur.* Est firmissimum argumentum, ductum non ex probabilibus rationibus, sed ex Ecclesiæ doctrina, quæ matrimonium in Sacramentis novæ legis numerat. Postea refellit aliam opinionem, quod conferatur quidem gratia, sed tantummodo in ordine ad recessum a malo, quia excusatur actus a peccato, qui sine matrimonio culpabilis esset. *Sed hoc*, subdit Angelicus, *esset nimis parum, quia hoc etiam in veteri lege habuit.* Tertiam addit opinionem, quod matrimonium talem conferat gratiam, quæ facit recedere a malo, inquantum constringit concupiscentiam, ne extra bona matrimonii feratur, non autem eam gratiam, quæ sit aliquod auxilium ad bene operandum. Et hanc etiam opinionem explodit, *quia eadem gratia est, quæ impedit peccatum, & quæ ad bonum inclinat; sicut idem est calor, qui aufert frigus, & qui calefacit.*

22. Postea aliorum opinionem, quod matrimonium, *inquantum in fide Christi contrahitur, habet, ut conferat gratiam adjuvantem, ad illa operanda, quæ in matrimonio requiruntur*, ita efficaciter probat: *quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo convenienter uti possit facultate illa... Unde cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi uxore sua ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset; sicut etiam de potestate Ordinis supra dictum est q. 35. art. 1.*; & in resp. ad 1., & 2. ad hanc doctrinam confirmandam utitur exemplo baptismi. Quis autem suspicetur, Angelicum putasse, non omnino esse certum, sed solum *probabilius*, in duobus Sacramentis Ordinis, & Baptismi conferri gratiam *ex opere operato?* (*b*)

23. Inst. *secundo*. Si matrimonium gratiam conferret, nemo posset ab illo contrahendo prohiberi, ut modo prohibentur, qui in sacris Ordinibus sunt constituti; ita ut videatur unum Sacramentum cum altero pugnare, nec posse simul consistere. Prohibentur item Religiosi, & Sanctimoniales propter votum castitatis, quod votum judicatur esse nuptiis multo præstantius; at vero illud votum non est Sacramentum, nec gratiam confert Sacramentalem. Catholici igitur, qui matrimonium volunt esse Sacramentum, sibi ipsis adversantur, dum illi cælibatum præferunt.

24. Resp., quamvis cælibes non recipiant gratiam illam sacramentalem, quæ ad bona, & onera matrimonii, præcipue autem ad educationem prolis in vero Dei cultu, est necessaria, alias tamen, & majores gratias eos recipere posse, si ita continenter vivant, ut divinis servitiis unice occupentur, ut debent; unde Apostolus 1. Corinth. VII. 38. postquam & nuptias approbasset, & supra nuptias commendasset virginitatem, ita concludebat: *Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.* Hinc S. Thomas in *Supplem.* quæst. 41. art. 4. ad 2. *Homo*, inquit, *potest mereri & in minoribus bonis, & in majoribus; unde quando aliquis minora dimittit, ut majora faciat, laudandus est a minus meritorio actu discedens.*

25. His innixa principiis Ecclesia iis, qui ad perfectiorem vitam anhelant, & Dei servitio se totos mancipare volunt, præcipere potuit virginitatis votum, quocum usus matrimonii copulari nequit; ut ita a sollicitudinibus mundanis liberi unice divinis officiis vacent. *Qui sine uxore est*, inquit ibidem Paulus, *sollicitus est, quæ Domini sunt,*

quo-

etum, ad id negandum moti sunt. Erasmus etiam merito culpatur, quod in adnot. ad 1. Corinth. VII. nimis temere asseruerit, nullum esse locum apud Græcos, aut Latinos, unde liqueat, conjugium inter septem Sacramenta connumerari. Denique Cassander, vehementiori desiderio restituendæ pacis ecclesiasticæ, in celebri sua *Consultatione*, ut in quibusdam aliis, ita & in hoc puncto Novatoribus nimis condescendere visus est, cujus propterea libri Romanam censuram meruerunt.

(*b*) Dominicus Soto loc. cit. post allatam Concilii Florent. definitionem, quod Sacramenta novæ legis gratiam conferant, hæc subdit: *Profecto adeo urget hoc argumentum, ut si S. Thomas, & antiqui Patres hoc Concilium ætate attigissent, non tantum asseruissent, ut reor, esse hoc probabile, verum & esse catholicam.... Igitur illi, qui Concilium Florent. antecesserunt, non sunt hæresis damnandi, &c.* Ominabatur autem Soto, hunc errorem esse in Synodo Trident. damnandum, quod post ejus mortem reipsa factum est Sess. XXIV. can. 1. Obiit enim præstantissimus hic Ordinis nostri Theologus anno 1560., triennio antequam Sessio illa celebraretur.

quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu, &c. Ceterum cælibatus ex Ecclesiastica disciplina sacris Ordinibus adnexus fuit; quæ disciplina apud Græcos, etiam catholicos, non viget; unde nihil vetat, quin matrimonium cum statu clericali conjungi *absolute* queat. Addo demum, absurdum non videri, duo Sacramenta ex quibusdam causis simul conjungi non posse, sicuti absurdum non fuit, Apostolos se a ministerio mensarum abdicasse, quod certe sanctum erat, & pium, ut verbo Dei, & ministerio, & orationi instarent, Act. VI. 4.

26. Inst. *tertio*. Ex allatis Pauli verbis consequitur, a matrimonio potius impediri gratiam, quam conferri, cum homo distrahatur a servitio divino; unde etiam in parabola Lucæ XIV. 20. quidam invitatus a Domino ad nuptias se excusabat: *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.*

27. Resp., statum virginalem, quo homines a curis conjugalibus liberi se totos Deo devovent, esse certe perfectiorem statu conjugali; ex hoc tamen non offici, conjugium esse malum, aut gratiæ impedimentum; utrumque enim statum probat Apostolus mox laudatus. Sed hominum nequitia fieri utique potest, immo sæpius fit, ut qui ad cælibatum vocati sunt, & divinæ vocationi resistunt, uberiori gratiarum copiæ impedimentum ponant, qui propterea in allata parabola per illum designantur, qui ad regales nuptias venire recusavit, quia uxorem duxerat.

28. Inst. *quarto*. Ad verum Sacramentum novæ legis non solum requiritur divina institutio, sed etiam divinum mandatum, ut apparet in duobus veris Sacramentis Baptismi, & Eucharistiæ; atqui de matrimonio nullum profertur divinum mandatum: ergo, &c.

29. Resp., hoc divinum mandatum non esse necessarium ad rationem Sacramenti, ut patet in Sacramento Ordinis, immo etiam in Sacramento Eucharistiæ respectu parvulorum. Multo minus debebat singulis præceptum imponi hujus Sacramenti, cujus defectus suppleri potest per virginalem continentiam, quæ ab Apostolo, ut vidimus, matrimonio præfertur.

30. Ob. *secundo* cum Erasmo. Patres antiqui, & vetera Concilia, ante Constantiense, Florentinum, & Tridentinum, proximis sæculis habita, numquam *expresse* tradiderunt, matrimonium esse verum novæ legis Sacramentum; quod tamen fuisset admodum opportunum ad impias Tatiani, Encratitarum, Gnosticorum, ac Manichæorum hæreses præfocandas. Immo nec Jovinianus, qui pro matrimonio omnia, quæ potuit, argumenta congessit, unquam ausus est ipsum in Sacramentis numerare.

31. Resp., satis, superque hoc negativum argumentum ex positivis nostris monumentis esse refutatum. Quod vero Patres contra Manichæos, aliosque hæreticos nuptias condemnantes *expresse* non dixerint, conjugium esse verum, & proprium novæ legis Sacramentum, mirari non debemus, quia tunc hæc controversia mota non erat: solum enim illi hæretici nuptias ut malas condemnabant, unde satis erat, ipsis ostendere, nuptias esse bonas. Contra, Jovinianus in alium oppositum errorem lapsum, cælibatum ut perniciosum explodebat; & parum, aut nihil malæ ejus causæ proderat, objicere, matrimonium esse Sacramentum: hoc enim etiam admisso, & plane concesso, non consequebatur, nuptias omnibus esse præceptas, adeoque cælibatum esse vetitum; facile enim erat catholicis respondere, nuptias esse bonas, & commendabiles, iis tamen virginitatem esse secundum consilium Apostoli præferendam.

32. Obj. *tertio*. Nullum verum Sacramentum accipi potest ante baptisma, quod est Sacramentorum janua; atqui Innocentius III. in cap. *Gaudemus* de divortiis, declaravit, etiam infideles recipere *Sacramentum* matrimonii: ergo manifestum est, hoc nomen *Sacramenti* nonnisi *improprie* esse matrimonio a sanctis Patribus tributum. Sic S. Dionysius vulgo Areopagita in Lib. *De eccl. hier.* quatuor Sacramentis, Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Ordinis, quintum addidit *monasticæ consecrationis*, & sextum eorum, *quæ erga defunctos peragi solent;* quæ duo postrema nonnisi metaphorico sensu *Sacramenta* dici possunt.

33. Resp., matrimonium infidelium proculdubio non esse Sacramentum, atque Innocentium III. tantummodo definivisse, Infidelium matrimonium esse *verum*. En ejus verba: *Etsi matrimonium verum inter Infideles existat, non tamen est ratum: inter Fideles autem verum, & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum.* Quod si vel ab ipso; vel a quibusdam aliis nomen Sacramenti *improprie* fuisset adhibitum, non propterea sequitur, etiam ab aliis, & semper fuisse nomen *Sacramenti* latiore sensu usurpatum. Idemque respondeatur ad auctoritatem Dionysii, quæ tamen non admodum gravis est. Et sane si hæreticorum argumentatio valeret, posset quis cavillari, quod Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, & Ordo non sint vera Sacramenta, sicut alia duo non sunt.

34. Obj. *quarto*. Verum Sacramentum sicut ab Ecclesia institui nequit, ita nec abrogari potest; atqui postremum Concilium œcumenicum Sess. XXIV. cap. *de reform. matrim.* contractus matrimoniales sine Parocho, ac duobus, vel tribus testibus factos *irritos, ac nullos* declaravit, atque adeo Sacramentum matrimonii abrogavit, quia ante illud decretum matrimonia clandestina erant valida, & vera Sacramenta: ergo, &c.

35. Resp., nullatenus dici posse, eo Synodi Trident. decreto Sacramentum matrimonii fuisse a-

abrogatum, sed solum eos fuisse *inhabiles redditos ad contrahendum matrimonium*, qui aliter, quam præsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus illud contrahere attentant; nullo autem reddito contractu, Sacramentum etiam nullum fit, quod necessario, & de sua essentia contractum præsupponit, qui contractus a Christo Domino fuit ad Sacramenti rationem evectus, cum antea mere civilis, & politicus esset.

36. Obj. *quinto*. Multa sunt in matrimonio, quæ a sanctitate Sacramenti omnino abhorrent. Nam *primo* matrimonium secum importat copulam carnalem, quæ cum sine concupiscentia haberi nequeat, immunditiem, & turpitudinem quamdam involvit, Sacramento indignam. Atque hæc olim fuit Gratiani doctrina Quæst. II. in cap. *Institutum*, quem nonnulli alii secuti sunt, docentes scilicet, sine conjugii actu non esse matrimonii Sacramentum. Hac de causa duo Pontifices, Siricius, & Innocentius I. Clericis nuptias interdictas esse voluerunt, quia *qui serviunt sacris oblationibus, puri, & ab omni labe purgati esse debent*. *Secundo*, in matrimonio communiter paciscitur de dote; atqui tale pactum in Sacramento iniri non potest sine manifestæ simoniæ labe. *Tertio*, in matrimonio nulla exterior apparet religionis cæremonia, sed purus civilis contractus; benedictio enim Sacerdotis matrimonium jam factum consequitur, &, ut loquitur sanctus Thomas, non est nisi *quoddam Sacramentale*. *Quarto*, omne Sacramentum efficit, quod figurat; matrimonium autem significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, nec tamen eam efficit. *Denique* in omni Sacramento debet esse aliqua materia, aliqua forma, & aliquis minister; hæc autem tria in matrimonio assignari *certo* non possunt, cum de iis inter Theologos vigeant lites numquam definitæ, aut definiendæ.

37. Resp. ad *primum*, usum matrimonii non esse partem Sacramenti, cum sine illo non solum Sacramentum, sed verum conjugium esse possit: unde illud vulgatum S. Augustini ex Lib. II. *De Cons. Evangelist.*, *etiam servata pari consensu continentia posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu* (a). Addimus, per Sacramentum conferri gratiam, per quam usus matrimonii nedum licitus, sed etiam meritorius fit. *Si enim*, inquit Angelicus in *Supplem.* qu. II. art. 3., *ad actum matrimonialem virtus inducat, vel justitiæ, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius. Si autem moveat libido sistens intra bona matrimonii, ut scilicet nullo modo ad alia accedere vellet, est peccatum veniale. Si autem extra bona matrimonii efferatur, ut scilicet cum quacumque muliere idem facere proponeret, est peccatum mortale*. Sancti autem Pontifices, Siricius, & Innocentius cælibatum Clericis præceperunt, ut majore munditie, & sanctitate, dignius suis ecclesiasticis muniis fungerentur. Vid. sup. n. 25.

38. *Secundam* objectionem ita diluit Angelicus 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 6.; *Matrimonium non solum est Ecclesiæ Sacramentum, sed etiam naturæ officium; & ideo dare pecuniam pro matrimonio, inquantum est naturæ officium, licitum est: inquantum vero est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum; & ideo secundum jura* (Cap. *cum in Ecclesia* de Simonia) *prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur*. Sic etiam ibidem ad 2. dixerat, Sacerdotem licite accipere pecuniam, non quasi pretium Missæ, sed quasi *stipendium suæ sustentationis*.

39. Ad *tertium* dico, omnes illas cæremonias, quæ in matrimonio rite coram Ecclesia celebrato adhibentur, satis distinguere sacra fidelium conjugia a profanis conjugiis infidelium; unde, ut superius diximus n. 9. seq. sancti Patres Christianorum conjugia ut sacra semper habuerunt.

40. Ad *quartum* respondet Angelicus in *Supplem.* qu. 42. art. 1. ad 4., *quod unio Christi ad Ecclesiam non est res contenta in hoc Sacramento, sed res significata, & non contenta; & talem rem nullum Sacramentum efficit, sed habet aliam rem contentam, ac significatam, quam efficit*. Nimirum, ut postea explicat ad 5., actus exterius apparentes sunt *Sacramentum tantum; res, & Sacramentum est obligatio, quæ innascitur viri ad mulierem;* ac demum res ultima contenta in Sacramento est ejusdem effectus, scilicet gratia Sacramentalis. Unio autem Christi ad Ecclesiam est quidem significata per hoc Sacramentum, sed in ipso minime contenta.

41. Postremum non leves habet difficultates, quæ expendentur in seq. capite. Interim tamen objectioni respondemus, certum non tolli per incertum, nec quod clarum in se, & perspicuum est, atque ab Ecclesia definitum, negari posse, propter aliquas exortas inter Theologos controversias, quas Ecclesia indefinitas reliquit, permittens, unumquemque in suo sensu abundare. Matrimonium esse verum novæ legis Sacramentum, indubiis demonstratum est argumentis, atque ab Ecclesia definitum; & hoc ab omnibus Catholicis ut fidei nostræ dogma creditur: creditur insuper, in eo esse materiam, formam, & ministrum, quæ duo sunt ab Ecclesia definita: determinare autem, quæ sit ejusdem materia, quæ forma, & quis minister, eadem Ecclesia necessarium non judicavit. Id etiam in nonnullis aliis Sacramentis factum fuisse supra observatum est; quin tamen liceat de substantia dogmatis litem movere. Vid. Diss. IV. cap. 2., Diss. VII. cap. 2., & Diss. VIII. cap. 1. Interim tamen sit

CA-

(a) Hæc est omnium Theologorum sententia, & merito Gratianus culpatur, quod docuerit, matrimonium sine actu conjugii non esse Sacramentum.

CAPUT III.

De materia, forma, & ministro Sacramenti matrimonii.

42. Ex definitione Eugenii IV. in *Instruct. Armen.*, *omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Cum autem neque ab Eugenio, neque a Concilio Trid. aliquid circa hæc tria in Sacramento matrimonii determinatum fuerit, licuit Theologis in varias abire sententias, quarum nulla est ab Ecclesia improbata; & quas recensere nobis satis fuerit, quia nimis longum foret, & fortasse parum utile de iisdem justum, aut saltem valde probabile judicium ferre.

43. Et primo de Ministro controversia acerrima viget. Antiqui Scholastici communiter sentiebant, ipsos contrahentes esse hujus Sacramenti ministros. Hanc sententiam non solum omnes fere veteres Theologi tuebantur, sed etiam plerique juris Pontificii Interpretes, præcipue ante Concilium Tridentinum. Narrante enim illius Historiographo Card. Pallavicino Lib. XX. cap. 4., tunc primum disputari cœpit, an omnia Christianorum matrimonia essent Sacramenta: an vero illa solum, quibus Sacerdos benedictionem impertiebat? Primam sententiam omnes fere approbabant. Sed Simon Vigorius cum paucis quibusdam auctoritatem attulit Guillelmi, Parisiensis olim Episcopi, qui in suo Tract. *De Sacram. matrim.* cap. 9. rationem contractus a Sacramenti dignitate distinguebat; matrimonium autem sine Sacerdote celebratum valere dicebat ut contractum civilem, sed non esse Sacramentum: ad hoc enim requiri Sacerdotem, ut ministrum, qui contractum mere civilem sua benedictione elevet ad causandam gratiam *ex opere operato*.

44. Paucissimi veteres pro eadem sententia tunc allegari poterant; sed eorum numerus postea mirifice auctus est, præcipue postquam publicam lucem aspexit celeberrimum opus Melchioris Cani Canariensis Episcopi *De locis theologicis*, qui Lib. VIII. cap. 5. multis, gravibusque momentis sententiam Guillelmi illustravit, & confirmavit, quam propterea non pauci insignes Theologi, saltem ut probabiliorem, adoptarunt, inter quos ex Dominicanis recensentur P. Hyac. Serry in *Prologo galeato*, seu *Vindicationibus* ejusdem Cani cap. 7. (ubi longum aliorum Theologorum Cano suffragantium catalogum texit), Natalis Alexander in *Theol. dogmat. & mor.* Lib. II. art. 5. §. 2., & P. Ren. Hyac. Drouven *De re Sacram.* Lib. X. qu. 2.

45. Ex hac sententia manifeste sequitur, matrimonia clandestina, antequam a Concilio Trid. irrita, & nulla declararentur, fuisse quidem veros contractus civiles, nullatenus autem vera Sacramenta, quæ gratiam conferrent, scilicet propter defectum ministri. Reipsa Card. Pallavicinus Lib. XXIII. *Hist. Conc.* cap. 9. n. 13. aperte testatur, numquam Patres Trident. declarasse, matrimonia clandestina fuisse olim *vera Sacramenta*, sed solum *vera matrimonia*, propter civilem contractum, eumque indissolubilem. Alii tamen Theologi, ac præcipue Card. Bellarminus Lib. I. *De matrimonio* cap. 7., observantes, a Patribus Tridentinis illa clandestina matrimonia fuisse vocata *vera & rata* (nempe præteritis temporibus antequam abrogarentur) contenderunt, eadem etiam fuisse *vera Sacramenta*, quia matrimonia infidelium dicebantur quidem matrimonia *vera*, sed non *rata*. Vid. sup. n. 33.

46. Quidquid autem sit de hac re, certum videtur, hanc distinctionem contractus civilis a Sacramento in matrimoniis Christianorum, ita ut primus haberi possit sine secundo, ignotam fuisse nostro Angelico Doctori, nam in *Supplem.* qu. 45. art. 6. cum sibi objecisset, matrimonium perfici non posse in occulto absque Sacerdotali benedictione; sicut Sacramentum pœnitentiæ non perficitur, nisi mediantibus Ecclesiæ ministris; & insuper matrimonia clandestina esse ab Ecclesia prohibita; non respondet, hujusmodi matrimonia esse *vera*, quantum ad contractum civilem, *nulla* autem, quantum ad rationem Sacramenti, ut respondere solent adversæ sententiæ patroni. Sed discrimen afferens inter pœnitentiam, & matrimonium, inquit: *Actus noster in pœnitentia, quamvis sit de essentia Sacramenti, non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum Sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis, & ideo oportet, quod ad perfectionem Sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio; quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare; & ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quasi de essentia Sacramenti.* Et in resp. ad 4. dicit, prohibita esse matrimonia clandestina, *non quasi contra essentialem matrimonii existentiam, sicuti sunt prohibita matrimonia illegitimarum personarum, quæ sunt materia indebita huic Sacramento.* Sed hæc viderint alii. Nunc breviter de materia, & forma, de quibus pariter nihil habetur ab Ecclesia definitum.

47. Scholastici autem, inquit Melchior Canus loco sup. cit., *adeo sunt inconstantes, & varii, adeo incerti & ambigui, ut ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate, ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere.* Honor. Tournely novem plane enumerat, ac distinguit opiniones. Communior tamen, magisque probabilis eorum videtur sententia, qui cum Dom. Soto in IV. Dist. XXVI. q. 2. art.

art. 1., Bellarmino Lib. I. *De matrim.* cap. 5., aliisque non paucis docent, corpora contrahentium esse hujus Sacramenti materiam *remotam*; mutuum autem eorumdem consensum verbis, seu signis expressum esse materiam *proximam*, & simul etiam *formam*, sed sub diverso respectu: est enim *materia*, quatenus significat consensum datum; & est *forma*, prout significat consensus dati acceptationem.

48. Atque hæc videtur expressa S. Thomæ doctrina in *Supplem.* qu. 42. art. 4., ubi cum sibi opposuisset, quod actus contrahentium, *qui sunt materia in hoc Sacramento*, nec verba exprimentia consensum posse gratiam causare, respondet, *quod sicut aqua baptismi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem; ita actus exteriores, & verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum matrimonii; & hujusmodi nexus ex virtute divinæ institutionis dispositive operatur ad gratiam*. Et art. 1. ad 1. *Verba*, inquit, *quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale*. Atque in hac sententia contrahentes sunt *ministri* matrimonii, ipsorum consensus externe datus est *materia*; idemque consensus externe acceptatus est *forma*; ut illa tria habeantur, quæ Eugenius IV. una cum Ecclesia ad veram Sacramenti rationem necessaria esse docuit.

CAPUT IV.

De Matrimonii unitate in Lege Evangelica.

49. Concilium Tridentinum Sess. XXIV. postquam can. 1. definivit, matrimonium esse verum novæ legis Sacramentum, can. 2. anathema pronunciavit in eum, qui dixerit, *licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum*; quæ definitio contra Lutheranos facta fuit (a). Merito autem factam fuisse,

50. Prob. *primo* ex apertissimis Christi verbis Matth. XIX. 3. seq., ubi Pharisæis ipsum tentantibus, & interrogantibus: *Si licet homini dimittere uxorem quacumque ex causa*, respondit: *Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Idem repetit Marcus cap. X. His autem verbis aperte noster divinus Magister declaravit, primævam matrimonii institutionem non fuisse nisi unius cum una, nec unionem illam matrimonialem posse dissolvi. Similia habet Apostolus Rom. VII. & in 1. ad Cor. VII. 10. Hinc recte argumentabatur sapientissimus Innocentius III. cap. *Gaudemus* De divortiis; *Si ergo uxore dimissa duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta.*

51. Præterea diserta sunt veterum testimonia in hujus dogmatis confirmationem. S. Ambrosius Lib. II. *De Abraham* cap. 7. *Non licet tibi*, inquit, *uxore vivente, ducere aliam; nam & aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii.*

52. S. Augustinus Lib. II. *De adulterinis conjugiis* cap. 4. locum Apostoli Roman. VII. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi &c.* expendens, *Hæc verba Apostoli*, inquit, *toties repetita vera sunt, viva sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit.*

53. S. Innocentius Papa Augustino coævus in epist. III. ad Exuperium ex illis Christi verbis Matth. XIX. *Qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mæchatur &c.* colligit, *manifestum esse, eos, qui interveniente repudio, vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, alii se matrimonio copularunt, adulteros esse*; &, ut supra vidimus n. 11., quia conjugium, *quod primitus* (seu cum prima uxore) *erat gratia divina* (nempe per Sacramentum)

(a) Referente Episcopo Meldensi Bossueto Lib. VI. *Hist. variationum Ecclesiar. Protestantium*, & quidem ex authenticis monumentis, cum Philippus Hassiæ Landgravius, qui unus erat ex obstinatissimis pseudo-reformationis Lutheranæ protectoribus, sua conjuge minime contentus in perpetuo adulterio viveret, facultatem a Luthero, Melanchthone, aliisque primariis Sectæ Doctoribus petiit, ut alteram simul uxorem habere posset, sciens, ut ipse abjebat, Lutherum, ac Melanchthonem consuluisse Henrico VIII. Anglorum Regi, ut simul cum Catharina Regina aliam sibi uxorem copularet. Porro Lutherus, Melanchthon, Bucerus, cum nonnullis aliis novæ factionis primoribus, intemperanti Principi indulserunt, ut retenta Christiana legitima sua uxore nuptias iniret cum Margarita de Saal, dummodo tamen res secreta maneret, & Margaritam palam non pro uxore, sed pro concubina haberet; ut reipsa factum est, & nonnisi post Margravii obitum hoc mysterium iniquitatis patefactum fuit, non sine magno omnium scandalo. Hujus abominabilis doctrinæ semina jam sparserat Lutherus, præcipue in Comment. ad cap. XIX. Genes., ubi scripserat, prohibitum non esse veterum Patriarcharum exemplo plures habere uxores; *seque illam consuetudinem neque introducere velle, neque improbare posse*. Neque Lutherus hac in parte caruit discipulis, quos inter hi præcipue numerantur, Joan. Leyserus Rector olim Scholæ Fortensis pluribus editis opellis, sed variis nominibus larvatus, Laur. Begerus bibliothecæ Electoris Palatini præfectus, & Sam. Frid. Willenbergius Professor Gedanensis. Mitto primos Anabaptistas, quorum dux Joan. Bokolds, seu Leydensis, qui se Regem fecerat, tres simul uxores habuit; posteriores autem Anabaptistæ, vulgo Menonistæ, ab hac impietate resilierunt. Ab eadem ita procul abiit Calvinus, ut non dubitaverit, veteres Patriarchas condemnare, qui ex divina inspiratione plures simul uxores habuerunt.

tum) *fundatum*, declarat, *conventum secundæ mulieris, priore superstite, nullo modo posse esse legitimum*.

54. His, aliisque veterum Patrum testimoniis attentis Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 51. ita respondit: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit*. Cui responsioni consonant aliæ posteriores Roman. Pontificum decisiones, ut Innocentii III. cap. *Gaudemus* de divortiis, & Alexandri III. cap. *Licet*; & tandem Synodi Tridcnt. sup. n. 49.

55. Obj. *primo*. Apostolus 1. Tim. III. 2. dum vult, ut Episcopus sit *unius uxoris vir*, videtur supponere, fuisse tunc inter Christianos, qui more Judaico plures haberent uxores; atque hanc polygamiam fuisse toleratam. *Secundo*, S. Augustinus Lib. XXII. *Contra Faustum* cap. 47. *Peccata*, inquit, *alia sunt contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed generandi causa illis mulieribus utebatur: si morem, illo tempore, atque illis terris factitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur*. *Tertio*, Gregorius II. in epist. ad Bonifacium cuidam indulsit, ut propter suæ uxoris infirmitatem aliam duceret. *Quarto*, Socrates Lib. IV. *Hist*. cap. 31. testis est, Valentinianum Imperat. Christianum duas uxores Severam, & Justinam simul habuisse; & propterea legem tulisse, ut quilibet posset impune suum exemplum imitari. *Demum*, duo Augusti, Constantius, & Lotharius duas eodem tempore uxores habuisse dicuntur (*a*).

56. Resp. ad *primum*, ibi intelligi polygamiam non simultaneam, sed successivam, quemadmodum quando idem Paulus ibid. cap. V. 9. vult in Diaconissam eligi debere viduam *unius viri uxorem* certe non loquitur de polygamia simultanea, quæ nunquam in fœminis permissa, aut tolerata fuit (*b*).

57. Resp. *ad secundum*, satis ex contextu apparere, S. Augustinum locutum fuisse de ætate Patriarcharum, quibus ex divina dispensatione licuit ad generis humani multiplicationem plures habere uxores, quæ dispensatio in lege evangelica a Christo sublata fuit.

58. Ad *tertium* dico, illam Gregorii epistolam viris eruditis merito suspectam esse; immo a quibusdam ut falsam rejici. Alii probabilius credunt, Romanum Pontificem declarasse nullum primum matrimonium, propter talem uxoris ægritudinem quæ erat impedimentum dirimens, nempe ex perpetua impotentia; interim tamen præcepisse, ne priori uxori *subsidii opera subtraheret, quam infirmitas præpediebat* (*c*).

59. Ad *quartum*. Critici severiores Socrati omnem fidem denegant, quia alii omnes historici, tam Christiani, quam Ethnici, rem adeo singularem, non occultam, sed publicam nullo modo referunt, vel innuunt. Insuper ab Ammiano Marcellino scriptore ethnico, qui Valentiniani gestà accurate perscripsit, ob singularem pudicitiæ cultum commendatur idem Imperator. Valentinianus igitur primum Severæ nupsit, a qua filium Gratianum suscepit; eaque mortua duxit Justinam, quæ ei peperit Valentinianum juniorem. Socrati autem imprudenter subscripserunt Paulus Diaconus, Zonaras, Nicephorus, & pauci alii non admodum graves Scriptores. Adi-sis Baronium ad annum Christi 370., Henr. Valesium in not. ad hunc Socratis locum, Nat. Alexandrum in Sæc. IV. capit. ultim. art. 4. &c. &c.

60. *Postremum* facile diluitur, dicendo, hæc facta, & si quæ sunt alia hujusmodi, nullam vim habere ad labefactandam Salvatoris nostri legem, in tota Ecclesia Christiana, vel ab ipsis hæreticis, atque schismaticis constanter agnitam & servatam. Nicolaus I. Lotharii polygamiam condemnans, *Annon*, inquit, *districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus esse dignoscerit* (*d*)?

Quæres *primo*, *an polygamia simultanea juri naturæ repugnet?*

61. Resp., aliter loquendum esse de illa polyga-

(*a*) His exemplis causam evicisse putavit Jo. Leyserus Lutheranus in pessimo libello, cui hunc arrogantem titulum præfixit *Polygamia triumphatrix*. Multum quoque laboravit pro defensione polygamiæ simultaneæ infamis apostata Bernardinus Ochinus, quod Theod. Beza refutavit in Tract. *De polygamia*. Theologi quidam Protestantes ita polygamiam condemnarunt, ut tamen in quibusdam necessitatis casibus cum summis Imperatoribus dispensari possit. Ita Hieron. Bruknerus in *Decision. de matrim.* cap. 14. §. 61. seqq.

(*b*) Non placet Commentarius Cajetani in hunc loc. hoc dictum esse, *quia tunc temporis multi plures uxores habebant, imitantes Patres vet. test., cum nullibi legamus, hoc prohibitum*.

(*c*) Immerito Gratianus Caus. XXXII. q. 7. c. 18. *Quod proposuisti* hunc pontificem redarguit, quasi aliquid contrarium canonibus, doctrinæ Apostolorum, & Evangelio, Bonifacio Episcopo in sua responsione obtrusisset.

(*d*) Celebris est apud Protestantes bigamia Comitis a Gleichen, quæ ab eorum Theologis non solum tolerata, sed etiam probata fuit, teste Jo. Gerhardo Loc. XXVI. cap. 5. §. 226.; cum enim in captivitate apud Turcas detineretur, nullum alium evadendi modum invenit, nisi nubendi cum Saracenica fœmina; quam domum reversus una cum sua uxore semper retinuit: si vera narrat Mich. Siricius in suo Tract. inscripto *Uxor una*, in quo late de polygamia omnium nationum disserit; *ambæ uxores, miro exemplo, marito uni, in domo una, lecto uno, concordia suavi cohabitarunt*. In hujus bigamiæ monumentum extat Erfordiæ in æde D. Petri lapide incisa prædicti Comitis imago cum duabus suis uxoribus. Novum hoc est argumentum, Lutheranos non esse a polygamia omnino alienos; quidquid aliqui eorum in suis libris contra eam declament.

gamia, qua plures fœminæ uni uniuntur marito; aliter de illa, qua una mulier pluribus conjungitur viris, & *polyandria* dicitur. Hæc secunda procuddubio adversatur juri naturæ; tum quia hæc promiscua, & meretricia fœminarum cum viris commixtio adversatur primario fini matrimonii, qui est generatio prolis, quod Physici ratione, atque experientia demonstrant; tum quia, etiamsi filii nascerentur, incertus esset ipsorum pater. Hinc S. Augustinus in Lib. *De bono conjugali* cap. 17. *Duobus*, inquit, *seu pluribus maritis vivis nullam legimus servisse Sanctarum; plures autem fœminas uni viro legimus, cum gentis illius ætas sinebat, & temporis ratio suadebat; neque enim contra naturam nuptiarum est*; seu contra primarium matrimonii finem, qui est multiplicatio generis humani. Attamen hæc etiam polygamia virorum cum mulieribus jure divino positivo prohibita fuit, cum Deus dixit: *Erunt duo in carne una*. Et recte quidem, quia licet hæc polygamia non adversetur primario fini matrimonii, adversatur tamen fini secundario, qui est pax, & tranquillitas familiarum; quæ vix, ac ne vix quidem inter plures uxores, & filios ab ipsis natos servari posset. Vid. S. Thomas in *Supplem.* quæst. 65. art. 1.

Quæres secundo, *quid dicendum sit de veterum Patriarcharum polygamia?*

62. Resp. cum Nat. Alexandro Dissert. IV. in I. mundi ætatem, Lamechum *primum* commemorari, qui duas uxores acceperit, Gen. IV., cujus tamen exemplum nemo ex antediluvianis Patribus secutus est; quod colligitur etiam ex Gen. VII. 7., ubi dicitur, quod *ingressus est Noe, & filii ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo in arcam*; idest octo *animæ*, ut asserit Petrus 1. epist. III. 20.: non igitur plures erant uxores, quam viri. Hæc Lamechi polygamia communiter a sanctis Patribus improbatur. *Numerus matrimonii*, inquit Tertullianus *De exhortatione castitatis, a maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus tres in unam carnem effecit*. S. Hieronymus Lib. I. contra Jovinianum. *Una costa*, inquit, *a principio in unam uxorem versa est .... Primus Lamech sanguinarius, & homicida unam carnem in duas divisit uxores: fratricidium, & bigamiam eadem cataclysmi delevit pœna*.

63. Sed non ita dicendum est de postdiluvianis temporibus, in quibus polygamia nec a Prophetis, nec a Moyse unquam reprehensa legitur. Immo Moyses eamdem probasse visus est, dum Deuteron. XXI. 15. ita præcepit: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex ea liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ &c.* Communis opinio est, fuisse cum illis Dei revelatione dispensatum, quamvis hujus dispensationis nullum in sacris litteris inveniatur monumentum. Unde Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divortiis inquiebat: *Nulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum*. Legendus S. Thomas in *Supplem.* quæst. 65. art. 2., ubi inter alia hæc habet: *Lex de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta ..... & ideo in hac a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam; quæ quidem principaliter Patribus sanctis facta est, & per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ &c.* In resp. autem ad 4. sapienter notat, id non posse trahi in exemplum in nova lege, quia *veniente Christo fuit tempus plenitudinis gratiæ Christi, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est. Et ideo non est eadem ratio dispensationis, quæ erat ante Christi adventum, quando cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur, & conservabatur*.

Quæres tertio, *quid dicendum sit de polygamia successiva?*

64. Resp., sine dubio illam licitam esse dicente Paulo 1. Corinth. VII. 39.: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat, tantum in Domino*. Eademque semper fuit sanct. Patrum doctrina, atque Ecclesiæ traditio.

65. Severa tamen aliquando erat cum bigamis, trigamis &c. antiqua disciplina, ut videri potest apud S. Basilium in epist. *Canonica* ad Amphilochium, & in quibusdam canonibus Conciliorum, Neocæsariensis, Ancyrani, & Laodiceni; duris enim pœnitentiis subdebantur, & insuper inhabiles ad sacros ordines suscipiendos reputabantur. Multoque severiores fuerunt hac in parte Græcorum Imperatorum leges. Nam Basilius cognomento Macedo sæc. IX. tertias nuptias *illicitas* declaravit, quartas vero plane *nullas* in *Novella*, quæ reperitur Lib. II. *Juris Orientalis*. Leo autem ejus filius, dictus *Sapiens* in Constitut. XC. declaravit, eos, *qui tertias nuptias contraxerint, pœnis ecclesiasticis esse subjiciendos*; quamvis observante Baronio ad an. 901. idem Legislator quartam duxerit uxorem. Hæc tamen disciplina nunquam eo pervenit, ut secundas, & tertias nuptias omnino reprobaret. Unde Hieronymus epist. CXXIII. ad Ageruchiam inquiebat; *Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minime; sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia bigamos? Absit; sed monogamos ad continentiam provocamus*.

Quæres quarto, *quid dicendum de concubinis, quæ commemorantur veterum Patriarcharum?*

66. Resp. cum Angelico in *Supplem.* quæst. 65. art. 5., nunquam licitum fuisse, *nec secundum se, nec ex dispensatione divina* habere concubinam matrimonio non junctam, quia hoc est contra prima præcepta legis naturæ, quæ dispensatio-

tionem non admittunt. „ Unde ubicumque legitur „ in vet. test., aliquos concubinas habuisse, quos „ necesse sit a peccato mortali excusari; oportet, „ eas esse matrimonio junctas; & tamen concu- „ binas dici, quia aliquid habebant de ratione u- „ xoris, & aliquid de ratione concubinæ. Secun- „ dum enim quod matrimonium ordinatur ad suum „ principalem finem, qui est bonum prolis, u- „ xor viro conjungitur indissolubili conjunctione... „ & circa hoc non est aliqua dispensatio. Sed „ quantum ad secundum finem, qui est dispen- „ satio familiæ, & communicatio operum, uxor „ conjungitur viro, ut socia. Et hoc deerat in „ his, quæ concubinæ nominabantur. In hoc e- „ nim poterat esse dispensatio, cum sit secunda- „ rius matrimonii finis. Et ex hac etiam parte „ habebant aliquid simile concubinis, ratione cu- „ jus concubinæ nominabantur."

CAPUT V.

De indissolubilitate matrimonii.

67. Matrimonium dupliciter solvi dicitur, *primo* omnino, quantum ad ipsum *vinculum*, ita ut possit uterque conjux ad alias nuptias transire; *secundo* quantum *ad thorum*, quando nulla amplius est obligatio reddendi debitum, manente tamen vinculo matrimoniali, quo uterque conjux a novis contrahendis nuptiis impeditur. *Præterea* observanda est communis distinctio inter matrimonium *ratum*, & matrimonium *consummatum*. *Primum* est, quod juxta leges præscriptas contrahitur, & nondum carnali copula consummatum est; *alterum*, cui corporum carnalis conjunctio accessit; & de hoc secundo potissimum quæstio est, an sit omnino indissolubile? Ita esse definivit Synodus Trid. Sess. XXIV. can. 5. & 7. (*a*), cujus definitionem tuebitur sequens

PROPOSITIO I.

Matrimonii vinculum, neque propter hæresim, neque propter molestam cohabitationem, neque propter affectatam absentiam dissolvi potest.

68. Prob. hæc veritas disertissimis Jesu Christi verbis Matth. XIX. 3. seqq. sup. n. 50. relatis; tum aliis similibus apud Marcum X. 12. & 13., ubi Discipulis de matrimonii firmitate interrogantibus dixit; *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Quod divini Magistri mandatum allegavit Apostolus 1. Corinth. VII. 10. dicens: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Et postea vers. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est:* & similia verba habet idem Apostolus Rom. VII. 2. & 3. Porro cum in hujusmodi locis nulla fiat exceptio, recte Patres Tridentini definierunt, nullam esse matrimonii dissolvendi causam.

69. Idemque ante illos docuerat S. Hieronymus in Epist. LV. Etenim interrogatus ab Amando, „ utrum mulier relicto viro adultero, & sodomi- „ ta, & alio per vim accepto, possit absque pœ- „ nitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc „ eo, quem prius reliquerat?" respondet Apostoli verbis Rom. VII. 1., & 1. Corinth. VII. 10., quæ ita commentatur: „ Omnes igitur causationes „ Apostolus amputans, apertissime definivit, vi- „ vente viro, adulteram esse mulierem, si alteri „ nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, „ matris persuasionem, patris auctoritatem, pro- „ pinquorum catervam &c. Quamdiu vivit vir, „ licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis „ omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc „ scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui „ alterum virum accipere non licet. Nec Aposto- „ lus hæc propria auctoritate decerint, sed Chri- „ sto in se loquente &c."

70. Hæc individua matrimonii firmitas apud fideles reperitur *potissimum* ex ratione Sacramenti, dicente S. Augustino in Lib. *De bono conjugali* cap. 24.: *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere.* Et Lib. I. *De nuptiis, & concupisc.* cap. 10. *Hujus*, inquit, proculdubio *Sacramenti res est, ut mas, & fæmina connubio copulati quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.*

PRO-

(*a*) Lutherani communiter docent, matrimonium legitime celebratum esse perpetuum, & indissolubile. Excipiunt tamen aliquos casus; *primo adulterium* propter verba Christi Domini Matth. XIX. 4. seqq.; *secundo malitiosam desertionem;* aut pertinacem debiti conjugalis denegationem, quam utramque adulterio æquivalere dicunt. Addunt alii asperos, durosque unius conjugis mores, quam sententiam in Consistoriis Lutheranorum prævalere compertum est, ut scilicet propter molestam conjugum cohabitationem matrimonii vinculum dissolvatur: Calvinistæ pariter post suum antesignanum docent, adulterii causa dissolvi matrimonii vinculum, adduntque etiam conjugis malitiosam discessionem, post unius anni absentiam. Græci nonnisi per adulterium posse vinculum matrimonii solvi, autumant. Erasmus ejusdem erroris accusatus fuit propter ea, quæ scripserat in not. 42. ad cap. VII. epist. 1. ad Corinth., & a Facultate Theol. Parisiensi anno 1526. condemnatus. Sed sui vindicias egit ingeniosissimus Desiderius, atque hac in parte suos hostes placasse visus est. Accusantur quoque tanquam Græcis adhærentes Cajetanus, Catharinus, ac potiore jure Launojus.

PROPOSITIO II.

Propter adulterium non solvitur matrimonii vinculum.

71. Prob. hæc propositio, quæ specialem videtur difficultatem involvere iisdem S. Pauli verbis, quæ supra allegavimus; nam præterquamquod ex seipsis nullam admittunt exceptionem, S. Augustinus eadem verba expendens, expresse excludit etiam casum adulterii. Ita enim inquit *De adulterinis conjugiis* Lib. II. cap. 4. *Hæc verba Apostoli &c.* Vid. sup. n. 52.; atque ita prosequitur. *Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur .... nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro: carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.* Augustino coævus Innocentius I. in epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, qui Apostolicam Petri sedem de nonnullis dubiis consuluerat, ita respondit: *De his .... qui interveniente repudio aliis se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est ..... & ideo omnes a communione fidelium abstinendos.* Et S. Hieronymus epist. LXXVII. ad Oceanum laudat Fabiolam, quod publicam pœnitentiam egerit, pro matrimonio contracto cum alio viro post priorem maritum propter adulterium repudiatum; *nec Evangelii rigorem noverat*, inquit Doctor maximus, *quo nubendi universa causatio, viventibus viris, fœminis amputatur.* Nihil disertius desiderari potest.

72. His latinis græcos Patres bene multos adjungere possemus, sed brevitatis gratia iis omissis, qui generaliter tantum pronunciant, non licere uxore vivente aliam ducere: nonnullos afferemus, qui neque per adulterium solvi vinculum matrimoniale aperte asserunt. Hermas in *Pastore* Lib. II. mandato 4. postquam ei Angelus præcepit, ut uxorem adulteram dimittat, *ne particeps fiat mœchationis ejus*, ita prosequitur. *Dimittat illam vir, & ipse per se maneat. Quod si dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, & ipse mœchatur.* S. Justinus in Apol. II. *Qui repudiatam*, inquit, *a viro, alteram duxerit, adulterium committit.* Athenagoras in sua *Legatione pro Christ.* secundas nuptias ut honestum adulterium habitas fuisse, asserit; quanto magis improbasset eas, quæ fiunt primo conjuge adhuc vivente? Subdit enim: *Qui uxorem suam dimiserit, & aliam duxerit, adulteratur*, inquit *Dominus noster*, nempe non honestum, sed verum adulterium committit. Clemens Alexandr. Lib. II. *Stromatum. Qui autem*, ait, *dimissam accipit uxorem, mœchatur eam ...... non solum autem qui dimisit, est ejus causa, sed etiam qui eam suscepit, præbens mulieri peccandi occasionem.* Ac denique Chrysostomus Hom. XVII. in Matth. sine dubio affirmat, *mulierem expulsam remanere semper uxorem ejus, a quo expulsa est.* Plura ex græcis Patribus dare poterit Petrus Arcudius Lib. VII. *Concordiæ* cap. 13.

73. His, aliisque sanctorum Partum testimoniis instructus S. Thomas in *Supplem.* quæst. 62. art. 5. „ Nihil, inquit, adveniens supra matrimonium „ potest ipsum dissolvere. Et ideo adulterium non „ facit, quin sit verum matrimonium .... Et ideo „ non licet uni, altero vivente, ad aliam copu„ lam transire. " Hinc Concilium Trid. Sess. XXIV. can. 7. ita definivit: „ Si quis dixerit, Ecclesiam „ errare, cum docuit, & docet, juxta Evange„ lium, & Apostolicam doctrinam, propter adul„ terium alterius conjugum matrimonii vinculum „ non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam in„ nocentem, qui causam adulterio non dedit, non „ posse, altero conjuge vivente, aliud matrimo„ nium contrahere, mœcharique eum, qui dimis„ sa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ di„ misso adultero, alii nupserit, anathema sit. (a) "

74. His omnibus invictis momentis duplicem addamus rationem, ad eos convincendos, qui indissolubilis matrimonii legem nimis duram esse comminiscuntur. Prima est, quod si semel aperta fuerit hæc dissolvendorum conjugiorum via, facile male contenti conjuges, vel qui ad meliora vota adspirant, facile inquam tenerentur, ut occasionem adulterii odiosæ uxori suppeditarent, aut ipsi data opera hoc enorme crimen committerent; aut etiam per calumniam idipsum crimen conjugi innocenti impingerent. Hoc postremum advertit S. Hieronymus in cap. XIX. Matth. inquiens: „ Quia „ accidere poterit, ut aliquis calumniam faceret „ innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum „ veteri crimen impingeret, sic priorem dimitte„ re jubetur uxorem, ut secundam prima viven„ te non habeat. "

75. Huic rationi accedit altera, quod certo determinari non possit tempus, quo matrimonii vinculum propter unius conjugis adulterium solvatur. Nun-

(a) Legenda *Hist. Conc. Trid.* eminent. Card. Pallavicini Lib. XXII. cap. 4. ubi narratur, verba hujus canonis ita studiose fuisse composita, instantibus Reipubl. Venetæ Legatis, ne si aperte pronunciatum fuisset anathema contra asserentes, *matrimonii vinculum dissolvi per adulterium*, Græci, qui frequentes in Ditione Veneta commorabantur, ea definitione nimis conturbarentur. Observat tamen idem acutissimus Historiographus contra Sarpium, aliquod esse discrimen, quamvis admodum *subtile*, inter canonem prius præparatum, & eum, qui reipsa a Patribus consecratus fuit. Communiter autem docent Theologi, eo canone condemnatos fuisse Lutheranos, & Calvinistas, qui Rom. Ecclesiæ prorsum permittendi quidem propter adulterium divortium thori, & convictus, non autem vinculi matrimonialis dissolutionem, erroris, crudelitatis, atque etiam impietatis accusare imprudenter audebant: toleratos vero fuisse Græcos, qui propter adulterium omnino solvi matrimonium censent; dummodo tamen non auderent Ecclesiam aliter docentem erroris accusare.

Numquid enim hæc solutio fit illico post perpetratum crimen? Non: alias conjuges non possent simul cohabitare sine novo contractu matrimoniali; cum tamen sæpe contingat, aut propter ignorantiam facti, aut propter tolerantiam conjugis innocentis, matrimonia minime dissolvi. Numquid post datum repudium, factumque divortium? Minime: nam etiam tunc possunt conjuges reconciliari, quod manifeste innuit supra a nobis laudatus Apostolus 1. Corinth. VII. 10. seqq. præcipiens uxori, ut discedente marito maneat *innupta*, *nisi viro reconcilietur*. An primum matrimonium tunc dissolvitur, quando conjuges transeunt ad secundas nuptias? Nequaquam: prius enim necesse est, primi matrimonii vinculum esse solutum, ut alterum iniri queat. Melius itaque dicendum cum Ecclesia, matrimonium ratum, & consummatum posse quidem justis de causis dissolvi quantum ad separationem thori, ita ut neuter conjux alteri debitum reddere teneatur, non autem quantum ad vinculum, ita ut ambo possit ad novas nuptias transire. Nonnullas alias rationes affert Angelicus III. *Cont. Gent.* cap. 123. ad probandum, *matrimonium debere esse indivisibile*. Catechismus etiam Rom. n. 21. quasdam considerationes addit valde opportunas, ut ostendat, hanc conjugii indissolubilitatem esse admodum utilem.

76. Ob. *primo*. Repudium uxorum obtinuit apud omnes fere nationes, etiam cultissimas, ita ut non solum mariti uxores, sed etiam uxores possent maritos repudiare. Obtinuit quoque apud Hebræos, saltem ut viri possent uxores dimittere (*a*), ut constat ex lege Mosaica Deuteron. XXIV.; immo ante legem exemplum habemus in Patriarcha Abraham Gen. XXI., qui domo sua expulit Agar cum filio Ismael; cur ergo non obtinebit etiam apud Christianos, cum Christus non venerit legem solvere, sed adimplere?

77. Resp., nos minime sollicitos esse debere de legibus, ac moribus Ethnicorum, & absurdissimum foret ad ipsorum normam nostros mores, ac leges componere. Ethnici connubia considerabant tantummodo, ut officium politicum, quod proinde politicis legibus subdebant. Nos autem illud considerare debemus, etiam ut Ecclesiæ Sacramentum, ad quam sublimem dignitatem fuit a Christo evectum.

78. Quantum ad Hebræos, non omnino convenit inter Theologos, an repudium esset ita Mosaica lege probatum, ut mulier repudiata posset licite alteri nubere. Sunt enim non pauci, qui cum Magistro sententiarum Lib. IV. Distinct. XXXIII. id absolute negant, putantes, id solum a Moyse fuisse permissum propter duritiem cordis populi illius, ut impune, quamvis illicite, fieret. Audiatur S. Thomas in *Suppl.* quæst. 67. art. 3. „ Quidam dicunt, quod illi, qui sub lege uxorem „ dato libello repudii dimittebant, non excusabantur a peccato, quamvis excusarentur a pœna „ secundum legem infligenda; & propter hoc dicitur Moyses libellum repudii permisisse ... non „ quidem propter aliquod majus bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus uxoribus habendis, sed propter malum cohibendum, „ scilicet uxoricidium, ad quod Judæi proni erant propter corruptionem irascibilis: sicut & „ permissum est eis, extraneis fœnerari, propter „ corruptionem aliquam in concupiscibili, ne scilicet fratribus suis fœnerarentur; & sicut etiam „ propter corruptionem suspicionis in rationali fuit „ permissum sacrificium zelotypiæ, ne sola suspicio apud eos judicium corrumperet: " atque hanc sententiam communius sustineri dicit: ea autem posita, objectio sine difficultate eliditur (*b*).

79. Aliam tamen exponit Angelicus opinionem, ita pergens. *Sed quia lex vetus, quanquam gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat, ut peccatum ostenderet* (*ut communiter Sancti dicunt*), *ideo aliis videtur, quod si repudiando uxorem peccassent, hoc saltem eis per legem, aut Prophetas indicari debuisset:* Isaiæ LVIII. 1. Annuncia populo meo scelera eorum; *alias viderentur nimis esse neglecti, si ea, quæ necessaria sunt ad salutem, quæ non cognoscebant, nunquam eis nuntiata fuissent; quod non potest dici, cum justitia legis tempore suo observata vitam mereretur æternam. Et propter hoc dicunt, quod quamvis repudiare uxorem per se sit malum, tamen ex permissione divina licitum fiebat*. Hanc sententiam ut veram, & certissimam mor-

(*a*) Exempla quidem aliqua occurrunt fœminarum, quæ maritis libellum repudii dederunt, ut uxor Sampsonis, Judicum XIV.; sed hæc de filiabus Philistinorum erat; uxoris item Levitæ, Judicum XIX., quæ *reversa est in domum patris sui*; sed verum repudium illud non fuit. Ut enim ibidem subditur, Levita eamdem a patre recepit. Verum fœminæ a viro divortium potius fuisse videtur, quando Saul abstulit a Davide ejusdem uxorem Michol, eamque tradidit Phalti 1. Reg. XXV. 44.? attamen potius quadam violentia Saulis, quam per verum divortium Michol a Davide fuisse separatam ex eo liquet, quod mortuo Saule David uxorem suam postliminio repetiit. Omnibus itaque perpensis primum repudii exemplum dedit Salome Herodis magni soror, quando a Castobaro Idumææ, & Gazæ præfecto se separavit; ut Josephus narrat Lib. XV. *Antiqu. Judaic.* cap. 11. Hoc exemplum secuta est Herodias repudiato marito Philippo, contra quod repudium declamare nunquam cessavit S. Joannes Baptista. Postea corruptis Judæorum moribus non paucæ occurrunt mulieres, quæ propriis maritis repudii libellum dederunt.

(*b*) Bene observat Angelicus art. 4., juxta hanc sententiam, quæ admodum multis, & doctissimis Theologis placet, uxoribus repudiatis non licuisse alteri viro nubere, quia primum matrimonium semper vigebat, bene vero licuisse viris alias fœminas ducere, quia secundum dispensationem divinam iis licebat plures uxores simul habere.

mordicus propugnat Abulensis; alii vero bene multi; ut Bellarminus, saltem *ut probabiliorem*. Ea autem admissa, adhuc facillime objectio solvitur, dicendo, hanc repudii permissionem fuisse a Christo revocatam locis sup. num. 68. allegatis.

80. Dices. Aliqui Principes Christiani repudium permiserunt, ut Constantinus magnus, Justinianus, aliique. Immo Sæc. IX. has leges obtinuisse sub Carolo magno testatur Marculphus Lib. II. *Formularum* cap. 30.; non ergo repudii lex, quæ apud Ethnicos, atque Hebræos vigebat, fuit a Christo abrogata.

81. Respondeant huic argumento loco nostrum sancti Patres. Hieronymus epist. LXXVII. ad Oceanum, *Aliæ*, inquit, *sunt leges Cæsarum*, *aliæ Christi*. *Aliud Papinianus*, *aliud Paulus noster præcipit*. S. Ambrosius Lib. VIII. in cap. XVI. Lucæ num. 5. *Dimittis ergo*, inquit, *uxorem*, *quasi jure sine crimine*; *&* *putas*, *id tibi licere*; *quia lex humana non prohibet*. *Sed divina prohibet*. S. Augustinus Serm. 392. conjugatis dicebat: *Non vobis licet habere uxores*, *quarum priores mariti vivunt*; *nec vobis*, *fœminæ*, *habere viros licet*, *quorum priores uxores vivunt*: *adulterina sunt ista conjugia*, *non jure fori*, *sed jure cœli*. Et Lib. I. *De nuptiis*, *&* *concupisc.* cap. 10. eum, qui sua uxore relicta aliam duxerit, reum esse adulterii pronunciat, *non hujus sæculi*, *ubi interveniente repudio*, *sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia* ..... *sed lege Evangelii*. Fortius S. Jo. Chrysostomus locum Apostoli commentans 1. Corinth. VII. *Ne mihi*, inquit, *leges ab exteris conditas legas*, *præcipientes dari libellum repudii*, *&* *divelli*. *Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in illa*, *sed secundum eas*, *quas ipse statuit*. Et multa hujus generis ex sanctis Patribus præsto sunt, quibus ostenditur, nullas posse a sæculari potestate contra sacra Ecclesiæ dogmata leges condi; adeoque frustra laborare, qui una cum Launojo, aliisque paucis sacros. Trid. Synodi decretis de indissolubili matrimonii vinculo quasdam veterum Imperatorum leges opponunt. Bene autem observavit Angelicus in *Suppiem.* quæst. 61. art. 1. ad 1., *quod lex humana considerat matrimonium*, *solum inquantum est officium naturæ*; *sed lex divina*, *secundum quod est Sacramentum*, *ex quo habet omnimodam indissolubilitatem*.

82. Ob. *secundo*. Christus Dominus legem repudii, quæ apud Hebræos, atque etiam Ethnicos vigebat, non prorsus abstulit, sed solum restrinxit ad causam adulterii. Nam interrogantibus Pharisæis, an liceret homini dimittere uxorem *quacumque ex causa*, ita respondit Matth. XIX. 9.: *Quicumque dimiserit uxorem suam*, *nisi ob fornicationem*, *&* *aliam duxerit*, *mœchatur*. En, inquiunt, claram, apertamque exceptionem *fornicationis*, qua solvitur matrimonii vinculum. Idem dixerat Christus Matth. V. 32.

83. Resp.. Christum causa fornicationis solummodo permisisse divortium quantum ad thorum, non autem quantum ad vinculum; ita ut ejus verba ita coordinanda sint: *Quicumque dimiserit uxorem* (*quod non licet nisi propter fornicationem*), *&* *aliam duxerit*, *mœchatur*; ita ut possit quidem propter fornicationem dimitti uxor, quantum ad cohabitationem, sed alia tamen duci non possit. Neque vero arbitraria, aut contorta est hujusmodi explicatio. Nam *primo* subobscurum hunc Matthæi locum exponunt alii duo Evangelistæ, Marcus X. 11., & Lucas XVI. 18., qui hanc exceptionem non habent, quam certe non omisissent, si per fornicationem solvi vinculum connubiale exstimassent. *Secundo*, consideranda sunt verba Pauli 1. Corinth. VII. 10. quibus illa exceptio non solum reticetur, sed plane excluditur; inquit enim Apostolus non nomine suo, sed Domini (*Præcipio*, *non ego*, *sed Dominus*): *Mulier alligata est legi* (scilicet matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit*; quod falsum esset, si propter adulterium vivente adhuc marito non amplius alligaretur. Accedit Scripturæ interpres, Ecclesiæ traditio, quam supra num. 71. seqq. exposuimus.

84. Inst. *primo*. Si Christus dumtaxat thori separationem permisisset, sequeretur, hanc thalami separationem propter *solam* fornicationem fieri posse; cum tamen Ecclesia alias admittat hujus separationis legitimas causas. *Secundo*, Christus non respondisset Pharisæorum interrogationi, qui de totali uxoris dimissione quæstionem proposuerant.

85. Resp. ad *primum*, cum S. Augustino *De adult. conjugiis*. Lib. 11. c. 9. T. VI. Christum causam separationis conjugum omnium gravissimam allegasse, ad refrœnandam Judæorum licentiam, qui quacumque ex causa, etiam leviori, uxores dimittebant; non tamen propterea exclusisse alias causas graves, quæ occurrere poterant, & quas enumerare tunc opportunum non duxit. Credo, inquit S. Doctor quæstioni respondens, quia illud quod majus est hoc Dominus commemorare voluit. *Præterea* ut aliqui contendunt, sola fornicationis causa potest inter conjuges divortium fieri *perpetuum*; aliis autem de causis divortium non esse perpetuum, sed quousque conjux delinquens resipuerit.

86. Ad *secundum* dico, Christum interrogationi Pharisæorum plene satisfecisse; duo quippe ipsi quæsierunt, *primo*, an liceret uxorem dimittere quacumque ex causa? *Secundo*, an ea dimissa liceret alteram ducere? Primæ quæstioni respondet, non licere, nisi ex causa fornicationis (vel ex alia æque gravi), nempe quantum ad thorum: alteri autem respondet, *non licere*. Quod adeo verum est, ut Discipuli bene intelligentes sensum responsionis Dominicæ adjunxerint: *Si ita est causa hominis cum uxore*, *non expedit nubere*; quia videlicet nimis durum videbatur, se-

pa-

parari conjugem a thoro, nec tamen posse alteri nubere. Quid autem huic difficultati reposuit Christus? An fortasse respondit, facile esse alteram conjugem fideliorem quærere? Nihil minus; sed respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est ...... Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum;* nempe qui ab uxore separati gratia Dei continentiam servant.

87. Inst. *secundo*. Nullus tenetur ad perpetuam continentiam; sed conjux innocens separatus ab uxore propter ejusdem adulterium, si alteram ducere non potest, sine ullo suo crimine adigeretur ad perpetuam continentiam: ergo &c.

88. Respondet S. Thomas in *Supplem.* quæst. 62. art. 5. ad 1., *quod quamvis per se nullus obligetur ad continentiam, tamen per accidens potest esse, quod obligetur, sicut si uxor sua incurabilem ægritudinem incurrat, & talem, quæ carnalem copulam non patiatur: & similiter etiam est, si incorrigibiliter spirituali infirmitate, scilicet fornicatione, laboret*. Rationem autem hujus suæ doctrinæ Angelicus attulerat in corp. art. dicens: „ Nihil adveniens supra matrimonium potest ipsum dissolvere. Et ideo adulterium non facit, quin sit verum matrimonium. *Manet enim*, ut Augustinus dicit Lib. II. *De nuptiis; & concupisc.* cap. 10. *inter viventes conjugale vinculum, quod nec separatio, nec cum aliquo junctio potest auferre* (a)."

89. Ob. *tertio*. Non pauci, cum ex veteribus Patribus, tum ex recentioribus Theologis matrimonii vinculum alterius conjugis adulterio dissolvi, putarunt. *Primo* citatur Tertullianus, qui Lib. IV. *Cont. Marc.* cap. 34. hoc aperte videtur innuere, dum contendit, Christi verba apud Matt. eumdem sensum habere, ac verba Moysis Deuter. XXIV. ut scilicet Christus vestigia Moysis secutus sit, *tam in permittendo repudio, quam in prohibendo*. *Secundo*, Origenes Tom. II. in Matth. refert, aliquos Episcopos permisisse fœminæ repudiatæ alteri viro nubere. *Tertio*. S. Basilius in epist. can. ad Amphilochium cap. 9. inquit, *virum ab uxore dimissum venia dignum esse, si nubat cum altera; neque mulieri, quam ducit, tale connubium crimini esse vertendum*. *Quarto*, S. Epiphanius *Hær.* XXXIX., vel LIV., quæ est Catharorum num. 4. *Cum occasione aliqua stupri, adulteriique*, inquit, *aut alterius flagitii cum ea* (uxore sua) *divortium fecerit, is si alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum litterarum authoritas ab omni culpa illos absolvit, neque ab Ecclesia, aut æterna vita rejicit*. *Quinto*, idem docet Theodoretus Lib. IV. *Hæret. fabul.* cap. 6. *Sexto*, Lactantius Lib. VI. *Divin. Institut.* cap. 23. *adulterum esse dicit, qui præter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat*. *Demum*, S. Ambrosius Comment. in cap. VII. epist. 1. ad Corinth. docet, licitum esse viro, dimissa uxore adultera, aliam accipere, non autem licere adulteræ dimissæ novas nuptias inire. Propter hæc, & alia testimonia nonnulli Theologi, ut Cajetanus, Catharinus, Erasmus, ac Launojus non dubitarunt una cum Græcis asserere, matrimonium propter adulterium omnino dissolvi.

90. Resp., non deesse Theologos, qui ingenue fatentur, hæc, & nonnulla similia obscura testimonia haud facile posse cum Ecclesiæ dogmate de indissolubili matrimonii nexu conciliari; parcendum tamen esse iis veteribus, qui de hac difficillima controversia eo tempore scripserunt, quo illa nondum erat satis ventilata, & Ecclesiæ judicio definita. *In divinis sententiis*, inquiebat Augustinus *De fide, & operibus* cap. 19., *ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit; ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur*. Ita S. Doctor, qui tamen matrimonium per adulterium non solvi & sæpe, & luculenter testatus est sup. num. 71.

91. Dixi *obscura* esse allata *testimonia:* si enim Patrum illorum intimius examinetur doctrina, veritas nostri dogmatis magis elucescet. *Primo*, Tertullianus in loco objecto concedit, uxorem adulteram dimitti posse, sed ea conditione, ne alia ducatur. En ejus verba: „ Dico enim, illum (Christum) conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem: si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat. Qui dimiserit, inquit, uxorem, & aliam duxerit adulterium commisit, & qui a marito dimissam duxerit, æque adulter est." Quibus verbis Africanus Doctor manifeste indicat, Christum permisisse quidem divortium thalami, non autem solutionem matrimonii, & in hoc tantum secutum fuisse vestigia Moysis, non autem in repudio totali, quod Christus con-

(a) Laud. S. Augustinus, ut murmura incontinentium compesceret, *Quid*, inquiebat, *si aliquo diuturno, & insanabili morbo corporis teneatur conjux, quo concubitus impeditur? Quod si &c.* Atque hæc communis est Theologorum difficultatis istius solutio. Nihil autem audeo pronunciare de *nova* textus S. Matth. interpretatione, quam nuperrime vir clarissimus illustravit D. Lud. Nachi Abbas Camaldulensis, in sua egregia Dissert. *De indissolubilitate matrimonii*, Venetiis edita an. 1791. Contendit vir doctissimus, vexatum illum S. Matth. locum: *Quicumque dimiserit* &c. non esse referendum ad novam legem, quam de matrimonio ut Sacramento Christus laturus erat, sed ad legem Mosaicam, quæ eo tempore nondum erat abrogata, perversis tamen quorumdam interpretationibus depravata; ad quas removendas Christum declarasse, a Moyse non permitti repudium, *nisi fornicationis causa*, hanc vero exceptionem fuisse postea in nova lege sublatam, & matrimonium omnino indissolubile redditum, prout Marcus, Lucas, & Paulus disertissime affirmant. Nihil inquam de hac interpretatione pronunciare audeo, quia *nova* est; mirifice tamen ad confirmandum Ecclesiæ dogma de matrimonii indissolubilitate inservit.

concessum fuisse dicit a Moyse *propter duritiam cordis* Israelitarum.

92. Origenes eam quorumdam Ecclesiæ Rectorum permissionem refellit, tamquam Scripturæ contrariam, quæ dicit: *Mulier alligata est, quanto tempore vir ejus vivit:* & postea de iisdem Rectoribus subdit: *Hæc enim contra legem initio latam, & scriptam ad vitanda pejora, alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse, verisimile est.*

93. S. Basilius epist. 188. can. 9. *Consuetudo*, inquit, *etiam adulteros viros, & in fornicationibus versantes jubet a mulieribus retineri.* Et postea ostendens, nullam esse causam mulieri relinquendi maritum, ita concludit: *Quare, quæ reliquit, est adultera, si ad alium virum accessit.* Et epist. 200. can. 48. *Quæ a marito*, inquit, *relicta est, mea quidem sententia manere debet*, scilicet innupta. Non itaque contrariæ opinioni constanter adhæsit.

94. S. Epiphanium Dion. Petavius in *Animadvers.*, & nonnullos alios excusandos putat, qui ante definitionem Trid. Synodi scripserunt. Idem de Theodoreto dicatur. Et omnes norunt, paucorum doctrina nec constitui, nec tolli universalem Ecclesiæ traditionem.

95. Ad *sextum*, jam sæpius dictum est, Lactantium potius Tullianæ eloquentiæ, quam solidæ Theologiæ laude celebrari; ut proinde propter ejus auctoritatem ab aliorum solidiore, & vera doctrina recedere non debeamus. Nam Gelasius Papa in Concilio Romano Lactantii *Opuscula apocrypha* declaravit, quia in ipsis nonnulla minus orthodoxa inveniuntur. Et notum omnibus est judicium Hieronymi in epist. LVIII. ad Paulinum: *Utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.* Vid. *Censura* nostri Card. Jo. M. Brasichelli in Opera Lactantii.

96. De Ambrosiastro jam dictum est non semel, opus illud esse Ambrosio suppositum, & nullius apud Theologos ponderis. Aliter porro loquitur verus Ambrosius in Lib. I. *De Abraham* cap. 9., tum Lib. VIII. in Lucam, quibus in locis dissolutionem matrimonii a civlibus legibus permissam Jesu Christi auctoritate expresse condemnat.

97. Inst. *primo*. Pœnitentiale vetus Rom. Tit. III. *De fornicatione* cap. 20. mulieri, quæ a marito adacta fuerat ad adulterium perpetrandum, permittitur, *ut nubat, cui voluerit.*

98. Resp., permissionem factam uxori innocenti, ut nubat, intelligendam esse post mortem mariti, non autem marito vivente; cum e contra marito tanti criminis reo vetitum esset novam uxorem ducere, etiam post mortem primæ, utpote qui in perpetua pœnitentia vitam suam ducere debebat. Similis pœna incestuosis decreta erat in Concilio Vermeriensi can. 4., & in Triburiensi can. 44.

99. Inst. *secundo*. Synodus Arelatensis I. anno 314. celebrata can. 10. ita definit: *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt ...... & non prohibentur nubere, placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant:* non itaque vetitum iis erat nubere, sed solum consultum non nubere.

100. Resp., ita quidem canonem illum legi a Petavio loco mox cit. scilicet cum particula negativa *non prohibentur*, quia ipsi visus est locus corruptus. Verumtamen alii vetustis codicibus inhærentes canonem illum sine particula *non* exaratum volunt, ut nempe indicetur *prohibitio* nubendi, & postea addatur *consilium* hujusmodi legem exequendi, non obstantibus legibus quibusdam civilibus, quæ secundas nuptias permittebant, ob quas aliquibus hæc tota controversia admodum implexa tunc videbatur, ut supra n. 90. cum S. Augustino notavimus.

101. Porro sunt hac in re aliqui alii canones editi in quibusdam Conciliis provincialibus explicatu difficiles, ut ille Concilii Vermeriensis anno 753., quo viro *inevitabili necessitate* in aliam provinciam eunti, quem uxor sequi noluit, facultas datur alteram uxorem ducendi. Sed Nat. Alexander post allatas varias hujus canonis explicationes, non dubitat asserere, si obscuri illius canonis sensus fuerit, potuisse virum vivente sua uxore alteram ducere, *Concilium illud errasse* Hist. Eccl. Sæc. VIII. cap. 4. art. 5. Idemque eruditissimus auctor cap. 4. in Sæc. VII. art. 9. improbat *morem illum pessimum, & Evangelio repugnantem*, qui olim in Gallia obtinebat, ut mutuo consensu matrimonia dirimerentur; qua de re extat apud Marculphum Lib. II. cap. 30. formula repudii dari solita; additque laud. Natalis, Ecclesiam Gallicanam hujusmodi mores, aut leges nunquam approbasse.

Quæres, *primo*, *an matrimonium ratum, & non consummatum dissolvi possit?*

102. Resp., utique posse per ingressum alterius conjugis in aliquam approbatam Religionem, ita definiente Concilio Trid. Sess. XXIV. can. 6.: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Idipsum ante Concilium Trid. fuerat a nonnullis Pontificibus in suis Decretalibus constitutum, ac pluribus Sanctorum exemplis confirmatum, quorum aliqua videri possunt apud Estium in IV. Dist. XXVII. §. 4., & apud Bellarminum Lib. II. *De Monachis* cap. 38.

103. Hujus autem statuti hanc rationem affert S. Thomas in Suppl. qu. 61. art. 2., *quod ante carnalem copulam est inter conjuges tantum vinculum spirituale, sed postea est inter eos etiam vinculum carnale. Et ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis vinculum, quod est ante carnalem copulam, solvitur, quia religio est quædam mors spiritualis, qua aliquis sæculo moriens vivit Deo.* Alexander

der autem III. scribens Archiepiscopo Salernitano hanc aliam rationem attulit; *quia cum non fuerint una caro simul effecti* (per copulam carnalem), *satis potest unus ad Deum transire*, *& alter in sæculo remanere*.

104. Cum autem sibi objecisset Angelicus, in ipso consensu matrimoniali per verba de præsenti expresso unum conjugum in alterum potestatem sui corporis transferre, adeoque statim posse exigere debitum; cum, inquam, hoc sibi objecisset, ita respondet ad 2.: *Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus sub potestate alterius*, *sed sub conditione*, *nisi interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ convolet*. *Sed per carnalem copulam completur dicta translatio*, *quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis*. *Unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de præsenti*, *sed datur ei tempus duorum mensium* &c. Art. autem 3. ad 2. notat, conjugem ingredientem in Religionem non censeri mortuum sæculo, *quousque professionem emiserit*; & ideo usque ad tempus illud alter conjux matrimonium inire non potest.

105. Inutile autem reor, hic subtiliter disputare, qua auctoritate solvatur matrimonium ratum, & non consummatum per professionem monasticam. Nobis enim sufficere debet, quod hæc dissolutio semper ratihabita fuerit, ut innumeris constat exemplis; unde hic adhibendam censeo illam Augustinianam regulam, qua alias usi sumus Lib. VI. *De bapt*. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia*, *nec Conciliis institutum*, *sed semper retentum est*, *nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*.

106. Aliter vero judicat Angelicus Doctor de matrimonio non solum rato, sed etiam copula carnali consummato: de eo enim ita art. 1. resolvit: *Nullus potest facere oblationem Deo de alieno*: *unde cum per matrimonium consummatum jam sit corpus viri factum uxoris*, *non potest sine consensu ejus Deo ipsum offerre per continentiæ votum*.

Quæres *secundo*, *utrum matrimonium dissolvatur per alterius conjugis infidelitatem?*

107. Respondet S. Thomas in Supplem. quæst. 59. art. 3. „ quod cum inter infideles sit verum „ matrimonium, per hoc, quod alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipso vinculum „ matrimonii solvitur; sed aliquando vinculo matrimonii manente, solvitur matrimonium, quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem; „ in quo pari passu currunt infidelitas, & adulterium, quia utrumque est contra bonum prolis. Unde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita se „ habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea. Potest enim vir innocens libere manere cum adultera spe correctionis; non „ autem si in adulterii peccato fuerit obstinata, ne „ videatur patronus turpitudinis, quamvis etiam „ cum spe correctionis possit eam libere dimittere. Similiter fidelis conversus potest cum infideli commanere cum spe conversionis, si eam „ in infidelitate obstinatam non viderit; & bene „ facit commanendo, tamen non tenetur ".

Quæres *tertio*, *utrum conversus ad fidem*, *& a conjuge infideli desertus possit alias nuptias inire?*

108. Respondet S. Thomas cit. qu. 59. art. 4. „ quod quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate manente, distinguendum est: quia si infidelis vult cohabitare sine „ contumelia Creatoris, idest sine hoc, quod ad „ infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere, sed discedens non potest alteri nubere. „ Si autem infidelis non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, in verba blasphemiæ prorumpens, & nomen Christi audire nolens, tunc si „ ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis „ discedens potest alteri per matrimonium copulari. *Præterea idem S. Doctor Lect. III. in* 1. „ *ad Corinth. VII. explicans illa Apostoli verba*: Si infidelis discedit, discedat, hæc *habet*: „ superius ostendit, quod fidelis non debet dimittere infidelem cohabitare volentem; hic autem „ dicit, quod si non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum sequi, sed potest alteri nubere ... „ Dicit ergo, quod si infidelis discedit a fideli odio fidei, discedat, & potest fidelis, qui dimittitur, contrahere: primum enim matrimonium „ dissolubile erat, quia nunquam fuit ratum ".

109. Quod autem hic dicit, matrimonium infidelium esse dissolubile, quia *non est ratum*, ita S. Doctor explicaverat laud. art. 5. ad 1.: *Matrimonium infidelium est imperfectum* (art. 2.); *sed matrimonium fidelium est perfectum*, *& ita est firmius*. *Semper autem firmius vinculum solvit minus firmum*, *si sit ei contrarium*: *& ideo matrimonium*, *quod post in fide Christi contrahitur*, *solvit matrimonium*, *quod prius in infidelitate contractum fuerat*: *unde matrimonium infidelium non est omnino firmum*, *& ratum*, *sed ratificatur postmodum per fidem Christi*.

110. Angelici magistri nostri doctrina tota desumpta est ex doctissimo Pontifice Innocentio III. qui in cap. *Quanto* de divortiis hanc rem definivisse videtur his verbis: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur*, *altero vel nullo modo*, *vel non sine blasphemia divini nominis*, *vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum*, *ei cohabitare volente*, *qui relinquitur*, *ad secunda*, *si voluerit*, *vota transibit*; *& in hoc casu intelligimus*, *quod ait Apostolus*: *Si infidelis discedit*, *discedat*; *frater enim* (*vel soror*) *non est servitute subjectus in ejusmodi*. Cujus definitionis hanc reddit rationem, *quia etsi matrimonium verum inter infideles existat*, *non tamen est ratum*.

111.

111. His addo ea, quæ habet sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. Lib. VI. *De Synodo Dioeces.* cap. 4.: „Certum est, infidelium conjugium ex privilegio in fidei favorem a Christo „ Domino concesso, & per Apostolum Paulum 1. „ Corinth. VII. promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero in sua infidelitate obdurato cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc „ est non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine execratione sanctissimi nominis Christi, & christianæ religionis despicientia. Ex hoc vero fit, integrum non esse conjugi converso transire ad alia vota, priusquam „ infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit „ cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine „ Creatoris contumelia, uti colligitur ex celeberrima Decretali Innocentii III. &c." Vid. etiam Lib. XIII. cap. 21., ubi aliquos casus in hac materia enatos, & a summis Pontificibus Pio V., Gregorio XIII., & Paulo V. resolutos exponit. Atque hæc sententia communissima semper fuit apud Theologos, & Canonistas; immo ad praxim sæpe sæpius in Ecclesia redacta. Sed in hoc nostro sæculo aliqui conati sunt eadem convellere (*a*), quorum præcipua argumenta hæc sunt.

112. Primo opponunt omnia illa Matthæi, Marci, Lucæ, & Pauli loca, quibus nos probavimus, matrimonium esse indissolubile; cum enim in iis nulla ponatur exceptio, matrimonia infidelium non minus quam fidelium indissolubilia esse, contendunt. *Secundo* id corroborant auctoritate magni Augustini, qui Lib. I. *De adulterinis conjugiis* ad Pollentium cap. 25. inquit: *Propter quodlibet fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro, non licet alteri nubere, & dimissa uxore non licet alteram ducere, quoniam Dominus nulla exceptione facta dixit: si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur, & omnis, qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchatur.* *Tertio*, qui infideli converso facultatem faciunt transeundi ad secunda vota, non conveniunt inter se, quandonam prius matrimonium solvatur. Quidam enim dicunt, interpellato conjuge infideli, eoque aut non respondente, aut expresse denegante, matrimonium solvi. Alii sentiunt, tunc solum dirimi, quando conjux fidelis aliud matrimonium init: utraque autem sententia facile refutatur. Prima quidem, quia si postea conjux infidelis sententiam mutet, & baptizetur, matrimonium perseverat: non itaque diremptum jam erat. Altera etiam est falsa, quia *primo* debet matrimonium jam contractum dirimi, ut secundo locus sit, ut dictum est sup. n. 75.

113. Verumtamen objectæ difficultates evanescunt, si quantum ad primum consideremus, generales Scripturæ sacræ locutiones admittere exceptiones, dummodo illæ arbitrariæ non sint, sed gravibus fundamentis innixæ, cujusmodi est in casu nostro. Fundatur enim *primo* in iis Apostoli verbis: *Si infidelis discedit, discedat*, quæ a doctissimo Pontifice Innocentio III. ab Angelico Doctore, uno verbo ab omnibus Interpretibus, Theologis, & Canonistis, usque ad hæc nostra tempora de solutione vinculi matrimonialis intellecta fuere. *Secundo*, non obstantibus generalibus illis locutionibus, Ecclesia definivit, matrimonium ratum, & non consummatum monastica professione dissolvi. Vid. sup. n. 107. *Demum* Ecclesiæ consuetudo est optima legis interpres. Hanc autem Ecclesiæ consuetudinem solvendi matrimonia Neophytorum fuisse generalem, atque perpetuam, vel ex eo solum conjicere possumus, quod Adversarii nec ullum hactenus potuerunt afferre exemplum alicujus Ecclesiæ particularis, quæ hanc dissolutionem permittere recusaverit. Si his momentis addamus etiam universum Theologorum, aut Canonistarum chorum, annon exceptio a nobis data generalibus Evangelii, & S. Pauli verbis nedum probabilis, & probabilissima, sed plane certa videbitur? *Certum est*, inquit sapientissimus Benedictus (num. 111.); & ante eum Innocentius III. pariter doctissimus, S. Thomas scholarum Princeps, aliique

(*a*) Quidam Judæus nomine Borac Levi Haghenaviæ in Alsatia natus ad fidem conversus est, & baptizatus 10. Aprilis 1752. Post sæpius frustra invitatam suam uxorem *Mendelf. Serf.* ab Officiali Episcopatus Argentoratensis sententiam obtinuit, qua priore matrimonio soluto posset novum inire. Sed cum vellet cum Anna Theward copulari, istius Parochus eidem se opposuit, contendens, prius matrimonium non potuisse dissolvi. Re ad Consistorium Svessionense delata, Parochi recusatio ut legitima approbata fuit. Borac Levi a sententia Svessionensis Consistorii appellavit, tamquam *ab abusu* ad supremum Senatum Parisiensem, in quo causa mature discussa anno 1758. pronunciatum fuit, legitimum fuisse Svessionensis Consistorii judicium. Tunc vero plurimi libri editi fuerunt, & simul collecti de hac quæstione, *an Judæus in sua Religione uxoratus possit post baptismum novum matrimonium inire, relicta prima uxore cum eo habitare recusante*: quibus libellis epigraphe præfixa erat; *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, quasi Ecclesia nomine hominum, non autem numine Dei separaret. Atque ex eo tempore nonnulli Theologi, ac Canonistæ pro indissolubilitate matrimonii infidelium, etiam in casu nostro, acriter pugnare cœperunt, ac duo præcipue ex nostra Italia, quorum doctrinam, atque etiam ecclesiasticam dignitatem ego summopere veneror; ab iis tamen cum debita reverentia recedere cogor propter momenta superius allata, atque alia plura, quæ brevitatis gratia prætereo. Sequor etiam vestigia plurium recentium Theologorum, qui pro veteri, communique sententia strenue pugnarunt: inter quos eminuit doctissimus Augustinianus F. Maugis (quem in Lovaniensi Academia tunc Mag. Regentem olim novi) contra D. Le Plat sacr. can. in eadem Academia Professorem.

que Theologi de hac exceptione minime dubitarunt (*a*).

114. Hæc autem cum ita sint, quis credat, S. Augustinum, quem omnes isti ut suum Magistrum venerati sunt, in contraria fuisse sententia? Perperam autem nobis objiciuntur ea verba: *Propter quodlibet &c.* cum ibi tantummodo velit, matrimonium fidelis cum infideli propter infidelitatem non solvi; non autem ibi disputat de casu nostro, quando scilicet infidelis cohabitare cum fideli non vult, aut quando id non facit nisi cum contumelia Creatoris; unde conjux fidelis cogeretur, quanquam invitus, continentiam servare. Hunc casum non expendit S. Doctor eo in loco, quia illum Pollentius explicandum non proposuerat. Ceterum Gratianus, Van-Espen, aliique Canonistæ, ac Theologi de tanti Doctoris patrocinio gloriantur. Alii putant, controversiam intactam ab eo fuisse relictam, quod nobis pene certum videtur.

115. Postrema difficultas levissima est, cui si locus daretur, nihil fere certi in Theologia haberetur. Frequentissime enim Doctores in rei substantia conveniunt, in quibusdam circumstantiis dissident; quod etiam in firmissimis dogmatibus fidei haud raro contingit, ut in decursu hujus operis sæpius animadversum est. Benedictus XIV. Lib. VI. jam cit. *De Syn.* cap. 4. n. 4. secundam sententiam, ut probabiliorem, & communiorem, amplectitur; & cum an. 1727. Florentiæ quædam Judæa ad fidem conversa innupta permansisset, ipsius vero maritus in Judaismo pertinax aliam duxisset, ac postmodum una cum sua nova uxore ad baptismi gratiam fuisset perductus, a Sacra Congregatione Concilii ad primam uxorem, secunda dimissa, redire coactus fuit. Censuit igitur Sacra Congregatio, matrimonium primum nonnisi tunc dirimi, quando conjux fidelis novum contrahit. Neque aliquid valet objecta subtilitas; facile enim intelligitur, matrimonium infidelium *imperfectum*, nec *omnino firmum*, *&* *ratum* solvi per matrimonium fidelium, quod est *perfectum*, *& firmius*, ut Angelicus loquitur supra n. 109.

116. Quibusdam visum est intellectu difficile, quod matrimonium possit per infidelitatem solvi, cum non solvatur per adulterium, quod tamen magis opponitur matrimonio, quam infidelitas. Sed hanc difficultatem diluit S. Thomas ib. art. 6. ad 1. observando, *quod quamvis adulterium magis directe opponatur matrimonio, inquantum est in officium naturæ, quam infidelitas; tamen e contrario est, inquantum matrimonium est Sacramentum Ecclesiæ, ex quo habet perfectam firmitatem, inquantum significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesiæ; & ideo &c.*

CAPUT POSTR.

Asseritur, & vindicatur summa, & independens Ecclesiæ potestas statuendi impedimenta matrimonii dirimentia.

117. Notum omnibus est discrimen inter impedimenta duntaxat *impedientia*, & impedimenta *dirimentia*. *In matrimonio*, inquit S. Thomas in Supplem. qu. 50. art. un., *sunt quædam, quæ sunt de essentia matrimonii, & quædam, quæ sunt de solemnitate ejus, sicut & in aliis Sacramentis. Et quia remotis his, quæ sunt de solemnitate ejus, sicuti & in aliis Sacramentis, adhuc manet verum Sacramentum, ideo impedimenta, quæ contrariantur his, quæ sunt de solemnitate hujus Sacramenti, non efficiunt, quin sit verum matrimonium; & talia dicuntur impedire matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum, sicut prohibitio Ecclesiæ, & tempus feriatum; unde versus*

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum.
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Impedimenta autem, quæ contrariantur his, quæ sunt de essentia matrimonii, faciunt, ut non sit verum matrimonium; & ideo dicuntur non solum impedire contrahendum, sed dirimere jam contractum, quæ his versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Quæ omnia fuse explicat Angelicus in hoc, & seq. articulis.

118. Porro mirandum non est, Theologos Protestantes, qui matrimonium e numero Sacramentorum expungunt, denegare Ecclesiæ potestatem ponendi impedimenta dirimentia (*b*). Mirandum potius est, atque intime dolendum, inter eos ipsos, qui

(*a*) Novam illorum verborum: *Si infidelis discedit, discedat*, explicationem nobis dedit eruditus Gallus Descartes in sua Dissert. adnexa *Analysi* duorum lib. S. Augustini *De adulterinis conjugiis* 1765. in 12., contendens, ea verba non ad infideles conjugatos esse directa, sed ad liberos, ut proinde sensus sit, non debere fideles conjungi infidelibus, si ad religionem Christianam venire recusent; unde si volunt discedere, idest matrimonium non contrahere, discedant. Hanc suam novam interpretationem, & non levibus incommodis obnoxiam defendere nisus est in secunda suæ Dissert. editione, sed parum felici successu. Videri possunt *Réflexions en forme de Dissertation &c.* quæ adnexæ fuerunt duobus Libris S. Augustini ad Pollentium in gallicam linguam translatis; in quo opusculo (D. Pilè) omnia ea continentur, quæ contra veterem sententiam a novis Theologis poterunt inveniri.

(*b*) Lutherus non alia impedimenta matrimonii agnoscebat, quam quæ Levit. cap. XVIII. ab ipso Deo constituta fuerunt. De ceteris ita in *Lib. De captiv. Ba-*

qui catholicæ Ecclesiæ filios se esse gloriantur, aliquos inveniri, qui dirimentia matrimonii impedimenta non ab Ecclesia, sed a laica potestate pendere contendunt. Vel si nimia evidentia convicti fateri coguntur, Ecclesiam solam eadem impedimenta semper constituisse, atque in iisdem dispensasse, eo saltem confugiunt, ut fingant, hanc Ecclesiæ potestatem non ex divina Christi institutione, sed ex Principum concessione, ac liberalitate originem trahere (*a*); quem perniciosum errorem ut convellamus, sit

PROPOSITIO.

Ecclesia jure suo proprio ex Christi institutione potestatem habet ponendi impedimenta matrimonii dirimentia, atque in iis dispensandi.

119. Prob. *primo* invicte vel ex eo solo, quod fatentibus ipsis nostris adversariis, Ecclesia a primis usque temporibus in pacifica possessione fuit, leges de matrimonio ferendi, impedimenta statuendi, eademque pro necessitate, vel majore utilitate relaxandi. Id asserit tanquam indubitatum Bernard. Ziegerus Van Espen P. II. *Juris Eccles.* sect. 1. tit. 13. cap. 1. inquiens „ Constat, jam a pluribus sæculis, Ecclesiam, *& quidem privative, & cum exclusione Principum sæcularium*, impedimenta dirimentia inter Catholicos ordinasse, eaque pro temporum, & locorum circumstantiis nonnunquam extendisse, vel limitasse, aut etiam relaxasse; ac per consequens negari non potest, *quin Ecclesia hac potestate a primis sæculis pacifice usa fuerit* ". Atque ut suam assertionem magis confirmet, allegat Tract. Gerbaisi mox memoratum, in quo ostenditur, *hanc auctoritatem non accepisse Ecclesiam a Principibus sæcularibus, sed a Christo, eamque jure proprio a primis sæculis usque ad hæc tempora semper hac auctoritate usam fuisse*. Unde postea ita concludit: *Igitur filum traditionis insecuta Synodus Trid. recte anathema dixit in eum, qui dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis errasse*. Hactenus celebris iste Canonista Belga, cujus nomen omnibus iis percharum est, qui S. Apostolicam Sedem debita veneratione prosequi recusant (*b*).

120. Certe si Ecclesia precario tantum jure, atque ex Principum indulgentia hanc potestatem exercuisset, hujus concessionis aliquod extaret monumentum. Sæpius autem provocati Adversarii, ut

bel. bilem suam contra Rom. Ecclesiam evomebat: *Quid autem dicemus de impiis hominum legibus, quibus hoc vitæ genus (matrimonium) divinitus institutum, est irretitum, sursum, ac deorsum jactatum? Deus bone! horror est intendere in temeritatem Romanensium tyrannorum, adeo pro libidine sua dirimentium, rursus cogentium matrimonia*. Post autem monet, & rogat suos sacerdotes, & fratres, ut, *si viderint aliquod impedimentum, in quo Papa potest dispensare, & quod non est in Scriptura expressum, ea matrimonia confirment, quæ contra ecclesiasticas tyrannicas, vel Pontificias leges fuerunt constituta*. Lutherum secutus est Apostata M. Ant. de Dominis, & passim sequuntur Protestantes.

(*a*) Horum agmen ducit Jo. Launojus, vir quidem doctus, sed audacioris ingenii, qui opiniones paradoxas, parum tutas, & aliquando manifeste erroneas, libenter amplectebatur, & mordicus defendebat. Hic in damnato opere *De regia in matrimonium potestate* omne jus in matrimonium a sæculari Principum auctoritate derivabat, nulla alia Ecclesiæ relicta auctoritate, quam quæ ex Principum indulgentia, ac liberalitate illi concessa est. Impiis ejus conatibus illico restiterunt duo Doctores Sorbonici, Jac. Leulier editis *observationibus* super ipsius tractatum, in quibus malæ fidei in citandis Theologorum testimoniis, & veteribus monumentis eum aperte convincit (Lovanii 1678.), & Joann. Gerbais in *Tract. pacifico de potest. Ecclesiæ, & Principum supra imped. matrimonii* (Paris. 1693.) His duumviris accessit ex universit. Lovaniensi Jac. Clemens *Du pouvoir de l' Eglise sur les Mariages*. In Italia autem Launojum impugnavit Domin. Galesius Episc. Ruriensis in opere inscripto *Ecclesiastic. in Matrim. potestas*, Romæ 1678.; atque hæc scripta abunde tunc suffecerunt ad Launojani novitatem profligandam. Sed nostris turbulentissimis temporibus alii emerserunt ecclesiasticæ potestatis osores. Duos ego in Germania novi Launojani erroris patronos, scilicet Bened. Oberhauser in *Quæst. inaugurali de matrimonio*, tum in Lib. IV. *Decretal.*, ac in *Apologia Histor. Critica divisarum potestatum in legibus matrim.*; & Jos. Eybel in nonnullis suis opellis tam Latina, quam Germanica lingua exaratis. Hos secuti sunt aliqui Itali, quorum præcipua nomina sunt Petrus Tamburinus, Thomas Nestius, atque Aloysius Litta; qui tamen postremus Epist. 3. non omnem denegat Ecclesiæ circa impedimenta matrimonii potestatem, sed vult, ad ipsius exercitium concurrere etiam civilis Principatus consensum. Mitto alios vulgares libellos, qui suppresso auctorum nomine prodierunt, qui nec commemorari merentur.

(*b*) Sic habent omnes primæ editiones ipso Espenio vivente vulgatæ. Sed in Lovaniensi (Parisiensi) anni 1753. adjectum fuit (nescio unde erutum) cap. 2., quod his verbis concluditur: *Nequaquam dubitamus, quin Ecclesia habeat auctoritatem similia impedimenta* (dirimentia) *inducendi, prout per Concilium Trid. definitum est. Sed & hoc fatendum est, Concilium non definivisse, utrum ex Christi institutione, vel utrum ex Principum indulgentia tacita, vel expressa hæc auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiæ competat*. Quasi vero id definire opus fuisset, quod ante Launojum nemo catholicorum negabat. Majori securitate Synodus Pistoriensis anni 1786. Sess. V. hanc Principum indulgentiam, tanquam certam habens, ita statuit: „ Supposto pertanto un tale assenso, o connivenza (de' Sovrani) confessiamo, aver potuto la Chiesa stabilire giustamente degl' impedimenti dirimenti lo stesso contratto del Matrimonio, e non aver essa preso abbaglio veruno, attese le circostanze de' tempi nello stabilirli, come giustamente decise il Sacro Concilio di Trento contro i Novatori ". Oh præclaram Concilii Tridentini interpretationem!

ut tale nobis exhibeant monumentum, aut saltem designent tempus, occasionem, vel nomina Principum, quorum hanc insignem in Ecclesiam pietatem laudant; & ulterius edisserant, an omnes simul, eodemque tempore hoc privilegium Ecclesiæ concesserint, an unus post alium; & quinam hoc pietatis exemplum primi dederint, quinam postea secuti fuerint? Sæpius inquam ad hæc provocati, hactenus satisfacere non potuerunt; nec ulla spes affulget, ut aliquando satisfaciant (*a*).

121. Solent Adversarii confugere ad consensum Principum *tacitum*, quo permiserint, Ecclesiam uti hoc jure non suo. Sed neque istius consensus taciti ullum vel minimum habent indicium. *Ulterius* consensus hic tacitus supponit Ecclesiam aliquando hoc jus impediendi matrimonia, quod ad solos Principes spectabat, sibi usurpasse, Principum autem pietatem huic usurpationi non obstitisse. Et tunc iterum redeunt molestæ illæ interrogationes, quandonam hæc usurpatio facta fuerit? Sub quibus Principibus? An subito, & aperte, vel pedetentim, ac furtive? An in una tantum ditione, vel in toto orbe Christiano? *Tertio*, quis credat, omnes Principes fuisse suorum jurium adeo incuriosos, ut hanc usurpationem non adverterint? Adeo desides, vel pios, ut illi non obstiterint? Præcipue cum non pauci eorum fuerint Ecclesiæ infensissimi, eamdemque propriis juribus exspoliare sæpe tentaverint? *Quarto* ex historia Concilii Trid. scimus, omnes pene Principum Oratores enixe, & sæpius a Patribus postulasse, ut irrita declararentur matrimonia filiorum familias sine parentum, vel tutorum consensu contracta, Patres autem justis de causis id semper recusasse. Nonne opportuna tunc Principibus sese offerebat occasio jura sua postliminio revocandi, ac propria auctoritate id statuendi, quod frustra ab Ecclesia postulabant? Nec tamen id facere ausi sunt. Quod si aliqui Principes, ut in Gallia, eadem matrimonia irrita esse sanxerunt, postea declararunt, eadem esse irrita, quantum ad effectus civiles, non autem quantum ad contractum Sacramentalem (*b*). *Demum* ipsi Principes supremam hac in parte, & independentem Ecclesiæ potestatem confessi sunt, tum quando a Rom. Pontificibus dispensationem ab his impedimentis suppliciter petierunt, tum quando sua matrimonia sine hac dispensatione contracta auctoritate Ecclesiæ dissolvere coacti sunt; cujus utriusque rei innumera proferri possunt exempla (*c*).

122. Prob. *primo* nostra propositio ex eo, quod Ecclesia hanc exercuerit potestatem iis etiam dirissimis persecutionum temporibus, in quibus certe supponi non potest neque expressus, neque tacitus Principum consensus. Synodus Ancyrana an. 314. can. 2. raptus impedimentum constituit; & Concilium Neocæsariense eodem tempore celebratum can. 2. prohibet matrimonium inter affines. S. Basilius in sua prima epist. ad Amphilochium can. 6. 22., & 23. meminit impedimentorum voti, raptus, & affinitatis, quæ multo antea fuisse constituta indicat, subdens, *sanctiones istas a sanctis viris fuisse traditas*.

123. Temere autem, & sine ullo fundamento aliqui respondent, impedimenta antiquitus posita non fuisse *dirimentia*, sed *impedientia* tantum. Temere inquam: quis enim credat, impedimenta raptus, consanguinitatis, affinitatis, voti, & hujus generis alia, non fuisse nisi meras cæremonias, aut regulas, ad solam honestatem, non autem ad substantiam matrimonii pertinentes? Ulterius dicant, quandonam, & a quibus hæc impedimenta olim solum *impedientia* mutata sint in *dirimentia?* Et quamquam hæc Concilia non fuerint *œcumenica*, ubique tamen acceptata, & approbata, œcumenicorum vim, & auctoritatem acquisive-

(*a*) Solemne est Rom. Sedis osoribus in his rebus ad spurias Isidorianas Merces recurrere, ex quibus ortas esse blaterant omnes Romanor. Pontificum usurpationes. Sed hac in materia tale effugium est penitus interclusum, cum omnes probe norint, Ecclesiæ consuetudinem statuendi impedimenta matrimonii esse Isidoriana epocha multo vetustiorem, ut laud. supra Gerbesius per omnia retro sæcula ascendendo demonstravit. Præterea jamdiu fraudes Isidorianæ detectæ sunt. Cur ab illo tempore nemo unus ex tot Principibus contra usurpationem Ecclesiæ reclamavit? Et cur nemo unus Princeps suum impræscriptibile jus postliminio vindicavit, ut ipsorum assentatores vehementer cupiunt?

(*b*) Hujusmodi fuere edicta Henrici II. an. 1556., Henrici III. an. 1579., Henrici IV. an. 1606., Ludovici XIII. an. 1629. Ludovici XIV. an. 1697., quibus nulla, & irrita declarabantur matrimonia, quæ filii familias contrahunt invitis parentibus. Sed Jurisconsulti Galli, relati a D. Fevret in suo Tract. *De abusu* Lib. V. cap. 2. hujusmodi decreta intellexerunt, non quantum ad Sacramentum, sed quantum ad effectus civiles. Nam quantum ad Sacramentum Synodus Trid. Sess. XXIV. cap. 1. *de reform.* eos damnavit, *qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse*.

(*c*) Inter primas dispensationes numeratur illa solemnis, quæ nomine, & auctoritate Innocentii III. ann. 1209. in celebri Episcoporum, ac Germaniæ procerum conventu Herbipoli habito Othoni IV. facultas facta est, ut filiam Philippi Svevi suam consanguineam sibi matrimonio jungeret; idque *pro bono pacis*, addita tamen pœnitentia, *ut duas Congregationes Monachorum construeret*. Vid. Jos. Hartzheim T. III. *Concil. Germ.* p. 491. Antiquum pariter dissolutionis matrimonii inter consanguineos male contracti exemplum nobis suppeditat circa finem Sæc. X. Gregorius V., qui in Concilio Romano anno 998. irritum declaravit connubium Roberti Francorum Regis cum Berta sua consanguinea, suspensis etiam a sacra communione Archembaudo Archiepiscopo Turonensi, qui eas nuptias consecraverat, & aliis Episcopis, qui iisdem interfuerant. Id refert S. Petrus Damiani epist. V. Hæc duo exempla sint speciminis loco; nam multa alia similia præsto essent, si id necessaria brevitas pateretur.

verunt. Præterea dici debet, nihil aliud fuisse in his Conciliis decretum, quam quod ex Apostolica traditione ubique jam observabatur (*a*).

124. Sed contra Launojanos, qui se Catholicos profitentur, sufficere debent sacrosanctæ Trid. Synodi decreta, quorum infallibilem auctoritatem cum non audeant contemnere, verum saltem, germanumque sensum vanis interpretationibus eludere conantur. Sess. XXIV. can. 3. ita statuitur: „ Si quis dixerit (ut dicebat Lutherus), eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema sit. Et can. 4. „ Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit". Quid ad tam claras, & apertas definitiones?

125. Objicit *primo* Launojus, nomine Ecclesiæ a Patribus Trident. non fuisse significatum ordinem hierarchicum, qui ex Episcopis, summoque Pontifice constituitur, sed totum fidelium cœtum, in quo eminent Principes; sicut quando Sess. XXIV. cap. 1. *de reform.* edicitur, matrimonium esse celebrandum *in facie Ecclesiæ*, nomine Ecclesiæ non intelligitur, nisi cœtus fidelium. Sane (addit Launojus) cum Synodi scopus non alius fuerit, quam condemnare errorem Lutheri asserentis, nullam esse in Ecclesia potestatem statuendi matrimonii impedimenta, quam quæ a Deo ipso in Levitico constituta fuere, Patribus satis erat definire, an hæc potestas tantum ad Ordinem hierarchicum pertineret, an vero ad civilem Magistratum, de quo nulla erat cum hæreticis controversia: ut proinde nihil ex Tridentinis canonibus in rem nostram derivari possit. Id ex Spalatensi Apostata Launojus mutuatus est, ex Launojo autem exscripserunt novi Theologi regiæ potestatis assentatores.

126. Resp., quamvis Trident. Patres *expresse* non dixerint, nomine Ecclesiæ se non intelligere cœtum universorum fidelium, sed ordinem duntaxat hierarchicum, quia nedum exortis Launojanis interpretationibus, id dicere necessarium non erat, multis tamen argumentis apparere, nonnisi de Pastoribus sacris nomen *Ecclesiæ* ibi esse intelligendum. *Primo* enim quotiescumque sermo est de Ecclesia *docente*, *præcipiente*, *prohibente*, semper intelligitur hoc nomen de Episcoporum cœtu, ac potissimum de Romano Pontifice, quorum hæc munia sunt, non de fidelium congregatione, ad quam spectat Pastorum vocem audire, eorumque mandatis obtemperare. *Secundo* observandum est, non dici, esse in Ecclesia potestatem, quod fortasse æquivocum esse posset, cum etiam Principes sint in Ecclesia; sed *Ecclesiam posse*, *potuisse*, *non errare &c.*; quibus designari Ecclesiam *docentem*, *præcipientem*, ac *prohibentem*, cæcus est, qui non videat. Sic quando Christus Matth. XVIII. inquit: *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi &c.*, omnes intelligunt *Ecclesiæ Prælatos*, ut intellexit Chrysostomus in hunc locum. *Tertio* Scopus Patrum certe erat infandas Lutheri novitates condemnare: at vero Lutherus Roman. Pontificum jus ponendi impedimenta dirimentia, atque in iis dispensandi proterve impugnabat, ut vidimus ad n. 118., non vero de Principum potestate disputabat, quorum auctoritatem potius augere, quam decurtare homo vaferrimus studebat. *Ulterius* quam potestatem negaret Lutherus, satis aperte declarat, cum nominat *Pontificias, & Ecclesiasticas leges*, *temeritatem Romanensium tyrannorum &c.*; de potestate Principum nihil habet. *Demum*, si nomine Ecclesiæ hic veniret omnium fidelium cœtus, non video, quomodo jus ponendi, vel relaxandi impedimenta matrimonii posset ad solos Principes restringi, qui sunt quidem in cœtu fidelium, sed fidelium cœtum nec constituunt, nec repræsentant.

127. Inst. *primo*. Canones illi non sunt *dogmatici*, ut proinde iis refragari sine hæresis nota non liceat; sed sunt duntaxat *disciplinares*, quia eorumdem materia non ad fidem, quæ credenda proponit, sed ad disciplinam spectat, quæ actiones præcipit, vel prohibet. Neque refert *anathema* in iisdem canonibus comminatum; cum desint exempla similium anathematum, quæ in eos vibrantur, qui aliquod disciplinæ caput violare præsumpserint. Addi etiam potest, in hujusmodi impedimentis sæpe dispensari; dispensationem autem nonnisi in rebus disciplinaribus habere locum.

128. Resp., Adversarios hic vehementer falli, & fallere, quia non distinguunt dogma a disciplina. Quod Ecclesia habeat a Christo potestatem ponendi impedimenta dirimentia matrimonium, dogma fidei est, quod sine aperta hæresi negari non potest. Quod autem Ecclesia hac sua potestate utatur, ad disciplinam spectat, quæ variari potest. Reipsa diversis temporibus aucta sunt hæc impedimenta, usque ad novissimum generale Concilium, in quo Ecclesia sua utens potestate novum addidit impedimentum, scilicet *clandestinitatis*, quod antea non erat.

129. Ecclesia etiam usa est sua auctoritate dispensandi hæc impedimenta, diversimode tamen

pro

(*a*) Id clare innuit S. Ambrosius in epist. LX. qua Paterno, qui eum consuluerat super matrimonium, quo filium suum cum filia suæ filiæ conjungere intendebat, respondit id fieri omnino non posse, quia cum lex divina prohibeat matrimonia inter consobrinos, a fortiori prohibetur illud, quod Paternus fieri cupiebat inter suum filium, & filiam suæ filiæ. Non erant itaque illa Conciliorum decreta aliunde petita, quam ex divina lege, vel scripta, vel tradita.

pro diversitate temporum. Nam usque ad sæc. XII. aut nullæ omnino, aut rarissimæ leguntur dispensationes; & potius quædam matrimonia jam inita tolerabantur, quam eadem ineundi dispensatio concedebatur. Postea vero ad tollendos innumeros abusus, qui refrigescente pietate quotidie exoriebantur, Ecclesia in dispensando se faciliorem præbuit. Aliud vero est potestas ponendi aliquas leges, vel in iis dispensandi, aliud hujus potestatis exercitium. Primum ad dogma pertinet, quod immutabile est; alterum ad disciplinam, quæ est mutationi obnoxia.

150. Non autem ex solo anathemate adnexo nos concludimus, eos canones esse dogmaticos, sed potius ex iis verbis: *Si quis dixerit &c.*, ex materia, quæ respicit potestatem leges ferendi, & ex scopo condemnandi impiam Novatorum hæresim.

151. Futilis est quoque, & frigida illorum animadversio, qui canones Tridentinos interpretantur *de facto*, & *non de jure*, quia definitum fuit, Ecclesiam *non errasse*, quod est *factum*. Sed dolose dissimulant alia verba *posse*, & *potuisse*, quæ *jus* designant. Ac demum quando Patres definierunt, Ecclesiam in constituendis, vel relaxandis hujusmodi impedimentis *non errasse*, idem est, ac si dixissent, *ideo non errasse*, *quia id jure suo facere poterat*.

152. Inst. *secundo*. Impedimenta dirimentia afficiunt ipsum matrimonii contractum, quem nullum, & irritum faciunt, seu homines inhabiles reddunt ad contrahendum, sed hoc jus ad potestatem civilem spectat, cui subsunt res omnes corporales, non autem ad potestatem Ecclesiæ, cui non subduntur nisi spiritualia. Si ergo Ecclesia aliquando potuit, vel adhuc ponere potest impedimenta dirimentia, id non fecit, nec facere potest, nisi ex Principum concessione.

153. Resp., matrimonia fidelium esse vera Sacramenta, secus ac sint matrimonia infidelium, atque adeo ratione Sacramenti Ecclesiæ legibus esse omnino subdenda, ut proinde Ecclesia possit etiam contractus matrimoniales sua auctoritate irritos reddere; quia pars nobilior ignobiliorem ad se trahit. Hinc ipsi Protestantes, quia matrimonium habent saltem ut *rem sacram* (quamvis non ut Sacramentum) causas matrimoniales ad sua ecclesiastica consistoria trahunt; adeo ut sæculares Magistratus de iis cognoscere nequeant, ut Bohemerus docet in *Jure Ecclesiast. Protestantium* Tom. II. Tit. 2. §. 2.

154. Obj. *secundo*. S. Thomas in *Supplem.* q. 50. art. un. ad 4. inquit: *Personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quod sunt contra legem, qua matrimonium statuitur. Matrimonium autem, inquantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ; inquantum est Sacramentum statuitur jure divino: inquantum est in officium communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium contrahendum illegitima*. Idem habet in Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 78. vid. sup. n. 2.: omnium igitur istarum legum concursus requiritur ad impedimentum aliquod dirimens constituendum, vel dispensandum, ut proinde sola Ecclesiæ auctoritas minime sufficiat.

155. Resp., nos libentissime acceptare Angelicum Magistrum nostrum, ut hujus controversiæ arbitrum, & judicem. Audiantur igitur, quæ S. Doctor habet in *Quodl.* V. art. 15. ad 1., ubi postquam dixisset, Ecclesiam in his, quæ ad matrimonium pertinent, tripliciter se habere, scilicet *per modum judicantis; per modum prohibentis, vel punientis: & per modum statuentis:* de tertio modo hæc addit: *Quod fit solum auctoritate summi Pontificis, & secundum hoc personæ aliquæ redduntur illegitimæ ad contrahendam, ita quod si etiam contrahant, matrimonium dirimitur*. Item in *Supplem.* qu. 54. art. 4. ad 1. *Sicut Deus*, inquit, *non conjungit illos, qui conjunguntur contra Ecclesiæ præceptum, quod habet eamdem obligandi efficaciam, quam habet divinum præceptum*. Pariter qu. 53. art. 3. loquens de Ordine sacro, dicit, *quod sui ratione habet, ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat, quia in sacris Ordinibus constituti sacra vasa, & Sacramenta tractant ... Sed quod impediat matrimonium, ex constitutione Ecclesia habet*. Ac demum, ne omnia persequar, qu. 57. art. 2. quærens, quomodo cognatio legalis, quæ oritur ex adoptione, matrimonium impediat, ita respondet: *Quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo legibus humanis* (seu civilibus) *prohibitum est inter tales matrimonium contrahi: & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata: & inde est, quod legalis cognatio matrimonium impediat*. Et ad 4. de eadem cognatione legali inducta per legem humanam loquens, *Prohibitio*, inquit, *legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit*. Possuntne clariora afferri, aut requiri? Censuit itaque S. Doctor, leges Principum non sufficere ad matrimonium dirimendum, nisi *approbentur ab Ecclesia*.

156. Quid igitur sibi vult Angelicus, quando docet, ex lege civili personas fieri *illegitimas* ad contrahendum matrimonium? Nihil prorsus aliud, nisi leges etiam *civiles* posse ponere impedimenta matrimonii, sed in suo ordine nempe civili, adeo ut matrimonia contra eas contracta priventur effectibus *civilibus*, quantum ad dotem, successionem, hæreditatem &c.; non tamen quantum ad ipsum matrimonii vinculum, quod ratum manet. Vide, quæ supra allata sunt ex definitione Concilii Tridentini, & ex usu hactenus servato in Galliarum regno. Possunt tamen Principes matrimonia infidelium sibi subditorum irrita reddere, quia hæc non sunt, nisi contractus civiles, nec infideles Ecclesiæ legibus tenentur.

157.

137. Obj. *ult.* Deus ipse Levit. XVIII. numerum impedimentorum matrimonii constituit; nec ullibi legitur in novo testamento hæc impedimenta fuisse immutata, vel aucta, aut Ecclesiæ potestatem datam nova constituendi; præcipue cum res ista ad substantiam Sacramenti pertineat, supra quam Ecclesia nihil potest.

138. Resp., Levitici legem fuisse latam pro Hebræis, neque obligare Christianos, nisi in iis impedimentis, quæ sunt ex ipsa lege naturæ, & quæ etiam vigebant ante legem Mosaicam. Quamquam vero in novo testamento nihil *expresse* legatur de matrimonii impedimentis, id tamen *implicite* continetur in potestate amplissima Ecclesiæ collata ferendi leges, quæ ad bonum Religionis conducant. *Data est mihi omnis potestas: sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Quando Ecclesia impedimenta dirimentia constituit, nihil immutat de substantia Sacramenti matrimonii, sed solum quasdam personas declarat *illegitimas, & inhabiles* ad contrahendum; quod utique pro suprema auctoritate sibi a Christo collata potest. Ita respondisse dicitur in Concilio Tridentino Camillus Campegius insignis Ordinis nostri Theologus. Card. tamen Pallavicinus, diligentissimus historiæ illius Concilii scriptor, nihil de hac Campegii responsione innuit.

139. Inst. Matrimonium pertinet ad jus naturæ, supra quod nihil potest quæcumque humana auctoritas: ergo &c.

140. Resp. cum S. Thoma in *Supplem.* q. 41. art. 1., *naturam humanam non esse immobilem, sicut est divina* (ut dicit Philosophus in VII. *Ethic.*); *& ideo diversificari ea, quæ sunt de jure naturali secundum diversos status, & conditiones hominum.* Recolantur, quæ superius ex eodem S. Thoma dicta sunt n. 5.

Quæres, *an Episcopi possint dispensare in matrimonii impedimentis dirimentibus* (a)?

141. Resp. *negative*, & quidem pluribus de causis. *Primo* enim in Concilio Trident. Sess. XXIV. cap. 5. definitum fuit, posse *Ecclesiam in nonnullis consanguinitatis, & affinitatis gradibus dispensare*, nomine autem *Ecclesiæ* non intelliguntur Episcopi singulares, sed vel Concilia generalia, quæ eamdem Ecclesiam repræsentant, vel summus Pontifex, qui ejusdem Ecclesiæ caput est. Sane idem Concilium quando definivit Sess. XXIII. can. 7., *Episcopos potestatem habere confirmandi, & ordinandi*, vel quando Sess. XXIV. cap. ult. decrevit, *causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos*, *Ecclesiæ* nomen non usurpavit, quemadmodum usurpavit, quando de dispensationibus matrimonialibus locutum est, ut intelligamus, nomine *Ecclesiæ* non venire Episcopos, sed vel œcumenicas Synodos, vel Pontificem. Ubi etiam obiter notandum est, Concilium non tribuisse Ecclesiæ hanc potestatem, sed illos condemnasse, qui eam negabant. Unde frustra aliqui quærunt, quonam Concilii decreto hæc potestas fuerit Pontifici reservata, quandoquidem eamdem ex ipsa primatus prærogativa habet.

142. Id magis confirmatur ex disputatione in ipso Tridentino exorta, an conveniens esset, potestatem dispensandi saltem in quarto gradu Episcopis concedi? Id autem negatum fuisse, refert Card. Pallavicinus Lib. XXIII. cap. 9. n. 17. maxime propter rationem allatam a M. Ant. Bobba Episcopo Augustæ Prætoriæ, & Ducis Sabaudiæ Legato, quod scilicet larga nimis aperiretur dispensationibus matrimonialibus porta. Non igitur Trid. nomine *Ecclesiæ* intellexit Episcopos peculiares, sed solum Rom. Pontificem, *cui in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem a Christo plenam potestatem traditam esse*, Synodus Florentina definivit.

143. *Præterea*, ut rectissime observabat immortalis Pius VI. in suis litteris ad Archiepiscopum Coloniensem 20. Jan. 1787., *si jus esset Episcopis relaxare legem impedimentorum matrimonialium ab Ecclesiæ potestate constitutam, & ubique in catholicis ditionibus receptam, tota everteretur Ecclesiæ disciplina, caput subjiceretur*

mem-

(a) Affirmativam sententiam contra veterem Ecclesiæ consuetudinem, qua hujusmodi dispensationes nonnisi a summo Pontifice conceduntur, novi quidam Theologi defendere conati sunt, eamque nonnulli insignes Germaniæ Episcopi adoptaverant. Sed illis se fortissime opposuit immortalis memoriæ Papa Pius VI. feliciter regnans; suaque auctoritate effecit, ut Episcopi in debita erga Romanam Petri Sedem subjectione, atque obedientia permanerent, & assentatorum ora obstruerentur. Inter hos præcipue nominatur personatus quidam Anianus Eliphius, qui anno 1781. Viennæ edidit *Concordiam* (seu verius *Discordiam*) *juris Canonici cum edictis a Cæsareo-regiis recentius emanatis in materia dispensationum super impedimentis matrimonii ad Vener. Hungariæ Clerum*, frustra conatus, religiosissimos inclytæ illius Nationis Antistites a debita erga summum totius Ecclesiæ caput obedientia subtrahere. Sed de discordia, quam larvatus Eliphius, & nonnulli alii erga Sedem Apostolicam male animati suscitare frustra tentarunt, non solum inter Sacerdotium, & Imperium, sed etiam inter summum Sacerdotem & Episcopos ipsi subjectos, legi possunt tria Opuscula I. *Veritable état du différent élevé entre le Nonce Apostol. résident à Cologne, & les trois Electeurs ecclésiastiques.* II. *Supplément au veritable Etat.* III. *Coup d'œil sur le Congrès d'Ems, precedé d'un second supplément au Veritable état.* Singulari autem Pontificis Max. Pii VI., quem Ecclesiæ bono Deus diu sospitem servet, prudentia, ac dexteritate pax ubique redintegrata, atque Apostolica Petri Sedes in veteri suorum jurium possessione servata est. Porro laud. mox immortalis Pius in suis litteris ad Archiep. Colon. meminit Concordati initi cum Rom. Imperatore Josepho II., *ut ex dispensandi ab impedimentis facultates, quæ antea a Sede Apostolica concedebantur suarum ditionum Episcopis, extenderentur imposterum etiam ad dirimentia matrimonia, ita tamen, ut in præfixos arctiorum graduum limites non transcurrerent.*

membris, ac proinde actum esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta; ut generaliter declaravit Nicolaus I. in Epist. ad Michaelem Imperatorem. Fidei enim dogma est Episcoporum auctoritatem, & jurisdictionem subjectam esse summi Pontificis auctoritati; ita ut subesse debeant Sedis Apostolicæ statutis, ut patet de jurisdictionis Primatu, singulari Christi munere, Petro, ejusque successoribus divinitus collato, quod quisque ex Catholicis fateri adstringitur. Ita etiam ratiocinabatur sapientissimus Pii VI. prædecessor Benedictus XIV. *De Syn. Diœces.* Lib. IX. cap. 1. n. 6.

144. Aliam, eamque admodum gravem, laud. mox Benedictus XIV. cap. 2. affert rationem, nempe quod impedimenta dirimentia ortum habeant, *aut a Concilio generali, aut a summis Pontificibus, quorum decreta nequit inferior infringere, iisque ulla ratione contraire.* Ad quod magis corroborandum allegat verba celebris Theologi Galli Nat. Alexandri, qui in *Theol. Dogm. Morali* Lib. II. *De matrim.* cap. 4. artic. 13. reg. 11. ita probat, dispensationes in impedimentis dirimentibus Romano Pontifici reservatas esse: *Cum enim ab Ecclesia universali, sive illius capite Romano Pontifice sint instituta impedimenta matrimonium dirimentia, dispensatio super eis communi jure ad Caput universalis Ecclesiæ Romanum Pontificem, non ad Episcopum, pertinet, ut colligitur ex Capit.* Cum Inferior extra de Majorit. & obed.; *Conciliaque Provincialia plurima, Ritualia Ecclesiarum, Auctores omnes id confirmant, & auctoritatem dispensandi competere negant Episcopis, cum publicum impedimentum est, vel de contrahendo matrimonio agitur* (*a*).

145. Hac ipsa ratione usus est Pius IV. ad retundendas injustas quorumdam Principum, & Electorum Germaniæ querelas de reservatione dispensationum ab impedimentis matrimonialibus, quia nempe *omni juri, omnique rationi contrarium esse indubitatum est*, ut Episcopi potestatem habeant dispensandi in his, quæ Romanæ Sedis auctoritate constituta sunt, *hoc est inferiores, & subditi in lege superiorum suorum* (apud Rainaldum ad an. 1563. ad n. 44.).

146. Huic tamen invictæ rationi Adversarii una cum Ant. Pereira Lusitano in damnata sua Dissert. *De Episcoporum potestate dispensandi impedimenta publica matrimonii* Principio III., & seq., innumera opponunt exempla Episcoporum, qui hanc dispensandi facultatem per multa sæcula exercuerunt: qua in re maxime abutuntur auctoritate Laud. Thomassini *De vet., & nova Ecclesiæ discipl.* P. II. Lib. III. cap. 24. & seq., ubi more suo omnia fere vetera monumenta ad hanc materiam pertinentia operose collegit; unde postea & Pereira, & alii quasi ex ditissimo promptuario omnem suæ eruditionis copiam hauserunt.

147. Sed multa essent hic bene examinanda, quæ propter nimis remotam antiquitatem vix possunt in debita luce collocari. *Primo*, an in allatis exemplis semper agatur de impedimentis *dirimentibus*, an vero de aliis solum *impedientibus*, quæ sicut ab Episcopis, vel Synodis Provincialibus poni, ita & ab ipsis relaxari possunt? *Secundo*, si agatur de impedimentis *dirimentibus*, videndum, an hæc jam essent eo tempore a tota Ecclesia recepta, & approbata, ut proinde sine ejusdem universæ Ecclesiæ, aut Romani Pontificis auctoritate dispensari amplius non possent? *Tertio* (quod bene notat Natalis Alexander loco nuper cit.), an consuetudo antiqua dispensandi, quæ in aliquibus diœcesibus viguisse, immo & adhuc vigere dicitur, *a Sedis Apostolicæ concessione* originem trahat? Sic modo Episcopi Germaniæ ex Roman. Pontificum indultis impedimentum consanguinitatis, seu affinitatis in quarto, & tertio gradu relaxant (*b*). *Demum*, si antiquæ huic quarumdam Ecclesiarum consuetudini numquam Rom. Pontifices restiterunt, hoc ipso eamdem approbasse censeri possunt; *siquidem*, ut ibidem concludit Natalis Alexander, *consuetudo legitime præscripta juri positivo præjudicat, ususque longævi non levis est auctoritas, ut dicitur in cap. Cum consuetudinis, & cap. Cum tanto, extra de consuetud.*

148. Addit tamen sapientissimus Benedictus XIV. *etiam dato, in aliquam diœcesim irrepsisse consuetudinem, de qua contenditur, ut per eam collatum dicamus Episcopo legitimum jus auferendi impedimenta a Conciliis œcumenicis, aut a Summis Pontificibus inducta, diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit prævalere legi Episcopo inhibenti, nec Superioris statutum infringere, aut quoque modo relaxare præsu-*

(*a*) Nam idem sanctissimus Pontifex ibid. num. 1. & 2. ultro concedit, posse Episcopos relaxare impedimentum matrimonii jam contracti, quando hæ sex circumstantiæ occurrant: 1. ut matrimonium sit contractum in facie Ecclesiæ: 2. ut contractum sit bona fide ex juris, aut facti ignorantia: 3. ut sit consummatum: 4. ut impedimentum sit occultum: 5. ut non possit facile adiri prima Sedes: 6. ut non posset separatio fieri sine scandalo. Neque etiam eorum doctrinam condemnat, qui dicunt, posse Episcopos tollere impedimentum occultum matrimonii contrahendi, cum tales urgent rerum circumstantiæ, ut nec Pontifex consuli, nec matrimonii contractus, ad quem omnia sunt disposita, differri possit sine scandalo, & paratorum ad nuptias infamia: tunc enim præsumendum est, summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam certe requisitus non esset ei denegaturus.

(*b*) Notandum est, sanctum Gregorium magnum, concessisse Christianis de novo in Anglia conversis, ut matrimonia inirent in quibusdam gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, in quibus alibi nubere non licebat. Ita Lib. XII. Epist. 31. Annon similiter aliquibus Episcopis facultas concedi poterat, in quibusdam impedimentis dispensandi?

sumat. *Quin immo, cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda, & minuenda jura uni competentia Rom. Pontifici, præter ceteras conditiones, necesse est, ut centum ad minus annorum spatio sine ulla interruptione perseveraverit ..... Verum postremo, & potissimum considerandum est, an per eam consuetudinem, si quo inoleverit, disrumpatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ; in quo eventu nunquam per eam adversus legem præscribi, declaravit Innocentius III. in cap. Cum inter, De Consuet.* Hactenus doctissimus Benedictus.

149. Sed missis nonnullis aliis argumentis, quæ adhuc afferre possemus, hanc nostram responsionem concludemus gravissima sæpius, sed nunquam satis laudati Pii VI. animadversione: *Cum de maximi momenti re, de validitate scilicet Sacramenti matrimonii, agatur, in quo illicitum est quidquam incerti adhibere, medio certo prætermisso, quod adhiberi potest*, vel ex hoc solo capite non licet Episcopis impedimenta matrimonii dirimentia sine Rom. Pont. auctoritate relaxare. Hoc etiam jam animadverterat oculatissimus Benedictus XIV., adductis quoque verbis Nat. Alexanri dicentis: *Si dubitet, vel merito dubitare debeat Episcopus ..... dispensare non potest ..... in re enim Sacramenta spectante, non licet minus probabilem, ac minus tutam opinionem sequi, relicta probabiliore, atque tutiore*.

150. Atque hæc, aliaque omnia a me hactenus scripta supremo, & infallibili Ecclesiæ, ejusque Capitis Romani Pontificis judicio subjecta penitus volo, paratissimus ore, & corde ea corrigere, quæ minus recte mihi ex calamo imprudenter excidissent. *Imprudenter* inquam: nihil enim magis cordi habui, quam sana, & orthodoxa dogmata auditoribus meis propinare; quamobrem a novitatibus tamquam a periculosis scopulis semper abhorrens, antiquæ, ac tutissimæ Angelici Præceptoris nostri doctrinæ constanter adhæsi. Sicubi autem inveni, aut quasdam controversias ab eo minime discussas (quod tamen perraro accidit), aut ipsius mentem non esse omnino perspectam, optimos, magisque probatos Theologos consului; atque ab eis impressa vestigia fideliter secutus sum, ne scilicet ab inconcussis fidei catholicæ, & apostolicæ principiis vel minimum aberrarem, atque ingratus fierem singulari illi Dei beneficio, quo me in sinu suæ Ecclesiæ nasci, & educari voluit, illique sanctissimi Patriarchæ Dominici Familiæ adscribi, quæ perfectam, atque omnimodam Apostolicæ Romanæ Sedi obedientiam semper professa est, semperque profitebitur. Amen.

FINIS

Cum jussu Reverendissimi P. F. Balthassaris de Quinnones totius Ord. Praed. Generalis Magistri primum volumen de Sacramentis auctore A. R. P. M. F. Petro Gazzaniga, attente, et maxima animi voluptate perlegerim, ita hoc alterum pari diligentia, nec minori jucunditate percurri: cumque nihil repererim, quod Ecclesiae dogmatibus, Christianisque moribus vel minimum adversetur, sed omnia a Clarissimo viro tam perspicue, solideque pertractata observaverim, ut morosioribus plane satisfacere, et solertioribus multiplici eruditionis genere cumulate arridere valeat, idcirco praelo dignum censeo.

Dabam Bononiae in Coenobio S. P. Dominici die 6. Octobris 1793.

Fr. Vincentius Aloysius Gandolfi Ord. Praed.
in Prov. Mag., et Institutionum Theologicarum Professor.

Jussis Reverendissimi P. Fr. Balthassaris de Quinnones universi Ordinis FF. Praedicatorum Generalis Magistri reverenter obsequuturus perlegi, fere annus est, primam Partem, nunc vero secundam Tractatus de Sacramentis ab A. R. P. M. Fr. Petro Maria Gazzaniga in Augusta Vindobonensi Universitate emerito Professore elucubrati. Omnia utrobique paria deprehendi; selecta nempe, gravissima, et adversus profanas cum veterum, tum recentiorum quorundam novitates apte, eruditeque tradita. Propterea summopere gratulans, et secundam hanc Partem typis vulgandam esse censeo, et Auctorem Clar. impensius rogo, ut pro suo erga Catholicam Religionem studio, ac pro ea, qua in ipsa aetate jam gravescente pollet ingenii, memoriae, scribendique facultate, Novatores compescere, et Ecclesiasticae militiae Candidatos docere, quod per hucusque actae vitae tempus enixe praestitit, adhuc pergat.

Datum Bononiae in Conventu Sancti Patris Dominici
die 10. Septembris anno 1793.

Fr. Pius Vincentius Zunini Ord. Praed.
Sac. Theolog. et Stud. Mag.

VIDIT

D. Philippus Maria Toselli Clericus Regularis S. Pauli, et in Eccl. Metrop. Bononiensi Poenit. pro Eminentissimo, ac Reverendissimo D. Andrea Cardinali Joannetto Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Camaldulensis, Archiepiscopo Bononiae, et S. R. I. Principe.

IMPRIMATUR

Fr. Moysius Maria Ceruti Vicarius Generalis S. Officii Bononiae.